




MICHAELIS
AB ISSELT
AMORFORTII
SVI TEMPORIS
HISTORIA,

In qua

RES IN TOTO ORBE TERRArum gestæ, tum præcipuè motuum Belgicorum sub PHILIPPO *II. Hispaniarum Rege, &c. concitatorum origo & successus vsque ad annum M.D. LXXXVI. perspicuè & accuratè describuntur.*

Cum INDICE rerum & verborum copiosiss.



Ex lib. PP. Erem: Camaldulen: Montis Regij pre Varsaviã

COLONIAE,
Apud Arnoldum Quentelium,
Anno M. DCII.
Cum gratia & Priuil. S. Cæsareæ Maiestatis.



SERENISSIMIS PRINCIPIBVS, ALBERTO ET ISABELLAE CLARAE EVGENIAE AVSTRIACIS, Infanti Hiſpaniarum, Belgij Dominis.

IN Hiſtoriam noſtri temporis, SERENISSIMI PRINCIPES, quam Michaël ab Iſſelt proximis ante mortem annis ſumma tum fide, tum breuitate ac perſpicuitate conſcripſit, Veſtræ Serenitati lubens meritiſſimeque offero ac dedico. Vt id facerem, non vna me cauſſa impulit. Voluntas Auctoris in primis, qui quantum mihi ominari licet, extremum hunc laborem ſuum & veluti cygneam cantionem vobis conſecraturus erat, ſi vita ſuperſtes fuiſſet. Cui enim iuſtius, quàm Belgij Dominis Belga, Amorfortij ſub Imperio veſtro natus & educatus, vbi & bonam vitæ partem traduxerat, Opus ſuum offerre potuiſſet? Idem Operis argumentum ſuadebat, quo de rebus veſtris potiſſimum, id eſt, in Belgio

vestro sub beatæ memoriæ PHILIPPO II. REGE, verè Catholico, Pio, Felice, Patre Patriæ, Parente Soceroque vestro gestis pertractatur. Eoque magis Auctoris pijs Manibus obsequendum duxi, quo minus ipse iam vita functus fœtum hunc suum quasi posthumum fouere, aut à Lamiarum iniurijs valeret defendere, quem Vestrę Serenitatis manibus in lucem susceptum, saluum, valētem, & vitalem fore spondeo ac iuro. Iam verò genus hoc scriptionis Serenitati Vestrę non ingratum, neque etiam inutile fore arbitrabar. Præstat hoc inter ceteros fructus, quos affert eximios, Historia, dum illustrium Virorum, rerumque gestarum memoriam replicat, vt cum illis quodammodo coniungi, viuere, miscere sermones, rebus omnibus interesse, ipsosque coram spectare videamur, vt Plutarchus in Paullo Aemylio memoriæ prodidit. Tanquam si vobis Parens PHILIPPVS, Frater ERNESTVS, ceteri necessarij è cęlis ante cōspectum vestrum sisterentur, sic eorum hîc narrantur consilia, factaque pręclara, vt non tam legi, quàm geri; coram spectari, nō narrari videantur. Quo quid vobis obsecro iucundius, quid gratius in hac vita accidere poteſt? Quid vtilius,
quàm

quàm ex præteritis de re præsenti consilium capere,& sinè periculo discere ex alijs, sibi quod ex vsu sit? Euentus enim rerum olim gestarum & successus quisquis bene ac diligenter notauerit, sana in rem præsentem & futuram consilia afferet, vt rectè ad Nicoclem Isocrates. Scipio Africanus Cyri historiam,ab Xenophonte ad optimi Principis effigiem descriptam, nunquam de manibus, si Ciceroni credimus,ponere solebat, vnde non parum in rebus pace belloque gerendis adiutus fuit. Vestris ab oculis & mentibus nunquam viua PHILIPPI Cyro maioris REGIS abscedat effigies, qui nullum in vita pij, vigilantis, prudentis, moderati, & clementis Principis vnquam prętermisit officium.Eius hoc libro non vmbraticis coloribus, sed rebus factisque præclaris expressam dum intuebimini effigiem, vehementer animum vestrum ad virtutes illius persequendas accendi credidero. Nec desinam optare, eam flammam crescere in pectore vestro,neque prius sedari, quàm illius famam & gloriam Vestra Virtus adæquauerit,addo etiam,exsuperauerit.Hæc mea,Serenissimi Principes, vota; hæc piorum omnium & verè Catholicorum pia desideria. Ea perficere ac com-

plere dignetur Clementissimus Deus, vti olim REGI OPT. eam mentem inspirauit, vt te vnum ex omnibus Christiani orbis Principibus deligeret, quem suę verè bellæ, claræ ac generosæ FILIAE coniugem; sibi generum; dilecto Belgio suo gubernatorem, inde Dominum & tranquillandis eius fluctibus pacatorem adscisceret. In hoc mare magnum & procellosum qui vocauit, faciat vos sua virtute potentes: quò dissidentes pacare, hostes frangere, rebelles tandem aliquando subiugare concedatur. Quod reliquum est, librum hunc SERENITAS Vestra in suam fidem & clientelam sereno fronte ac mente vt suscipiat, meum quoque hunc conatum & animum boni consulat, precor. Coloniæ Agrippinæ 28. Augusti. Anno post Christum natum M. DCI.

Vestr. Sereniss. CELSITVD.

humilimus Cliens

Arnoldus Quentelius Typographus.

TYPO-

TYPOGRAPHVS BENEVOLO LECTORI S.



*T, quo in recudendis R. P. L*AVRENTII *S*VRII *historicis Commentarijs vsus sum consilio, beneuole Lector, non ignores, hoc Editioni nouæ præfigendum duxi: rogatum à me R. D. Michaëlem ab Isselt, vt quemadmodum cœperat hosce Commentarios supplere, pergeret, ac vlterius perduceret; litteris operam suam prolixè & industriam omnem obtulisse. Veruntamen quòd videret opus hoc pacto iusti voluminis mole excessurum, non omnino malè eidem visum fuit, vt seorsim ederetur Surius, & sui, quos pararet, Commentarij itidem prodirent separatim. Id quod commodè, valdequé vtiliter posse fieri, censuit: eò quod scopus sibi præfixus ab Surij scopo nonnihil differret. Etenim Surius quæ sub Inuictißimô Rom. Imper. f. r. Carolo V. contigerunt ferè descripsit; sic tamen, vt plus videatur intentus fuisse aperiendis lapsibus aut technis Sleidani, rebusqué & ritibus Catholicis stabiliendis, quàm planæ gestorum relationi. Mihi verò, inquiebat, animus est, continuatâ serie quidquid à tradito in manus Philippi II. Hispaniarum Regis Belgio, cùm ibi, tum vniuerso terrarum orbe memoratu digna acciderunt, vsque ad pientißimum eius obitum, in histo-*

riam redigere. Placuit, fateor, Auctoris propositum, eò magis, quòd intelligerem, hoc modo leuari posse auidum Lectorem eadem sæpius coëmendi impensis, quas facere necesse foret, si quotannis semper aliquid adijceretur ad Surium, itaq́ue sæpius ille prodiret auctior. Verùm dum Isselt cudendo operi sedulò intenderet, feliciterque ad annum vsque 1580. perueniſſet, inopinatâ morte præpeditus, quod reliquum erat absoluere non potuit. Vnde perplexus ego quid facerem; ederemné id, quod ad me peruenerat, an supprimerem, tandem statui, orbi communicandum, vt ne studiosi iucundiſsimâ lectione, nec Auctor fructu laborum suorum, etsi post funera, omnino fraudaretur. Optassem equidem magis, perductum ad finem dare in lucem, sed quando hoc nobis inimica mors inuidit, eo, quod candidè offerimus, qualecunque sit, candidè vtere, & si quem fortè nosti, qui addendis quæ desunt, non infeliciter vacare poſsit, hortare vt velit. Ego sanè operam meam, in publicandis laudatiſsimis eius studijs ac conatibus, lubens meritoque promitto.

Vale.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM HVIVS HISTORIAE.

A

a. eiu.

B

C

embie-

F

Fabius

I

fit

pera-

O

oli-

P

petrus

ſebaſtia-

sor-

V

 cupa-

vvil-

FINIS.

COM-

COMPENDIOSVS INDEX RERVM IN SINGVLIS PROVINCIIS ORDINE GESTARVM.

MICHAE-

MICHAELIS AB ISSELT RERVM SVO TEMPORE IN ORBE GESTARVM, AB ANNO SCILICET SALVTIS M. D. LXVI. EX optimis quibusque Scriptoribus collecta HISTORIA.

SVCCINCTA, VERA, ET PERSPICVA IN HISTORIAM *de tumultibus Belgicis, à suscepto ab Hispan. Rege Philippo II. imperio, ad annum* M. D. LXVI.

INTRODVCTIO.



CAROLVS V. omnium qui retrò extiterunt, & qui fortè sunt futuri, laudatissimus domi, prudentissimus in imperio, in toga iustissimus, in armis victoriosissimus Imperator, quem tandem diuinarum rerum studio accensum, humanarum tædebat, admirando, atque ante eum diem apud Christianos inaudito exemplo, de omnibus regnis, prouincijs, & amplissimis supremarum dignitatum honoribus decessurus, in Belgio vniuersarum prouinciarum Ordinibus, maiorumque gentium nobilitati Bruxellæ diem dixit. Quibus die constituta congregatis, Cæsar Philippo filio, Angliæ Rege, & Maria Vngariæ Regina sorore comitatus, Palatij maiore atrio incredibili hominũ veneratione exceptus, con-

Carolus V. omniũ prouinciarum imperio sese abdicat.

Philiberti à Bruxellis pro Cæsare oratio ad Ordines Belgicos.

ſeenſa ſede, Philibertum à Bruxellis Senatorem conſilij Status, ſigno dato, loqui in eam ſententiam iuſſit, Vt Cæſaris imperium iam inde ab adoleſcentia breuiter commemoraret, atque Ordinibus quàm maximè probaret; ſingularem Cæſaris affectum in Belgas, quem nullæ difficultates, labores, pericula, corporis ægritudines labefactare potuerunt, ſæpius inculcando. Cauſam deinde, cur conuentum hunc Cæſar indixerat, exponeret. Cæſarem ſe omnium prouinciarum imperio abdicare, & certas ob cauſas in Hiſpanias nauigare decreuiſſe: iuratam igitur Belgis fidem remittere, religione abſoluere, quo iure prouinciæ, ditionesque Belgicæ tunc ad Cæſarem, eo mortuo ad Regem filium pertinerent, hoc iure filio coram aſſidenti nunc præſentibus Ordinibus tradere. Commonefecit igitur Ordines ſui in Regem officij, & multa de optimi noui Principis præſtante voluntate pollicebatur. Inter alia Cæſaris monita, quæ ille pro ſuo in eos amore tenere iuſſit, illud principem locum obtinere voluit; Summi Dei ſacrum cultum retinerent, ſacroſanctam ſanctæ Matri Eccleſiæ obſeruantiam, Catholicæ Religioni fidem exhiberent: leges colerent, quibus hæreticorum hominum temeritatē Cæſar coërcuerat. Eſſe enim illam æterni Dei certam atque immotam ſententiam; *Frui eos diu bonis non poſſe, qui boni largitorem Deum negligerent.* Eadem & Cæſar ipſe Bruxellæ ſermonem proſecutus, denuò inculcauit.

Cæſar tradit imperium filio.

Maſij pro Ordinibus oratio.

Et tandem Doctor Maſius, pro toto eo conuentu Cæſari reſpondens, in eum ſermonem ingreſſus eſt; vti Cæſaris monitis parituros Ordines affirmaret, Religionemque Catholicam eo maiore ſtudio conſeruaturos aſſeueraret, quòd ad animarum ſalutem, & ad publicam rerum quietem Religionis tutela pertineret. Præclarè quidem & laudabiliter hæc omnia.

Imperium Philippi.

Cæſar in Hiſpanias nauigat, Philippus eius filius prouinciarum Belgicarum imperium feliciter auſpicatur. Quod enim Cæſaris fortunæ negatum fuit, id Regis filij felicitati adiectum, vt diu exoptata pax inter ipſum & Henricum Galliarum Regem maximo vtriuſque ſubditorum gaudio ſit conciliata: & quod tot retro ſeculis poſtulatum fuerat, terra atque mari Chriſtianus orbis bellis vacaret. Vnis hæreticis ea Regum concordia diſplicebat, ſiue quòd Regum fœdere de Religione Catholica reſtituēda, conciliòque

Anno M. D.LIX. 3. Aprilis. Pax Gallica.

generali

generali indicendo nominatim caueretur, siue quòd odijs, dissensionibusque exorti, bellis enutriti, minus se tutos pace arbitrarentur: siue quòd ea esset postremò ingeniorum intemperies, ea temporum calamitas, vt ferre homines rerum quietem non possent. Fœdere Gallico Albanus Dux Elizabetham Henrici filiam Regi Philippo sponsam stipulatus erat, quæ nuptiæ dum celebrantur, Rex Henricus cum Mongommerio decurrens, cōfracta lancea vulneratur, & quinto post die magno omnium luctu moritur. Succedit patri Rex Franciscus adolescens, vix ad Regni gubernacula capessenda maturus: cuius ætatem nouæ Religionis homines contemnebant. Huius igitur imperium ea tempora exceperunt, quibus de Religione, dē summa Regni, de Regis ipsius salute tota Gallia laborabat. Manebat idem fatum Belgarum ditiones, sed quas eò grauius in ruinam procumbere oportebat, quò diutius malè fultæ, per occultos cuniculos lentius subuerterentur. Pace namque, vti dicebamus, constituta, Rex Philippus, qui Cæsarem patrē mense Septembri ante amiserat, de Africanis præsidijs, Hispaniæque occultis motibus timebat, grauissimasque causas alias complures habebat, cur Hispanias cogitaret. Cæsare imperiò cedente, rogantibus id Belgis, facturum quidem sese Rex receperat, vti necessarijs Reipub. temporibus à Belgio non abesset. At ea nunc rerum omnium erat constitutio, vt Belgæ nullā causam adferre posse crederentur, cur manere diutius apud se Regem oporteret. Hoc Regis de Hispanica profectione consilium quibusdam approbantibus, alijs improbantibus, Rex Margaretam Austriacam, sororem, Octauij Farnesij Parmæ Ducis coniugem, ex Italia accersitam, ad supremam Belgij Burgundiæq; præfecturam constituit. Singularum prouinciarum administrationem ita partitur: Lutzenburgum & Chimeum Comitatum Petro Ernesto, Comiti Mansfeltio: Geldriam, Zutphaniamque Carolo Brimæo, Comiti Megemo attribuit: Flandriam & Artesiam Comiti Egmondano. Hannoniam, Valencenas, & arcem Cameracensem Ioannes Glimæus, Marchio Bergæ ad Zomam à Rege accipit. Burgundiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & ditioni Vltraiectinæ præficitur Auraicus: Frisiæ Occidentali, Groeningæ, ditionique Transisulanæ Ioannes à Ligne, Comes Arembergij: Insulis,

Mors Henrici Galliarum Regis.

Mors Caroli.

Rex Philippus Hispanias petiturus, quomodo Belgij præfecturas distribuit.

Duaco, & Orchinio Ioannes Montmorantius, Dominus Courritij: Tornaco & Tornacesio Florentinus Montmorantius, Dominus Montignæi: Namurco Carolus Barlaimontius: Ditionibus Transmosanis Ioannes Comes Frisiæ Orientalis Equitum præterea grauis armaturæ cohortes inter primores Belgij nobiles Rex partitur: & vrbium, populique commoda ita procurat, vti veterem Rerumpub. morem, leges, priuilegia & iudicia retineret, curas publicas ita Parmensi traderet, vti in consiliorum societatem primores Belgij adhiberet, Religionem Catholicam & translatitijs Caroli V. edictis, & nouis à se susceptis consilijs tueretur. Celeberrimũ postremò conuentum ad mensem Iulium prouinciarum Ordinibus atque inaurati velleris equitibus Gandauum indicit, vbi in demortuorum equitum nouos in aurei velleris ordinem adlegit primò, deinde cum prouinciarum delegatis agere instituit, verba Regis nomine faciente Granuellano, Episcopo Atrebatensi. Qui de Regis in optimos subditos præclara voluntate nonnulla prælocutus, quàm necessaria sit Regis in Hispanias profectio ostendit. Cur Rex filium ex Hispanijs non vocet, Belgioque præficiat docet. & Parmensem Regis sororem Ordinibus commendat. Quæ cùm prolixa oratione Atrebatensis pronuntiasset Rege præsente & iubente in eum sermonem ingressus est; Vicinorum Principum complures ditiones nouis de Religione dissidijs laborare, eas sectas à diabolo, dissidiorum, seditionumque parente ad animorum corporumque internecionem proficisci Nihil itaque æquè Regi curæ existere, quã vt ea mala in suas ditiones non perueniant: tum quòd Domino Deo rationem de administratione reddere se sit necesse, tum quòd cum certa prouinciarum pernicie ea res sit coniuncta. Mutari enim Religionem sine magnis motibus iccirco non posse, quòd bonarum Rerumpub. vis atque anima Catholica Religione contineatur. Non posse non eorum Regem meminisse, quæ discedens Ordinibus audientibus Cæsar imperasset; quibusque de rebus moriens testamento studiosè cauisset. Parmensi itaque id Regem imperasse, Religionem Catholicam tueretur, eas leges exactè obseruaret, quibus de hæreticis coërcendis Cæsar atque Rex cauissent. De re eadem ad singularum prouinciarum præfectos, tribu-

Vt Rempub. constituit.

Conuentus Ordinum Gãdaui.

Oratio Granuellani pro Rege.

Vt Philippus Belgis Catholicæ Religionis obseruantiã commendat.

tribunaliaque mandata Regem accurata miſiſſe; velle vti & Ordines huius quoque in ſe rei curam ſuſciperent: vnam hanc ſibi rem longè gratiſſimam, prouinciiſque vtiliſſimam futuram. Tandem cùm Regem Ordinibus gratiam habere dixiſſet, quòd ſibi maioribuſque ſuis obſequentes ſemper extitiſſent, & pecunias liberaliter contuliſſent, rogare etiam, vt quo præſentem conſueuiſſent, eodē abſentem ſtudio colerent, Atrebatenſis orationi finem impoſuit.

Querelæ Belgarum de Hiſpanis.

At cùm Primores Belgii, reliquique nobiles ægerrimè ferrent, Hiſpanos plus quam ſe apud Regem gratia valere, & cum Albano, Ruygomo, Comite Feriæ, de rebus grauiſſimis occulta Regem conſilia verſare, ſe vnos exiſtere, qui veluti vmbræ verſarentur, quorum auctoritas verbo laudaretur, re nulla exiſteret, conquererentur; adderent nonnulli Albanum ea Cæſari conſilia dare conſueuiſſe, quibus Belgarum ſeruitutem cogitaret, Ordines quorundam inſtinctu Regem in his comitiis Gandauenſibus orârunt, vti peregrinum militem Belgio educat; præſidiis non niſi Belgicis vtatur, conſiliis de Repub. peregrinos non adhibeat.

Rex nauigat in Hiſpan. Aug. 25.

Præfectura Parmenſis.

Rex paulo poſt afflante Aquilone breuiſſimo temporis ſpatio Vliſſinga in Hiſpanias adnauiuit, & Parmenſis Bruxellas profecta, ſummi imperii poteſtatem menſe Septembri auſpicatur. Tanta erat iis temporibus rerum in Belgio felicitas, vt nemo facile dixerit, quibus temporibus maior vnquam extiterit: quæ teneri non difficulter potuiſſet, ſi à dominantium animis ambitio, à plebeiorum hereſis & peruerſæ de Religione opiniones abfuiſſent.

Ambitio, inuidia, nouæ Religiones ſemina motuum Belgicorum.

Sed Rege profecto, mox ambitio & inuidia in aula inter Proceres & primæ nobilitatis homines cœpit gliſcere. Inter magnas mercatorum atque vrbium opes vna egebat nobilitas, quę bello ſublato, qua ſe ratione domi pro dignitate ſuſtineret, difficulter inueniebat. Et quidem minorum gentium nobilitati vna reſtabat ratio tributum nouennale, quod in equites, præſidiaque erogabatur. Proceribus verò, quos & Titulares vocabant, quibus anguſta domi res, foris atque domi magnus animus exiſtebat, ſufficere ea res non poterat. Facile itaque accidere fuit neceſſe, vt quibus domi eſſet malè, ii eam Reipub. formam non probarent, quæ domeſticis atque occultis malis non mederetur: eos quoque odiſſe homines inciperent, per

quorum auctoritatem stare arbitrabantur, vti quæ vellent, non impetrarent. Magna fuerat Antonij Perrenotti, Nicolai filij, Atrebatensis Episcopi apud Cæsarem fides & auctoritas, quem & Cæsar imperio decedens Regi filio commendârat, vnumque hunc esse ostenderat, quo vti eum summis Reipublicæ negotijs desideraret. Manserat itaque eadem Antonio apud Regem, qui fuerat apud Cæsarem gratia, grauissimisque rerum publicarum deliberationibus adhiberi à Rege consueuerat. Auxit hanc eius dignitatem Pius Quartus Pontifex, qui Perrenottum in Cardinalium collegium cooptauit. Eam Cardinalis amplitudinem Auraicus, Egmondanus, Hornanus, & alij ferre non poterant: & hinc in occultas animorum simultates est discessum. Auraicus & Egmondanus sibi quisque summi imperij dignitatem ambierant; Rex vtrique Parmensem prætulit: eam culpam Albano & Atrebatensi adscribebant. Hinc occulta odia, quæ sese prima offerrent. Oderat & Hornanus Atrebatensem, quòd eo auctore Gelriæ & Zutphaniæ administratione, quam ambibat, exclusum se quereretur. Regnardus Burgundus, qui inducias cum Gallis in annos quinque pactus erat, eundem de alienata à se Regis voluntate, quòd Regi induciarum conditiones minus placerent, accusabat. Lazaro Zvvendio Germano, qui in Cæsaris & Regis exercitu honestissimos Germanicæ militiæ ordines diu duxerat, ea cum Auraico, & Egmondano, cæterisque eius ordinis erat familiaritas, vti cùm per eorum amicitiam infinita sibi polliceretur, per vnum stare Cardinalem existimaret, cur non etiam in Senatum Concilij Statûs adlegeretur, maioremque honorum atque opum dignitatem adipisceretur: transijt igitur & is in easdem cum Cardinale simultates. A Cardinale deinde ad Viglium, Barlaimontiumque, quorum consilijs Parmensis in rebus arduis frequentius vtebatur, quadam veluti contagione eorum dissidiorum ignes peruadunt, quę grauissimorum omnium postea prima initia & causæ extiterunt. Accessit quòd res duæ magna sententiarum varietate agitari publicis consilijs inciperent, nouorum Episcoporum institutum, & quæstiones de hæresi. Et quidem nouorum Episcoporum

Auctoritas Granuellani.

Initia odiorum in Granuellanũ.

NOVORVM EPISCOPORVM

rum

ram institutum, quod Philippus Bonus, Burgundię Dux, imperij Belgici Princeps, animo conceperat, sed perficere non potuerat, neque Carolo filio à bellis otium esset; Carolus quoque Cæsar abaui hoc consilium sæpenumerò secum perpenderat, multaque ad eam rem conficiendam consilia conceperat; Philippus tandem, tum quòd patris monita consiliaque plurimi facere consuesset, tum quòd Religionis Catholicæ (ad quam procurandam perutilis ea res futura videretur) ita studiosus existeret, vt huius vnius rei studio omnem imperij atque suam dignitatem metiretur, perfecit: & nouos Episcopos prouinciis suis dari à Paulo Quarto impetrauit. De his nouis Episcopis multæ erant indies Abbatum querimoniæ, quæ nobilitati, vrbibusque placebant. Cùm enim Episcopatibus nonnullis Abbatiæ annecterentur, querebantur Abbates, maiorum instituta & sacros Canones violari: eos Monachis præfectos dari non debere, qui Monachorum disciplinam nullam tenerent, &c. Addebant nobiles & alij: Abbatias eo studio Episcopatibus vniri, vti Ordinum Comitijs Episcopi præessent: Episcopos ea iurisiurandi religione Romanis Pontificibus obstringi, quam ferre Regum imperium non oporteret: imperitè eos homines à Regibus ad Rempub adhiberi, qui nullā nisi Romani Pontificis auctoritatem sequerentur. Subditis hoc vnum libertatis superesse testimonium, quòd Ordinum Comitijs conferre in commune consilia permitteretur: magnam eam esse prærogatiuam, quam tenere Episcopis præsentibus nō liceat. Adjiciebatur postremò hoc nouorū Episcoporū institutū eo consilio esse susceptū, vti ijs Inquisitoribus Hispaniarū exemplo de singulorū Religione cognosceretur, ferre ingenuos homines eam seruitutē nō debere. Huius noui instituti Cardinalē auctorem profitebantur. Cardinalis iniuriā non sibi, sed Pontifici, Cæsari, atque Regi eos homines facere ostendit, qui hoc ab illis iampridèm susceptum Religionis restituendæ consiliū reprehenderent. Imputari itaq; sibi rem eam nō debere, quę neque culpā contineret, & sese inconsulto ab ijs fuisset procurata, quorum auctoritati cedere sit necesse. Magnis igitur altercationibus res excipitur. Missi in Hispanias mense Februario anno M. D. LXII. à Brabantinis legati: hos mense Maio sequuntur vrbis

INSTITVTVM.

Abbatum de nouis Episcopis querimonia.

Querimonia nobilium & aliorum.

Ann. M. D.LXII.

Legationes in Hispan. de negotio nouorum Episcoporum. Antuerpiæ delegati, & Augusto mense Montignæus, qui de hoc nouorum Episcoporum instituto ad Regem referrent. Omnium earum legationum is fuit exitus, Episcopum Antuerpia non haberet, per vnita Episcopatibus Brabantinorum monasteria Abbates de more legerentur, lecti monasteria procurarent, Ordinum Brabantinorum comitia frequentarēt. *Responsio.* Composita itaque in præsens ea controuersia, nihilo ęquiores hominum animos faciebat.

De tribus querelis hactenus, de Hispanorum scilicet præsidijs, Cardinalis Granuellani & aliorũ quorundam auctoritate, & de nouorum Episcoporum instituto. Sequitur nunc quarta, quæ est quæstio de hæresi: erat autem ea grauissima, & quæ non tantùm priuatis Procerum deliberationibus, sed & publicis vulgi sermonibus agitabatur. *Querelæ de coërcēdis hæreticis.* Ante quàm Lutheri disputationibus in partes Religio discessit, erat ea omnibus scholis atque tribunalibus recepta sententia, vti iure pœna mortis in hæreticos animaduerti diceretur. Et quidem veteres Imperatores multis legibus Manichæorum & Donatistarum Religionem ad crimen publicum retulerunt, quia inquiunt: *Quod in Religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam.* *C. de hæreticis l. Manichæos.* Mortem quoque his verbis indicunt: *In mortem quoque inquisitio tendatur.* Libros improbatæ lectionis cremandos, scriptori manum amputandam, lectori deportationem, hæreticorum discipulis pœnam decem librarum auri, hæreseos professori mortem ita constituunt; *Vltimo etiam supplicio coërceantur, qui illicita docere tentauerint.* *l. quicunque d. tit. de hæreticis.* Aetas posterior totam eã quæstionem ad cognitionem iudicum Ecclesiasticorum reuocauit. Exorto verò Luthero, Cæsar Carolus in damnatum à Leone X. Lutherum pro imperio statuit, quæ veteri iudiciorum more probari arbitraretur. Leges inde nonnullas in Lutheranos per Germaniam superiorem, plures per patrimonij sui ditiones promulgauit: è quibus primum fuit, quo VVormatię ad annum M. D XXI. Lutherus proscribitur, eius libri damnantur. *Edicta Cæsaris in sectarios.* Proximum Mechliniense ad annum M D. XXVI. in eos conceptum, qui de Religione disputarent, Lutheri libros legerent; ea pœna, vt qui in edictum primò peccasset, florenis viginti, vel exilio trimestri: qui iterum, florenis quadraginta, vel exilio semestri: qui tertiò, florenis octuaginta, vel exilio per-

lio perpetuo coerceretur. Succeſſit huic edicto tertium, anno M D. XXIX in eam ſententiam; vt qui intra diem certum ab hæreſi diſcederet, huic ea culpa damno non exiſteret: qui intra eum diem non diſcederet, huic, ſi accuſatus pœniteret, gladium; ſi perſeueraret, viris ignem, mulieribus foſſam interminaretur. Repetita eſt inde annis XXXI. XL. & L. ſupra milleſimum quingenteſimum tranſlatitijs edictis res eadem ſæpius. Omnium earum legum hæc erat ſumma: Qui doctrinam Lutheri, Oecolampadij, Zuinglij, Melancthonis, Caluini, cæterorumque (qui multi edicto commemorantur) ſequerentur; libros damnatæ lectionis publicarent, legerent, haberent; picturas B. Virgini, Religioni Catholicæ contumelioſas haberent, ſacras Catholicas imagines malo animo frangerẽt, aut violarent, in eos homines pœnitentes gladio, non pœnitentes viros igne, mulieres foſſa animaduerteretur. Bona tam pœnitentium, quã non pœnitentium fiſco cederent. Vt lege Iulia Maieſtatis, ex quo die crimen ſit contractum, ex eo die inteſtabiles rei exiſtant. Qui domum illicitis conuentibus præbuiſſet, libros excudiſſet, hæreticos ope, conſilio, dolo malo iuuiſſet, crimine teneretur. Si reus delatus de crimine conuinceretur, bona ſexcentos florenos non excederent, dimidium bonorum fiſci, alteram partem accuſatoris futuram. Sin florenos ſexcentos excederent, decimam bonorum accuſatoris futuram. Si crimen contractum probaretur, arbitrari iudici de pœna non liceret. Qui delatus Anabaptiſta fugiſſet, contumax ſententiam accepiſſet, de ea ſententia reſcindenda non reus, non quiuis pro reo ſupplicaret: quin (vt loquuntur Imperatores ad Legem Iuliam) eos fore notabiles, ſine venia, qui pro talibus interuenire tentauerint. Diſputare prophanis de Religionis capitibus non liceat. Peregrini intra vrbes atque pagos inquilini ita demum admittantur, ſi Parochi, cui poſtremò paruiſſent, probatę fidei teſtimonium haberent. Qui iudices Inquiſitoribus Eccleſiaſticis operam non præſtarent, eos Procuratores generales vel dignitate ſubmouerent, vel quibus videretur pœnis coërcerent. Adiecta poſtremò multa capita de Typographis, quibus accuratè cauebatur, ne per eos libri hæreticorum in vulgus ſpargerentur. Atque hæ erant illę leges, de quarum ſeueritate homines con-

querebantur, varieque loquebantur. Probabantur hæ leges Cæsari, quòd existimaret, diceretque eam esse hæreseos, quę & omnium aliorum vitiorum est, rationem, vti augeri indulgentia, tolli metu sit necesse: tamen quòd hisce de rebus sæpius moneretur (licet edicto anni M. D. L. nonnulla priorum legum capita esset interpretatus) fecit nihilominus, vti anno M. D. LIIII. cum Regina, Atrebatensi, Comite Lalaignij, Ludouico de Flandria, D. Pratij, & Viglio re deliberata, in hanc sententiam veteres denuò leges interpretaretur. Quòd disputationes de rebus semel definitis prohiberentur; nec ad Theologos, nec ad eos Laicos hanc legem pertinere, qui studio pietatis de Scripturæ interpretatione ex veteris Ecclesiæ Catholicę sententia colloquia conferrent. Quòd à die contracti criminis intestabiles heretici dicerentur, eò solùm pertinere, vt quas in fraudem metu criminis dolo malo alienationes fecissent, vti eæ ratæ non existerent. Nunquam id Cæsari studio fuisse, vt incerti omnes hominum contractus metu rescissionis efficerentur. Pœnam receptatorum ad nautas, caupones, cœnacularios, stabularios ita demum non pertinere, si non etiam dolo malo, vt quis lateret, recepissent. Accusatores si calumniam facerent, iure scripto coërcerentur. Si pœnitentes Ecclesiæ restituti rem nullam ad homines corrumpendos dixissent, fecissent, pœna non tenerentur. De pœna facile iudex non arbitraretur: permittere nihilominus Cæsarem, vti graui de causa discedere ab ea seueritate superiorum iudicum consilio inferiores iudices possent. Atque his equidē legibus seculares iudices de hæresi cognoscebant. Verùm quòd iure caueretur, vti hæresis cognitio ad forū Ecclesiastivum pertineret, Cæsare rogante quæstores de hæresi Pontifex dedit. Inde ijs mortuis Rege postulante nouos cū amplissimis mandatis constituit. Habebant hi suam, quam sequerentur, à Pontifice ē iure scripto, moribusq; conceptā formulā: adiecit alterā Rex Philippus, quā qui legere voluerit, Clarissimi viri Florentij van der Haer, de initijs tumultuum Belgicorum libros consulat, ex quibus nos hæc penè omnia delibauimus. Ex omnibus enim, qui huius tēpestatis historiam Belgicam scripserunt, nullum esse existimo, qui verius, qui exactius, qui minori cum affectu Florentio scripserit. Hæc itaq; est ea inquisitio,

Cæsar leges & edicta sua de hæresi ipse interpretatur.

Florētius van der Haer omnium exactissimè de initijs

quæ

quę omnium in posterum calamitatum constante hominum sermone causa extitit. Quare Montignæus in Hispanias postea profecturus, ita de inquisitione hac Regi loqui iubetur, vti inuisam eam esse toto Belgio ostenderet. Respondit Rex: Perpetuam sibi eam curam, præcipuamque semper extitisse, vt quod prouincijs stipulantibus promisisset, quod iniuratum præstare officio se oporteret, vna toto Belgio Religio Catholica valeret. Pati itaque se minus posse, vt religione Catholica neglecta, indulgentius, quàm consuescent, hæretici haberentur. Non esse quòd de Hispanica inquisitione homines vererentur, solas eas se Belgis leges relinquere, quas æquissimas, vtilissimasque Cæsar pater promulgasset. Cùm cætera Reipub. munera pœnis, præmijsque curarentur, vnam deseri longè optimam, pręclarissimamque Reipub. partem Religionem non debere. *tumultuũ Belgicorũ scripsit.* *Querela de Inquisitione.* *Responsio Regis ad eam querelam.*

In Anglia regni comitijs, Parlamenta vocant, Regina Elizabetha veteri Religioni eam substituerat, quæ doctrina vt plurimum Caluino assentiretur, moribus, ritibusque eam haberet formam, quæ à Caluini instituto longissimè discederet; & auctoritatem non nisi Regni legibus acciperet. Scotiam ad nouarum Religionum studia inclinatam sustinere Regina mater conabatur: socrui subsidia è Gallijs gener Rex Franciscus transmiserat. Elizabetha inueterascere per Scotiam Gallorum imperium nolebat: Guisianos infensè oderat. Religionem itaque tota Scotia Elizabetha consilio atque ope profligat: Gallos nisi perpaucos manere in Scotia non permittit. In Gallia etsi Caluinianis seu Hugonottis Ambaxiana coniuratio, quam in Regis Francisci caput, totiusque adeò Regni exitium susceperant, pessimè successerat; mortuo tamen eodem Rege Francisco, cùm in impuberis Caroli noni fratris imperium Gallia transierat, in graues rerum motus, seditionesque concesserat, & Hugonotti magnos sibi animos denuò Regis morte sumpserant. Neuburgi in Germania Lutherani Principes Legatos Pij Quarti de Concilio Tridentino acturos contumeliosè à se reiecerant. Fecerat idem Elizabetha, qui venire ad se in Angliam Legatos Pontificios non permiserat. Exultabāt ad eam (vti loquebātur) Euangelij lucē homines in Belgio noua- *Variæ huius tēporis sectæ. Anglia.* *Scotia.* *Gallia.* *Germania.*

Studia nouarum Religionũ in Belgio.

rum Religionum studiosi; fauere suis cœptis Deum profitebantur, qui binos infensos sibi Galliarum Reges Henricum & Franciscum è medio sustulisset, Regna Angliæ atque Scotiæ Euangelio restituisset, Cæsarem Carolum emota mente de imperio decedere coegisset, Cardinali Granuellano Papistarum per Belgium principi fortissimos hostes opponeret: deesse itaque sese rebus tantis, tam præclaris non debere. Indignum locis cæteris crescere Euangelium, solo Belgio impunè Cardinalem dominari; nouos Episcopos ad Euangelij perniciem constitui; Academiam Papistis Duaci nouam procurari; Iesuitas nouæ superstitionis, inuisum hominum genus, in Belgium venire; Tridentum ad rem Papisticam stabiliendam conuentum Rege procurante à Pontifice indici. Illud postremò, quod ferre diutius non oporteret, crudelissimis supplicijs in fideles animaduerti. Hæc populi studia atque vota occultis exulum literis, ministrorumque Anglicorum & Gallicorum cohortationibus sunt incitata, adeò vt per vrbes Valencenas, Tornacum, & agrum Insulensem illicita collegia, conuentusque haberi cœperint. Fiebat idem, at minore & occultiore hominum studio, in nonnullis earum ditionum prouincijs, quæ Teutonicè loquerentur, ad quas ex Embda, vt è Geneua in Gallias, ea lues vt plurimum manabat. At Tornaci mensibus Augusto & Septembri anno M. D. LXI. conciones habere ad syluas vrbi vicinas frequente hominum multitudine Caluinistæ cœperunt, intra vrbem graues motus concitârunt, sub noctem in forum progressi Psalmos ad numeros Geneuenses decantârunt, Præposito rerum capitalium, ciuiliumque supremo quæstori literis minati sunt. Valencenis maiore etiam motu res geritur. Ager quoque Insulensis Caluinianorum concionibus erat infestus, in quo Mattheus Launoy, tunc ministrorum Caluinianorum Princeps, Dæmoniacos, scilicet, tam lepidè curauit, quod ipse post a ad Ecclesiam reuersus, libro, quo Caluinianis respõdet, ingenuè fatetur; vt se tam turpiter deceptum, lapsumque conqueratur. Indignè tantam sui imperij contumeliam ferebat Parmensis. Iudices Tornacum & Valencenas extra ordinem transmittit, reos supplicijs coërcet, Inquisitores de munere commonefacit, magistratibus, prouinciarumque supremis tribunalibus

Cœtus & conuẽtus primi nouarũ Religionum.

Parmẽsis tumultus oprimit.

nalibus Regis voluntatem ostendit. Augebat nihilominus hanc hominum temeritatem Hornani cum Comitis Hermanni Nuenarij sorore; Henrici item Bredenrodij, Florentij Pallantij Comitis Culenburgij, VVilhelmi Comitis Herenbergij cum vxoribus Germanis, & Principis Auraici cum Anna Saxonica nuptiæ, cum quibus affinitate quadam in eorum familias quoddam mutandæ Religionis, seu confessionis Augustanæ desiderium transierat.

Francofurti per ea tempora Imperij Comitia creando Regi Romanorum Maximiliano filio Cæsar Ferdinandus habebat Ad ea frequentes variorum Regnorum Principes, legatique venerant. Proficiscũtur etiam ad ea Auraicus & Egmondanus. Hîc Cæsari Ferdinando libelli proponuntur, quibus societas, Religionisque, quam haberet Imperium, libertas etiam Belgis flagitaretur. Quæ res vt maximè à paucis, atque ijs ignotis proponeretur, suspecta nihilominus Belgarum studia Regi faciebant. Interim Proceres & Nobiles de Cardinalis potentia, totaque Republica conqueruntur, Ordinum Comitia petunt, in ijs tam de Religione, quàm de alijs difficultatibus decerni postulant: vnum aliquem Præsidem ijs Comitijs dari debere, qui variorum hominum sententias auctoritate prudenter moderaretur; eam Regi operam qui præstare præclarè posset, Marchionem Bergensem existere. Non probabatur istud consilium Cardinali, vt qui probè intelligebat, quorsum id tenderet, & quis istorum Comitiorum futurus esset exitus. *Auraicus & Egmõdanus libertatem religionis in comitijs Francoford. petunt.*

Annus, sdum istis motibus aula Belgica iactatur, erat secundus & sexagesimus supra millesimũ quingentesimum. Inde complures in Cardinalem coniurârunt, quod tamen recusârunt cùm alij nonnulli, tum omnium acerrimè Philippus Croius Dux Arscotanus, VVilhelmus Marchio Rentæi, & Barlaimontius. Mox Auraicus, Egmondanus, & Hornanus literis ad Regem scriptis de Cardinale conquerũtur, Regique persuadere conantur, vti quàm diu in Repub. Cardinalis, quem tanta indignatione homines oderant, esset versaturus, neque Regem, quem desiderabant; neque ipsos, quem optabant, felicem rerum successum esse habituros. Cardinalem itaque non tantùm à Repub. amoueret, sed & Belgio euocaret. Quod ad Religionem attineret, id recipiebãt, quanta ab ipsis *Annus M.D.LXIII* *Coniurationes in Cardinalem Grãuellanũ.* *Literæ Auraici, Egmõdani & Hornani ad Regẽ de Cardinale è Belgio euocando.*

ab ipsis & Catholicis subditis flagitari possit, tantam ipsos operam Religioni conseruandæ impensuros esse. Rex etsi initio difficulter induci se posse scriberet, vt ministris suis indicta causa molestiam faceret, pergratumque sibi futurum, si è tribus vnus ad se veniret, causasque coram explicaret, cur facere se quod postularetur oporteret, nullas enim literis causas recitari, neque curari per absentes rem tantam facile posse: tamen secundis eorundem Procerum scriptis, & legatione Parmensis motus Rex, Cardinalem è Belgio euocauit, cùm iam eò res esset progressa, vt & cuculli morionum ad manicas, ad ludibrium Cardinalis, gestarent coniurationis socij, & cum quodam Viletta Burgundo de Cardinale trucidando suscepta consilia incertis hominum sermonibus diceretur. Mense itaque Martio anno M.D.LXIIII. fratribus comitatus specie priuati officij in Burgundiam Cardinalis proficiscitur. At eo profecto nihilo res fuêre quietiores. Manebat enim ea animorum offensa, vt Rempublicam Cardinalitijs consilijs administrari quererentur. Ordinum comitia de pecunijs rogari, de rebus grauissimis cæteris, quibus Reipublicæ salus continetur, ad comitia non referri. De seueritate Regiorum edictorum tam nihil remitti, vti contra ad animos exacerbandos Concilium Tridentinum (quod rebus controuersis definitis, vetereque Ecclesiæ disciplina restituta, anno M. D. LXIII. mense Decembri erat dimissum) multis Regis literis & mandatis proponeretur; miseri ad supplicia raperentur; Inquisitio sæpius repeteretur; Viglium, Barlaimontiumque pro arbitrio rem gerere; leges Concilio priuato quotidie nouas cudi; Finantijs quæ vellet Barlaimontium constituere, inanem dignitatis speciem magno sese opprobrio difficulter tueri. Auraicus etiam cæterique tollendam è Republica trium istorum tribunalium Status, Priuati & Finantiarum distinctam iurisdictionem profitebantur, vnumque aliquem supremum Senatum constitui oportere affirmabant, qui vniuersam, non vnam aliquam Reipublicæ partem administraret. Quid multis? totam penè Reipublicæ faciem, imperijque formam mutari postulârunt. Contra Viglius: Ambitiosè eo studio rem istam proponi affirmabat, vti suo iudicio, quos vellent, homines in

Cardinalis è Belgio euocatur.

An. M.D. LXIIII. Cardinale profecto res nihilo quietiores.

Nouæ querelæ.

nes in eum à se inuentum Senatum cooptarent, omnemque ea ratione ad se Rempublicam conuerterent. Non pertinere ad istos homines supremam rerum Belgicarum curam, suam quam accepissent si præstarent, extra culpam futuros. Cùm itaque ista ratione confundi tribunalium deliberationes cœperunt, plura indies nouarum rerum consilia proponebantur; Concilium Tridentinum sine Regis, sine certa priuilegiorum iniuria, sine Reipub. magno periculo promulgari non posse. Præposito S. Donatiani Brugis, cæterisque in vniuersum clericis, omnem quæ diceretur prophanam iurisdictionem auferri debere; confiscationes regias vel tolli, vel minui oportere.

Interea Ludoicus Nassouius, Auraici frater, qui iis temporibus Bruxellis erat, licet peregrinus, & nullā in Republica administrationem haberet, formam tamen Religionis, quam Belgæ profiterentur, meditabatur, euocatis ad hoc consilium Francisco Balduino I. C. Georgio Cassandro, & aliis, qui neque Inquisitorum, Theologorumque acrimoniam, neque Caluinistarum nimium vehementes animos pati se posse profiterentur. Sed non successit illud negotium: moderatoresque illi citò vnde venerant domum reuersi sunt. Cùm itaque Concilium Tridentinum initio non specie Religionis, sed aliis quibusdam de causis recusaretur, inde certis conditionibus promulgaretur, noui homines audaciores quotidie in vulgus sermones proferrent, Antuerpiæ ob sumptum de quodam Christophoro Smeto supplicium, id secutum est, vt ex iis, quos anno LXII. in Cardinalem amouendo consensisse dicebamus, à cæterorum societate nonnulli discederent; aucta etiam sit inter Croios & Nassouios vetus de dignitate contentio: inter Ducem Aischotanum, & Carolum Rouelium Dominum Audrignei ea lis sit exorta, vti iam iam, incertum quo initio, quo euentu, vel re, vel verbis pugnaturæ fuerint factiones: si non etiam Parmense imperante, Egmondanoque intercedente tota ea controuersia composita citò fuisset. Quin quæ res imminentem Rebuspub. summā vastitatem solēt præcedere, vti latrociniis, rapinis, cædibus infestæ vrbes atque agri existerent; eæ erant tunc frequentissimę. Cōplures inuentæ

Ludoicus Nassouius de mutāda in Belgio Religione cogitat.

Sicariorũ & prædonum societates in Flandria & Brabantia.

ſicariorum, peſſimorumque hominum ſocietates, expilata vi armata Monaſteria, direptę ditiſſimorum hominum ædes, de tentanda vrbe Aloſto ſuſcepta conſilia, ita Brabantiam, Flandriamque eo metu peruagante, vt potentium obæratorum hominum coniurationes vulgo crederentur; neque ante de ea opinione cõplures diſcederent, quàm re deprehenſa, de profligatis hominibus ea ſumpta ſunt ſupplicia, vti viuis in nudum corpus ardens ex alto pix ſtillaret, inde ſemiuſtulatis ignis ſubijceretur. Cùm itaque in haſce graues querimonias atque rixas abſente Cardinale res tranſiiſſet, nec teneri iam diutius rerum quies poſſe diceretur, propoſuit Senatui Parmenſis: videre Senatores quanta eſſet hęreticorum hominum multitudo, quantus magiſtratuum & legum contemptus, quàm acciſæ ærarij rationes: vnam ſe cogitando rationem inuenire, vti cùm per ſe minus poſſit, per Regem reſtitui rem procuraret: difficulter rem tantam literis procurari: probari itaque ſibi, vti Egmondanus in Hiſpanias ad Regem proficiſcatur. Rogati Senatores in eam ſententiam omnes diſcedunt. Parmenſe itaque imperante literas, mandataque, quæ Egmondano traderentur, concipit Viglius, eo genere ſermonis, vt leuiter nonnulla attingeret, pleraque Egmondano explicanda relinqueret. Placuerunt cæteris Senatoribus literæ: vni Auraico non placent, qui expreſſis verbis ſcribi voluit, oportere Regem, vt de quęſtionis in hęreſim, veterumque edictorum ſeueritate, nouorum Epiſcoporum inſtituto, Concilijque Tridentini executione decedat. Regia negotia procurari niſi vno Senatu debere, in eum plures prudentes & magnos viros legi oportere, quorum penes populum probata auctoritas exiſteret. Hæc ſine vllis verborum ambagibus explicanda: addẽdum ſine his populum diutius in officio contineri non poſſe. Hęc & plura Auraicus. Quæ reliquos Senatores in ſummam admirationem rapuerunt, quòd eò rem deductam animaduerterent, vti Regij Senatores Rege viuente de ſumma rerũ, de Religione, de vetere Reipub. forma noua profiteri conſilia auderent. Auctore nihilominus Auraico noua mandata in eam ſententiã deſcribit Hopperus, vt à Viglio conceptæ formulæ nonnulla adijcerentur. Atque iſte erat annus quartus & ſexageſimus ſupra milleſimum quingenteſimum.

Parmenſis de Egmondano in Hiſpanias mittendo cõſilium.

Calen-

Calendis Ianuarijs anni M.D.LXV. Egmondanus Bruxellis discedit, quem nonnulli in Hispanias, plures Cameracum officij causa comitabantur. Cameraci ad Varluseum arcis præfectum diuertit: apud quem dum cœnat Archiepiscopus, eius vrbis Princeps, Egmondanus, cæterique honestissimi ordinis homines complures, quidam ex ijs, qui Egmondanũ comitabãtur, multa indecora, turpissimaq; admittunt: inter alia contigit hic, quod in ore omnium frequens est, vt Archiepiscopum immanibus cyathis obruere conarentur, vt inde corè sese haberet: incalescente deinde cœna, galerum cum Archiepiscopi pileo commutarent, atq; vnà cum cyatho per conuiuas ex ordine cum sannis transmitterent. Tandem sublatis mensis vastum quoddam poculũ certus conuiua postulans, Archiepiscopo illud propinaret, recusanti Archiepiscopo argenteam peluim, quæ manibus abluendis mensæ erat imposita, inijcere in caput conaretur. Retinente pelui Egmondano, alter conuiua pugno in fronte Archiepiscopi eliso, pileũ de capite deturbat, Egmõdano, Vicecomite Gandauensi, Noircarmioq; inspiciẽtibus & dolẽtibus. Discessit Archiepiscopus, & scripturũ se res eas Regi palã profitetur. Apud Blondæũ quoq; nobilẽ ita cœnârunt, vti non iam conuiuium, sed conuicium cœna videretur: tam ciuiliter hospitem suum habuerunt, pluraq; insolentiæ monumenta in ea vrbe reliquerunt. Egmondanus fieri ista equidẽ dolebat, coërcere nihilominus deuinctus eorũ in se hominum studijs minus poterat. Digressus itaq; Cameraco, celeribus equis ad Regem proficiscitur: inde mandatis in Hispania procuratis, cum Alexandro Farnesio Parmensis Ducis filio mense Maio Bruxellas reuersus, cùm de præclara Regis in Belgas voluntate multa commemorat, tum Parmensi, Senatuique legationis suæ rationem atque euentum exponit: Velle Regem, vti de iuuentute instituenda, cleri corum vita, populi doctrina, hæreticorũ postremò pœnis consilia quibuscũ videretur Parmensis susciperet. Cæteris de rebus eam esse Regis sententiam, vti leges, priuilegiaque, quæ haberent, Belgis relinqueret: præter Religionem Catholicam, & legitimũ quod sibi deberent officium, rem aliam à subditis nullam postularet. Priuatim quoque ita multa ostendit, vti recuperatas ea legatione hominum voluntates multi arbitrarentur. Contra Auraicus omnia suspecta reddit: delusum Egmonda-

Anno M. D. LXV. Egmondanus in Hispanias proficiscitur.

Insolẽtia quorundã in Archiepiscopũ Cameracensem.

Reditus Egmõdani, & ad eius legationẽ responsio Regis.

mondanum, priuatis in se officijs stabiliendo, non mitigando Papatui consilia afferre: res priuatas suo commodo curasse, publica nec vidisse, nec ad animum reuocasse profitetur. Senatu itaq; coacto, accersitis è supremis Prouinciarũ tribunalibus præsidibus Flandriæ & Vltraiecti, Senatore Mechliniensi, Antonio Meulenare, adhibitis tribus, qui Concilio Tridẽtino interfuerant, Episcopis, Atrebatensi, Iperensi, & Namurcensi, Theologis Rauẽsteinio & Iãsenio, I. C. itẽ VVulmaro Bernarts Cal. Iun. exhibitis Regis literis rẽ vniuersam Parmensis proponit. Respondet Senatus quatuor capitibus totam rem posse explicari: Si rationes suscipiantur, vt populus Catholicè doceatur: si posteritati seminarijs atque scholis caueatur: si in clericorũ mores studiosè inquiratur: si postremò in pœnis hæreticorũ certa quædam moderatio atq; æquitas teneatur. Quæ res quibus sit ab eo Senatu rationibus definita, prolixius est, quàm vt instituto conueniat. Opposuerunt se huic declarationi Auraicus, Egmondanus, Hornanus. Quod cùm postridie in Senatu Statûs relatum esset, alius dies dictus est, quo Senatores illi cum Parmensi hac de re consultarent: in quo consessu Episcopi & Theologi (vti mandatum ipsis erat) suam sententiam scripto exhibuerunt, petitumque est, vti & proceres eorum sententiæ subscriberent. At prædicti tres id facere noluerunt, quòd mandatum ad hoc nullum à Rege accepissent. Re igitur in hunc modum deliberata, VI. Cal. Iulij Regi rem vniuersam rescribit Parmensis. Respondet Rex XVI. Cal. Nouemb. Intelligere se quo statu res existerent, non probari quòd de immutanda veteri in hæresin quæstione proponeretur, vnam esse iudicum ignauiam, quæ grassari impunè hæreses pateretur. Si pericula metuerentur, quæ & à quibus ea metui oporteret rescribi sibi debere: vtrumque sibi curæ futurum, vti & submotis ignauis iudicibus viri fortes, Religionisque Catholicæ studiosi sufficiantur, atque ea quæ ostenderentur pericula cauerentur. De Inquisitoribus quod esset proximum, velle, vti hoc vtilissimum ac summè necessarium Reip. munus accuratè teneatur: quæstores quibus consueuissent, quibusque oporteret iuris scripti legibus de hæresi cognoscãt. Perexigua quæ dicerẽtur pericula existere, præ ijs quæ sublatis quæstionibus oriri sit necesse. Iubere itaq; se, vti rem eam summo studio diligentiaque Parmensis procuret,

Solennis à Parmẽsi habitus Senatus.

Regis ad ea, quæ decreta erant, responsum.

curet, quòd neque Reipub. vtiliorem, neq; sibi gratiorē vllam præstare possit Quod esset tertiū, Conciliū Tridentinū edictis regijs iam esse Belgis imperatū, superesse vt sacrosancti Concilj legibus pareatur. Episcopis consiliū, & operam clericis, cæterisque corrigēdis Parmensis præstaret. Atq; hæ sunt illæ literæ, quibus omnes in posterū calamitates, nobilitatis cōiurationem, populique effrenem intemperiem acceptam ferre Auraicus, cæterique eius studij homines consueuerunt. De literis his allatis refert ad Senatum Parmensis. Auraicus, Egmondanus, & Hornanus se ijs assentiri non posse protestantur: in eam nihilominus sententiam disceditur, vt Idibus Decembris literis eam Regis voluntatem supremis prouinciarum præfectis, tribunalibusque Parmensis denuntiaret, rationemque rei curandæ eam præscriberet, vti quolibet trimestri delectos ei negotio certos eius prouinciæ homines referre de statu religionis, Concilijque Tridentini obseruatione ad Concilium priuatum imperaret. Displicuit hæc denuntiatio publica cùm alijs quibusdam, tum maximè Auraico. Miscere omnia, vanissimisque sermonibus turbare hominum animos noui Religiosi incipiunt. Esse quandam in Hispanijs crudelissimam quærendi rationem, qua turpiorem tot retro seculis nulla hominum barbaries inuenisset: eam esse eorum, qui quæstionem exercerent, arrogantiam, vti cedere ijs Regem oporteret. Accidisse, cùm fortè verbo aliquem eorum Rex læsisset, vti incidi Regi venam, sanguinemque expiando crimini igni cremari oportuerit. Cæsari morienti ægrè icirco pepercisse, quòd in Germania cum Lutheranis diu conuersatus labem contraxisse diceretur. Horum hominum imperio adductum Regem hanc illam Hispanicam Inquisitionem Belgis imponere. Nullius esse tam inculpatam fidem, quæ non etiam istorum libidini hæresis sit futura, nulli arcanam familiam, nulli securam domum futuram. Quendam esse hominem Hispanum, Alphonsum de Canto, qui Bruxellas nouis carceribus implesset, domi fossas, compedes vincula comparasset: augent metum libelli, priuilegia commemorantur, calamitatesque ostenduntur. Ludoicus Nassouius, Bredenrodius, nobiles item alij nonnulli cum Auraico, Egmondano, Hornano, modò Montignæi nuptijs,

Seditiosæ persuasiones & sermones, quibus nouarum religionum studiosi vtebantur.

modò hoc, modò illo conuẽtu deliberationes suscipiunt. Proceres consilio destituebantur, nec præter animi indignationem quicquam in commune adferebant. Et quidem Auraicus mense Ianuario Parmensi respõdet: ferre Rempub. atque hominum mores Conciliũ Tridentinum certis, quæ essent adiectæ, conditionibus nõ posse; cætera edicti capita minus etiam posse fatetur. rogat igitur, vt Parmensis se decedere de præfecturis, quas habebat, pateretur. Vrbium quoque Brabanticarum delegati Inquisitorum iurisdictionem pati se ob certa, quæ haberent, priuilegia non posse ostendunt. E diuerso Inquisitores multa adferebant, cur satisfacere se suo muneri minus posse affirmarent. Erat itaque ijs temporibus lubrica omnis de rebus publicis deliberatio.

Anno M. D LXVI

Coniuratio nobilium.

Inter nobiles erant quidam adolescentes, qui vel Geneuæ, vel qua alia vrbe Germaniæ peregrinas religiones didicerant. Ab his paucis coniuratio suscipitur, ita incerta, vt quibus initijs, quid, qua ratione aggredi oporteret, constituere secum difficulter possent. Verùm cùm hæc verbis concepta coniuratio inanis futura videretur, sex vnà secum nobiles, dictante quodam non infimæ auctoritatis viro, fœdus in hanc sententiam scribunt: *Eò rem publicam prolapsam, vt paucorum impietas, inexhausta auaritia, incredibilis arrogantia studium Religionis Catholicæ, populique salutem ementita, maiorem apud Regem fidem inuenisset, quàm vel æquissima optimorum subditorum postulata, vel prudentissimorum hominum monita potuissent. Factum ijs pessimorum hominum consilijs, vti contra quàm Deo, quàm bonis subditis Rex iurâsset, sceleratam ac impiam Inquisitionem Hispanicam imperaret, quæ diuinis, humanisque legibus repugnat, quam recta ratio, hominumque per se sensus abominatur, quæ omnium retro tyrannorum, omnium Paganorum atque infidelium barbariem superat, quæ eam continet rerum indignitatem, vti diuino nomini ignominiosa, Belgicisque prouincijs æquè exitiosa ac perniciosa res nulla existat. Sic enim Inquisitione auctoritatem magistratuum tolli, & Inquisitoribus omnia subijci: sic in æternam, turpissimamque seruitutem innocentissimorum hominum fortunas atque vitam addici, vt si quem presbyterum, vel Hispanum, vel alium scurram accusatorem inueniri contingat, vna ea sit ad carceres, ad mortem, ad summam calamitatem res suffectura: nec cuiquam purgandi se potestatem tri-*

Coniurationis formula.

butum iri. Ea itaque indignitate commotos fuisse se nobiles, ad quos ea cura nobilitatis priuilegio pertineret, vti præclarissimæ rei societate suscepta, eorum sese impietati opponerent, qui proscriptionibus, cædibusque optimorum ciuium fortunas, sub prætextu huius Inquisitionis spectarent. Verbis itaque conceptis iurare, Inquisitionem se non publicam, non priuatam, non eam, quæ nominibus Visitationis, edictorum, mandatorúmue continetur, vlla ratione admissuros: quin contrà huic illorum instituto tam diu se repugnaturos, quoad ea Inquisitio, tanquam fons & origo omnis seditionis & iniustitiæ, radicitùs extirpetur. Deum interim se, hominesque testari, summi Dei honorem, Regis amplitudinem, patriæque se salutem spectare: seditiones, motusque populares abominari. Iratum sibi Deum atque homines precari, si quoad viuant à fœdere discedant, dictisue aut factis quicquam illi contrarium faciant, vel socijs, quoquo modo causa huius fœderis laborantibus, ope consilioq; deessent. Neminē sociorum excusari, aut sacramento hoc solui, si ob conceptum hoc fœdus rebellionis, aut perduellionis reus agatur: non enim hoc fœdere vllam perduellionis rationem contineri, sed honorem Dei, Regis amplitudinem, & prouinciarum salutem quæri. Addunt postremò homines religiosi, Dei viuentis, Creatoris cæli & terræ, omniumque, quæ cælo & terra continentur, ter sanctum nomen inuocamus, hunc iudicem, hunc mentium nostrarum cognitorem, hunc illum appellamus, qui quam profitemur, eam esse nostram conscientiam intelligit, humiliter eum deprecantes, vt gratiam S. Spiritûs nobis largiatur, quas res suscepimus, eas ad honorem sanctissimi sui nominis, publicam rerum quietem, animarum nostrarum salutem perducat. Amen. Atque hæc est illa memorabilis nobilitatis coniuratio, quæ à mutuis promissionibus Compromissum est appellata, & post à Regijs quæsitoribus ad legem Iuliam Maiestatis est relata: initio ab ijs suscepta, qui dignitatem nullam in Republica tenerent. Fœdere in hanc sententiam descripto, prouincias atque vrbes, in quas proficiscerentur, coniurati partiuntur. hinc in sua quisque prouincia apud amicos atque notos multa dicere, cur necessariò, cur tutò, cur magna cum laude, ingenti patriæ commodo suscipi eam societatem oporteret: signa multorum nobilium conficta ostenduntur, rumores, literæque ex Hispania, Germania, Gallia, Anglia multæ commemorantur; oc-

Compromissum.

Leuitas quorundā in subscribendo fœdere.

culti auctores fœderis Auraicus, Egmondanus, Hornanus, Bergensis, Hoochstratanus, Montignæus prædicantur. His alijsque similibus artibus effectum est, vt multi nobiles coniurarent, tabulasque consignarent ea animi leuitate, vt nonnulli ne lectis quidem tabulis subscriberent, cæterorumque, qui dicerentur, iudicio se stare profiterentur.

Conuētus Bredanus & Hoochstratanus.

Subsecutus est paulo post conuentus Bredanus, & eodem tempore Hoochstratanus, in quo cùm Auraicus multa proponeret de præsente rerum statu, quæ Egmondano, Megemo, & Bergensi minus placebant, re infecta discessum est. Interea confœderati maiori studio res suas agebant, chartas in vulgus spargebant, quibus vrbium Magistratus, collegia, singulos quosque homines viritim ad præclarissimi facinoris societatem cohortantur. Tandem libellum modò in hanc, modò in illam sententiam descriptum, ac postremò ab Auraico in leuius verborum genus commutatū, Nonis Aprilis nobiles numero ad centum quinquaginta, quorum duces erant Henricus Bredenrodius, & Ludoicus Nassouius, Parmensi in hanc sententiam obtulerunt: *Belgarum erga Principes suos fidem semper & vbique celebratam. Inter eos primarios semper fuisse nobiles, qui ad defensionem suorum Principum nunquam fortunis aut vitæ pepercerunt. Hanc fidem in Regem quotidie pluribus se obsequijs ostendere decreuisse.* Cæterum Reipublicæ *constitutionem, quæ nunc est, considerantes, se malle aliqualem offensam subire, quàm suo silentio Parmensem celare, quæ* Regi & Reipublicæ *in posterum esse possent noxia: sperantes fore, vt hoc aliquando inter maxima, quæ vnquam præstiterunt, officia numeretur. Esse ita sanè, vt causas non improbabiles* Rex *habeat, quibus cùm ante sæpe, tum postremis literis patris Cæsaris exemplo retinendam veterum de* Religione *edictorum seueritatem imperaret: verùm cùm non vnis, ijsdemque consilijs administrari* Rem*publicam perpetuò oporteat, fuerintque ea edicta iam olim (cùm ferre ea posse homines crederentur, * cumque minus exactè ex eorum præscripto ius diceretur.) maximorum malorum, grauissimorumque motuum causa: vltimum certè* Regis *decretum, quo non tantùm interdicit eorundem edictorum moderationem, sed ea seuerissimè obseruari præcipit, vt Inquisitio locum sortiatur, occasionem, causamque sibi præbere, metuendi non tantùm*

Libellus supplex à coniuratis Parmensi offertur.

Libelli forma.

Aliud exemplar habet: Et si exactissimè ex eorū, &c.

tùm

tùm veteres animorum offensas, sed & eos rerum motus, seditionesque, quibus concussa grauissima ruina Respublica collabatur, quorum quotidie multa indicia populo tumultuante conspiciantur. Iampridem se sperasse futurum, vti vel proceres, vel prouinciarum ordines hanc curam in se susciperent: verùm cùm certis, quas ignorarent, de causis hoc illi Reipublicæ officium non præstiterint, motus autem indies inualescant, metusque seditionis ac ruinæ præ foribus sit, facere se necessariò pro sacramento, quo obligantur; honore, quem tueri tenentur; & ea, qua Regi, patriæque necessitudine obstringuntur, vti de rebus tantis Parmensem commonefacerent, cæterosque hoc suo officio iccirco præire, quòd maiorem cæteris spem habeant, Regem id non indignè ab illis laturum: tum quòd agros habitarent, in quorum vastitatem commotorum sese hominum rabies vt plurimum conuerteret, tum quòd sibi, cæterisque per Belgium hominibus, si eo, quo mandata concepta sunt, rigore procedatur, nullam contra calumniam, præterquam iudicis aut dissimulationem, aut gratiam suffecturum effugium: sed vnius alicuius hostis aut calumniatoris accusatione, vitam & fortunas periclitari intelligerent. Orare igitur se Parmensem, vti prudenter rem moderetur; & quia res magni momenti sit, eam legatione Regi exponat, moneatque, vt ille procuret, ne quid Respublica damni accipiat. Quod cùm saluis edictis fieri non possit, Sua Maiestas ea rescindat: eorum enim seueritate Rempublicam diutius retineri non posse, sed ruere necessariò oportere. Ne autem Rex arbitretur, ipsos ei leges constituere, & secundùm suum arbitrium imperare velle; rogare se, vti nouæ constitutiones omnium Ordinum generalium consensu decernantur, & quoad de hac legatione sententiam Rex esset rescripturus, differri omnem Inquisitionis, edictorumque executionem Parmensis patiatur. Hæc esse illa æquissima postulata, quæ magno suo merito atque fide probata iampridem Regi nobilitas humillimè flagitaret: extra omnem eam in posterum motuum, seditionum, & cædium culpam futuram, si (quod Deum, Regem, Parmensem, Senatores, omnes omnino homines, atque suam conscientiam testarentur) fide optima præclarissimoque in Rempublicam studio monentibus non pareatur, & imminenti malo remedium maturè non inueniatur. Libello perlecto, dimissoque sub meridiem Senatu,

Respondet Parmēsis fœderatis. die postero fœderati in curiam reuertuntur. Responsum flagitantibus scripto in hanc sententiam Parmensis respondet : *Facturam se, quod de legatione Hispanica proponeretur :* Re *cum Equitibus aurei velleris, prouinciarum præfectis, Senatoribusquē deliberata iam ante se eam nouam edicti formulam concepisse, quam Regi, subditisquē probatum iri existimaret. Ferre imperij sui rationem minus posse, vt sublato legum metu,* Religio *malorum hominum iniurijs exponatur: quod posset, id se curaturam. Iurisdictionem se imperante comiter, leniterquē Inquisitores, iudicesquē habituros.* Regi *persuadendo eam se operam impensuram, vt quod Brabantiæ ciuitates impetrassent, vti ne Inquisitorum iurisdictioni parere sit necesse, id cæteras etiam vrbes, prouinciasquē impetraturas arbitraretur. Quod eò libentius se facturam ait, quòd de nobilitatis in veterem Catholicam Religionem propenso studio non dubitaret.* Respondent denuò fœderati : Magnas se Parmensi habere gratias, quòd de nobilitate honorificè sentiret, ad postulata tam humaniter atque citò respondisset: dilucidius tamen clariusque se responsum expectasse. Quod de mitigando Inquisitorum, iudicumque imperio promitteretur, ita se accipere, vt quoad Rex sit responsurus, nullam eos iudices, quæstoresque siue ex edicto, siue ex præscripto Inquisitionis habituros quæstionem arbitrarentur. Omnino ita se officium facturos, vt ijs sese legibus arituros reciperent, quas ad veteris Religionis tutelam ex generalium Ordinum sententia Rex esset laturus. Pœnam, si contra quis fecisset, seditionem, turbamve quis concitâsset, non deprecari. Testari denuò extra culpam se futuros, si tempestiuè de periculo monentibus non pareatur. Ita demum in Parmensis sese potestate existere, vti cùm esset id imperatura, mori in eius conspectu nullatenus recusarent. Atque hæc tum equidem non ea modestia postulabant, quin multa quidam indigna committerent.

Coniurati ad Parmensem.

Tam dubio Reipub. tempore Parmensis anceps, & animo consternata, cùm metum dissimulare non posset, de securiori loco cogitabat. Eam consolatur quidam ex Proceribus: *Non, non Madame,* inquit, *ne craigne pas ces Geux,* id est, Nequaquam Domina, ne

Initium nominis Geus.

metuas hos ſeu mendicos, ſeu nebulones. Obſeruata ſunt hæc verba, occaſionemque præbuerunt, vti nouarum Religionum ſtudioſi poſtea Geuſij ſint appellati. Per eoſdem enim dies in ædibus Culenburgianis prãdebant vnà tercentũ fœderati, pro magnitudine multitudineque poculorum creſcebant publicarum rerum curæ, conſiliaque. Inter cætera multorum ſermonibus repetitur, Barlaimontium totam illam optimorũ, nobiliſſimorumque hominum multitudinem voce Gallica Geuſios compellaſſe: libenter in Regis, patriæque gratiam Geuſios ſe futuros. Magnis itaque conuiuantium vocibus, ſumptisque ingentibus cyathis, totis ædibus de Geuſiorum ſalute fauſtis acclamationibus decertatur: *Viuat Rex, viuant Geuſij.* Hoochſtratanus à Parmenſi veniẽs, intro abripitur, in ſedes ſubſiliunt, ex alto ad Regis Geuſiorũque ſalutem immanibus poculis ſeſe profundunt. Bredenrodius vas ligneum poſtulat, manticam è trabe ſuſpendit: ſub trabe fauſtam Regi, Geuſijsque potationem conuiuis indicit, iuriſiurandi eam formulam potanti præſcribit, vti per panem, ſalem, atque manticam non diſceſſurũ ſeſe ab inſtituto profiteretur. Creſcit bacchantum furor, galeri permutantur, inuerſi capitibus imponũtur, ad ſingula quæque momenta, *Viuat Rex, Viuant Geuſij,* inclamatur. Repetita inde res per dies inſequentes, veſtes è panno cinericio fœderati aſſumunt, minutas è ligno ſcutellas, poculaque leproſorum inſtar è galero ſuſpendunt: numiſmata cudi in eam formam procurant, vt vno latere Regis effigiem, his verbis circumſcriptam, FIDELIS REGI, altero duabus fœderatis manibus implicatam manticam, hiſce adiectis verbis VSQVE AD MANTICAM haberent. Radi ſibi poſtremò præter labrum ſuperius barbam reliquam iubent. Hinc Geuſiorum nata eſt compellatio: quam vocem alij Gallicam faciunt, & modò ſcurram, modò mẽdicum, modò facetum nepotem ſignificare exiſtimant. Alij Teutonicam faciunt, & pro Geuten vſurpant, quam maiores vel Gothis genti Barbaræ tribuiſſent, vel Gothici nominis odio conuiciũ feciſſent: vt Droes à Druſo deductum arbitrãtur. Hæc primordia ſunt & initia tumultuum Belgicorum, ex quibus memorabile illud bellum, quod nunc in triceſimum annum varia fortuna ducitur, exortum eſt. Quod cùm obiter ſuis locis & temporibus hoc opere

Iuramentum Geuſiorum.

De nominis Geuſij Etymologia.

1566 cum cæteris descripturi ſimus, operæpretium, imò neceſſarium duxi, fontes ipſos aperire, & à linea (quod aiunt) incipere: quod & iam fideliter me præſtitiſſe arbitror. Poſt huius itaque tragœdiæ protaſin, ad epitaſin veniamus.

ANNO M.D.LXVI. PII Pontificis Romani primo, Maximiliani Cæſaris Romani tertio, Philippi Hiſpaniarũ Regis xij. menſe Aprili Parmenſis Belgicarũ prouinciarum Regens, ſeu Gubernatrix, Marchionem Bergenſem & Montignæũ in Hiſpanias ad Regem miſit. Duo enim fœderati Geuſij flagitârant, vt legatione Regi ſua poſtulata Parmenſis exponeret: deinde vt omnem, dum Rex reſpõderet, inquiſitionis edictorumq́ue executionem ſuſpẽderet. Legationem Bergenſi, & Montignæo committi probant fœderati, promittuntq́ue profecturis, quoad in Hiſpanijs ſunt futuri, tranquillisſimè ſeſe domi Remp. habituros. Sed quàm probè fidem datam præſtiterunt, ſubſequentes mox conciones, & aliæ turbæ luculenter oſtendunt. Proficiſcuntur legati, licet Pariſijs apud Franciſcum Alaua Regis Hiſpan. Legatum ea audirent, quæ illos ab itinere penè deterruiſſent. Alteri petitioni ſic Parmenſis ſatisfecit: Præfecti in ſuas ſinguli prouincias proficiſcerentur, ſuarum prouinciarum Ordines Menſe Maio conuocarent, ijsq́ue nouum in hæc capita edictum proponerent: Religionem præter veterem Catholicam nullam totis prouincijs publicè vel priuatim habendam, qui aliam publicè, priuatimue doceret, munus gereret, libros ſcriberet, domum ſciens præberet, turbam cõcitaret, Catholicos offenderet, in eos homines pœnitentes gladio, non pœnitentes laqueo animaduerteretur: bona ita demum fiſco cederent, ſi non ijs vrbibus atque prouincijs exiſterent, quibus ob crimen in commiſſum cadere bona damnatorum non conſueuerunt. Qui crimen hæreſis animo contraxiſſet, facto verò res iſtas non admiſiſſet, huic pœnitenti, & coram Epiſcopo hæreſi renuntianti, res ea fraudi non eſſet. Qui delatus hæreſi non renuntiaret, is proſcriptus bonis vteretur, alienandi verò, teſtandiq́ue de illis poteſtatem non haberet, mortuo hæredes Catholici ab inteſtato ſuccederent: bona ita demum amitteret, ſi contra Religionem, aut quietem prouinciarũ abſens moliri quid conuin-

Legatio Bergenſis & Montignæi in Hiſpanias

Edictorũ moderatio.

conuinceretur. Anabaptiſtæ pœnitentes, nullius grauioris criminis rei, extra ordinem arbitrio iudicis coërcerentur: pœna mortis non tenerentur: non pœnitentes exilio, bonisque mulctarentur. Hæretici relapſi, inde denuò pœnitentes, exilio atque bonis; non pœnitentes morte punirentur. Anabaptiſtæ relapſi nullo diſcrimine laqueo ſuſpenderentur. Qui libros vel hæreticos, vel ſeditioſos ſciens dolo malo ſæpius excudiſſet, vel diſtraxiſſet, is pœna doctorum miniſtrorumque teneretur: qui rarius feciſſet, is proſcriptus arbitrio Iudicis, vel ære, vel corpore pœnas daret. Qui lucro, non hæreſi adductus eadem commiſiſſet, extra ordinem arbitrio iudicis coërceretur. Qui quò quis ſeduceretur frequenter diſputaret, pœna mortis; qui raro, nec ſeducendi animo, ſed curioſitate id faceret, in eum arbitrio iudicis animaduerteretur. Qui libros improbatæ lectionis legeret, legendos alteri exhiberet, imagines, ſigna, ſtatuas Religioni contumelioſas pingeret, ſculperet, haberet, illicitis nouarum Religionũ conuenticulis interfuiſſet, in eum pro criminis perſonæ ac rei diuerſitate arbitrio iudicis ſtatueretur. Qui hæreticorum illicita conuenticula iudici reuelaſſet, huic, ſi collega eorundem fuiſſet, pœna condonaretur; ſin collega non extitiſſet, vel dimidium bonorum, ſi ſexcentos florenos non excederent; vel quadrantem, ſi excederent, è bonis damnatorum acciperet. Peregrini intra vrbes atque pagos ita demum futuri inquilini admitterentur, ſi idoneas ab eo, cui poſtremò paruiſſent, parocho, aut iudice literas adferrent. Ad peregrinos mercatores ita ea cautio non pertineret, ſi modeſti ſine Catholicorum offenſa permanerent. Sequebantur quædam, quæ ad Iudices, Vaſallos, à Vaſallis delegatos, Typographos & Ludimagiſtros pertinebãt, quæ quia ad inſtitutum noſtrum minus faciunt, ſcientes prætermittimus. Reliqua autem exprimere volui, eò quòd videam Germanicos ſcriptores huius moderationis ſummam non aliam eſſe aſſerere, niſi, vt omnes, qui cauſa Religionis delati eſſent, ſeditioſi, offendiculum præbentes, & ſimiles loco ignis laqueo punirentur, pœnitentes gladio ferirentur, ſeducti exilio mulctarentur. Cùm longè diuerſa ſint, quæ hic ex Hario recitauimus, qui omnia ex ipſis autographis decerpſit. At illi ad affectum vulgi ſcripſerunt, cuius tunc varij erant de hac moderatione ſermones.

Ordines

1566 Ordines prouinciarũ ad hoc nouum edictum variè responderunt. Quidam, si calumniatoribus pœna statueretur, placituram sibi rem vniuersam ostendunt. Alij plura postulârunt, ita vt longum esset omnium Ordinum sentẽtias perscribere: nec id operæpretium sit, cùm nullum ex eo edicto Resp. fructum sit consecuta. In hac sententiarum varietate homines nouarũ Religionum studiosi otiandum non esse rati, sese mutuò ad publica suarum Religionũ exercitia exstimulabant: pruriebant enim eorum aures, nec eas diutius continere poterant. Subdebant faces ministrorum & exulum quotidianæ literæ, quibus monebant tam præclarã rei bene gerendæ occasionem elabi è manibus non paterentur. Galliam intuerentur, quæ Rege repugnante Euãgelium egregiè tueretur. Germaniam cogitarent, quæ Cæsarem tantum Principem contempsisset: non minores sibi aduersus Hispanum vires futuras: dolum esse hanc nouam edicti moderationem, stabiliri Antichristi dominatũ, pro flãmis laqueos & enses, pro Inquisitoribus Episcopos & auaros Iudices suffectos, &c. Si in publicum prodeat Euangelium, futurum vti tantam ferre lucem cœcutientes Papistarũ oculi non possent. Huiusmodi nugis mẽtes, oculosq; credulæ plebis perstringebant Lutherani, Caluiniani, & Anabaptistæ: omnes se lucem habere, cùm tamen vna lux vera sit, iactitantes: feralibus interim inter se odijs, contrarijsque opinionibus diffidentes. Probabãt hæc quidam è confœderatis nobiles, ea ratione, quòd metu grauissimorum motuum adducturos se Regem ad quæcunque vellent consilia arbitrabantur.

Nouarum Religionũ studiosi, vt se mutuò exhortantur.

Pauci itaque ante Calen. Maij diebus circum vicos Flandriæ per agros diurnos habere cõuentus Caluiniani cœperunt. Hinc IV. Non. Maij circa Antuerpiam. Inde alijs in locis conciones sese ostentant. Per Lutzenburgum tamen, Artesiam, Hannoniam, Namurcum nullæ: nullæ quoque (nisi in agris Flãdriam versus) per Insulas, Duacum, Orchinium. At frequentes per Flandriam, diœcesim Tornacensem, Valencenensem, territorium Antuerpiense & Buscoducense. Quorum exempla postea secuti sunt Hollandi, Zelandi, Frisij. Quid multis? Vbicunque mercatorum maior erat numerus, conciones & citius, & maiori ardore instituebantur, quæ res nec ratione caret, nec mysterio vacat. Non erat Euangelium vnum, sed va-

Sub finem April. Nouarũ Religionum conciones.

Væ mercatoribus terræ.

rium.

rium. Concionabantur suum Caluinistæ, Lutherani aliud, aliud Anabaptistæ. Sed Caluinistæ ingenti hominum concursu, & locis multis: minori frequentia Lutherani, nec nisi in Brabantia: locis atque numero quàm Lutherani maiore Anabaptistæ, sed neq; ea luce, neque discipulorum pari cum Lutheranis auctoritate, quorum Religionem viri honorati præ cæteris laudabant, quòd ea principibus Imperij probabatur, quòd minus quàm Caluiniana esset seditiosa, quòd multa retineret, quæ Catholica Ecclesia comprobasset. In hac Euangeliorum publicandorum varietate, procedit in aciem quicquid vsquam est terrarum Belgicorum ministrorum, Diaconorum, Seniorum, Superintendentiū, quicquid deniq; vel veteri, vel recenti hominum memoria proscriptorum hominum. Conuentus extra vrbes in syluis, in patentibus campis, in montibus habebantur. Confluebant hominum multa millia, quorum singuli, vt & Euangelium, quod nuper natum, præ ætate nondum se tueri poterat, & se, ne Martyres morerentur, defenderent, initio gladios, pugiones, & breuiora tela, postea bipennes, sarissas, sclopos secum ad hanc spiritalem militiam adferebant: Psalmos ad numeros Marottanos, Bezanosque vt Sirenum cantus ingenti auditorum voluptate modulabantur. Conciones in Antichristum, in idola, in Pharisæos, hoc est, Pontificem Romanum, Diuorum imagines, Monachos, Sacerdotes, Episcopos erant. Sciebant enim leui populo nullā materiam fore gratiorem. Hactenus de rebus Belgicis, nunc ad alias nationes migremus. 1566

Pius Pontifex V. Michaël Ghislerus antea dictus, Buscopago non procul Alexandria in Insubribus humili loco natus, VII. Ianuarij LII. Cardinalium suffragijs Pontifex electus, & XVIII eiusdem mensis coronatus, ad reformandos mores, & tollendos omnes abusus animum conuertit: omnesque cogitationes & studia huc contulit, vt piè, Christianeque viueretur, nec quicquam omitteretur eorum, quæ in Concilio Tridentino à Patribus iam pridem decreta fuerant. Qua in re non minorem vtilitatem attulit Reipub. Christianæ, quàm ij Pōtifices, quorum auspicijs idem Concilium inceptum, continuatum, & ad felicem exitum erat perductum. Non ignorabat enim optimus Pontifex, bonas leges esse animam ciuitatū, legum que ipsarum

Pius V. Pontifex creatus.

Eius studia.

1566 ipsarum animam esse religionem: sine qua omnes leges tyrannica sunt humanæ demētiæ instituta. In morum autem reformatione necessarium duxit prius à sacerdotibus, quàm à ciuibus; & prius à se, quàm ab alijs hominibus sacris initiatis incipere. Ridendus enim is est, qui de sobrietate ipse ebrius disputat, nec alios commodè ad virtutem potest informare, cuius domus multis vitijs deformata est. Primùm omnium itaque nouus Pontifex domesticos omnes & familiares ad se vocatos, ad sanctitatem vitæ, ad innocētiam, ad integritatem insigni oratione exhortatur: ostendēs depositis vitijs, virtutibus opus esse, si veri Christiani esse velint: sine his enim nihil ipsis, quòd Christi nomine insigniti, quòd eius sanguine redempti essent, profuturum: imò hæc ipsa magis obfutura. Si quis Dei, inquit, aut Religionis sit contemptor, is ne in sanctam sedem iram Dei prouocet, aut vrbem aliquo scelere contaminet, Vrbe discedat: nemo enim me Pontifice aut Deum impunè contemnet, aut aliquod graue scelus committet. A seipso deinde incipiens, multos magnificos apparatus, multos seruos, multam victûs magnificentiam tollit ad euertendam ambitionem, illaqúe omnia sibi adimit, quæ vulgus illustria & admirabilia existimat, quæqúe inuidiosa imprudentibus, & superuacanea sunt prudentioribus. Nec solùm ambitionem, sed & auaritiā omnē à se remouit: vectigalia populo minuit: custodias leuiorum equitum dimittit, ne illis alendis populus grauaretur. Immoderatum vectigal vino à Pio Quarto impositum perpetua lege sustulit. Episcopum proponentem quandam colligendæ pecuniæ rationem, hortatus est ad probitatem: Ecclesiam Dei, inquiens, magis egere viris bonis & moderatis, quàm auro. Carpenti cuidam eius frugalitatem & parsimoniam, respondit; Pompam splendoremqúe, & epularum magnificentiam malis & bonis viris esse communem: horum verò omnium contemptum bonis proprium & peculiarem. Sed longum esset omnes huius Pontificis virtutes commemorare, quæ ab alijs multis paginis, imò libellis descriptæ sunt: quibus id commeruit, vt Deo charus, & hominibus venerandus sit habitus. Ad vires Turcicas frangendas, & hæreses exterminandas animum quoque adiecit. Hanc ob causam Cardinalem Commendonem è Polonia Romam re-

Reformatione incipit à propria domo

A seipso.

deuntem ad Comitia Germaniæ, quæ hoc tempore Augustæ Vindelicorum habebat Cæsar Maximilianus, Legatum misit, cum multis sanctis & salubribus monitis, quibus hæreticorū insolētia retūderetur. Imperatori insuper in vsum belli Turcici duabus distinctis vicibus XC. ducatorum millia donauit, & quinquaginta millia quotannis, durante hoc bello, dependsurum se promisit. Melitensibus quoque certam pecuniæ summam decreuerat, si Solymannus bellum in eos renouâsset. 1566

Liberalitas in Cæsarem.

Ingentes, ac penè incredibiles à Solymanno fieri bellorū apparatus quotidie rumor adferebat. Philippus igitur Hispaniarū Rex suis metuēs ditionibus, annuēte Cæsare in Germania quatuor legiones sub tribunis Alberico Ladronio, Annibale Amasiense, Ioanne Baptista Arcuense & Pari Comite collegit, collectasq́; in Italiā & Africā traduci iussit. Cæsar Principes Augustæ expectabat, vbi dum omnes cōuenirent, cōuiuijs & varijs ludis vacatur, Hassiæque Lantgrauio, Abbati Kampidoniēsi, & alijs inuestitura (vt vocant) suorum Principatuū confertur. Cùm Principes omnes conuenissent, nullū tempus amittendum ratus Cæsar, VIII. Calend. April. imminentis belli, periculorumq́; magnitudinem ostendit. Vires quibuscum Solymannus in Vngariam venturus diceretur commemorat, Iuliobonam, seu Viennam peti: ea capta totam Germaniā periclitari docet: orat, vt depositis mutuis simultatibus, ad commune incendium extinguendū accurrāt, & quadraginta peditum, octo equitum milliū auxilia flagitat. De hæresibus Comitiorum constitutionibus interdictis Imperio exterminandis, de reformāda Camera, de monetis, & alijs quædā etiam proposita sunt. Præter belli verò sumptus parum, aut nihil his Comitijs determinatū est: ij autem maiores, quàm vlli ante hunc Maximilianum Imperatori decreti sunt. Præterquam enim quòd multi Principes seipsos ad hoc bellum vltrò venturos profitebantur, Principes & Ordines Imperij hoc anno tres Romanas expeditiones Cæsari promiserunt; singulæ autem Romanæ expeditiones, antequam diuulsum, diminutumque esset imperium, millia peditum XXVI. & equitum millia VIII. conficiebant: nunc verò accisis Imperij viribus, tertia pars detracta est. Hæ expeditiones dictæ sunt Romanæ, eò quòd Romam ad coronationem profi-

Comitia Augustana.

Romana expeditio quid.

cifcentes

1566 ciſcentes Imperatores, is equitum, peditumque numerus ſolet comitari. Conceſſa præterea eſt in triēnium vna expeditio & dimidia in ſex menſes. In iiſdem Comitijs VVilhelmus Grumbachius, qui Herbipolim ante triennium inſidioſè occupatam diripuerat, nūc verò vnà cum ſocijs apud Ioannem Fridericum Saxoniæ Ducem in arce Gothana receptum habebat, denuò proſcriptus eſt. Peractis Comitijs Cæſarem accedunt Legationes Heluetiorum, cupientes ſua priuilegia cōfirmari. Subditorum quoque Marchionis Finalis, imperio ſui Principis liberari flagitantes. Gonzaga Dux Mantuanus, & Emanuel Philibertus Sabaudus Cæſari etiam auxilia offerebant, & controuerſiam de Caſalis & Montisferrati principatu decidi poſtulabant. Interea quoque Comitia Poſſoniæ, Vngariæ oppido, & tandem Viennæ Auſtriæ celebrata ſunt, Cæſarique maxima decreta auxilia. Caniſia dum hæc fiunt, Giula, Tockayum, aliaque Vngarię loca firmis propugnaculis, præſidijsque muniuntur. Nec deeſt ſuis rebus Solymannus; non tantùm terreſtres copias cogit, ſed ingentem etiam claſſem inſtruit, cuius partem aliquam Belgradum præmittit, & Ferrathem Baſſam Budenſem cum Tranſyluano caſtra coniungere iubet.

Grumbachius iterum proſcribitur.

Solymannus copias cogit.

In Gallia domi omnia erant ſolito tranquilliora: fortè quòd eas ſeditiones hoc anno toti Belgio mali dæmones meditarentur, vti ſufficere cæteris Regnis commouendis minus poſſe crederentur: foris verò non omnia fuêre peræquè tranquilla. In terra Florida inſulam quandam Baamam tenebant Galli, cui duo prę̈erant Tribuni, Laudamirus & Ribaultus. Hi regionis fertilitate & ſalubritate moti, eò coloniam deducere communi conſilio cùm decreuiſſent, Ribaultus in Galliam profectus, ad quinque millia hominum, vnà cum pueris ac fœminis à Rege impetrauit: qui ſeptem maiora nauigia Calendis Iunijs conſcendentes circa Idus Iulij in Inſulam venerunt. Sed Hiſpani, huius rei certiores facti, omnes, vno excepto Chriſtophoro Bertone elapſo, trucidârunt. Monlucius itidem Regulus eodem ferè tempore cum alijs nōnullis Galliæ proceribus, & mille ducentis Gallis, qui tribus maximis, inſtructiſſimiſque nauigijs vehebantur, in nouas Indias, quæ ad Occaſum ſunt, nauigauit, vt inſulas quaſdam Regno Galliæ acquireret. Iter Guineam verſus inſtituit, vt inde ad Oceani littora

In Gallia tranquillitas.

Galli in India cæduntur.

littora Aethiopiam versus penetraret. Cùm ad Guineam venisset, misit qui recentes aquas, aliaque necessaria pro Gallorum cum Lusitanis amicitia peterent. At Lusitani pro responso arma capiunt, & Gallos quosdam interficiunt. Monlucius rei indignitate motus vrbem, vnde venerant Lusitani, aggreditur, ciuibus extra mœnia occisis occupat, & totam penè insulam suæ potestatis facit. At paulo post tormentaria glande traiectus est: quocirca reliqui Galli in patriam mœsti reuertuntur. 1566

Literæ Ioannis Transyluaniæ Principis ad Vngaros.

Transyluanus, qui Solymannũ importunis vrgebat precibus, vt bellum contra Imperatorem Maximilianum susciperet, eò quòd munitiones illius Tokayum, Zerentzium, Satmaram, Erdudum, Bathorũ, aliasque occupauerat Cæsar, cùm iam Solymannum venturum certò intellexisset, literas ad Ordines Vngariæ misit, quibus eis persuadere studuit, vt in suas partes transirent. Literarum hæc erat summa: Sibi à Solymanno mandatum, vt Ordines omnes Vngariæ ad fidem sibi præstandam hortaretur. Vngarorum concordiam, & erga se obedientiam sibi fore gratissimam: hinc enim salutem eorum dependere, sumptusque & molestias belli hoc modo sublatũ iri. Mandare Sultanum, vt veniens malum maturè præuertãt, ne si in fines Vngariæ venerit, malo accepto serius sapiant. Se itaque pro sua in Vngaros beneuolentia, qua ipsis, eorumque liberis & fortunis consultum cupit, eos hortari, vt & ipsi sui, suorumque rationem habeant, Rempub. secum capessant, & quod ad Regni quietem, prosperitatemque pertinet, promoueant. Se Regni sui Vngariæ salute omnibus modis procuraturũ, nihilque prætermissurum, quod ad concordiam Christianorum, patriæ & subditorum suorum attinere censebitur. Cæterùm habere se ardua quædam negotia, quæ literis committi non possint: mandare itaque se, vt ad Dominicam Reminiscere Legatos suos in vrbem suam Tordam mittant, qui secum, & cum suis Senatoribus, vniuersitateque trium nationum Vngaricarum de proponendis rebus conferant & decernãt. Erat Ioannes hic Ioannis Zapoliæ filius, potentissimi Cepusiensis Comitis Stephani Palatini Transyluaniæ nepos, cuius patrem Vngariæ possessione deiectum Solymannus Regno restituit. Quo mortuo cùm Ferdinandus Cæsar iure successionis Regnum

 repeteret,

1566 repeteret, Budamque obsideret, Ioannes hic infans, Buda obsidione liberata, cum matre in Transyluaniam ablegatur: Vngariamque per suos præfectos Solymannus defendit. At postea eidem Regnum reddidit, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæque titulo insigniuit. Ioannis Regis literæ cùm ad Lazarum Zuendium, nobilem Sucuum, consilio, vigilantia, celeritate & fortitudine præstantem, qui tunc auspicijs Cæsaris Maximiliani bellum aduersus Ioannem & nobiles Vngaros seditiosos, ei coniunctos, feliciter gerebat, peruenissent, literis in omnes Vngariæ fines missis prohibuit Cæsaris nomine, ne qs ad illa Comitia accedat, aliũve suo loco mittat, aut aliquod commerciũ cum Transyluano habeat, ea pœna, vt qui primus in hoc delicto reperiatur, crimen læsæ Maiestatis commisisse censeatur. Turcam non sollicitum de Vngarorum salute, sed insidijs, dolo, & aperta tyrannide à centum & amplius annis huius Regni interitum machinatum esse. Cæsari nihil optatius fuisse, quàm pacem cum Turca conseruasse: at quo minus id potuerit, peruersis Transyluani consilijs, importunisque precibus actum esse. Huius rei argumẽtum esse, quòd Cæsar hac hyeme pactas inducias tam exactè obseruari voluerit, vt commune huius Regni commodũ ijs posthabendum duxerit. Si pax, de qua nunc agitur, non successerit, neque Cæsarem suorum salutem neglecturum, neque ei auxilia Imperij, aliorumque Principum Christianorum defutura. Non igitur hac in parte diffidendum, sed & eò magis confidendum, quòd hoc bellum pro Religione, pro aris & focis geratur: impulsores verò, auctoresque huius belli, vti omnes, qui se in clientelam Sultani transferunt, suas pœnas à Deo & ab ipso tyranno manere.

Literæ Zuendij ad Vngaros.

Dum hæc geruntur in Vngaria, Moschi perpetuis excursionibus Liuonum, Lituanorumque fines depopulantur. Incolæ querelas suas ad Sigismundũ Polonorum Regem deferentes, triginta illi peditũ millia, & quadringenta millia florenorum pollicentur, si ipse ad bellum contra Moschum exire, & fines eorum ab hostium incursionibus velit liberare. At paulò post induciæ trimestres inter Polonum & Moschũ pactæ sunt.

Moschus Liuoniã &c populatur.

Pontifex ad res vrbanas animũ conuertens, Pij Quarti contra Caraffas condemnationem rescidit: deiecta

Pontificis in Politi-

iecta eorũ insignia iubet restitui, sententiam in eos latã mandat reuocari, ea tantùm parte, qua videbatur infamia in innocentes posteros redundare. Nõ enim Pius Pontifex æquũ arbitratus est, vnius hominis scelerum totam progeniem ream constitui, cùm difficulter familia inueniatur, in qua non vnus reperitur impurus, qui tamen multorum illustrium splendorem & gloriam nec debet, nec potest obscurare. Torquatum deinde Comitem Pius cũ expeditis peditũ, equitumq; copijs in agrũ Asculanum aduersus exules, per eam Italiæ oram grassantes, misit: cuius fortitudine & industria omnis ista hominum colluuies fusa, fugataque est. Statuit deinde, vt singulis ferijs pauperibus publicè daretur audientia, quibus diebus nemo vel publicus, vel priuatus, nobilis aut princeps, ad Pontificem admittebatur: sed pauperum causis audiendis tantũmodò horas sæpe decem continuas vacabat. Hinc factum, vti quisq; ab ijs iniurijs abstinebat, quas ad aures Pontificis deferẽdas metuebat. Mediolani per hos dies ingens erat sicariorum occultorũ multitudo: ita vt complures occiderẽtur, causa, auctoreq; incognitis. Sed Senatûs & Gabrielis Cucuæ præfecti diligentia effectũ est, vt quibusdam captis, & diris, inusitatisq; tormẽtis excarnificatis, cæteri disparuerint.

1566 *cis reformandis cura.*

Dum Solymannus maritimos facit apparatus, triremes, & remiges omnes in Cilicia & Bizantij parantur, panis nauticus in vsum classis tum Bizãtij, tum in Chalcide Eubœæ magno fit studio, Turcæ in finibus Vngariæ Ainatschenitũ oppidũ, absente præfecto, nocturno tẽpore scalis ad muros admotis, occupant. Tentãrũt & Zigethũ, sed insigni virtute Nicolai Comitis Serinij cũ maxima suorũ clade repulsi sunt. Quod cùm Quinq; Ecclesianis Turcis nuntiatũ esset, illi etiã locũ deseruerunt. Cæsar cùm Turcarũ aduentũ inaudisset, magna celeritate sese ad bellũ parauit, copias vndiq; collegit. Accessit ad castra illius Dux ipse Mãtuanus, cũ CL equitibus: Dux Ferrariẽsis, cũ tribus peditũ millibus: Duces quoq; VVolphãgus, Richardus Palatinus, & Bauarus cũ Germanorũ equitum alis, & peditũ ingenti multitudine. Submiserunt & sua auxilia multi alij reguli & principes Italiæ: ita vt adueniente Solymanno centũ ferè armatorum millia in castris Cæsar habuisse dicatur. Iaurinensis Episcopus 30. tormẽta bellica, Ratisbonẽses 300. cados puluere tormentario

Apparatus Turcicus.

Zigethũ frustra tentatur.

Copiæ Cæsaris.

1566 plenos miserũt Instructus rebus omnibus Cæsar Vienna exit, & ad Iaurinũ, nunc Rabam, in planicie quadam consedit, castraque vallo & fossa muniuit.

Pialis Chiũ occupat. Interea Solymannus per coryçeos suos certior factus, q Chij (populi sunt, qui insulam Chium in mari Ionio, inter Samũ & Lesbũ sitam habitant) Melitẽses de omnibus admonuissent, quę ad eos oppugnãdos superiori anno fierent, quodq́; iam biennio tributũ nõ misissent, Pialim Bassam cum parte classis ad insulam eam occupandã misit: quod ille insigni pfidia, doloq́; sine cæde & sanguine effecit. Occupatã absoluti iuris Turcici fecit: nobiliores familias triremibus impositas Cõstantinopolim misit, reliquos in insula manere, eamq́; colere coëgit: magistratus pro suo arbitrio constituit, omnia templa solo æquauit, vno S. Dominici seruato, quod in Meschitam Turcicã conuertit, & Muselmannorũ ceremonijs consecrauit. Chio Epidaurum nauigans Pialis eam quoq; insulã simili arte occupare tentauit; sed Epidaurij Chiorũ exemplo docti, 20. tantùm Turcas, eosq́; inermes ad res necessarias coemendas admiserũt. Hac spe frustratus Pialis, Tenum iter instituit, sed insulanorũ munera reijciens, Delum, Apollinis olim templo celebrem, delatus, postridie Tenum repetijt, quæ insula vna est Cycladum. Tenij viso Pialis reditu, se ad pugnã accingũt: at ille nulla re tentata inde recedit, opulentiorįq; pdę inhians, ad Calabriæ, Apuliæq; littora appulit, & obuia quæq; ferro atq; igni populatus est. Eodem penè tempore 11. triremes Algeriẽses, non procul à Calpe 20. nauigia bellicis apparatibus, multo cõmeatu & cõpluribus tormentis onusta, quæ Philippus Hispaniarũ Rex Oranũ miserat, interceperunt. Illa tam insignis iactura quanto mœrore Philippũ afflixit, tanta lætitia Turcarum animos extulit. At terruerãt multos paulò ante obseruata de cælo prodigia. In Italia enim tres cometæ apparuerũt: post secuta est maxima siccitas: hãc Romæ inundatio. In mari Euxino, faucibus Cimmerijs, & Trapezuntiæ visi sũnt tres soles, & super eos arcus candidus. Post biduũ hora quarta noctis crux insignis splendoris, stellaq; inusitati luminis apparuit. Posonij denique cœpta est conspici stella, quæ solem sequebatur ad Orientem, sed sub Occasum euanuit.

Epidaurij Pialim nõ admittũt.

Pialis Italiæ littora populatur.

Hispan. naues intercipiuntur.

Prodigia.

Mutatio Religio- Vt nulla per Europam regio à bellis, seditionibus, & hæresibus esset libera, etiã Scotia hoc anno varijs

fortu-

fortunis, seditiosorumq; hominū studijs est exagitata. 1566
Ante annos circiter XIX. quidam concionatorculus, *nis in Scotia quando, quibus auctorib. & occasionibus.*
Georgius Sophocardius, hanc insulæ Britannicæ partem nouitiæ religionis prauis opinionibus primus infecerat. Sed eo à Prorege Iacobo Hamiltonio, vt perturbatore Regni, extremo supplicio affecto, nouitas hæc sequentibus annis in multorum animis exoleuit: donec anno millesimo quingentesimo quinquagesimooctauo Paulus Mesanius hanc camerinam iterum moueret, & concionibus plurimos in suas opiniones pertraheret. Captus hic, & à Iudicibus Ecclesiasticis examinatus, hæreseosq; damnatus, seculari brachio traditur, à quo Scotia exire iubetur. At qui eius partes sequebantur, & se illi religioni iam deuouerant, conuenientes inter se, coniuratione facta promiserunt, se nullo modo passuros, vt ipsi, & ipsorum doctrinæ participes opprimerentur. Quibus hæc placerent, tabulas ea de re confectas, quibus subscriberent, offerebāt: factioque hæc *Congregationis* nomen sibi sumpsit. Præerat eo tempore Maria Guisiana, Iacobi V. Regis vidua, Mariæ Stuardæ, vnicæ hæredis Regni mater. Congregati conuentu habito legatum ad Regentem miserunt, non vt aliæ nationes fecerant, libertatem vtriusque Religionis, sed Christiana vel Catholica exclusa, Cinglianam, aut quæcunque tunc erat, è varijs sectis cōflatam, imperiosè postulantes. Quod cùm Regens constanter negaret, Knoxius quidam homo seditiosus Parthi concionem coram populo habuit, animos accensos penitus inflammauit, & primus iconomachiæ classicū dedit: vt varijs locis tēpla monasteriaq; non modò spoliauerint, sed ita diruerint, vt vix fundamentorū vestigia superessent. Regens accepto huius sceleris nuntio, cùm in auctores illius vellet animaduertere, tota colluuies confluxit, arma sumpsit, & sub ductu quorundam procerum Regenti sese opposuit. Pugnatum est aliquot annis, idque victoria nunc in hanc, nunc in illam partem inclinante. Varij quoque habiti sunt conuentus, in quibus nunc de pace, nunc de inducijs actum est. Sed paulò post arma resumpta sunt. Tanta enim horum Nouatorum erat pertinacia, & tanta Catholicorum in fide sua constantia, vt neutra pars à sua opinione vellet decedere. Accedebant procerum inter se ambitio, auaritia, regnandi cupiditas, inuidia & odia, quæ à com-

Cōgregatorum factio, & Congregati in Scotia.

Iconomachia in Scotis.

1566 muni populo etiam non erant aliena: quibus omnibus religio prætendebatur. Nec leue momentum his malis attulit, quòd Regina Maria Stuarta, Francisco II. Galliarum Delphinio, post Regi nupta, magnas copias è Gallia matri suæ transmitteret, ad rebellium conatus frangendos: quod eò magis sibi licere putabat, tum quòd antiquissima esset inter Gallos & Scotos amicitia, tum etiam, quòd ea amicitia nouo iam matrimonio esset aucta & confirmata: ita vt iam vtriusque gentis vnus idemque Rex, vna eademque Regina esset. Sed longè aliter hanc rem interpretabãtur *Congregati*. Cùm enim viderent se Regentis viribus Gallorum aduentu auctis impares, & multas ab illis clades accipere, de amicis Gallis eijciendis, idq; Anglorum perpetuorum hostium ope deliberare cœperunt. Gallus interea de statu rerum Scoticarum certior factus, Labrossium Conchiliati ordinis Equitem, vnà cum Episcopo Ambianensi in Scotiam misit, qui omnem controuersiam componerent, si possent: sin minus, armis rebelles ad officiũ faciendum cogerent: eum enim in vsum cum legatis duo peditum millia transmisit. Sed Congregati legatos audire noluerũt: per literas tamen petierunt, vt omnes Galli Scotia educerentur: omnes nouæ munitiones euerterentur, Letha, quam Regens munierat, & Gallis defendendam dederat, sibi restitueretur. Quæ omnia cùm indignè ferret Regens, fœcialem cum literis misit, quibus cum coniuratis expostulauit, de Regis & Reginæ cõtempto imperio, cùm tamen nec à Deo, nec à natura vllos habeant superiores. Ostendit se publicæ tranquillitatis causa demonstrasse facturam, & nunc etiam polliceri, quicquid cum pietate in Deum, & obseruantia in Reges non pugnat: neque de libertatis & legum euersione vnquàm cogitasse: de Regno verò per vim acquirendo multo minus. Ad munitionem ita responderi iussit: Nihil se rebus pacatis vnquam tale attentasse, sed cùm multis conuentibus & coniurationibus palam videret, proceres quosdam imperium legitimũ à se reiicere; se, apud quam summa erat auctoritas, inconsulta statum publicum pro arbitrio turbare, suas partes captis vrbibus confirmare, & cum veteribus inimicis Anglis fœdus sancire, &c quærit cur sibi non liceat Lethæ ad salutis suæ præsidium aliquid copiarũ circa se habere? Porrò conqueritur, aduersarios nunquam

Scoti non ferunt Gallica præsidia.

Anno 1559 Legatio Regis Gallorum in Scotiam.

Postulata congregatorum.

Regentis responsio.

quam in literis suis de parendis iustis magistratibus mentionem fecisse: nunquam ad restaurandam concordiam viam demonstrasse, nullo vnquam indicio ostendisse, hos motus se velle sedatos, & in pristinum locum omnia redacta: se abundè hæc omnia præstitisse. Non ignorare illos, Gallos mãdato sui Regis iamdudum (nisi ipsi machinationibus suis in mora fuissent) extra Scotiam futuros. Tandem eos hortatur, vt meliora consilia capiant, & etiamnum honestas conditiones proponant, quibus spem faciant, se imperio summæ Maiestatis honestè parituros: neque Reges, neque; se, neque Legatos vllam restaurandæ concordiæ rationem recusaturos. Hæc literarum est summa. 1566

Etsi spes erat Congregatos his literis & legatione ad pacis & tranquillitatis consilia redituros, magis tamen exacerbati, per eundem fœcialem, & literas suas Regni administrationem omnem, à Regibus acceptam, Regenti abrogant: denuntiantes ei, se illam imposterum Regentem & supremo magistratu fungentem non agnituros. Addentes insuper, se in recuperanda Letha nullum vitæ discrimen velle subterfugere. Proinde si sibi, suisq; consultum velit, intra XXIV. horarum spatium cum legatis & omni mercenario milite oppido emigraret. Post imperiosum hoc responsum Letham, quod iam antea obsederant, oppugnare cœperunt. Sed oppidani vrbe erumpentes, eum obsidentibus terrorem incusserunt, vt relictis castris omnes diffugerint: quibusdam captis, multis cæsis, reliqui ita dilapsi sint, vt recolligi non potuerint. Erat autem magna apud Congregatos rei argentariæ penuria. Corrasa est aliqua pecunia inter suos, sed ea à Catholicis intercipitur. Certus homo in Angliam mittitur, copiæ auxiliares & pecunia, fœdere facto certis conditionibus, mittuntur, pro quibus Anglis Scoti quasi oppignorantur

Congregati abrogant Reginæ viduæ imperium.

Anno 1559. 27. Februarij.

Dum hæc geruntur, Galli per totam insulam discurrunt, oppida, arces, pagos occupant, diripiunt, incendunt. Hæc superbia contumeliosa, cum rapacitate coniuncta, multorum etiam amicorum animos offendit. Interea octo maioris formæ naues in Scotiam appulsæ, magnas Anglorum copias aduexerũt. Comes Martigius eodẽ ferè tẽpore mille pedites Gallos, & aliquot equites è Gallia transportauit. Redinte-

Gallorum in Scotia insolẽtia.

Bellũ renouatur.

1566 gratum est bellum. Letha denuò obsidetur, & oppugnatur: sed obsessis fortissimè sese defendentibus, Angli quoque obsidionem soluerunt. At Norfolciæ Ducis literis & promissionibus reuocati, ad intermissam obsidionem, nulla tamen re præclara gesta, redierunt. Toto hoc tempore non cessatum est de pace vtrinque agi. Vrgebant Cõgregati vt Galli amandarentur, nullas autem alias conditiones pacis proponebant: nec de Religione, fonte & causa omnis belli, vllam faciebant mentionem: quasi de ea nullam Regibus quæstionem mouere fas esset: sed eam approbare tenerentur, quam illi iam inuitis & reclamantibus Regibus, nullo iure, nullis Priuilegijs, nulla consuetudine aut libertate Scotiæ introduxerant. Sub id mittuntur Legati Angliæ, qui de pace agerent. Conuentus in mensem Iunium indicitur. Regens, seu Regina vidua interea in arce Edenburgensi moritur, fœmina (vt vtar aduersarij vel maximi verbis) singulari ingenio prædita, & animo ad æquitatem admodum propenso, quæ gentes ferocissimas, & extremos Insularum cultores virtute & consilio pacauerat.

Vide literas Dalkethi scriptas huius anni 1559. Aprilis IV.

Mors Reginæ viduæ.

Buchananus sub finem lib. 16. histor. Scotiæ.

Mirũ ergo quòd humaniores pacare nõ potuit: nisi ipsi ferocissimis fuerint ferociores.

Regina vidua mortua, inducijs in breue tempus factis, auditi sunt legati, qui è Gallia, Angliaque, vt de pace agerent, aduenerant. Galli de subsidio desperabant, & commeatûs inopia laborare incipiebant. Angli diuturna obsidione fessi, nihilominus quàm Galli inopes omnium rerum finem belli cupiebant. Scoti, cùm proprijs stipendijs militarent, diutius in castris contineri non poterant: ideoque libenter concordiæ mentionem audiebant. Ita maximo tandem omnium consensu pax est promulgata, his ferè legibus: vt Galli intra vicesimum diem enauigarent, nauibus ad id ab Angla mutuo acceptis. Vt Letha Scotis reddita, muri eius diruerentur. Vt munitiones à Gallis ad Dumbarum ædificatæ complanarentur. Vt his peractis Angli statim copias reducerent. Vt prætetitorum ἀμνηστία per Reginam & maritum sanciatur Ketham insulam & Dumbarum arcem LX. Galli custodirent, ne Regina totius Regni possessione deiecta, videretur. Post huius externi militis discessum, vsque ad Reginæ reditum summa fuit ab armis tranquillitas.

Pax in Scotia.

Sed

Sed paulò poſt moriente Franciſco Galliarum Rege, Maria vidua de repetendo Regno paterno cœpit cogitare. Erant, qui id illi diſſuadere conabantur, cauſantes itineris difficultatem, præſertim Regina Anglorum non ſatis æqua: deinde ad homines barbaros, & natura ſeditioſos eam proficiſci, qui nec virorum imperijs ſatis obedienter pareant. Exempla ante oculos eam habere recentia patris, matriſque, quos cùm palam opprimere vel non auderent, vel non poſſent, varijs artibus ad deſperationem adegerint: apud quos aſſiduè vel de honore, vel de vita periculum eſſet ſubeundum. Hæc etſi non diffiteretur Regina eſſe veriſſima, alijs tamen cauſis mota, ad Scotos redire omnino decreuit. Miſit itaque Iacobum Stuartum, cum diplomate de conuentu habendo. In eo auditus eſt Legatus Gallus: Legationis capita hæc erant: Vt vetus cũ Gallis fœdus renouaretur: nouum cum Anglis reſcinderetur: Eccleſiaſtici & Sacerdotes, vnde erant deiecti, vt bonis redditis reſtituerentur. Negata ſunt omnia. & quò ad tertium, in eodem conuentu decretum factum eſt, de omnibus Monachorum, quæ adhuc ſupererant, cœnobijs demoliendis. Et ſtatim in omnes partes dimiſſi ſunt, qui imperata facerent. Præclarum ſanè gratificandi nouæ Reginæ initium.

Scotorum barbaries & infidelitas in ſuos Reges.

An. 1560.

Notanda contumacia.

Omnibus in Gallijs ad iter paratis, Regina claſſem conſcendit, & inſidijs Anglorum elapſa, menſe Auguſto in Scotiam venit: mulier elegãtiſſima, ingenij & corporis forma nulli ſecunda, & viceſimum ætatis annum ingreſſa. At ea indignitate ſuorum excepta eſt, vt nihil poſſet, nihil auderet, niſi iuratis ſuis hoſtibus cõſentientibus. Et quidem primò, quantum ad Religionem, tantum abfuit, vt ſuam, hoc eſt, Catholicam liberam per Regnum iuxta Zuinglianam obtinere Maieſtas eius potuerit, vt ſibi, ſuæque familiæ vnum tantùm permitteretur Sacrum, illudque priuatum. Quid dico permitteretur? imò potius negaretur. Nã dum ad ornandum altare apparatus per aulam in ſacellum adfertur, quidam cereos arreptos confregit, & niſi modeſtiores interueniſſent, reliquus omnis apparatus fuiſſet diſiectus. Nec in auctorem iſtius ſceleris eſt animaduerſum: imò alij factum laudabant, alij ſupplicium in veteri lege idololatris conſtitutum à ſacerdote depoſcebant. Calendis etiam Nouemb. cùm ornamenta quædam pretioſiora (vt ſolenni hoc feſto fieri conſueuit)

Regina Scotiæ in Scotiam reuertitur, & eius laus.

Reginæ ſua negatur religio.

1566 sueuit) in Sacellum inferrentur, noui illi Zuinglianorum Aretalogi factum hoc & in suis concionibus, & priuatis colloquijs multis conuitiorum plaustris detestati, & in Reginam ipsam ita debacchati sunt, vt constanter asseuerârint, Summum Magistratum ob hanc idololatriam sub leges vi cogi debere. Prohibitum nuper fuerat, ne Archiepiscopis, Episcopis, Officialibus, alijsque legitimis Ecclesiæ Iudicibus liceret amplius vllam causam cognoscere, aut quicquam iudicare: nunc potestas datur hominibus nihili, è terra natis, nullam legitimam functionem habentibus, non de communi causa, sed de Religione ipsa, & quidem Religione ipsius Reginæ iudicandi, palamque asserendi, Reginam ab ea Religione secundùm legum præscripta vi retrahendam. Et quæ istæ leges? à quibus approbatæ? quàm antiquæ? Indignitas rei me ab instituto cogit deflectere. Secũdò negata fuit Reginæ corporis sui custodia: sed ijs, qui eam offensissimè oderãt, ideoque sublatam cupiebant, suam salutem credere debebat. Tertiò penes Mariam summi magistratus erat titulus, & Regni diadema: summa autem rerum erat penes Iacobum, Reginæ fratrem nothum. Quartò familiares & consiliarios, quos optabat, Regina habere non potuit. Adduxerat Regina secum ex Gallijs Dauidem quendam Rizium, Augustæ Taurinorum natum, hominem quidem probo, sed pauperculo, vt Buchananus, aut nobili, vt Chytræus, patre. Hunc propter fidem & alias dotes, quas in eo reperit, inter aulica sua ministeria assumpserat, & eius consilio multa agere Regina videbatur. Hoc enim vsitatum est Principibus, non semper nobilitatem, sed interdum ingenium respicere, & consilia plebeiorum sæpe consilijs Procerum anteponere. Id statim initio Regni sui fecerat Elizabetha Angla, qui Baconum & Cecilium intimis suis consilijs adhibuit, ita vt omnia eorum arbitratu in Anglia gererentur: eorum consilijs maximè res Anglica inniteretur, & nullo penè numero nobilitas antiqua haberetur, qui tamen quales (de generis tantùm loquor obscuritate) fuerint, legat qui velit initium libri Andreæ Philopatri aduersus edictum Anglicanum anno M. D. XCI, editum. Quod in his tulerunt Angli, Scoti in Dauide minimè ferre voluerunt: quare in eius mortem conspirârunt. auctor cædis designatus est Patritius Ruuenus, sectariorum princeps.

Impudẽs hæreticorum arrogantia.

Reginæ omnia penè regalia negantur.

Dauid Rizius.

Cùm

Cùm Dauid vna cum Rege & Regina, alijsque paucis 1566
cœnaret, Ruuenus armatus cum aliquot socijs ingressus, Dauidem surgere iubet, ac primùm in proximum, deinde in extimum cubiculum pertractum Duglassius, & omnes qui cum eo erant confoderunt. Quod factum grauissimè Regina ferebat. Idem mortis genus Comitibus Huntilææ, Atholiæ & Bothuelij constitutum dicitur, qui in alia palatij parte cœnabant: at illi funibus sese per fenestram demiserunt, & in tutum euaserunt. Inde Reginam in cubiculum intrudunt, & octoginta armatos ad eius custodiam constituunt. Antequam hæc fierent, Reginæ, & Procerum consensu rediijt in Scotiam Matthæus Stuardus, Leuiniæ Comes, & non diu post Henricus eius filius, adolescens genere & forma præstans, amitæ Reginæ filius: quem multas ob causas, tum potissimum, quòd Catholicæ Religionis vindex esset acerrimus, Maria tantopere dilexit, vt de eo in virum assumendo cogitauerit. Hic iterum nouæ difficultates, noua in Reginam orta sunt odij semina. Disputari cœpit, possetne Regina defuncto marito quem vellet alium ex animi sententia virum sumere. Agitabatur quæstio in vtramque partem. Regina vt omnibus satisfaceret, magnum Procerum numerum Sterlinum conuocat. Proponitur quæstio: quidã nulla addita conditione, quidam ea lege, ne quæ in noua, quam instituerant, Religione fieret mutatio, nuptias approbârunt. Vnus Andreas Stuartus Ochiltrius, suo & absentium, qui conuentui non intererant, sine dubio nomine, palam professus est, se nunquam assensurum, vt Papanæ (sic isti loquuntur) factionis Rex assumeretur. Sed & Regina Angliæ indignè ferebat, quòd negotium hoc secum non communicaretur. Ita nihil Reginæ licuit, nisi quod istis seditiosis placeret. Dauidis tamen Rizij, cuius antea mentionem fecimus, consilio & diligentia factum, vt IV. Cal. Augusti Henricus Stuartus, qui & Darlæus, Mariam Stuartam duxerit, & Edemburgi ijdem Reges præconio publico pronuntiarentur. Quæ res odium antiquum in Dauidem non parum auxit. Hæ namque nuptiæ aduersæ partis Proceres non parũ offenderũt, & Scotia rursum in duas factiones diuisa est: vna Reges, altera rebelles sequebatur. Qui Regibus aduersabantur, habito colloquio, quidam Regem & Reginam trucidandos censebant, alioquin nunquam se firmam pacem habituros:

Disputatur de Reginæ nuptijs.

Consilium de Regibus occidendis.

alij

1566 alij mitiora conſilia probabant. Coguntur vtrinque exercitus: ſed cùm coniurati ſe inferiores Regijs viderent, plurimi eorum in Angliam profugerunt. Conuentum Reges in Martium anni ſequentis indixerunt, vt bona exulum publicarentur, nomina ex albo nobilium eraderentur, ac inſignia lacerarentur. Amici & agnati exulum hunc conuentum anticipandum eſſe rati, Regis adoleſcentis animum, iniectis varijs, iiſque inhoneſtis de Regina & Rege ſuſpicionibus, tentârũt, ac tandem expugnârunt, vt crederet, partim adoleſcentia deceptus, partim zelotypia ſtimulatus, ſe quotidie magis apud Reginam vileſcere, Dauidem apud Reginam omnia poſſe, ei ſecretiſſimum eius cubiculum patere, &c. His rebus inductus adoleſcẽs cũ Iacobo Duglaſſio, Lindeſio, & Ruueno fœdus de Religione ſtabilienda, vti cautũ erat in Reginæ reditu in Scotiã de reuocandis exulibus, quibus patria carere non poſſet, de cæde Dauidis Rizij percuſſit. Mox priuſquam exules damnarentur, fœdus hoc in opus mittitur, & à Dauidis cæde, Reginæque captiuitate (vt diximus) initium ſumptum eſt.

Reginæ captiuitatem quidam ægrè ferebant, tum ob Maieſtatis reuerentiam, tum etiam, quia vicina eſſet partui. Cenſent igitur nonnulli illam, in tantis præſertim difficultatibus, non eſſe durius tractandam, quibus nimis acerbum videbatur, eam non tantùm è Regno eiectam, & è publica, legitimaque ſua adminiſtratione; ſed etiam omnia commoda inſtantis partûs tempore illi negari & eripi. Alij vel hac ipſa de cauſa, quòd grauida eſſet, arctius cuſtodiendam, & ſeuerius habendam dicebant: quòd immineret à filio etiam, ſi quem pariat, aliquando certiſſimum periculum. Interea coniurati, qui exulârant, vndique confluunt: conuentus habent, edicta & ſtatuta ſua de Catholica Religione penitus exterminanda renouant, vetera inſtituta de Religione reſcindunt, Catholicos omnes, Regumque familiares propoſito capitis ſupplicio Regno interdicunt. Hæc omnia à Rege approbari, eiuſque ſubſcriptione confirmari volebant. Tunc tandem ſerò initi cum iſtis hominibus fœderis Regem pœnituit: ſibique & Reginæ timens, monet eam per nuntios, vt ſuæ ſaluti conſulat, coniuratos vitæ illius inſidiari, nec ſuam fortunam fore meliorem, Regis tamen prudentia & diuina diſpoſitione res exitum habuit feliciorem.

Exules reuerſi quid moliantur.

ciorem.

ciorem. Etenim cùm seditiosi illi vehementer instarent Regi, vt antequam Regina ablegaretur, decreta sua omnia subscriptione Regia confirmarentur: respondit ille, se id vt fiat curaturum, sed eam subscriptionem fore infirmam: vt per metum eorum, in quorum erat potestate, factam. vt igitur valeat, petit sibi & Reginæ formam aliquam libertatis concedi, & vt ipsi securiores sint, vtrique satellitium adhiberi: se curaturum, ne Regina elabatur, sponsoremque se offert eius sistendæ quotiescunque petatur. Coniurati quò Regē facilius in suam pertrahant sententiam, conditionem accipiunt. At per summam Reginæ prudentiam factū, vt ambo noctu per posticum egressi, cum Georgio Setonio, qui CC. adduxerat equites primùm in eius arcem, inde Dumbarum profecti sint. Coniurati fuga Regum cognita, auctoribus extrema quæque minantur. At Comites Huntilææ, Boduelij & Atholiæ, primæ auctoritatis & dignitatis inter illas nationes, acceitis vndique copijs ad Reges confluunt, & vires in rebelles conuertunt. qui magnarum rerum spe frustrati, cùm se Regibus impares viderent, quidam in Angliam, nonnulli in montanas Scotorum regiones diffugerunt: alij aliò relegati, plures pecunia multati, non pauci supplicio affecti. Hac rerum perturbatione post Idus Apriles sedata, Comites Argatheliæ & Morauiæ recipiuntur, Reges in arcem Edinburgensem secedunt, vbi Regina decimo nono die Iunij filium peperit, cui postea Iacobo sexto nomen fuit. Quod reliquum erat anni M. D. LXV. vnà cum toto anno M. D. LXVI. pacatius fuit, & maior quàm antea, erat in Scotia tranquillitas, nisi quòd coniurati varia se vindicandi captarent consilia, variæque de Regibus tollendis factæ sunt conspirationes, quæ sequentibus annis suum consecutæ sunt euentum Hæc paulo altius repetito initio erant paucis exponenda, quò magis omnia in aperto sint, quæ futuris annis in Scotia contigerunt. Res enim est magni momenti, & mutatio posteritati admiranda.

1566

Callidum Regis cōsilium.

Regina captiuitate se explicat.

Seditiones Belgicas ad nouas vsque conciones perduxeramus: Parmensis hac nouitate attonita, cùm Proceres moderatione edictorum minimè placari, nec datæ legatis in Hispaniam profectis fidei stare videret, populum etiam ad deteriora audendum quotidie prolabi, relicta omni de mitigandis edictis cogitatione, ad

1566 ne, ad coercendam eam hominum temeritatem se conuerterit: pœnas in illicitos conuentus graues constituit, mortem ministris, receptatoribusque indicit: sexcentos florenos, si quis ministrum comprehendisset, pollicetur; auditoribus, si cum armis deprehenderentur, exilium; si sine armis, pœnam arbitrariam comminatur. De culpa filiorum familias, discipulorum, ministrorum, ita constitutum, vt parentes, patresfamilias, magistri, heri de ea tenerentur. Illius edicti hic fuit fructus: vt quibus locis conciones non haberentur, vti ne susciperentur magistratus cauerint. quibus contra locis haberentur, maiore cum metu & trepidatione frequentarentur. Magnæ erant hoc tempore Parmensis de quibusdam Proceribus querelæ, quorum dolis sese iactari dicebat, à quibus cauere ob imperij, quam tenerent, auctoritatem minus sibi posset. Magna erat de Auraico querimonia, maior de Hoochstratano, eò quòd Religionis Catholicæ perquàm studiosus, Auraico familiarius vtebatur: in eius gratiam multa facere, multa in Senatu dicere liberius, quàm ferre Parmēsis facilè posset. De præsidijs etiam in vrbes adducendis Parmensis deliberabat. Initio Iunij Antuerpienses quoque extra vrbem, loco qui Larius dicitur, non procul à Burgerholtio conciones tam Lutheranas, quàm Caluinianas instituebant. Primò inermes, pòst armati, & curribus tanquam vallo inclusi. Paulò post porrecto libello supplici à Senatu loca suis concionibus in vrbe destinari postulauerunt. Senatus anceps & dubius animi, Parmensi aliquoties supplicauit, vt ipsa cum aula sua in vrbem Antuerpiam transmigraret. At illa, nisi prius recepto in vrbem præsidio id se facturam constanter negauit. Misit tamen eò Megemum: qui id Senatui populoque persuaderet. Non successit negotium. Aduolat mox eodem Bredenrodius, sed vterque populo suspectus exire iubetur. Missus deinde Antuerpiam Parmensis auctoritate Auraicus, tum quòd nouis istis hominibus esset gratior, tum etiam, quia vt Burgrauio populus Senatusque illi, & ille vicissim Senatui & populo obstrictus esset. Caput legationis erat, vt populum in officio contineret, à tumultu & concionibus contineret; qui etsi omnem diligentiam adhibere videretur, impedire tamen non potuit, quin nouarum Religionum cœtus in vrbem irruperint.

Interea Rex Auraicum, cæterosque literis perhumaniter

Parmēsis in nouas conciones cōstitutæ pœnæ.

Querelæ Parmēsis de quibusdam Proceribus.

Antuerpiensium Caluinist. & Lutheran. conciones.

Auraicus mittitur Antuerpiam. 13. Iunij.

Regis li-

manìter laudatos, de veteri officio retinendo commonefacit Prouincijs, vrbibusque iampridem venturum se in Belgium ostendit, si non etiam vlturum clades Masalquibirii, Pignonij & Maltæ, irrupturum in aliquam orbis Christiani partem Turcam metuisset. Cõscribere nunc Solymannum terrestres copias; quare hac cura deposita, de itinere Belgico iam cogitaret. Officij itaque in se veterem, quam consuessent, rationem Belgæ tenerent, seditiosis hominibus non assentirentur, coram se de subditorum postulatis æquissima ratione cogniturum. Parmensis quoque confœderatis nobilibus scripsit, quarum literarum ea primaria erant capita. Primò multorum esse sententiam fœderatæ nobilitatis auspicijs populum ita tumultuari: eam tamen opinionem apud se fidem non inuenire. Deinde laudat nobilium in Regem & se præclara officia, & fidem nuper datam, qua se Regi & sibi sacrosanctè deuinxissent, commemorat. Denique orat, vt hanc præclaram suam opinionem factis comprobent, illicitos conuentus, periculosa nouarum Religionum consilia ope, consilioque disturbent.

1566 — *teræ ad Proceres & vrbiũ Magistratus.*

Literæ Parmẽsis ad Nobiles.

Fœderati nobiles quòd Hispanicis legationibus non responderetur, deliberare in commune cupiebant. Oportunam igitur occasionem ad hoc Parmensis istæ literæ præbuerunt. Ad Idus itaque Iulij nobilitas confœderata in Santrudone, ditionis Leodiensis vrbe, cõuenit. Non placebat ea coitio Parmensi: ostendit habere à se mandata Auraicum & Egmondanum, vt Dufflam proficiscantur, expositurì ea sua mandata, quæ probaturam societatem crederet: eò igitur certos suos quos vellent homines mitterent. Perpauca igitur eo conuentu Santrudano acta sunt: legatos tamen, qui Dufflam proficiscerentur XIII. nominârunt: Ludoicum Nassouium, Eustachium de Fiennes Dominum Esquerdij, Carolum Reuelium Dominum Audrignei, Bernardum Merodium Dominum Rumei, Carolum van der Noot Dominum Risoirij, Georgium Montignæum Dominum Noyellij, Martinum Serclasium Dominum Tillij, Philippum Marbaisium Dominum Louueruallij, Ioannem Montignæum Dominum Vilerij, Carolum Lieuinium Dominum Famarsij, Franciscum Haestium, Ioannem Sauuagium Dominum Escaubecquij: quorum consilio & ope in omnibus ferè legationibus vtebantur. Contentiones nihilominus grauis-

15. Iulij. Conuẽtus Santrudonensis.

Conuẽtus Dufflæ.

1566 grauissimæ eo conuentu ortæ sunt. Multi enim nobiles Catholici, veteris obseruantiæ perquàm studiosi, vel imperitia, vel amicitia, vel qua alia de causa in societatem consenserant, fœderique subscripserant. Cùm itaq; eo conuentu Santrudano libellus esset propositus, quo mercatores & plebs nouarum Religionum patrocinium ea ratione à fœderatis postularent, quòd eorum auctoritate rem eam sese aggressos profiterentur: cùm quidam eius societatis de milite conscribendo, pecunijs conferendis, societatibus suscipiẽdis commemorarent, multis verborum contumelijs ita res ea à nonnullis Catholicis est reiecta, vt societate deserta, Bruxellas ad Parmensem proficiscerentur, parituros que se quo vellet officio Parmensi pollicerentur. Veniunt itaque Dufflam Auraicus, Egmondanus & fœderatorum legati. Ostendit Egmondanus & Auraicus Parmensem nobilium postulatis satisfecisse, Legatos in Hispaniam misisse, seueriora edicta mandatis lenissimis mitigasse, hoc ipso manè tabellarium ad Regem ablegasse; Rogasse, ad illicitos conuentus tollendos indici vniuersarum prouinciarum comitia Rex pateretur. Eas esse Regis virtutes & clemẽtiam, vt id à se impetrari sit passurus, & omnes retro offensas æterna memoria deleturus: Parmensem quoad Rex rescribat, neque militem, nisi ad vrbium limitanearum præsidia conscripturam, neque conciones, si ab armis atque vi abstineatur, turbaturam. Periculosos esse hos populares tumultus, tum quòd semel officij obliti homines modum tenere difficulter possint, tum quòd peregrini, atque ij veteres Belgij hostes duces, auctoresque eorum grauissimorum motuum existerent. Præclaram igitur & se rem dignam facturos fœderatos, si sedulam in cõtinendis hominibus operam collocarent. Facere id fœderatos eo maiore studio debere, quòd auctores earum concionum vulgò dicerentur. Id quoque officij & fidei rationem ab ipsis postulare. Respondent Geusiorum delegati: Immensas se Parmensi pro officiis & beneficijs agere gratias. Quòd diceretur Parmẽsem nobilitatis quoad veterum edictorum moderationem postulatis satisfecisse; aliter factum Tornaci, Insulis, Montibus, Liræ, Athis, Bruxellis, Gandaui ostendi posse, vbi iudices veteri iudiciorum forma ius dixissent. Quòd de coercendis hominum conuentibus, concionibusque proponeretur, eam se in hoc negotio

Fœderatorũ Geusiorum responsum.

diligen-

diligentiam adhibuisse, vt maior ab ipsis requiri non 1566
possit: impetrare autem, vt à concionibus plebs discedat, non potuisse, quòd se deludi populus diceret: responsum ad libelli æquissima postulata intra bimestre nullum adferri. Ordinum comitia præter morem maiorum habita fuisse: ante Artesijs, quàm Flandris nuper rem propositam, certas prouincias citatas in comitia venisse, quibus veniendi ius non erat; alias, quas venire oportebat, non citatas abfuisse, vrbium delegatis legitimum deliberandi diem negatum fuisse. Multas omnibus è locis exaudiri clericorum & iudicum graues minas. Iure igitur se innocentiæ suæ tuendæ consilia cogitare. Libellum à se exhibitum causam horum motuum non extitisse, sed zelum & conscientiam populi, quæ diutius contineri non poterant. Quòd si peregrini, vt Galli, &c. hostile quid in Belgium moliantur, se primos conscensis equis impetum in illos facturos. Quòd verò in Regis subditos arma sumerent, rationem cur id facerent, nullam videre. Quòd fauere cōcionibus dicerentur: fateri se quosdam inter eos huius esse Religionis, sed ita, vt nec concionum auctores essent, neque de fide, quam Regi deberent, vlla ratione decederent. De Regis clementia se non dubitare: scire meliorem & clementiorem eo Principem non reperiri: optare vt cùm eo coram de his rebus agere liceret. Quòd verò præteritarum rerum obliuio promittatur, mirari se, cùm nihil venia vel obliuione dignum à se commissum esset, sed contra magno beneficio Regem affecissent. Quæ cùm prolixè in hunc modum respondissent Geusiorum proceres, tandem cautionem sibi dari à Parmensi petierunt. Multos enim summæ nobilitatis atque Ordinis fœderatos, vti reos Maiestatis abominari, ab eorum societate multos abducere, pericula, venturique Regis iram ostendere, veniam desertoribus polliceri, non posse non metuere fœderatos istorum de se iudicia. Tot venire ex Hispanijs tabellarios, nullum Regis adferri responsum: imperari tabellarijs, ne quas discedentes, nisi à Rege perferendas in Belgium literas accipiant: transitum per Gallias sibi & Hispanicis copijs Regem postulasse, auxilia à Regina matre flagitasse: Ducem Sabaudum, ad imperij comitia in Germaniam profectum, perniciosa Belgis consilia suscepisse: in belli sumptus millia florenorum quingenta clerum promittere, cauere sibi nec Parmensem,

Geusij cautionē sibi dari postulant.

1566 nec quem alium de Regis in se studio voluisse. Graues igitur causas societati extitisse, vti nō in Gallijs (quod diceretur) sed in Germania de auxilijs contrahendis consilia suscepissent. Multos sibi cum Auraico, Egmōdano & Hornano iam inde à libello exhibito sermones de tota consiliorum suorum ratione sæpe extitisse, eorum etiam consilijs in posterum egere. Rogare igitur se Parmensem his tribus imperet, omnem in se belli, pacisque curam suscipiant. In Santrudano conuentu ingentem populi multitudinem fœderatis ostendisse, ea lege futuram se in Ordinum generalium potestate, legibusque parituram, quas ferre de Religione Ordinum comitijs Regem contingeret: si, quoad comitia haberentur, patrocinari sibi palam nobilitatem Parmensis pateretur. Ab armis ita quoque libenter se discessuram, si, in quas vrbes flagitaretur, rebus curandis è confœderatione delecti homines mitterentur. Quæ sua, vt dicebant, æqua postulata si Parmensis recusaret, facturos sese necessariò, vti aliunde quæsito subsidio rebus dubijs opitularentur. Cautionem denique, quam nobiles sibi fieri postulabant, per totos tres menses, post Regis declaratam sententiam, ratam fore flagitabant; vt si Rex ipsorum postulata reijceret, interea de alijs remedijs sibi conuenientibus cogitare possent. Istis itaque altercationibus eò res erat perducta, vt si idoneè fœderatis de periculo caueretur, perniciosa consilia non suscepturos se promitterent, & omnem operam ad homines in officio retinendos præstituros se reciperent. Verùm quòd ea, quæ postulabatur cautio, maiorem quam haberet Parmensis imperij auctoritatem flagitaret, re deliberata tota istius cautionis constituendæ ratio in XIII. Calendas Septembris est dilata.

Minæ.

Hoc modo Nobilibus cum Parmensi conuenit, & iam aliqua in Republica expectabatur tranquillitas. At spiritus ille vertiginis quiescere non potuit, sed semel infernali lacu emissus, sacra profanis, cælum terræ miscere aggreditur. Inualuêre namque quotidie seditiones, tot retro annorum exules domum reuertuntur, suas singuli calamitates iactant, iudicibus, accusatoribus, clericis extrema quæque minantur: insaniunt è suggestu nouarum Religionum ministri: in Reges idololatras, in clerum Antichristianum, in magistratum impium quo quis turpius debaccha-

Geusiorū seu Caluinianorum Religiosorum furor & insolentia.

1566

bacchatur, hoc Eleazari, Iosue, Machabæorum, &c. exemplo præclarius dicere credebatur. Vt furiæ, sic in publicum emissi rumores: modò insidiæ, inquit Verharius, à magistratibus, modò cædes à Papistis, modò plena armorum monasteria atque ædes clericorum, modò coniurati in necem fidelium sacerdotes, modò conscriptus in suam perniciem nouus miles denuntiatur. Non conuiuijs, non itinere, non nauigio, non curribus quies: vbique concionatores, vbique Psalmi, vbique *Viuant Geusij*: nulla modestia, nulla verecundia, nulla pietate aut veritate res agebatur. Erynnis, Tesiphone, Alecto, Megera, & quicquid Deorum Dearumque infernalium erat, obscuro illo antro solutæ, vt muscæ circumuolitabant. Discurrere per agros ingens armatorum multitudo; doctorculum sibi quisque pro arbitrio, sutor ille an sartor, profiteri; concionantem vel è suggesto aggere, vel e sede sublimem auscultare, consilia in commune conferre, scribere nunc his, nunc illis vrbibus, contumelia fideles non afficerent, Euangelium sequi homines paterentur. Quid tandem? Iconomachiæ, sacrilegia, sacrorum omnium profanationes: de quibus paulo post dicemus. Vocat enim nos temporis ratio, vt de Turcicis dicere pergamus.

Dum Sultanus Solymannus in itinere est, vt maiorem ipsemet adduceret exercitum, Bassæ Budensi mandat, vt amplissimis, quas posset, coactis copijs bello principium daret. Temesuariensis quoque Bassa de voluntate Solymanni paulatim ad occupandam Giulam aditum sibi patefaciebat, expugnato Pancota castello. Nec sibi, suisque rebus deerat Erdelianus, Zadane, Genoque locis Giulæ vicinis per suos, octo Turcorum millibus adauctos, occupatis. Initio mensis Iunij Budensis Bassa Palotam obsidione cinxit. Eam cum suis strenuè propugnabat Georgius Thuris, quem Thurigeorgium vocant, vir magnanimus, & multis rebus præclarè gestis celebris. Toto iam octiduo Bassa muros tormentorum ictibus ita labefactârat, ad terram vt prostrati collaberentur, & propugnatores in extremo discrimine versarentur. Sed & ipse Georgius, dum reparandis ruinis occupatur, saxi fragmento, maioris tormenti globo è mœnibus deiecto, grauissimè vulneratur: at breui conualuit, mu-

Erdelianus idem qui & Ioannes, Transyluaniæ Princeps.

Bassa Budēsis frustra Palotam oppugnat.

1566 nitionemque fortiter aduersus hostem defendit. Cæterùm cùm hostis muros tam latè aperuisset, cumque sibi aditum fecisset, vt obsessi iam in eius esse potestate viderentur, ecce necopinatum illis subsidium diuinitùs offertur. Venerat Iaurinum (vulgo Raab) Georgius Comes Helfesteinius, adductis secum signis XII. magnæ virtutis peditum. Is die XIIII. Iunij plaustra XC. pabulatum emisit, cum peditum D CCCC. præsidio: quos conspicati Turcæ, qui Palotam obsidebant, maioresque copias adesse rati, quã reipsa forent, missos suspicabantur vt obsidionem Palotanam soluerent. Confestim Bassa trepidus in fugam se cum suis coniecit, præque nimia festinatione tentoria, machinas bellicas, magnum vasorum numerum, quibus vel farina, vel puluis sulfureus claudebatur, cum alijs castrorum impedimentis hosti reliquerunt. Quæ prȩda mox obsessorum commodo cessit. Soluta præter spem hoc modo obsidione, missi sunt munitionum magistri & fabricenses, qui omnibus locis exploratis iudicarent, an præstaret munitionem reparare, an funditùs euertere. Sed visum omnibus est, locum minimè deserendum, quòd in eo multum momenti ad bellum gerendum esset, & facile posset restaurari. Præsidium igitur arcis auctum, & instaurati muri ab hoste diruti.

Subsidia inopinata.

Liberata obsidione Palota, mox itum ad expugnandum Vesperinum: quòd captis Turcarum exploratoribus intellectum esset, Begum huius loci, vt Christianis aliquam cladem afferret, egressum meliore præsidij parte Vesperinum nudasse. Quapropter Egon Salmensis Comes suas cum Helfesteinio & Nicolao Hatestadio coniungens copias, penultimo Iunij die Vesperinum obsedit. Postridie mira celeritate est expugnatum. Quinque duntaxat exceptis, cæteri ad vnum trucidati sunt Barbari, quòd non ita pridem captiuos magno numero Christianos immaniter trucidâssent. Inde Salmensis Rispiam vrbem amplam, circiter millia decem passuum distantem à Palota mouet. Præsidiarij Turcæ conspicati hostilem exercitum, duo maxima tormenta in illos displodunt, quo terræmotu pars magna muri in fossas prolabitur. Salmensis ratus, quòd res erat, fortunam sibi viam aperire, oppugnationem insti-

Vesperinum obsidetur, & expugnatur.

Rispia expugnatur.

instituit. Sed quia nox imminebat, consilio illo mutato, postridie manè scalis admotis per ruinas vrbem occupant, diripiunt, præsidiarios occidunt, & Turigeorgio custodiendam committunt. Gesterum quoque castellum ab incolis Turcis, metu aduentantis Comitis Salmensis desertum est: quos imitati Vethaimenses, Ischochiani, & aliorum castellorum incolæ, flamma munitionibus suis iniecta, Strigonium se receperunt. Quod obsessurus victoriæ prosequendæ causa mox erat Salmensis, nisi quibusdam de causis aliud Imperatori Maximiliano visum fuisset. Hanc tam felicem victoriæ gloriam clades præsidij Leuenti, quod oppidum est in ea parte Vngariæ, quæ ad montes vergit, nonnihil obscurauit. Præsidiarij enim huius oppidi prædatum egressi, in Bassam Budensem inciderunt, à cuius copijs partim cæsi, partim in seruitutem rapti sunt. 1566

Alia castella dedita.

Dum Solymannus iter facit in Vngariam, filius Regis Persarum, ratus nunc tempus esse maximè opportunum, repetendi ea à Turcis, quæ maioribus ademerant, clam collectis duodecim Georgianorum & exulum millibus, Babyloni vrbi antiquissimæ insidias machinatus est. Copias enim quasdam in vallibus vrbi propinquis occultat, ipse mercatoris habitu paucis comitantibus, nihil tale suspicantibus ciuibus, vrbem ingreditur. Subintrant sensim & alij ad mille circiter quingentos, quibus imperauit statuto tempore & loco media nocte conuenire. Statuerat enim vrbis præfectum trucidare, vrbem occupare, & resistentes occidere. Eodem tempore vt adessent, qui in latebris erant, imperauit. Sed quidam exul spe impunitatis præteritorum scelerum, & magnorum munerum consilium hoc omne detexit. Quare Babylonius confestim ad Esdrunæ præfectum vicinum scribit, auxiliaque flagitat. Erumpunt Persæ, tota vrbe ad arma conclamatur. Adest præter omnem opinionem Esdrunensis: fit atrox pugna, ita vt diu anceps fuerit victoria. Tandem Persæ inferiores, amissis nouem millibus, oppidanis victoriam reliquerunt. Persa cum tribus equitum millibus sese vix in tutum recepit. Quę cùm ad Solymannum, qui tunc Philip-

Persa Babyloni insidiatur.

1566 popoli erat, perlata essent, grauissimè indignatus est, omnesque equites Asiaticos & Pamphylios ad ea loca tutanda redire præcepit. Dum hæc geruntur Babylone, Suendius in superiori Vngaria Filecum deditione occupat. Solymannus statim vt Belgradum venit, iussit Hamsamo Drauum ponte sterni tumultuario, quod nisi fecerit, mortem intermatur, mittens ei laqueum, quem in suum aduentum custodiret. Hamsamus territus imperata, licet maximo labore, sumptu & difficultate perfecit. Priores copiæ, quæ in Pannoniam venerant, lintribus Drauum transportatæ Budam contendebant: inde ad Sicloufcum oppidum venerunt. Nicolaus Serinius Nicolaum Cobacum & Casparem Alapianum in eos palantes misit, paruisque copijs fudit, fugauitque, & Soclinum arcem suæ potestatis fecit.

Solymannus Belgradum venit.

Augusto mense Suendius, qui certo consilio in superiore Vngaria, & agro Cepusiensi, dum Maximilianus insigni & copiosissimo cum exercitu, ex omnibus Europæ nationibus collecto, castris ad Iaurinum positis, omnes Solymanni motus & progressus obseruaret, subsistere suo cum milite iussus fuerat, cum excitis à Sultano rogatu Erdeliani Tartaris non parum, quod ageret, habuit. Quippe cùm per Vngariæ superioris agros, cis & vltra Tibiscum, latè discurrerent, prædas abigerent, omnia flammis & ferro vastarent, cuiusuis ætatis & sexus homines partim trucidarent, partim in seruitutem raperent, Suendius in eos multitudine superiores ad hoc vsque tempus, quo præcocium fructuum & vuarum ingluuie semetipsos perderent, dilato prælio, tandem ex morbis languidos, & numero non parum deminutos adgressus, nullo prope negotio decem barbarorum millia superauit, cecidit, finibus eiecit, Begorum Turcicorum, quorum ducibus vsi erant, altero interempto, altero lethaliter sauciato. Deinde Georgij Bebeci perduellis, qui cum Erdeliano & Turcis se coniunxerat, arces aliquot Zabaticam, Pelsozium, Gombazzecum, Crasnahurcam, Gadigen, aliaque his vicina tum castella, tum munitiones expugnauit. Sultanus conuocato consilio bellico, vnde bellum auspicandum censerent, propo-

Tartarorum incursiones.

Suendius 10000. Tartarorũ cedit, et Bebeci aliquot arces expugnat.

propoſuit. Suffragantium maior numerus Giulam & Zigethum expugnanda cenſuit. Giula quidem, quia illa munitio plurimum conferret ad cæteras vrbes Vngaricas expugnandas. Zigethum verò, tum quia turpe erat validiſſimam illam munitionem in ipſis viſceribus imperij Othomannici ab hoſtibus occupatam ferre, tum etiam quia præſidiarij lembis coreaceis flumina tranſuecti, longè, lateque excurrerent, agricolas captiuos facerent, mercatores ſpoliarent, nundinas impedirent. Vnde quotidianæ ad Portam querelæ adferebantur. Placuit conſilium Sultano, & primò Giula ſecundo Iulij menſis à Partauuo Vezire Baſſa, iunctis & Baſſæ Temeſuarienſis, & Erdeliani, Tartarorumque copijs cœpit obſideri. Erant in caſtris triginta & ſex armatorum millia. Paucis poſt diebus ſcelerata Ladiſlai Kerezinij præfecti, Georgij Bebeci perduellis & affinis ſui colloquio corrupti, proditione (licet futurum nuntiaſſet Suendius, vt hoſtis intra biduum obſidionem ſolueret) Turcis dedita fuit: etſi Natalis Comes, hanc hiſtoriam ſcribens, non proditionem, ſed neceſſitatem agnoſcat, laudans tam Ladiſlai, quàm cæterorum militum in defenſione fortitudinem. Giulam Turcæ præter Erdeliani ſpem ſibi retinuerunt, hiantemque eorum (vt in fabulis eſt) deluſerunt. Violata fide dedititij crudeliter interempti; paucis beneficio noctis & arundinetorum elapſis. Nefarius proditor non multo poſt in vinculis apud Sultanum Selymum, ob exercitam prius in captiuos Muſelmannos ſæuitiam, accuſatus, de ſententia Selymi actoribus, vt eum pro arbitrio tractarent, traditus fuit. Illi hominem vaſi clauis perforato ſic incluſerunt, vt dolio de monte per decliuia præcipitato, clauis oblongis & acutis confixus exſpiraret.

1566

Cur Giula & Zigethum expugnanda cenſent.

Iulij 2. Giula obſidetur.

Giula Turcis proditur.

Proditor paulo poſt ab ipſis Turcis quomodo tractatus.

Interea dum hæc diuerſis per Vngariam locis gererentur, Sultanus ipſe Solymannus, tranſito prius Sauo, deinde Drauo, cum exercitu ducentorum millium ad expugnandas, ſubiugandaſque Vngariæ reliquias venit. Ei Budam proficiſcenti occurrit Ioannes Rex Tranſyluaniæ, cum multis ciſijs, quingentis armatis equitibus, & trecentis peditibus, eximia dona, & multa pretioſarum gemmarum mu-

1566 nera Tyranno offerens, frustra regnum ambiens, quod auaritie barbara Solymannus ipse iam spe, licet irrita, deuorârat, & libidini propriæ destinârat. Sultanus nihilominus Ioannem sereno vultu excepit, sed paulo post Cibinum vrbem, iam Harmenstadium vocant, petit: vbi Bassam cum quadraginta millibus peditum esset collocaturus, cui pro Cibino Temesuariam pollicetur. Illud cùm negare esset periculosum, in potestate Tyranni præsertim existenti, concedere difficile ac miserum, hostem nimirum intra tecta admittere, nullo tamen mœroris dato indicio petitioni necessario assentitur.

Solymannus sibi, nō Transyluano Vngariā destinat.

Die mensis Augusti sexto Zigethum obsidere Sultanus cœpit. Est autem Zigethum in finibus Vngariæ, seu (vt alij volunt) Illyrij vrbs, in quodam lacu sita, inter amplissimas paludes mediocris profunditatis: ad quam nisi per duos pontes versatiles patet accessus. Vbi est aditus, duo sunt propugnacula munitissima è gleba, lignisque catenatis, & vario nexu contextis. Habet & duo suburbia, seu vicos validissimos, atque arcem formæ quadratæ. Inter vtrumque vicum fossæ sunt profundissimæ, aquarum fluitantium plenæ. Præerat his omnibus Nicolaus, Comes Serinius, Vngarus, raræ fortitudinis & experientiæ bellicæ, cum mille ducentis peditibus. Qui cùm hostem obsidionem moliri videret, insigni oratione præsidiarios ad fortitudinem & fidelitatem patriæ, vxoribus, liberis, Cæsari, & inprimis Deo debitam exhortatus est: vtque maiori religionis vinculo inter se constringerentur, ipse prior solenni iureiurando per sanctam Trinitatem, vnum Deum, &c. iurauit, se nunquam salutem aut defensionem cuiusquam pro viribus deserturum, atque eandem fortunam cum omnibus subiturum. Simile iuramentum eleuatis digitis omnes præsidiarij præstiterunt, seipsos Deo & Cæsari deuouentes. Post multas alias salutares admonitiones, ad alia se conuertit. Habebat in vinculis captiuos Turcas trecentos, quos produci, & securi ferire præcepit: vtque nulli spes in Turcarum esset clementia, capita in mœnibus spectanda exponi iussit. Interea intus & foris pro viribus se muniunt. Solymannus maximo terrore muros conuelli,

6. Augusti Zigethū obsidetur.

Descriptio Zigethi.

Nicolai Comitis Serinij laus & fidelitas.

Iuramentum.

uelli, & munitionem oppugnari iussit: sed ea fuit propugnantium dexteritas, vt Turcæ semper maxima clade repulsi fuerint. Solymannus, cùm videret viribus se parum proficere, maximis & honorificentissimis promissionibus animum Serinij ad faciendam deditionem sollicitauit. Sed frustra: cùm ille constanter assereret, se munitionem suæ fidei commissam ad extremum vsque spiritum defensurum, nec vnquã hosti proditurum. Neminem enim facere posse legitimam deditionem rei alienæ. Petendam esse huiusmodi deditionem ab ipso Cæsare, non ab eo, qui nullum ius habeat, sine proditionis turpitudine & infamia. Cùm illud quoque consilium Sultano non succederet, iterum ad arma, oppugnationes, irruptiones, omniaque stratagematũ genera reuersus est. Quæ cùm ab alijs copiosius descripta sint, nos actum agere noluimus. Ignis tandem vi tormentorum in ædificia immissus, veterem arcem, in qua omnis penè annona, omnia tormenta erant, & apparatus bellicus, absumpsit: ita vt à Turcis occuparetur. Serinius in arcem nouam commeatu minimè instructam & inualidam sese recepit. Sed cùm non ignorarent Turcæ, Christianos in ea arce diu continere se non posse, à prælijs aliquamdiu se abstinuerunt: deinde reparatis viribus arcem denuò grauissimo impetu oppugnàrũt. Sexto deinde Septembris tanto furore obsessos aggressi sunt, vt miserandum spectaculum fuerit, videre tot fortissimos milites in repellendis hostibus vulnerari & occidi. Eo tamen die munitionem expugnare non potuerunt: sed irrito conatu receptui cantatum est. Postridie auctis viribus & animis, cum multo maiori impetu Zigethum hostes inuadunt. Pugnatum est tanta contentione, vt nostri de defensione, hostes de victoria desperarent. Cæterùm cùm Serinius hostium se viribus imparem, & locum diutius defendi non posse videret, breui, sed neruosa oratione socios exhortatus est, ne se immani Barbaro dederent, aut viui in eius potestatem inciderent, sed potius secum fortiter pugnando occumberent. In quam sententiam cùm itum esset, vexillum dat Laurentio Iuranischio, tormenta omnia ad portam iubet promoueri, deinde aperta porta in accurrentes, expectantesque Turcas omnia vno fulmine impelli. Quibus displosis per recentem fumũ & cædes statim Serinius cum ense stricto, tectus scuto

1566 | *Deditio petitur.* | *Forte responsum Serinij.* | *7. Septẽb.*

1566 erumpit, quem milites omnes, qui erant circiter ducenti, alacriter fortiterque pugnando sequebantur. Cœptum est certamen in ipso arcis ponte: cumque ita pugnando longius processum esset, Serinius glande ad caput adacta vulneratus cecidit. Milites tam strenui ducis morte territi, etsi animum non remitterēt, à multitudine tamen Turcarū circumfusa fessi tādem sub ipsum penè castrorum aggerem trucidantur. Serinij caput abscissum, affixa inscriptione clam per noctem intra Cæsareanos aggeres est deportatum. Hoc modo Zigethum munitissimum contra Turcarum excursiones propugnaculum die VII. mensis Septembris cum magno Christianorum luctu in potestatem Barbarorum venit. Sed non fuit hæc illis victoria incruenta. Quippe non triginta tantùm millia suorum hostes in hac obsidione desiderârunt, verùm etiam triduo ante supremam nostrorum cladem Sultanus Solymannus, necdum victoria de Zigethanis potitus, fremens & frendens infelicem exhalauit animam, anno Mahumetano DCCCCLXXIII. die IV. mensis Septembris, ætatis suæ LXXVI. cùm imperio præfuisset annis XLVI. & VI. mensibus. Eius obitus astu vaferrimi Veziris Bassæ Mahumetis tantisper occultatus fuit (noctu etiam Sultani archiatro clam necato, ne per eum mors Sultani emanaret) dum socer eius Selymus, Solymanni filius, occupato citra tumultū imperio, ad exercitum in castra venisset. Huius rei duplex erat causa: primò, quia si tam Genizari, quàm reliqui milites de morte Sultani sui maturius certiores facti fuissent, Zigethanam obsidionem mox deseruissent, & nullius imperio contineri potuissent. Non ignorans hoc Mahumetes prodijt in publicum, vbertim, sed fictè illachrymans, summo se dolore cruciari simulans, significauit rem magni ponderis cor suum lancinare. Solymannum enim sententiam tulisse, nisi Zigethum biduo aut triduo expugnetur, sibi & maiori exercitûs parte moriendum esse. Qua denuntiatione territi obsidentes, non destiterūt, priusquam munitionem expugnassent. Secundò mos est Sultanis Othomanidarum nulli suos thesauros credere, quòd arbitrentur haud facilè virum bonum inueniri posse, cuius fidei tantum auri commēdetur: ideoque ad bellum proficiscentes omnem thesaurum suum secum adferunt. Habebat itaque Solymannus in castris incredi-

Mors Serinij.

Zigethū occupatur 7. Septēb.

Mors Solymanni. Christi 1566.

Mos & diffidētia Sultanorum Osmanidarum.

credibilem auri & argenti copiam, quam tot annis ex 1566
amplissimo Imperio comparauerat, quæ, vt nonnulli
volunt, ad quadringenta millia librarum auri accedebat. Hunc omnem thesaurum Genizari, aliiq; milites mortis Sultani conscij facti, excitato in castris tumultu diripuissent, quibus spolijs ditati, nullo pacto in officio contineri potuissent. Quæ sanè rerum apud hostes confusio, militarisque licentia Maximiliano Cæsari peroportunam occasionem rei feliciter agendæ præbuisset.

Selymus (vt diximus) à Mahumete vocatus, cùm ad Magnesiā patris mortem intellexisset, ex Asia summa celeritate Iscodaram, è regione Constantinopolis sitā xxiij. Septemb. peruenit. Ibi mox à Bostange Bassa, hortulanorum præfecto, pro more triremi exceptus, & Constantinopolim trans Bosphorum vectus est. Quia verò Selymus generum suum Ischenderem Bassam, quem Prosultanū Constantinopoli discedens reliquerat Solymannus, de aduentu suo certiorem reddiderat, cum mandatis, vt omnia ad pompam regiam pertinētia ad eius in vrbē ingressum præpararet, mox illo ipso die deductus in Saraiū (alij Serragliū vocant) solio cōsedit Imperatorio illius cubiculi, quod solis est Sultanis Othomanidarū gēte prognatis occupare permissum. Inde per vrbē proclamationes more maiorū factę, quibus vota primùm cōcipiebātur, vt anima Solymāni in paradiso felix æuum ageret, ac in perpetua gloria quiesceret: deinde vt multos annos viueret Sultanus Selymus Chan, prosperiq; status incremento cōtinuo frueretur. Postridie è Seraio prodijt, seq; per vrbē populo spectandū exhibuit. Peregit & paternas exequias, ac magno animalium numero cæso, cibisq; coctis innumeris epulū funebre quibusuis, cum ingentis summæ asprorū erogatione præbuit. Inde solenni pompa, maximoq; suorū adplausu in Saraiū redijt. Antequā hæc fierēt, per Ischenderem Bassam Prosultanū euocari ex omnibus locis Genizaros, paternæ mortis adhuc ignaros, in oppidū non procul à Cōstantinopoli situ, sub prætextu mittendi ad obsidionē Zigethanā militaris supplementi, iusserat. Ad eos Ischender Bassa, Selymo iā in paternū soliū collocato, profectus, obitū Solymāni, & successionē Selymi exponit. Inde pro direptionibus vsu receptis in obitu Sultani centū millia Sultaninorū eis offert. Non ingrata fuit Genizaris oratio Bassæ, ea

Selymus Constātinopolim venit xxiij. Septemb.

Selymus Imperator proclamatur.

1566 tamē lege assentiētibus, vt largiores annonæ militares darentur. Selymus itaque Genizaris inauctoratis xxvj. Septembris Constantinopoli discedit, & magnis itineribus in Vngariam contendit.

Selymus in Vngariam venit.

Occupato Zigetho Babozam oppugnaturi Turcæ, quosdam è suis mittunt, qui arcem dedi iuberent. Id licet facturos se nostri negarent, quòd tamen eam defendi non posse contra vim tantam scirent, incensam deserunt. Quorum exemplum Sachani & Zorgenses sunt imitati. Habebat Imperator Maximilianus (vt diximus) exercitum numerosum & exquisitum, toto orbe Christiano collectum. Nam præter sexaginta peditum, & viginti equitum millia in comitijs decreta, præter Pontificis & Regis Hispani auxilia, Adrianus Balleonus, Alphonsus Castalius Comes Camerinus, ab Allobrogum Duce missus, aliquot cohortes adduxerunt. Guisius cum quadringentis equitibus sclopetarijs Gallis accessit. Sequani trecenti equites, totidem Britāni proprijs sumptibus ad spem gloriæ cōuenerūt. Albertus Laschus, vir inter Polonos magnę auctoritatis, qui multas arces in Vngaria possidebat, ad Cæsaris castra profectus est: quem tria millia Polonorū equitum sequebantur, ne Rex Poloniæ fœdus cum Turca violare videretur. Misit & Cosmus Magnus Hetruriæ Dux tria lectissimorum peditum millia, quibus liberalia per totum belli tempus promissa sunt stipendia. Ferrariensis Dux ipse, relicta principatûs administratione Hyppolito Cardinali, patruo suo, castra Cæsareana duobus peditum, equitumque millibus auxit, quos omnes optimè instructos regali prorsus pompa ad Cæsarem duxit. Post Cæsarem summus belli imperator dictus est Ferdinandus, Comes Tirolis, Cæsaris frater. Cum his tantis copijs toto hoc tempore Cæsar ad Iaurinum quasi otiosus sedebat. Causæ assignantur, quia cum hoste manum conserere erat periculosum: præsertim in ijs finibus, vbi Solymannus parum poterat amittere: paucas enim ijs in partibus habebat munitiones, & iter fugæ longum patebat. Cæsar omnia ferè amissurus erat, si victoria ad Turcas inclinasset. Præterea exercitus hostilis nostro duplo maior erat. Huc accedebat, quòd Cæsaris milites parum inter se consentientes erant; minus etiam disciplinæ militaris obseruantes. Vngarorū & Italorum præsentiam ægrè ferebant Germani, adeò vt semel atque iterum

Baboza à nostris deseritur.

Copiæ Maximiliani.

Cæsar cur toto hoc tempore otiosus sederit ad Rabam.

1566

rum inter has nationes ad arma ventum fuerit, resque ad manifestam seditionem spectaret, nisi prudentia Cæsaris & Ducis Ferrariensis interuenisset. Carolus tamen Archidux, Cæsaris fratrum minor, Princeps non solùm magnanimitate & probitate clarus, verùm etiam fortitudine & peritia rei bellicæ insignis, collectis circiter triginta armatorum millibus, Mysiam superiorem multis Turcarum cæsis millibus egregiè defendit: quemadmodum & Ferdinãdus frater cum Suẽdio superiorem Vngariam: ita vt Barbari in hosticũ nisi magno cum vitæ periculo possent excurrere.

Caroli Archiducis fortitudo.

Cimmerij quoque populi non parum has lætas Turcarum victorias perturbârunt. Sunt autem Cimmerij Illyriæ populi, non procul à Mœotide palude, & Bosphoro Thraciæ, à Cimmerio perantiquo oppido, quod Cimbricum pagum appellat Strabo, sic dicti. Qui cùm annuum tributum ad Portam Othomannicam non ferrent, à Piali Bassa hoc tempore bello sunt lacessiti. At illi Gubernatori suæ prouinciæ belli delato imperio, cum decem armatorum millibus octo millibus Turcarum occurrunt, eos fundunt, fugantq́;, & in naues reijciunt. Turcis abnauigantibus Cimmerij incolas omnes, qui ferè agrestes sunt & montani, proposito capitis supplicio his, qui non paruerint, ad cõmunem patriæ libertatem euocârunt. Viuizzam Turcicum oppidum obsident, oppugnant, diripiunt: præsidiarios omnes Turcas trucidant. Despostum quoque, quod ijs in finibus habebant Turcæ, expugnârunt, omnique imperio Turcico se liberârunt.

Cimmerij se seruituti Turcarum explicant.

Ad iconomachiam Belgicam reuertamur. Cœpit hoc nefarium sacrilegium primò in Flandria, circa Casletum, nouis istis Copronimis quotidie in idola debacchantibus: inde cis Lisam fluuium in vicinos Stegerij pagos, Iuliano (fortè Apostata) & Iacobo concionatorculis antesignanis, translatum. Collecta deinde ingens prædonum & furum colluuies, in Abbatiam Messinensem, inde in ditionem Laleuanam se effudit. Lisam pòst transgressa, per agrum Insulensem, Siclinium vsque cucurrit. Non ferebant hanc iniuriam Siclinienses, Goudecuriani, & VVauriniani, cæterique eius oræ nouæ Religioni perquàm infesti rustici homines, qui correptis armis Siclinium properantes, obuios quosque ex istorum nebulonum numero in paludes concitârunt, flumine præcipites

Iconomachia in Belgio. Initio Augusti. In Flandria.

Iconomachi ad Siclinium cæsi.

sub mer-

1566 submerserunt, vel ferro enecârunt: pauci abiectis armis domum reuersi sunt. Repressa igitur huncin modum sacrilegij impietas, vltra per ea loca non progreditur: nihilo tamen cæteris Flandriæ locis quietiores Ministrorum operæ. Deinde Egmondani conniuentia Ipris idem iconoclastarum furor exarsit, quorum exemplum imitati Gandauenses, & per occiduam Flandriæ regionem vrbes & pagi plerique, Catholicis conquerentibus se ab Egmondano desertos, Geusijs gloriantibus & iactantibus Egmondanum suorum consiliorum esse principem, Egmondano seipsum excusante, quòd tantam insanorum hominum multitudinem coërcere non potuerit. Deuastata & profanata Flandria, tempestas hæc etiam ad Brabantinos transijt, & Antuerpiæ nobilissimum emporium turpissimâ hanc sacrilegij iniuriam in se recepit. Cuius exemplum secuti sunt Buscoducenses, Bredani, Montes ad Zomam, Lirani. Hollandi non immunes ab hac impietate fuerunt, vbi Dordracenses, Amstelredamenses, Leidenses, Delfenses, Brielenses, & Hagæ Comitis incolæ simili sacrilegio sese polluerunt: vti in Zelandia Mittelburgenses, Vlissingenses & Campiuerenses: in Frisia Groeningenses, & Leovvardienses: in Gelria Arnhemienses, Ruremundenses, Venlonenses, & Hardervvicenses: in Transiselania tres primariæ ciuitates: in Diœcesi Vltraiectensi soli Vltraiectenses, qui alijs oppidis exemplo pietatis esse debuerant, ad hanc insaniam prolapsi sunt. Hæc tanta celeritate acta sunt, vt intra decem aut summum duodecim dies tot vrbibus atque locis res ista quasi ex condicto conficeretur, ea morbi similitudine, vt quibus locis ea lues grassaretur, magistratus consilij incertus, sese tanti sceleris hostem palam profiteretur; rem aliam ad homines coercendos idoneam nullam adferret: sacrilegium palam inspectante tota vrbe, perpauci, atque ij facinorosi, obscurissimi, vilissimique nebulones, vt plurimum perpetrarent.

In Brabātia. *In Hollādia.* *In Selandia.* *In Frisia.* *In Gelria.* *In Transiselania.* *Vltraiectū.*

Vt autem huius in sacras imagines prælij formam describamus, exemplum Antuerpiensium, in quos tunc omnium oculi erant coniecti, accipiemus, atque in eo omnium aliarum vrbium furorem, licet quædam non eo loco, sed alijs acta sint, exprimemus. Solennes annuæ festo Assumptionis B. Mariæ Virginis die vrbicæ supplicationes de more peragebantur: sacram

Exemplū iconoclastiæ Antuerpiensium.

crant

cram pompam comitante Senatu opificum, sagittariorum, & gladiatorũ collegijs. In hac pompa imago B. Virginis, quæ vrbis Diua est tutelaris, statua humeris sublata, per vicos certos gestabatur, inde in sacram ædem relata, extra chorum medio templo collocabatur, vt magna hominũ veneratione in sacri, diuinique partûs memoriam, per imaginem ea coleretur, quam *beatam dicunt omnes generationes.* Non ferebant piam hanc consuetudinem noui isti religiosuli, quam tamẽ tanti fecerũt olim Græci, vt eorum Imperatores deuictis hostibus triumphare non solent, nisi sublimem aurato curru Dei Matris imaginem collocarent, quam religioso, & ad pietatem composito vultu sequebãtur. Multis itaque verborum cõtumelijs sacram pompam non obscuris vocibus spectatores proscindunt: B. Virginem (vt vxores ex maritorum opificio consueuerũt) Mariolam fabri salutant. Accendunt animos Ministri; fugienda non animo modò, sed & corpore idola eradicari, extirpari tantam summi Dei contumeliam oportere, affirmant. Supplicationib. peractis, imago non in medio tẽpli exponitur, vt solet, sed in chorum infertur. Post prandium quidã sanniones ad templum veniunt. Quid times, inquiũt, Mariola? cur tam citò iam in chorum fugis? Sub hoc alij iuxta suggestũ magnam exercent petulantiam. Quidam ascendens suggestum, in ludibrium Catholicorũ concionatorũ, nescio quos morionum gesticulationes fingit. Eum sequitur nauta quidam, hinc rixæ, contentiones, pugnę in ipsa Euangelij cathedra. Postridie, qui erat XX. Augusti, post preces vespertinas iterum nebulones nonnulli sacram ædem B. Virginis ingressi, insanis clamoribus, vocibusque toto templo concertant, imaginem B. Mariæ compellant: Si clamaret, *Viuant Geusij,* parcituros se miseræ affirmant: ædituis insultant, cum Catholicis rixantur, frustra Ioanne Immerselio Marchione, vt tumultum sedaret, laborãte. Sub vesperem hora circiter sexta, occlusis templi foribus, præeunte quodam Centurione, qui tutandarum concionũ munere fungebatur, sublata voce ad numeros Geneuenses psalmum auspicãtur, eo signo, vt emota mente, sic in imaginem B. Virginis, cæterasque furibundi insiliunt, ijs grauissimorum verborum contumelijs insultant, huic ensem in latus infigunt, huic securi caput tentant, pendentem è Cruce Christum funibus è sub-

1566

Mos Imperatorũ Romanorum.

limi

1566 limi detrahunt, detractum in frusta comminuunt, latrones (suos equidem Deos) intactos relinquunt: altaria subuertunt, ad sacram hierothecam venientes, pollutis, sacrilegisque manibus in sacrosanctum Domini corpus inuolant, horrendis contumeliis Album Ioannem, cauponem ad dimidiam lunam (ô linguas æternis ignibus cruciandas) compellant, damnatisq; proiectum pedibus conculcant, & psittacis comedendum obijciunt: sacro Chrismate calceos inungũt, consecratos calices vino implent, socijs laborantibus propinant, optimorum, præstantissimorumque pictorum monimenta confringunt, religiosa iure gentium mortuorum sepulchra deijciunt. Regis deiectis, solis ijs tabulis parcunt, quibus equites aurati velleris notarentur. Tãta celeritate hæc acta sunt, vt ante mediam noctem in templo tam amplo, in quo LXX. circiter erant altaria, nihil intactum, nihil integrum, nihil inuiolatum, nihil non fractum comminutumque conspiceretur. Quod mirabantur spectatores, & impossibile credebant, id tam breui spatio fieri potuisse, si non etiam cacodæmones omnem opem suam ad hoc tam gratum ipsis opus contulissent. Templo B. Virginis hunc in modum deuastato, communi impetu in Monasteria Franciscanorum, Dominicanorum, S. Claræ, S. Michaëlis, albarum & atrarum Monialium, tertiæ regulæ Bogardorum, in templa quoque S. Iacobi, Andreæ, Georgij, Petri & Pauli, cæterasque omnes ædes sacras irruerunt, in quibus omnibus non minorem insolentiam exercuerunt. In Monasterijs quiduis pro arbitrio totos dies tres commiserũt. Culinas, apothecas, cubicula effringunt, & occupant: cibos, quos absumere non possunt, profundunt, in vinũ & cereuisiam immingunt, libros bibliothecarum butiro inunctos, in ignem conijciunt, pecuniam, vestem, supellectilem sacram & prophanam diripiunt, & furantur. In templis hîc ex ordine collocatis imaginibus ignẽ subijciunt, hîc statuis arma induũt, in armatas depugnãt, deiectis *Viuant Geusij* clamare imperant: vt ad scopum, sic ad Christi imaginẽ iaculaturi collimant. Exultabant ad hanc hominum fortitudinẽ ministri, zelum domûs Dei, grauem in idola iram Dei prædicabant. Si quis postea ob tam nefarium scelus à Magistratu comprehensus digno supplicio plecteretur, hunc inter Martyres (Dei, an diaboli nescio) referebant,

Spoliantur Monasteria, & alia templa.

1566

rebant. Hæc eſt pugna, hæc eſt victoria Geuſiorum de imaginibus in Belgio, cuius vnum exemplar ex Verhario oculis ſubijcere volui, vt ex eo, quid alijs in locis factum ſit, lector intelligat: nihilo enim modeſtiores alijs in locis fuerunt noui iſti Euangelici. Peractis omnibus, quæ furor, quæ ira, quæ libido ſuggeſſerat, miſerunt ad Senatum Caluiniani & Lutherani, qui illos purgarent, proteſtarenturque, ſe (licet idololatria huiuſmodi bene merita eſſet) inſcijs inuitiſque, non à ſuis, ſed à nebulonibus, effractoribus, furibus hæc commiſſa eſſe: ſed ridebat hanc eorum hypocriſin magiſtratus, & Catholici omnes, qui non ignorabant ex quo myropolio iſta venirent catapotia.

Caluiniani & Lutherani ab iconomachia ſe purgāt.

Aderant interea xiij. Calend. Septemb. quas Parmenſis fœderatis conſtituerat, vt ijs de cautione ageretur. Veniunt itaq; Bruxellas, præter Arſcotanum, qui morbū Montibus ſimulabat, Arembergiū & Megemum, qui Geuſiorum ſeſe hoſtes gerebant, nec decedere, quibus præeſſent, prouincijs volebant, cæteri aurati velleris Proceres omnes: veniūt itidem cū Ludoico Naſſouio duodecim illi, qui nobiliū fœderatorum nomine omnia adminiſtrabāt, qui vulgari ſcommate xij. Apoſtoli dicebātur. Duodecimo itaq; Calēd. Septem. ab hora ſeptima ad duodecimam frequenti ſenatu Parmenſis de re tota deliberat. Geuſij maiora indies, grauioraq; proponunt, ad ſingulas horas nouarū vrbium tumultus denuntiant, ferociter de milite à ſe conſcripto, de ſocietatibus ſuſceptis multa palam cōminantur, circa Bruxellas per agros ita homines tumultuantur, vti vrbi, & ipſis adeò Palatij tēplis timeretur. Parmenſi quoq; ita incerti rumores cōminātur, vti Viluordiā abductæ adiūcturi cuſtodes Geuſij dicerentur. Cùm igitur tertiū ſe iam diem fruſtra laborare Parmenſis animaduertit, conſternata conſiliū ſibi ſola capit, ſupellectilem componit, Montes in Hanniam cogitat, ix. Calend. Septemb. ſummo manè Auraicum, Viglium, Aſſonuilium accerſit, conſiliū ſuū exponit, à Proceribus aurei velleris Montes deduci poſtulat. Nō placet ea profectio fugæ ſimillima: adduntur graues & prægnantes cauſæ: inſtat Parmenſis, donec Viglius nuntiaret, portas iam ab armatis ciuibus occupatas, eo fine, ne Parmenſem dimitterent. Acquieſcit Parmenſis, iſto die ſe manſuram promittit, ea conditione, vt Proceres, ſi neceſſe ſit, eam ſecurè ciui-

Negotiū de cautione Geuſijs præſtāda.

Metus Parmenſi iniectus tantus, vt de fuga cogitaret.

1566 tate educant: quod ipsi etiam cum vitæ periculo facturos se pollicetur. Magistratus quoque supplex Parmensem orat, ne se deserat, vrbem ita in officio mansuram ostendit, vt cuius ipsa velit militari imperio sit paritura. Petrum itaque Ernestū vrbis præfectum constituit, cui, in Curiam ab Auraico, Egmondano, Hornano & Hoochstratano ducto, ciues omnem obedientiam promiserunt, iurâruntq; se potius vitam amissuros, quàm vt conciones vllæ, aut vlla iconomachia in vrbe fierent, admissuros. His peractis pacatior fuit Parmensis vsque in vesperem: quo tempore noui rumores allati sunt, fore vt ea nocte imagines comminuerentur: Barlaymontius & alij occiderentur, Parmensis ipsa caperetur. Nouus itaque ipsam incessit metus, qui priusquam tolleretur, multum Proceres fatigauit. Sequentem diem ita cœptæ Geusicarum rerum deliberationi impendit, vt modò recusans, modò discedens, modò precibus in Senatum reducta, ægrè adduceretur, vti extracto in horam primam nocturnam Senatu cum fœderatis hisce legibus pacisceretur. Initio placere, vti cesset Inquisitio, de qua fœderati quererentur. II. probari, vt pro ijs legibus & edictis, de quorum item seueritate conquerebantur, nouæ leges edictaque scriberentur; verùm cùm id ex Ordinum generalium sententia, vel qua alia auctoritate futurum sit, affirmare Parmensem iccirco nondum posse, quòd sententiam hac de re suam Rex nondum perscripserit. III. Quòd de securitatis cautione postularetur, ea se mandata à Rege accepisse, quibus amplissima sibi cauendi auctoritas esset attributa. Ex eorum itaque mandatorum auctoritate promittere se fœderatis, nulli neque fœdus, neque libellum, neque quæ fœdus libellumq; in hunc vsque diem essent consecuta, culpæ, damnove in posterū futura: daturā ipsis Parmensem tales securitatis literas, quales res ipsa postulat, & negotio conuenietes censebuntur. IV. ea tamen se cōditione hæc promittere, si in officio sint fœderati māsuri, fidem Regi præstituri, quantā poterūt, tantā in coërcenda seditiosorum hominū temeritate sint operā collocaturi. V. Quod fœderatos non negaturos sperat Parmensis, primò, quòd nihil sint molituri, aut vt alij moliantur causam præbituri. vnde Rex, prouinciæ, vrbes, oppida & subditi Regis aliquod detrimentū accipiāt: sed facturi quidquid ad officiū bonorū fideliumque

Comes Mansfeltius vrbi Bruxellensi præficitur.

23. Augusti.

Leges, quib. Parmensis cū fœderatis paciscitur.

ûmque clientium pertinet: pro viribus hos tumultus 1566
compriment, nō tantùm sacrilegia, direptiones, & desolationes templorum & Monasteriorum vbique propulsabunt, sed quicunque huiusmodi sacrilegia, &c. cōmiserunt, cōmuni ope punient, supplicioque digno afficiēt. Operam etiā dabunt, ne cuiquā viro Ecclesiastico, aut iustitiæ administro vis aut iniuria inferatur. VI. Arma deponere cōmotam plebem bona fide procurabunt. VII Conciones, quibus locis nullæ haberētur, haberi in posterū nullas sint passuri. Quibus contra locis in præsentiarum conciones haberentur, cauebunt, ne arma gerantur, offendicula, aut vlla publica fiat cōtumelia. VIII. Peregrinos, atq; omnes omninò hostes arcebunt. IX. Qua postremò apud nouæ Religionis homines sunt auctoritate, id sunt conaturi, vti Regi ex Ordinū generalium sententia de Religione, deque Repub. decernēti, parituros sese hi homines recipiant. Res istas, si fœderatorū delegati suo, suorumq; nomine iureiurando cauerent, ratam eam Parmensis cautionem futuram. Octauo itaq; Calend. Septem. sacramenta in eam sententiam fœderatorū legati apud stipulantes Auraicum, Egmōdanum, Hornanum, Hachicourtium, & Christophorum Assomuilliū dicunt: vti facturos se, suosque mandatores res istas reciperēt: fœderi, libelloque tam diu renuntiarent, quamdiu ea esset à Parmensi promissa cautio valitura. Parmensis eodem die, antequam hoc sacramentum diceretur, fœderatis amplissimas cautionis literas dederat, quibus pollicebatur fœderatis, neque fœdus, neque libellum, neque quæ fœdus libellumque secuta sunt fraudi, culpæ, damnove futura esse, ea lege, vt pro se, suisq; mandatoribus spondeant se articulos prædictæ transactionis obseruaturos. Præcipit etiam Parmensis omnibus Gubernatoribus, aurati velleris Equitibus, Consiliarijs, Præsidibus, Iudicibus, iustitiæque ministris, vt hanc cautionem ratam habeant, & tueantur, nobiles fœderatos ferant, ferrique iubeant; hac cautione illis vti frui patiātur, nec vllam illis vim aut iniuriam inferant.

Cautio.

Ex hac transactione fama in vulgus emanauit, Parmensem publica auctoritate conciones approbasse, si vis seditioque abesset: contra quàm illius erat sententia, qua non rem eam definiret, nec probaret, sed quid necessitas postularet, quid itidem fœderatos præsta

An Parmensis ea cautione nouitiam Religionē probauerit.

1566 præstare oporteret, præscriberet. Paulò post edicto hanc suam cum fœderatis concordiam promulgat Parmensis, & de officijs homines commonefacit: affuturum breui Regem ostendit, sceleris grauissimisque item legibus sacrilegis templorum direptionibus pœnas constituit, magistratibus, vrbibusque in scelus consentientibus priuilegiorum ademptionem comminatur: versari cum telo, nisi eos permittit, quibus iure ea res liceret. Per eosdem dies Bruxellis orta est seditio, eò quòd portæ clauderentur, ne quidam Caluiniani, numero pauci, ad Conciones, quæ circa Viluordiam futuræ dicebantur, sese conferrent. Sed magistratus & trium membrorum auctoritate seditio compressa est: tota vrbe & agro Bruxellensi conciones deturbantur, ciuibus omnis peregrinæ Religionis vsus interdicitur. Probat Comitiorum sententiam Parmensis, magistratum, populumq; collaudat: Mansfeltio vrbis militare imperium confirmat, mille octingentos pedites, & centum equites in vrbem consentiente Senatu, populoque introducit.

Regi filia nascitur. Per eosdem dies tabellarius ex Hispanijs venit, literasque de nata Regi filia attulit: Vnde solennes gratiæ in æde S.Gudulæ peractæ sunt. Hac itaque ratione Parmensis fœderatis satisfecit. De proceribus maior erat difficultas.

Cum Proceribus quomodo transegit Parmensis. Antequam tumultuari palam homines inciperent, quosdam è proceribus noua sacramenti formula Parmensis sese obstrinxerat. Auraïcum autem, vt denuò iuraret, inducere non potuit. Cùm verò in eos, quos ostendimus, motus res erupit, rem agere cum proceribus ita instituit, vti dubijs & incertis consilijs Rempub. perire profiteretur, magni interesse demonstraret, antequam Rex veniat, vti bonorum subditorum opera restitutam Religionem, publicarumque rerum quietem inueniat. Palam itaque & ingenuè sese ad Regis voluntatem componerent, Religionem procurarent, seditionem vi atque armis coercerent. Accipiunt conditionem nullis verborum ambagibus Arscotanus, Mansfeltius, Arembergius, Megemus, Hachicourtius, Barlaymontius, alijque nonnulli, qui nulla sese exceptione in Regis officio futuros ostendunt. Auraicus verò & cæteri tergiuersabantur: multa de sua in Religionem obseruantia, in Regem & Parmensem obsequio prolocuti, causas quasdam adferebant, cur imperij

perij

perij moderatione, Ordinumque decreto res tentari, non armis oporteret. Noircarmius Audomari præfectus, & absente Marchione Hannoniæ procurator, magnæ tunc temporis erat apud Egmondanum auctoritatis. Is Egmondanum vt Parmensi, cui seipsum totum tradiderat, per omnia pareret, persuasit. Qui Egmondanum comitabantur, id ægrè ferentes: Quin, inquiunt, tu hoc age Noircarmi: tu hoc, si libet, bellum ciuile auspicare. Ibi tum Noircarmius: Omnino, si hoc mihi vel à Rege, vel à Parmensi imperetur, næ ego in istos seditiosos homines pro Religionis & Regis amplitudine libenter arma sumpturus sum. Assentitur Egmondanus, Noircarmiumque, quæ laudaret, sequi consilia bona sua cum venia permittit, ea rerum commutatione, vti Noircarmius ad illustres rerum Belgicarum dignitates eueheretur, Egmondanus contra è sublimi dignitatum fastigio deiectus, supremæ rerum humanarum calamitati caput submitteret.

1566

Noircarmij in Regem fides & constantia.

Parmensis hunc in modum auctoritati pristinæ restituta, & è summis rerum difficultatibus emersa, Bruxellas contra vim & insidias munit, fœderatos mutuis diffidijs distractos, complures à tumultuante populo, plerosque ad se adduxit. Egmondanum deinde in Flandriam, Antuerpiam Auraicum, Mechliniam Hoochstratanum, Tornacum Hornanum, Valencenas Noircarmium ad res curandas transmittit. Quin & fœderati Geusij, quòd operam sese daturos rei restituendæ promiserant, non expectata Parmensis auctoritate, operas inter se partiuntur, vti in singulas commotas vrbes nonnullos è collegis mitterent, vel vltrò, se solis auctoribus, futuri rerum arbitri proficiscerentur.

Proceres in prouincias mittuntur, vt res componant.

Etsi plures ciuitates hac tempestate turpi hac iconomachiæ, sacrilegijque macula sese contaminauerint, fuere tamen multæ, quæ egregiè officium præstiterunt, quæ sua laude in hoc opere nostro minimè debent frustrari. Et quidem prouinciæ integræ: Artesia, Hannonia, Lutzenburgum, & Namurcum, nullam huiuscemodi contumeliam admiserunt. Brabantia multo maiore Ducatûs parte, quæ Louanio & Bruxella describitur, magna cum laude in auita pietate permansit. Mechlinia his temporibus ciues Religionis Catholicæ perquàm studiosos habuit:

Quæ prouinciæ & vrbes ab iconomachia immunes extiterint.

1566 sed vnius aut alterius malesani Pensionarij, Aduocati etiam vnius consilio effectũ, vt pauci nebulones Carmelitis & Franciscanis vim inferrent, eorum monasteriorum templa diriperent, inde in vicina vrbi monasteria grassarentur. In Flandria Brugæ, Cortracum, Grauelinga, Duijnkerka, Alostum, Teneremunda, Gerardimontium ab hac iniuria se defenderunt. Casenbrotius Dominus Berquenselius, vnus ex fœderatis, collecta perexigua rusticorum manu, cùm iconomachos nonnullos iuxta Grammontium, seu Gerardimontium offendisset, cæsis xij. vulneratis xx. è captiuis quinquaginta xxj. suspensis, reliquis virgis cæsis, ingentem factiosis hominibus metum incussit. Nolebant enim iam fœderati fautores iconoclastarũ haberi, & datam Parmensi fidem præstare conabantur. In Gelria, præter alia oppida, ciuitas antiqua, Imperialis Nouiomagensis, contempto Comitis Culenburgani turbido consilio, ope Megemi Gubernatoris sui fortiter & constanter omnibus his nouis factionibus restitit: cuius ciuium zelum & pietatem apud Surium legi, quàm ipse scribere malo, ne crambem bis coctam lectori apponamus. In Hollandia quoque magna iis temporibus fuit Dordraci, Harlemi, Goudæ & Gorcomij gloria. In Diœcesi Vltraiectẽsi præter Vicodurostadium, Rhenos, Monfortium, Amorfortij fuêre maximè tranquilli, & sub auspicijs Adriani Egmondani, atque Gijsberti Vermatij C O S S. vrbem tam à concionibus, quàm ab omni sacrilegio immunem ad perpetuam posterorum gloriam conseruârũt. Per Zelandiam, Frisiamque inter Lutheranos, Caluinistas atque Anabaptistas res variè iactabatur, Catholicorumque per ea loca multorum hominum constãtia & virtus prædicabatur.

Fœderati ipsi puniũt iconoclastas.

Noui nostri Religiosuli, ab agrarijs concionibus instante hyeme in vrbes trãsierant: inde templis Catholicorum occupatis, Catholicos de Religionis vsu deiecerant. Cùm igitur & hanc Catholicis iniuriam fecissent, neque tenere diu, quam armata vi possessionem alienam erant adepti, sese posse vel ex contractu Parmensis cum fœderatis (quo longè meliorem, vtilioremque sibi expectauerant) animaduerterent, necessariò à prouinciarum præfectis, vrbiumque magistratibus leges acceperunt. Id inter alios fecêre Antuerpienses, Gandauenses, Amstelredamenses, Tornacenses,

Pacta & leges à magistratib. petunt noui Religiosi.

nacenses, & Valencinenses: quorum omnium pacta, legesque & conditiones recensere, cùm longum esset, duobus, Antuerpiensium vno, altero Amstelredamensium exemplo contenti erimus. Antuerpiæ Caluiniani præter sancti Georgij templum, quod Lutheranis cesserat, pleraque vrbis templa tenebant. Magistratus à ministris templorum beatæ Virginis, sancti Georgij, Michaëlis & Iacobi restitutionem obtinuit. Deinde post multiplices ministrorum querelas, quòd iconomachiæ & sacrilegij commissi rei fierent, quòd Magistratus auctoritatem minuere dicerentur, quòd vectigalium onera culparent, de curia inuadenda, magistratuque mouendo cogitassent, denique quòd in posterum nullum Romanæ Religionis exercitium passuri dicerentur, (indignæ profectò calumniæ, & non ferendæ iniuriæ, cùm sanctuli illi nimis longè ab his cogitationibus, vt postea patuit, exempla quoque Galliæ, Angliæ, & Scotiæ testabantur, fuerint semper alieni,) post has inquam querelas cùm Auraicus & Magistratus Nonis Septemb. Catholicos & sectarios in suam tutelam accepisset, mandato Auraici delegantur nomine Teutonicorum, Marcus Peres, Carolus Bombergus, Hermannus Vermerius, & Cornelius Bombergus. VValonum nomine, Franciscus Godin, Ioannes Carlier, Nicolaus de Viuier, & Nicolaus Sellin. Qui Confessionem Augustanam profitebantur, nominârunt Egidium de Graue, Egidium Banderium, Henricum Breckium, & Thomam Geerium. Cum his Auraicus & Senatus hunc in modum paciscitur. Initio veterem Catholicam Religionem nemo turbaret. Omnibus omnino Catholicorum Ecclesijs, omnibus veteri Religioni dicatis, sacratisque locis excederent: Noua vrbe, quibus iam locis consuessent, agro Pauli Gemertij, ad forum equinum, ad VVapperam, agro D. Likerkij, pratisque Xenodochij, ad hortum sodalium sclopetariorum ædificatis templis Religione sua vterentur. Per ea loca diebus Dominicis & festis, die item Mercurij (si festum septimana non haberet) concionari vna eademque hora permitteretur. Ad singularum concionum functionem habere nisi binos ministros non liceret. Ministros vel qua Regis ditione natos, vel potentioris alicuius vrbis ciues esse oporteat. Quoad

1566

Pacta, quibus nouarũ Religionũ homines Antuerpiæ cũ Magistratu conuenêre.

1566 Antuerpiæ sint futuri, parituros se negotijs ciuilibus ministri iurabunt. Cum telo illicito ad conciones nemo veniat. Seditiosas conciones habere non liceat, si quæ vel stabiliendis Religionis dogmatibus, vel in corruptos hominum mores dicerentur, ad seditionem eos sermones non pertinere. Nouis Ministrorum, Seniorum, Diaconorumque lectionibus, cæterisque grauioribus consistorij deliberationibus, quem volet Auraicus, vnus è magistratu intersit. Ab opprobrijs atque iniurijs diuersarum Religionum homines abstineant: si cui iniuriā fieri contingat, eam propulsare etiam diuersæ Religionis ciues teneantur. Si iure legitimo in templorum direptores magistratus animaduertat, quo minus eo iure cognoscat, nemo prohibeat. Psalmos, cæteraq; extra ea loca, quibus conciones habentur, nemo canat. Nullo Religionis discrimine omnes tam diu ciues in tutela & fide Auraici ac Magistratûs futuros, quamdiu pacatè rem gererent. Præsidiarios milites, quos ad vrbis custodiā è ciuibus Auraicus legeret, in ea verba iuraturos, quę scripto delegatis exhibito cōtinerentur. Hęc pacta tam diu valitura, quoad Regi ex generaliū Ordinū sententia aliud probaretur. Quòd si eas leges tum ferri contingat, quas pati vel ipsorū Religio, vel conscientia minus possit, discedendi, bonaq; aliò transferendi liberrimam fore facultatem. Atque hæc sunt pacta Antuerpiensium: post quæ Auraicus in Hollandiam proficiscitur.

Trāsacti-ones & pacta Caluinianorum cum magistratu Amstelredami. Amstelredami (cuius vrbis ijs temporibus magnę erant atq; ingentes opes, quæq; fortissimos, prę́clarissimosq; in magistratu ciues habebat) re cum sex & triginta eius vrbis Senatoribus diu agitata, præsentibus Curiæ Hollādicæ delegatis, primo die Calend. Octob. his conditionibus res transigitur: Religionem Catholicam qui turbauerit, huic mortis supplicium constituitur. Conciones, cæteraq; nouæ Religionis ministeria templo Franciscanorū exercerent, cæteris Monasterij locis abstinerent. Illicito cum telo ad conciones nemo veniret. Peregrinus si quis minister sese offerret, ante ciuem eum fieri oporteret, quàm exercere id ei munus permitteretur. Ab iniurijs, libellis famosis, cæterisque contumelijs abstinerent. Cadauera quo vellent ritu in Minoritarum cœmiterium inferrent, sin aliò quàm illo loco inhumari postularent,

vel

vel ritu Catholico, vel nullis omnino ceremonijs funus procurarent. Catholicis vetere ritu inferre, cùm in cætera, tum in Minoritarum cœmiterium mortuorum corpora permitteretur. Si ea pacta Regi non probarentur, discedendi, bonaque auferendi facultatem futuram. Harum vrbium exemplum vrbes reliquæ sequuntur, pactaque in eandem pene sententiam, præter Tornacum & Valencenam, (de quibus postea dicturi sumus) omnes susceperunt. *1566*

Rebus hunc in modum compositis, prouinciæ, earumque incolæ aliquamdiu fuêre tranquilliores. Parmensis quòd ad propulsandam seditiosorum iniuriam necessariò præsidijs communiri multas vrbes oporteret, quòd sine metu difficulter eos in officio mansuros animaduerteret, fœderatis minimè rem eam reprehendentibus, deductis è præsidijs nonnullis veteranorum militum copijs, nouisque habitis delectibus, imperium, auctoritatemque sibi confirmauit. *Parmēsis vrbes munit præsidijs.*

Antiquum esse & capitale solet inter vicinos Reges Danum & Suecum odium, ex quo multa diuersis temporibus bella manârunt. Dano cum Gostauo Sueco iam diu pax & amicitia colebatur; sed eo mortuo, & Erico XIIII. patri succedente, anno M. D. LXI. antiqua vulnera recruduerunt, nouumque inter vtrumque bellum exortum est. Prima belli causa fuit hæc: Danus fratrem habebat Magnum Holsatiæ Ducem: is sibi totam Osiliensem & Reualiensem Diœcesin vendicabat. Contra Suecus Reualiam tenebat, & per Nicolaum Christiernum Reualiensem præfectum suum cœnobium Padis, quod Magni etiam ditionis erat, & sequenti anno oppidum Parnouiam, cum arce VVittensteinio Regi Poloniæ subiecta, vi occupauit. Ita Poloniæ Regem, Danum, & Magnum Suecus aduersus se irritauit. At nondum hæc simultas in apertum bellum erupisset, nisi alia accessisset iniuria. Anno enim sequenti erant Steno Erici & Gabriel Christiani ab Erico Rege Sueciæ in Hassiam ablegati, vt negotium de coniugio filiæ Lantgrauiæ, Erico Regi in matrimonium dandæ, antea inchoatum, conficerent: qui Hafniam non petitis antea publicæ fidei literis transire voluerunt, vrbemque non petita venia ingressi sunt. Sed egredi rursum volentes, à custodibus in porta prohibiti, cùm indignantes verbis liberioribus in Regem & alios inueherentur, à Cancellario Regis *Bellum inter Suecum & Danum.* *Causæ huius belli. 1.* *2.*

1566 tum abſentis iuſſi ſunt in hoſpitia ſua reduci, & ad Regis vſque reſponſum detineri. Id indigniſſimè Ericus tulit, & animis vtrinque magis acerbatis, ad arma iam omnia ſpectabant. Initio Polonus cum Dano aduerſus Suecum fœdus iniit; poſt etiam Lubecenſes, quorum naues & mercimonia Nerua redeuntia Suecus hoſtiliter inuadebat, ac diripiebat, in ſocietatem belli tranſierunt. Comparatis itaque naualibus vtrinque copijs, Fredericus Daniæ Rex huic bello initium dedit, anno Seruatoris noſtri ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo tertio. Quod bellum varia deinde fortuna geſtum eſt. Hoc verò LXVI. anno Reges in mari Balthico rurſum nauali prælio inter Gotlandiam & fauces Suecicas, per quas Holmiam iter eſt, æquo Marte dimicârunt. Interfecto autem nobili quodam Dano, Archithalaſſus Danicus, cùm eum in oppido Gotlandiæ VVisbo ſepelire vellet, vtramque claſſem Danicam & Lubecenſem eò appulit, præmonente inſulæ præfecto, ne in portum vadoſum naues impingerent. Orta autem horribili tempeſtate, vtraque claſſis ferè omnis, & in ijs circiter nouem millia hominum cum vtroque Archithalaſſo, Ioanne Laurentij Dano, & Bartholomæo Tinnappel Lubecenſi COS. naufragio perierunt. Daniel quoque Rantzouius hoc anno ex Scania in Smallandiam excurrens, multos pagos diripuit, & incendio vaſtauit.

An. 1563.

Clades et naufragium Danorum & Lubecenſium.

Boruſsiæ Reſpub. reformatur.

Boruſſiæ verò Reſpub. hoc anno menſe Auguſto eſt reformata. Albertus enim ſenex Dux, mente & corpore infirmus, aliquot iam annos ingenioſi cuiuſdam, vafri, at vaniſſimi hominis Pauli Scalichij vſus conſilio, multa, quæ ordinibus Boruſſiæ ad publicam Ducatûs illius perniciem ſpectare videbantur, agi permittebat. Ioannes igitur Albertus Dux Megapolitanus in Boruſſiam ad ſocerum ſenem profectus, ab eo impetrauit, vt teſtamentum, quod antea condiderat, retractaret, & nouum conderet, in quo de tutela filij, gubernatione Boruſſiæ, & alijs capitibus quædam à priori teſtamento diſſidentia conſtituebat. Vtrumque teſtamentum Duci Megapolitano cuſtodiendum & exequendum tradidit. Interea Proceres quidam Boruſſiæ Poloniæ Regem, vt Dominum ſupremum, de his rebus edocent, qui delegatos ex Comitijs Lublinenſibus ad conuentum prouincialium Regiomontem miſit. Horum conſilio & auctoritate Paulus Scalichius

toto Regno Poloniæ & Ducatu Borussiæ proscribitur, 1566
donationesque prædiorum illi factæ abolentur. Deinde omnia, quæ vel ad Religionem, vel ad Politicam administrationem pertinent, inspiciuntur, cognoscũtur, quæ bona sunt confirmantur, quæ noxia reformantur.

Selymum Turcarum Imperatorem Constantinopoli Belgradum profectum dicebamus. Agebat iam annum ætatis quadragesimum tertium, Princeps seuero aspectu, prope formidabili intuitu, nigris pilis, adusto temperamento, ita obesus, vt colli breuitas apPareret eximia. Qui cùm Belgradum venisset, Mahumetis literis fit certior, omnia in castris esse tranquilla, non opus esse longioris itineris labores suscipere. Non inconsultum fore, si Belgradi & se, & copias omnes expectet. Paulò post Mahumetes aduenit, Solymanni cadauer secum aduehens, quem omnes adhuc viuum esse arbitrabantur. Illi rei fidem facilè faciebat ætas & podagra, qua laborans iter facere consueuerat cisio vndique clauso, vt videri omnino non posset. Selymus vbi ad patris cisium propius accessit, descendẽs ex equo, aperto cisio supra corpus patris sese lachrymans prostrauit. Iussa sunt militaria signa omnia ad mœroris indicium inuerti, & per terram trahi. Magna fuit omnium admiratio, stupor ingens, & diuturnum altumque silentium. Post hæc Selymus deposito lugubri vestitu, magnificentissimis vestibus induitur: Tulipantum, seu capitis integumentum candidissimum, multis pretiosis gemmis ornatum capiti illius imponitur, equus mutatur. Quod ipsum fecerunt cæteri proceres omnes. Rheda deinde tegitur, noua vexilla noui Imperatoris eriguntur. Peractis Belgradi omnibus, quæ ad auspicia noui imperij, luctumque patris pertinebant, datoque Genizaris castrensibus solito munere, iubet paternum cadauer in comitatu * Hamauti & Ferathis Bassarum per Genizaros, aliorumque insignium militum copias Constantinopolim aduehi. Quò cùm allatum esset, extra vrbem sub tentorio reponitur: nolebant enim illud noctu in vrbem inferri. Sic concessum est filiabus Solymanni, Selymi vxoribus, alijsque propinquis patrem, socerum & propinquum lachrymis condecorare. Postridie, qui XXII. erat Nouembris, Nouemb. 22.
funus exceptum fuit frequentissimo concursu mortalium, præeunte Muphti, qui apud Muselmannos & in-

Selymi descriptio.

Cadauer Solymanni Belgradum aduehitur.

* alij Achmetis.

Exequiæ Solymanni.

1566 ris & Religionis, omniumque sacrorum Rex est, & è stirpe Mahumetis natus esse creditur: sequentibus Ischendere Bassa Prosultano, Dephterdatis, qui ærarii præfecti sunt, alijsque Begis omnibus pullatis. Exemptam è curru Sandapilam præcipui Begi per vices erectarum in sublime manuum palmis sustinuêre, & sic per vrbem gestârunt. Sequebantur sacerdotes Seichi vocati, qui se mutuò manuum nexu tenebant, atque ita incedentes clamabant, mirum esse tantum Imperatorem morti subiectum fuisse. His succlamabant Talismani; *Alla racmet eilesim*, Deus eius misereatur. Hinc depositum in Zuna, quam ipse viuus extruxerat, cum multis cæremonijs, cum tulipanto è lino subtilissimo, spiris aptato candidissimis, cum acinace, profusæ bello vitæ indice sepelitur. Mox adhibiti Talismani & Hoggiæ (Sacerdotum nomina sunt) qui more gentis humi diuaricatis sedentes cruribus in eius Zuna, pro illius animæ quiete dies ac noctes vicissim per multos dies deprecabantur. Interea Selymus Bizantium veniens, via septem millia passuum aulæis, pannisque aureis strata, incredibili cum pompa excipitur.

Excursiones Turcarum infelices. Sultano, exercituque Turcico Vngaria digresso, reliquiæ prædabundæ quotidianas excursiones faciebant: at non felici semper euentu. Carolus enim Archidux ad Sleunam ignobilem fluuium quatuor equitum millia concîdit. Ferentius quoque & Turigeorgius varijs locis multos trucidârunt. Ita vt in hac tota expeditione centum circiter millia Turcarum perijsse perhibeantur. Paulò post noui motus Tartarorum in Transyluania exorti sunt. Cùm enim Selymus ob hyemis asperitatem Vngariam reliquisset, Partauum Bassam satis magnis cum Turcarum, Valachorũ, Tartarorumque copijs Erdeliano, vt bellum contra Maximilianum prosequeretur, adesse iussit. Dolebat Erdeliano Suendium anno superiori intercepisse Tocaium, in quo triginta maiora, minoraque tormenta bellica, præter ingentem rerum bello necessariarum, annonæque copiam reperisset. Quapropter eam arcem recuperare statuit, magni scilicet ad suas res tutandas, vel prolatandas momenti. Militem ergo cum maioribus decem machinis adhibet, omnique vi & impetu oppugnare munitionem incipit. Suendius eam minimè deserendam ratus, cùm alia defensioni parat idonea, qui-

Erdelianus Tocaium obsidet.

bus

bus Iacobo Ramingero, cuius ipse fidei Tocaium commiserat, in tempore succurreret, tum ab Imperatore Maximiliano maiora subsidia postulat. Is Henricum Staupicium cum mille Germanis equitibus, sex peditum vexillis, stipendiis & annona necessaria mittit. Sed priusquam auxiliares istæ copiæ Tocaium peruenissent, increbuit in castris Erdeliani fama, decem millia Tartarorum per seditionem totum populari Erdelium, ac inaudita crudelitate passim in fortunas & corpora miserorum cuiusuis ætatis & sexûs grassari. Quapropter obsidionem soluere coactus fuit Erdelianus, ne dum istic ipse pertinacius hæreret, suos ad internecionem deleri sineret. Liberato ab obsidione Tocaio, Ramingerus in discedentes erumpens, pluribus cæsis, reliquos palantes, trepidosque fugauit. Erdelianus cùm sibi imperanti Tartaris, vt prouincia sua exeant, non obedirent, sex circiter millia ex inopinato trucidauit. Cæteri coniunctis sibi Turcis & Valachis Transyluanum Varadini obsident, vnde ille dilapsus, collectis maioribus copiis, multo plura quàm antea millia denuò prostrauit. Reliquiæ trepidantes sese in Poloniam & Russiam effuderunt, vbi à Palatino Russorum debellatę perierunt. Sic Erdelianus, magno suo malo ab amico sibi erepto Cibinio, non reddita expugnata Giula, vastata ab amico exercitu omni sua prouincia, Turcarum opem aduersus Christianos Christianus ipse inuocauit. Per hos dies Bregetium proprio ciuium igne totum penè deflagrauit, quod cùm Cæsar instaurâsset, mille etiam equites, & totidem pedites ad præsidiũ Canisæ misisset, principes omnes cum multa gratiarum actione dimisit.

1566

Tumultus Tartarorum in Erdelio.

Obsidio Tocaij soluitur.

Tartari cædũtur.

Composito vtcunque in Belgio tumultu, nouarum Religionum studiosi rebus suis diffidere cœperunt. Gandaui enim octo sacrilegij damnati sunt, & in his quidam Curiæ Flandricæ procurator, qui ad imagines deijciendas Egmondani literas atque signa confinxerat. Ministri etiam aliis locis nonnulli, quòd alio, quàm conuenerat, loco conciones habuissent, laqueo suspenduntur. Antuerpiæ, quam vrbem, Auraico in Hollandiam profecto, Hoochstratanus imperio regebat, mercatores nonnulli pessimorum quorundam hominum operas ad templa iam reparata denuò violanda conduxerant. Qui cùm vespere in templum B. Mariæ conuenissent, ab Hoocstratano templum ingresso

Iconomachi & ministri Caluin. puniuntur.

Nouus tumultus Antuerpiæ.

1566 gresso comprehenduntur, noctuque è lecto abductus conductor, vnà cum sex suis cooperarijs manè XVIII. Octobris in foro suspenditur. Nil territi his suppliciis fanatici homines, aliis etiam locis nouas tragœdias concitârunt. Delfis in Hollandia quidam veste muliebri induti Franciscanos, Amstelredami Carthusianos Monasterio profligant. Furnas in Flandria bis mille homines scelerati VIII. Octob. capere tentârunt. Sed detectis insidijs vigiles in aduenientes tormentis iaculantur, viginti prosternunt, alios fugientes insequuntur, captos tormentis subijciunt: fatentur hi eo se studio ad vrbem venisse, vt fidelibus suis è carcere eductis, omnem istic clerum iugularent. Cameraci in tanta ciuium multitudine vnus repertus est Ioannes Clericus, qui Germaniæ exemplo concedi ab Archiepiscopo, vrbis domino, & Magistratu, Confessionem Augustanam ciuibus postularet. Ad postulata id responsi accepit, vti intra curiam retentus, accepta capitis sententia, horis tribus pòst caput palam in foro amitteret, tranquillissimamque eo suo malo in posterum Rempub. efficeret.

Delfis. Amstelredami. In Flandria. Cameraci.

His, similibusque supplicijs, quæ tamen iuxta conuentum Parmensis cum fœderatis iusta videbantur, territi noui Religiosi, metuentes insuper ne delicta, intemperiesque sociorum totum opus inceptum euerterent, XXVII Octobris libellum supplicem obtulerunt, in quo sese purgabant, præteritorumq; motuum se minimè esse reos ostendebant. Religioni tantũ & fidei se studere, quæ cum donum Dei sit, nec cuiquam externa vi obtrudi possit, orabant vt Gamalielis consilio locus detur, nec populus metu quodam ad Libertinorum & Epicureorum securitatem compellatur. Promittebant se credituros duodecim fidei articulos, Scripturas Biblicas, & antiqua Concilia probaturos, liberoque generali, vel particulari Germaniæ, Galliæ, Angliæ, aliarumque vicinarum gentium Concilio se submissuros. Interea liberum Religionis exercitium flagitabãt, Regi obedientiam, tributa & vectigalia debita pollicebantur, eique in gratiarum actionem pro libero Religionis exercitio permisso, seu permittendo, trigesies (vt quidam annotat) centena aureorum millia offerebant. Nec iniquum se postulare multis exemplis ostendere conabantur. At libellus hic in Senatu Regio, vt nullis rationis fulcris innixus, repudiatus est.

Peregrinarum Religionum studiosi se purgant.

Varias

Varias interea literas ex Hispanijs accipit Parmensis, ex quibus intelligit, quantopere displiceat Regi tumultus hic Belgicus, qua animi excandescentia sacrilegium & iconomachiam suorum subditorum acceperit. Omnibus debitis supplicijs huic insolentiæ Regem occurrere constituisse, non tantùm propter amorem Religionis Catholicæ, sed etiam vt pessimum exemplum, quod aliarum nationum populi hinc sumptum possent imitari, castigetur: vti magis homines terreat, quàm ad imitationem sui prouocet. Hanc Regis sententiam Parmensis multis fœderatorum nobilium, quos Catholicæ Religionis studiosos sciret, significabat: qui nulla mora in partes Regias transierũt, aut neutri factioni addicti quiescere, quàm maiori sese periculo inuoluere maluerunt. Scripsit & Rex alijs Proceribus, peramanter eos officij & fidei, quam sibi debebant, commonefaciens. Præsertim autem Auraico propria manu exaratas ex sylua Segobia literas transmisit, quibus illum ab omni malæ fidei suspitione liberat, nunquam se, inquiens, de eius fidelitate & officio dubitasse. Sed & si qui huiusmodi quid ipsi persuadere voluissent, non se tam leuem aut inconstantem, vt non magis præteritis Auraici actis & officijs fidei plenis, quàm huiusmodi delatoribus credere voluerit. Pacato igitur animo Rex eum esse iubet, & literis suis aliâs ad eum scriptis confidere, minimè autem illos audire, qui fortè Regis & ipsius Auraici hostes, ipsi huiusmodi persuadere conantur. Quia verò Auraicus missionem, veniamque administrationes suas deferendi à Rege flagitârat, ita respondit Rex, vti ostendat, sibi eius abitum dolere, maximè hoc tempore, quo omnes ad commune incendium restinguendum accurrere debeant: præsertim ij, qui ad hoc faciendum obstringuntur: neque tamen pertinaciter eum retineat, cùm priuatarum causarum rationem id exigere scripsisset. Porrò ostendit Rex sibi gratum fuisse, quòd Auraicus Antuerpiam se ad comprimendos eius vrbis motus recepisset, nec dubitare se, quin pro singulari prudentia & fide, qua semper in se fuerit, ita rem eam administret, vt talis ac tanta ciuitas in officio contineatur. Tandem non se posse Auraicum pro candore animi, quo in eum est, celare, in ore & sermone multorum esse, fratrem eius Ludouicum seditiosis quorundam consilijs, negotioque huic bellico sese conten-

1566

Quàm indignè tulerit iconomachiam, & alios tumultus Rex Philippus.

Regis ad Auraicũ literæ.

1. Augusti.

Honesta licentia seu missio.

Querela Regis de Comite Ludoico.

1566 contentiosius immiscuisse. Quod cùm Rex non possit non credere, mandat Auraico, vt huic malo remedium quærat, ne vlterius proserpat, sed comprimatur. Quòd si tibi visum, inquit, consultum fore, vt eum per aliquot dies à te remoueas, rem non ingratam facturus es.

His literis Rex abundè satis declarauit, quo esset in Auraicū animo. Quod autē de fratre Ludoico monet, paucis mirum videbatur. Ferre enim multi nō poterant, Comitem Ludoicum, hominem externum, longè extra prouincias Belgicas natum, qui nullas in Belgio ditiones, nullas habebat publicas functiones, nullo aut Regi aut subditis sacramento obligatus erat, sed tanquam in aliena Republica versaretur, omnium negotiorum se principem gerere, idque inuito, vt videbatur, fratre, qui omnia fœderatorum consilia, nouaque studia, si verbis fides habenda sit, improbabat.

Deferbuerat iam in multis vrbibus Euangelij nouitas, & vrbes atque oppida multa ad pristinam tranquillitatem atque obedientiam reuertebantur, Valencenis & Tornaco exceptis: quæ duæ ciuitates, è tota VValonicarum vrbium multitudine, ita nouas sunt factiones amplexæ, vti harum duarum maiores, quàm cęterarum in vniuersum Teutonicarum vrbium motus extiterint, quos eloquentissimus Verharius prolixius commemorat, quàm instituti nostri ratio, vt sequamur, admittit. Primaria igitur capita tantūmodò ex illo repetemus.

Tornaci conciones.

Tornacenses primùm III. Calend. Iulij ad pontem Arnouillium, in territorio Tornacesij noctu conciones habuerunt. Inde pridie Cal. ad pontem Riæum. Magistratus ciues ab his concionibus continere non poterat, eò quòd Dominus Moilbasius, præsidio omni ex vrbe in arcem traducto, Magistratum inermem reliquerat. Quare collegia & confraternitates ciuium, vt sibi in concionibus impediendis adsint, Senatus commonefacit. Negant illi se hoc facturos. A Parmensi igitur Equitem aurei velleris, qui vrbi imperet, atque præsidium exigit. Promittitur vtrumque: sed ciues negant se præsidium in vrbem admissuros. Alijs igitur conditionibus ciues cum Parmensi paciscuntur. Sed pacta post violantes Tornacenses IX. Calend. Septemb initio minora vrbis templa, deinde Augustissimæ Matris Dei Cathedralem Ecclesiam fœdè diripiunt,

Tornaci templa diripiuntur.

sunt, Ambrosio concionatore sumptus, quos isto in o- 1566
pere fecissent sacrilegi, persoluente. Tandem B. Eleutherij, earum prouinciarum Apostoli, augustum templum ingressi, omnia comminuunt, frangunt, perdunt, ima templi viscera cuniculis actis scrutati, religiosa iuregentium sepulchra violant, Ecclesiæ thesaurum quærentes, quem & tandem inueneunt: sed inuentus arte quadam in arcem delatus est. Inde in agros Tornacenses vnà cum socijs Valencenensibus excurrentes, obuia quæque Monasteria & pagorum Ecclesias, vt armatorum hostium castra inuadunt. Sed tandem VIII Calend. Septemb. à Roberto Longeuallio, Domino Zittardij, & Ferrico Guyonio, Monasterij Aquicinctensis Bailliuo tota illa colluuies ope rusticorum iuxta Thliloum & Brilloum ad internecionem contrucidatur. Rustici hac pugna efferatiores animis facti, nouam sacrilegorum multitudinem simili clade concidunt, agrosque suos hoc modo ab istorum nebulonum vi liberant. Fœderati, qui iam Regi gratificari velle videbantur, mittunt Tornacum Esquerdium & Vilerium, vt turbas sedarent. Sed quia mandatum à Parmensi nullum habebant, nihil effecerunt. Dum consulitur Parmensis, mittit eò, prout Senatus petierat, aurati velleris Equitem, Comitem Hornanum: sed is sua simulatione & nimia inconstantia turbas maiores dedit, quàm inuenit. Reuocatur itaque Bruxellas Hornanus, & IV. Calend. Septemb. mittitur priuati Consilij Secretarius Torrius: sed & ipse, cùm incredibilem Geusiorum Tornacensium pertinaciam expertus esset, re infecta, retro vnde venerat domum reuersus est. Torrio profecto Moilbaisius arcis præfectus ostendit: Non esse quòd tergiuersarentur, velle vti ingenuè responderent, templis excederent, conciones vrbe educerent, in agro, si vellent, concionarentur. Imperari hoc illis poterat, cùm ante pactum Parmensis cum fœderatis conciones in vrbe non habuissent. Nouis itaque altercationibus in mensem Decembrim res extrahitur, multisque intra vrbem periculosis motibus ita agitur, vti nullis legibus res componi, nisi milite à Noircarmio per arcem inducto, nouis Religionibus, ministrisque profligaris, potuerit.

Cæduntur iconoclastæ, & Monasteriorũ direptores.

Valencenates non minorem iniuriam Religioni fecerãt. Agrariæ conciones mense Maio haberi cœperunt. Mense deinde Iulio inspectantibus magistratûs delega-

Valencenensium tumultus.

1566 delegatis extra portam Tornacensem frequenti auditorio quidam minister concionabatur, & finita concione in vrbem introducitur. Metuebat Parmensis, ne Galli veteres Burgundionum hostes ea nouæ Religionis specie in Belgium pertraherentur: quòd si fieret, nulli vrbi magis quàm Valencenensi metuebat, siue quòd peropportuna situ atque opere existeret, siue quòd cum Gallis magna ea vrbs mercimonia iampridem habere consuesset. Multis itaque literis & legationibus Parmensis magistratum commonefacit, vti ciues in officio retineat, aduigilet ne quid vrbs detrimenti capiat. Per Noircarmium quoque, qui tum absente Marchione Hannoniam, Valencenasque vicaria opera procurabat, laborauit, vti vrbs præsidium admitteret, & Senatus concionum inducias imperaret: sed neutrum obtineri potuit. Nono verò Calend. Septemb. vilissimorum hominum caterua initio templum B. Virginis foribus effractis, inde cætera vrbis templa sacrilego ausu turpissimè contaminat. Translatis deinde in vrbem concionibus, primò in Beginagio, inde templo B. Gaugerici, & cæteris, quas liberet, occupatis Ecclesiis, nouæ Religionis mysteria auspicantur. Paulò post vrbe egressi, vicinis Monasterijs & pagis parem contumeliam inferunt. Veniunt eò futuri rerum arbitri fœderati Geusij Lumbrius & Audrignens: sed quòd mandatum nullum haberent, inutilis fuit eorum aduentus. Noircarmius, Magistratusque à Consistorialibus postulabant, templa restituerent, conciones intra vrbem nullas haberent, peregrinos ministros dimitterent, fœderatæ nobilitatis pactis starent. Non placent hæc postulata Consistorialibus. Multis itaque altercationibus September & October effluunt. Non fert eas moras Noircarmius: delegatos magistratûs, Consistorijque Cameracum euocat, nihil impetrat. Ostendit illis Noircarmius literas Parmensis, quibus nulla mora templis discedere, extra vrbem concionari, Grangiumque ministrum Gallum dimittere Consistorio imperatur. Nisi ad tertium Cal. Nouemb. Quercetum veniant, & absolutè respondeant, Valencenates pro hostibus habendos. Veniunt, legibus à Noircarmio propositis Cõsistoriales subscribunt, ea lege, vt Noircarmius Valencenas veniret, locumque concionibus habendis designaret. Veniens Noircarmius, cùm diu inter portas substitisset, Cõsistorijque delegatos vocasset, nulli autem

venirent,

venirent, offensus hominum arrogantia, petulantiaq;, re infecta discessit. Contemnunt Noircarmij offensam ministri, & reliqui eius farinę homines. Hinc Noircarmij miles in Valencenates, & horum in Noircarmij militem quotidianæ excursiones, cædes, direptiones: Hinc Carthusianorum Monasteriũ, vrbiq; vicinas ædes Valencenates demoliuntur. Sub finem mensis Nouemb. Parmensis imperat Valencenatibus, vti equitum turmas quatuor, peditum signa totidem in vrbem recipiant. Quod cùm se facturos negarent, XIX. Cal. Ian. grauissimo edicto regio proscribuntur, bona eorũ publicantur. In hoc Regis edictum ministri debacchari, Parmensem, Noircarmiumq; maledictis incessere, palã affirmare, futurum breui vti ab occidua Flandria Cameracesiũ flãma atque ferro crudelissimè res agereretur. 1566 / 14. Decemb.

Interea Consistoria de Tornacensibus & Valencenensibus sollicita, militum delectus habere in Flãdria instituũt. Huius militiæ ducem quidam Magister Cornelius, ex fabro serario minister, se profitetur. Sed quidã ex eius militibus ab Insulanis, quidam Kesenetij à Rassingemio cæduntur, cæteri VVaterlosij in turri cõcremãtur. Habebãt & alios delectus circa Tornacũ, qui cùm duo Monasteria Canonicorũ Regularium, vnum Carthusianorũ, Canonicorũ, nobiliumq; aliquot priuatas ædes succendissent, Magistro Cornelio sese iunxerunt, omnia turpissimè circum ea loca deuastantes. In hos IV. Cal. Ian. ita profecti sunt Noircarmius & Rassingemius, vt alter de alterius profectione nihil intellexisset. Ante itaque quàm inuenire hostem Rassingemius potuit, cęsum à Noircarmio haud longè à Lanoio intelligit. Noircarmius vndecim signis comitatus arcẽ Tornacensem triũphans ingreditur, vrbiq; Ioannẽ Coium Comitẽ Reusij præfectũ constituit, qui ciuium armis in curiam delatis, nullo momento omnes ministros vrbe eiecit. Inde ad suos Valencenates reuersus Noircarmius, eos arctius obsedit; magnam Catholicis rei restituendæ, meliorisque in posterum Reipub. spem effecit. *Cõsistoriũ delectus militum habent. Flãdricæ militiæ Dux, è serario fabro minister. 29. Decẽb. Tornacẽses eiectis ministris ad obedientiam reducti.*

In Saxonia Lutheranicus ille cancer, nondum suis limitibus contentus, serpebat vlterius: quomodo enim hominibus vetri, & quæ sub vetre sunt deditis, fides tã blandula nõ adlubesceret? Magdeburgẽsis itaq; Archiepiscopus hoc anno factus Ioachimus Fredericus, Ioannis Georgij Electoris Brandeburgensis filius, protrito optimo *Diœcesis Magdeburgensis*

1566 to optimo illo ſemine, quod Albertus primus Archiepiſcopus, è cœnobio S. Maximini ad Treuerim, iuſſu Imperatoris Ottonis I. euocatus, in hoc Vandalico agro ſeminauerat, zizania ſuperſeminans, Religionē Catholicam in Lutheranam commutauit, Saco quodam Northuſano primo iſtic declamatore conſtituto. Idem hoc anno fecit Chriſtophorus Dux Megapolitanus in Epiſcopa ſua Raceburgenſi. Halberſtadenſes mortuo Epiſcopo ſuo Sigiſmundo Brandenburgenſi, Henricū Iulium, Iulij Ducis Brunſuicenſis elegerunt, ſed Religionem Catholicam retinuerunt. Bernardus Raeſuelt Epiſcopus Monaſterienſis hoc anno præſulatum deſeruit, in cuius locum Canonici Ioannem Comitem ab Hoya, Principem ingenioſum, eruditum, eloquentem, munificum, Catholicæ Religionis præclarum vindicem elegerunt.

Luthera nam religionem recipit. Idem facit Raceburgēſis. Halberſtadienſis & Monaſterienſis mutatis Epiſcopis, Religionē nō mutāt.

Quantum pura, ſinceraque fides decreſcebat in Aquilone, vnde omne malum panditur, tantū accreſcebat in Oriente, vnde verum lumen, occaſum neſciens, naſcitur: quantū arctabatur in Septentrione, tantum in Eoo dilatabatur area Eccleſiæ. Hîc Collegia & Epiſcopatus deficiebant: illic Regna integra proficiebant. Inſula eſt in mari Indico, Anglia, Scotiaque maior, gradum habens latitudinis Septentrionalis medio parallelo XXXIV. longitudinis CLXX. dicta Iapania, quæ in multa regna diuiditur. In hanc Inſulam Patres Societatis Ieſu præteritis annis ingreſſi, verbum Dei magno fructu diſſeminârunt, infinitosque homines ab immūdorum idolorum cultu ad veram Chriſti Religionem conuerterunt. Peruenit tandem verbum ad Xumitandam Principem, non minus animi dotibus, quàm corporis ornamentis & aſpectu inſignem, per adoptionem nuper Omuranorum Regem factum. Hic cùm Chriſtianos de noſtris myſterijs diſſerentes ſæpe cum magna animi voluptate audiuiſſet, tandem ipſe cum multis ſuis Proceribus baptizatus eſt, & Bartholomæi nomen aſſumpſit. Statim ad integrum Regnum ſuum ab idololatriæ ſordibus purgandum animum adiecit, idola ſuſtulit, ſacrificia aboleuit, verum Dei cultum in omnes vrbes intulit. Non tulit hanc mutationem Satanas, ſed Bonzios ſuos, eius gentis ſacerdotes, exagitauit, qui quòd viderent omnia, ex quibus magnus ad eos quæſtus redire conſueuit, exterminari, Gotundonum filium defuncti Regis ſpurium feruenti ac

Chriſtianæ Religionis ſtatus in Iapania.

ſediti-

seditiosa oratione in Xiumitandam concitârunt. 1566
Gotundonus, qui vltrò iam Regem oderat, quòd per illum Regno paterno priuatum se quereretur, de Xiumitanda pellendo aut trucidando cogitauit. Habebat aliquot vrbes sibi à Regiis comitijs concessas, ne omnino priuatus videretur. Harum, finitimorumque Procerum, qui nondum Christianæ fidei erant initiati, auxilijs, coniuratione in Regem facta, cœpit Regnum paternum inuadere, sibique subijcere. Omnes, qui Christianam Religionem in insulam inuexerant, iussit crudeliter occidi. Tumultus à coniuratis Arrimæ, duce Feribo magnæ auctoritatis viro, primũ incepit; trucidati sunt quidam Christiani, Rex non procul ab Icoxiura impugnatur, quosdam è suis amittit, victorum copiæ augentur, Palatium & vrbs Regia incenditur. Rex cum præfecto vrbis & fratre in munitionem vrbi vicinam sese recipiunt Sed cùm bellũ ingrauesceret, Rex, Lusitani omnes, omnesq; Christiani cum vxoribus Filandiũ primũ, inde vlterius profugiũt. Dum amici Regẽ hortãtur, vt ad pristinum Deorum cultum reuertatur, hac vna ratione omnia facile posse placari, Deus suorum miseratus, afflictis Regis rebus opem tulit, versoque fortunæ flatu, Rex superior factus, paucis locis exceptis, omnia quæ adempta erãt recuperauit. Cœptum deinde ad timorem suppliciorum vbique Regium nomẽ conclamari, erecta locis omnibus regia vexilla & insignia, ad lætitiæ significationem multa tormenta bellica terra marique displosa; plebs omnis ad Regem confluxit. Gotundonus obsessus: ab Arrimę Regis fratris viribus, cum copijs Bartholomæi coniunctis, concremata sunt, & deuastata omnia Feribi castella, vt tantam iniuriam Regi illatam vindicarent. Huc, huc Ministelli, huc Doctorculi noui, huc, in has terras proficiscendum, in his gentibus verbum Dei erat annuntiandum. Quid in alieno agro seritis? quo iure fontes alienos transuertitis? qua licentia possessionem non vestram occupatis? Quòd si tantus in vobis ardor homines conuertendi, Euangelium diuulgandi, gloriam Dei illustrandi, dicite quæso, cur non ad Indos, ad extremos terræ populos idololatras, Christum ignorantes, noscere tamen cupientes, proficiscimini? quid vos domi tenet? focus perennis, mensa lauta, iucundi calices, pellita vestis, lectus mollis, & ad latus cubans Corinna dulcis, salax Nisula. Pro

1567 quibus omnibus perpetua,extremaque miseria esset toleranda,& tãdem acerbum pro meritis subeundũ martyrium. Manete igitur: neque enim talibus ministris eget Deus, neque fructum hic vllum faceretis, cùm professio vestra sit non conuertere,sed peruertere. Sed ad sequentem annum progrediamur.

ANNVS Domini M. D. LXVII. etsi Belgis præcedenti fuerit tranquillior, alijs tamen Regnis & Prouincijs Mars cum sua Bellona hoc anno grauissimas concitârunt tragœdias. Ipsis Calendis Ianuarij, quibus veteris anni exemplo sapere homines oportebat, quidam minister Hermannus, homo (vt fertur) ad seditionem natus, Antuerpia Traiectum ad Mosam profectus, ita populum concitauit, vt eo die in templa, monasteriaque furibundi Caluinistæ debaccharentur. Traiectum autem vrbs elegans est & munita, in terra Leodiensi ad Mosam posita, quam pro indiuiso Dux Brabantiæ & Episcopus Leodiensis eo iure obtinent, vti summi imperij auctoritas penes vtrumque existat: ciues matris conditionem sequantur, vtrique & Brabantini & Leodienses ab vtroque lecto magistratui pareant. Exemplum Traiectensium mox sequebantur Maseica & Hasletum, quæ vrbes ad eundem Episcopum pertinent. Gerardus Groesbecius, tunc Episcopus, gratia apud Leodienses plurimum valebat, tum quòd prudentiæ magna eius laus erat, tum quòd in imperio singulari modestia vteretur. Qui cùm animaduerteret Diœcesin suam periculosis motibus iactari, maturè gliscenti malo ita occurrit, vti Hasletum admotis castris, mœnibusque deiectis ad deditionẽ compulerit, Hermannus, in curru fœno onusto delitescens, mortem euaserit, Maseica obsidionis metu ad officium redierit, Traiecto adhuc nutante, & lupum, quod aiunt, auribus tenente.

Traiectũ ad Mosã, Maseica, & Hasletum nouã Religionẽ amplectũtur.

Maseica & Hasletũ ad officium reducuntur.

Suendius in Vngaria, post discessum Barbaricarum & Erdeliani copiarum, auctis copiis, in apertum exijt, mediaque bruma ad obsidendum Zatuarum profectus est. Castrum nomen i est non leuis, in Erdelij finibus situm, quod Georgij Bebecij ditionis erat, hominis nefarij, qui primus auctor huius inter Cæsarem, Erdelianumq; belli exstiterat. Bebecius, quòd magnopere metueret, ne castro expugnato in Maximiliani manus cũ præsenti vitæ periculo veniret, vxore, familiaque Zatuari

Zatuarũ obsidione cingitur.

tuari cum præsidio relicta, fugæ beneficio saluti consuluit. Aliquamdiu perstiterunt in obsidione toleranda præsidiarij, quòd machinæ bellicæ nihil, nec ipsis, nec arci damni dare possent. Cui Suendius incōmodo remedium quæsiturus, dum ipsemet omnia circum arcem loca perlustrat, & explorat, agnitus ab hostibus, ex insigni proceritate corporis, comitatusque frequentia, parum abfuit, quin discrimen vitæ adiret. Petitus enim globis aliquot tormentarijs, quorum vnus humerum ita strinxit, vt etiam vestis igne concepto arderet. Nihilominus commodiore pro tormentis reperto loco, tandem præsidiarij ad extremam redacti desperationem, vxori Bebecij ac familiæ, sibique salutem pepigerunt, & Suendio castrum sub medium mensem Ianuarium dediderunt. Non magno post captum Zatuarum temporis interuallo Suendius, nulla habita frigoris ratione, ad obsidendum Moncazium signa conuertit, locum munitissimum, & huic bello conficiendo cum primis idoneum. Cumque toto quatriduo crebris ictibus Cæsariani mœnia verberâssent, hiatumque amplum aperuissent, præsidiarij vitam, facultatesque saluas pacti, deditionem fecerunt. Ea res animum Erdeliani mirum in modum perturbauit, totisque viribus recuperandam munitionem amissam statuit. Non enim ignorabat hâc patere transitum in Poloniam & Russiam, seque præpediri, quo minus in posterum subsidiarias copias è Regno Poloniæ posset euocare, nisi eas per Moldauiam varijs ambagibus & itinere difficili venire vellet.

1567

Ianuar. 15 Zatuarū deditur.

Ad tragœdias Scotorum venturus, fateor me rem aggressurum maximi quidem momenti, difficilem, incertam, & fortè nulli, præter paucos, tunc sibi sceleris conscios, & Deum ipsum cognitam. Regis enim cædem descripturus sum, quam tanta malorum Ilias est subsecuta. Factum constat, de auctoribus verò facti magna est controuersia. Buchananus cum suis Caluinianis omnes neruos suos eò intendit, vt ostendat, lectorique persuadeat cædem hanc ab ipsa Regina procuratam: Catholici verò, integro de hoc scelere edito libro, Reginæ innocentiam ostendunt, & crimen hoc in Iacobum Reginæ fratrem spurium, Regni spe inflammatum trans-

SCOTICA.

1567 ferunt. In re itaque tam ardua, tamque dubia scopum ferire, cùm perquàm difficile sit, nos quasi per transennam ipsum factum commemorabimus: perpetratores verò, auctores, & consultores Diuino iudicio permittimus.

Sublato è medio per iuratos Reginæ inimicos Dauide (vt dicebamus) Rizio, Regina omni penè suorum consilio, auxilioque destituta, Comitem Bothuelium, è primis Scotiæ proceribus vnum, cuius præclara in eam extabant officia, præ cæteris elegit, cum quo intima sua consilia conferebat. Hinc noua inter proceres orta est æmulatio, qui conquerebantur vnum Bothuelium omnia posse, vnum negotijs omnibus præesse. Hîc Buchananus, pro suo in Reginam, Religionemque Catholicam, cuius infensissimus hostis est, affectu, multa de animo Reginæ à Rege marito auerso refert: pœnituisse eam coniugij, & à Rege solui petijsse: Regem igitur contempsisse, vix necessaria ei ad tuendam dignitatem suppeditasse, venenum propinasse, & alia multa, quæ alij vt præclara mendacia aspernantur. Regina interim puerum Regem, ne in potestatem rebellium veniret, vix septimum ætatis mensem egressum, Glascua Edenburgum secum abduxit. Rebelles, quòd Rex Catholicus esset, quòd Regina eius Religionis vindex esset acerrima, quòd puer Regni hæres, in tutela parentum constitutus, in eadem Religione educaretur, Reges sublatos, puerum etiam, aut necatum, aut in suam potestatem translatum cupiebant, ne vltor præteritarum iniuriarum existeret, & Religioni suæ, quam nuper inuexerant, optimè caueretur, quam Regibus viuentibus incolumem habere se posse desperabant.

De morte Regis Scotiæ Buchanani & Caluinianorũ sententia.

His rebus ita constitutis, decimo Februarij (vt succincta nostra sit narratio) quo die Sebastiani, cuiusdam è cantoribus, nuptiæ in palatio erant celebratæ, Regina vespere cum satis magno comitatu ad maritum visendum abijt, & hilariter cum eo per aliquot horas collocuta, tandem annulum ei tradidit, & cubitũ discessit. Hîc Bothuelius, amictus chlamyde militari, paucis comitatus, è palatio in oppidũ redijt. Duæ aliæ consciorum turmæ, diuersis itineribus, cùm ad locum destinatum venissent, pauci cubiculum Regium, cuius

claues penes ipsos erãt, ingrediũtur: ipsum alto somno solutũ inuadunt, ac faucibus comprehensis, famulum quoque vnum, qui iuxta lectulum accubabat, strangulant. Strangulatos per portulam, quam in hunc vsum in muris vrbis ædificauerant, efferunt in hortum propinquum. Deinde sulphureo pulueri, in cubiculo inferiori ad euertendas ædes collocato, ignem admouentes, domum à fundamentis conuellunt. Sic Buchananus. Audiamus alios. Iacobus nothus, ait Genebrardus, Reginæ frater, spe regnandi curat, vt Rex, qui exacto conuiuio dormitum abierat, inter confœderatorũ manus suffocaretur, siue è fenestra clapsus, siue cum ædibus puluere tormentario in aëra sublatus. Reginam, quòd huic conuiuio non interfuisset, propterea que cõiurationem frustrata esset, auctorem huius cædis mox spargunt. Addit Buchananus: Rumores interea sparguntur à parricidis, Regem consilio Comitum Morauiæ & Mortonij esse interfectũ. Hæc sunt, quæ de hoc facto accepimus: consilia verò, quæ præcesserunt, quæque secuta sunt, & præcipua in ipso scelere acta, intra aulæa & peripetasmata fortasse manebunt: non extra scenam ante supremum illum diem proditura: quæ etiamnum essent nobis notiora, si Reginæ æquus iudex vnquam obtingere potuisset. 1567

Genebrardi & catholicorũ sententia.

In Belgio Rex Philippus expectabatur: multa enim in Hispanijs ad iter hoc comparata vulgò ferebatur: sed elanguit paulatim ea fama, nec nisi rebus compositis venturus in Belgium nuntiatur. Quin & passim rumor increbescit, Regem constituisse imperij seueritate Religioni, sibique illatam iniuriam vindicare. Scripserat quoque in eandem sententiam literas ex Hispanijs Montignæus ad fratrem Hornanum, quibus eum, cæterosque de officio commonefaciebat, multaque de graui Regis ira commemorabat. Quin & Franciscus Alaua, Hispanus Regius in Gallijs legatus, multas iustissimi grauissimique metus causas Proceribus loquendi scribendique calore sæpe dederat. Huius sub finem Decembris alteræ quædam literæ intercipiuntur, & ad Auraicum perferũtur, in quibus cùm omnis mali originem in Egmondanum, Auraicum, & Hornanum deriuasset, multa arcana Regis consilia Parmensi perscripsit, Regisque indignationem adeò amplificauit, vt scelera in Belgio perpetrata Regem minimè inulta relicturum affirmaret, etiam si aliorum

De Regis Hisp. in Belgium aduentu fama.

Alaua loquẽdo scribendoque procerum Belgicorũ animos exacerbat.

1567 Regnorum iacturam faceret, omnesq; Principes Christianos, vt opem ferant, inuocaret. Proceres itaque Montignæi, Alauæ, aliorumqúe literis, communiqúe fama, quæ circumferebatur, moti, suis rebus prospicere cœperunt. Sub finem itaque anni præcedentis Auraicus, Egmondanus, Hornanus, Hochstratanus, & (quod Rex vetuerat) Comes Ludoicus Teneremundam Flandriæ vrbem conueniunt: Egmondanus Auraicum Bruxellas venire cupiuerat: contra Auraicus certis de causis Bruxellas se tutò venire non posse ostēdit. Lectis in hoc conuentu Montignæi & Alauæ literis, Auraicus ostendit, homines de cœpta Religione vi minimè depellendos esse, & contra imminentem ex Hispanijs siue iratum Regem, siue quam aliam militiam tempestiuè de salute cogitari debere affirmauit. Ludoicus fratri assentiebatur, multaque de Germanicis auxilijs in medium adferebat. Variè hîc Principum erant sententiæ. Quidam (vt diximus) vi resistendum suadebant: alijs placuit Belgio excedere, & irato Regi locum dare. Nonnulli in ea erant opinione, quòd si Rex ipse in Belgium venerit, amicos & intercessores non defuturos, qui iratum Regis animum placarent. Solus Egmondanus induci non potuit, vt crederet Regem tam mitem & clementem, adeò nunc exacerbatum esse: iniuriam Regi facere asserebat, qui ita de Regis mansuetudine sentirent. Si qui sibi malè conscij Regis aduentum expectare non audeant, patere ipsis iter Belgio excedendi, & aliò se transferendi. Sibi id propter vxorem, liberos, & familiam integrū non esse: A Rege se, suamque salutem dependere, sine quo nil posset. Hornanus suo more militariter multa iactabat: de Hoochstratano obscura est fama. Vnus Ludoicus liberrimè de auxilijs ita loquebatur, vt collectis vndique pecunijs ipse in Germaniam proficisceretur, quatuor millia equitum, quadraginta signa peditum, omnesque copias, quibus Augustus Saxo auctoritate Imperij tunc Gotham obsidebat, in Belgium adduceret. Nulla itaque re certa constituta, conuētus solutus est, ea tamen spe, quòd Auraicus omninò sibi persuaderet, se Egmondanum tādem in suam sententiam pertracturum. Reuertitur itaque Bruxellas Egmondanus, & Parmensi Alauæ literas ostendit. Teneremundensis hic conuentus postea captiui Egmondani causam reddidit deteriorem: licet nihil in

Cōuentus Teneremundanus.

eo aut dixiſſet, aut fec.ſſet, quod Regem offendere debebat. At Vilerij calũnia id factum eſt, qui tum Teneremundæ erat, & poſtea ab Albano capite truncatus. Hic nonnullos Auraici ſermones, conſiliaque probaſſe eo conuentu Egmondanum quæſtionibus falsò affirmauit. 1567

Querelæ erant quotidianæ Caluiniſtarum, quòd nobiliſſimorum hominum auctoritatem ſecuti, ea vel ſibi dãno, vel ijs, qui fidem dediſſent, dedecori in poſterum eſſet futura. Parmenſis indultum de concionibus habendis ita interpretabatur, vt de concionibus tantùm, non etiam de baptiſmo, cœna, cæteriſque exercitijs intelligendum diceret. Illi cõtra ſeiungi à concionibus reliqua Religionis exercitia tam non poſſe, vti ijs ſublatis, ne conciones quidem fuerint optaturi. Promiſſum ſibi tam ab aurei velleris Equitibus, quàm fœderatis nobilibus, futurum vti nulla cum iniuria frui ſibi vniuerſæ ſuæ Religionis myſterijs permitteretur, quoad Rex ex ordinum generalium decreto totam eam controuerſiam finijſſet. At nunc militu delectus haberi, infenſos ſibi vrbiũ magiſtratus, clericos dira comminari, S. Amandi Eccleſiam diſturbatam, chariſſimos fratres Valencenates armato milite obſideri, innoxios ad ſupplicia fideles rapi, & de alijs multis querebantur. Admiſcebãt his execrationes, minas, & ſeditioſos ſermones, quibus grauiores in ſe Regis & Parmenſis iras indies concitabant.

Querelæ nouorum religioſorum.

Bredenrodius ijs temporibus in Hollandia degebat, vbi magnis ſeditioſorum hominũ ſtudijs, laudibusque colebatur: cui Auraicus Vltraiecto tormenta bellica dono Vianam miſit. Erat autem Viana ditionis Bredenrodij exiguum oppidulum, vno ab vrbe Vltraiectenſi milliari trans Leccam ſitum, quod nouis munitionibus firmabat: multa eius oppiduli priuilegia ſummique imperij poteſtatem oſtentans. Typographiã in vrbe inſtituit, libros quos vellet imprimi curauit, præſidia pro arbitrio vrbi impoſuit, infeſtos ſibi odio vetere Vltraiectinos multis ad Leccæ fluminis ripam incõmodis diuexauit. Poſtremò ij multorũ ſermones ferebantur, vti ad Hollandiæ Comitatum, Friſiæque vetus Regnum iure gentilitio breui rediturus Bredenrodius magno ſeditioſorum applauſu diceretur.

Bredẽrodij conatus Vianæ, & ad Leccam.

Ad hunc itaque Bredenrodium, in quo vno ſpes.

nouo-

1567 nouorum hominum omnis erat reposita, quique vnus omnem Regis obseruantiam, metumque facile depositurus credebatur, legatos Quarebbium, Prætorē Louaniensem, & secretarium Torrium Parmensis ablegat, qui ostendunt illi: Sperasse Parmensem vti Inquisitione, edictisque sublatis (quod futurum Bredenrodius, cæterique fœderati promiserant) ad officium homines reuerterentur: tamen eo suo beneficio rem eam non esse Parmensem consecutam, vti contra laxata in omne scelus effrænis pessimorum hominum audacia, turpissimis res motibus sit concussa. Cùm itaque necessariò res ad arma redierit, imperasse Regem, vti qui sibi homines sacramento militari teneretur, eos Parmensis de sacramento denuò rogaret. Cupere itaque Parmensem, vti Bredenrodius iurisiurandi religionē in hanc sententiam repetat; Qua vellet Rex conditione in quos vellet iuberetque hostes, bona fide se Regi militaturum: fœdera nulla habiturum, susceptis renuntiaturum. Hoc sacramentum dixisse primarios velleris aurei equites, nihil iniquum postulari: Regi eam rem gratam, & sibi vtilem fore, vt qui hoc modo innocentiam suam ostenderet, cōtra hos, qui eius nomine in susceptis tumultibus abutebantur. Bredenrodius ad hæc: iurisiurandi repetitionem negat, fœdera se nulla pactave suscepisse, præter ea, quæ cum Parmēsi haberet, asserit, seditiosos se armis oppugnaturum promittit. Hinc denuò Legati: Intelligere Parmensem communiri nouo opere Vianam, neque sine Regis auctoritate, neque fieri eam rem nunc debere. Ab opere igitur desisteret, metumque nouæ munitionis à Rheni ripa, vrbeque Vltraiectensi amoueret. Excusat exiguum hoc opus Bredenrodius, aduersus prædones se hoc inchoasse affirmat, rogare vti perficere sibi liceat. Ventum deinde ad alia duo capita: de militibus scilicet à Bredenrodio conscriptis, delectibusque Antuerpiæ, & circum Vianam nonnullis ab eo habitis, & de Typographia, ex qua nuper prodierat liber de confessionis Augustanæ & sectæ Caluinianæ concordia: cuius exemplaria Viana Amstelredamum essent delata. Quo ad milites & delectus, eos esse suos, aut suo iussu collectos Bredenrodius negat. Si qui Vianæ essent milites, eos ad oppidi sui custodiā introductos. Quod de typographis proponeretur, fateri se duobus typographis imprimendi potestatem fecisse; nolle se vt ea

Parmensis legatio ad Bredērodium.

auctoritate abutantur: si deliquerint, facturum se cùm primùm Vianam esset rediturus, vti Parmensi satisfiat. Hoc modo ambagibus, purgationibus, inanibusq; promissionibus Legatos à se dimisit. 1567

Egmondanus nouo iureiurando fidem nulla exceptione Regi, Parmensiq; obligârat. Literas igitur ad Flandriæ consistoria misit, quibus contra quàm pactis conuenisset, multa eos seditiosè facere ostendit, nullaque idcirco in posterum eorum se pactorum fide teneri demonstrat: quorum fidem, auctoritatemque priores violâssent. Rogat itaque iubetque, vti ab omni suæ Religionis professione abstinerent, templa, quæ construere inceperant, non perficerent. Regi res eas imperanti parerent. Magnæ hinc illam Egmondani voluntatem, sententiamque rerum commutationes sunt consecutæ. Diffidentibus inter se maiorum gentium proceribus, nobiles etiam fœderati inter se diffidere cœperunt; adeò vt tertius quisque à socijs ad Parmensem deficeret. Sed & Nobilium vulgus prouinciatim per prouinciarum præfectos rogatus de iure iurando ingente multitudine nulla mora in officio se futurum ostendit. Faciunt idem omnibus locis veterani milites atque duces. Quin vrbium Catholicarum, cæterarumq; Magistratus priorum mensium iniurias recuperata auctoritate, vel edictis, vel factis seuerè vindicare incipiunt. Auxerat ea hominum studia Dux Arscotanus, qui per vrbem Hallas Bruxellas profectus, imagines B. Mariæ Virginis, signa peregrinationis, quæ ad istum locum Religionis ergò fit, sibi, multisque nobilibus, ea hominum opinione affixerat, vti ea nota magnam facturus Catholicæ Nobilitatis societatem crederetur.

Egmondanus auctoritati Parmēsis se subijcit

Mutationes hinc secutæ.

Arschotani Ducis factum.

Buscumducis eo tempore grauissimis motibus æstuabat. Missi sunt eò à Parmensi Scheifuius Brabantiæ Cancellarius, & Merodius Petersemij Dominus, vt vrbis quietem restituerent. Sed ob insanas Ministrorum conciones, ob seditiosos Antonij Bombergij cuiusdam Agilei, paucorum item aliorum factiosorum hominum conatus, nihil operæpretij efficere potuerunt. Suscepta sunt à magistratu pacta, vti conciones in vrbe vetarentur, ministris certæ leges præscriberentur. Non placebant conditiones Caluinistis. Megemus interea legionem peditum in Gelria, Cliuiaque conscripserat, cùm hac sese imperãte Parmensi

Buscoducensium motus.

1567 mensi ad portam Vuchtiam ostendit. literas Parmensis in vrbem mittit, quibus præcipit, vt militem in vrbem recipiant, & perhumaniter ciues de officio cōmonefacit. Cæterùm vt primùm Megemus conspectus est, cœptum est in vrbem tumultuari grauius, quàm vnquam antea. Bombergius & Consistoriales Cancellario, Persemioque manus iniecerunt; captos de perduellione, de susceptis cum Megemo in vrbis perniciem occultis consilijs accusârunt: multis verborum contumelijs dolo malo persuasa pacta captiuis exprobrant. Magistratui eum metum iniiciunt, vti quatuor vrbis centuriones, quibus vniuersæ vrbis ciues parebant, apud vnum Bombergium sacramenta dicere pateretur: Bombergius ea lege supremum militiæ imperium acciperet, vt Catholicos, cæterosque pari fide contra Megemum defenderet. Megemus itaque Buscoducis digressus, Vltraiectum proficiscitur, atque istic milite in vrbem introducto, nullo momento sectariorum cœtus, collegiaque disturbat.

Antonij Bombergij factio.

Megemus militem Vltraiectum introducit.

Fœderati, qui Religionis Caluinianæ exercitium mordicus defendendum sumpserant, videntes se non tantùm ab aurei velleris equitibus, sed & ab ipsis suis socijs deseri, tum proprij genij instinctu, tum ditiorum Caluinistarum pollicitationibus, precibusq; inducti, susceptam causam minimè deserendam, sed persequendam esse decreuerunt. Opus erat duce & antesignano alicuius auctoritatis, cuius fidei ac tutelæ se, causamque suam committerent. Vnus ad hoc idoneus videbatur Auraicus, non tantùm propter prudentiam & rerum gerendarum dexteritatem, sed potissimum quia in Germania magnam habebat consanguineorum, affinium & amicorum multitudinem, qui tempore belli opem ipsi adferre possent. Hoochstratanum quoque, & alios quosdam proceres eius partes secuturos non dubitabant. Adeunt itaque Auraicū, eius patrocinium flagitant. At ille perpendens secum maximam potentiam Regis Hispaniarum, zelum eorum, qui nouam religionem profitebantur, sed minores vires, quàm quibus niti rebus tam dubijs securè quis posset, nec ignorans se Egmondanum, alios Proceres & Prælatos Ecclesiasticos, veteranorum quoque cohortium equites, in hac causa inimicos habiturum, prouinciam hanc in se recipere noluit.

Geusii Auraicū suæ factionis Principē petunt: at ille negat.

Bredero-

Bredenrodius, & alij præcipuæ inter fœderatos auctoritatis Nobiles, etsi Auraico res hæc ardua & supra vires suas videretur, omni metu exploso, cœptum tamen negotiũ minimè deserẽdum, sed extrema quæque tentanda censuerunt. Literas ad Parmensem dederunt, publicam fidem veniendi Bruxellas flagitârũt, vt querelas suas, quas habebant, Parmensi exponant. Rescribit Parmensis, caueent ne Bruxellas veniant: vltimum enim eorum aduentum omnium tumultuum, turbarumque causam extitisse: vigilibus quoque, vt Bredenrodium atque vnà fœderatos omnes vrbe arcerent iubet. Respondet per literas Bredenrodius, qui ijs temporibus Antuerpiæ morabatur, militumque (vti ferebatur) delectus clam habebat: Non suum Bruxellas aduentum, neque libellum supplicem tunc oblatum, sed Inquisitionem, nouitatesque introductas, & tardum, præposterumque ad suum libellum responsum, turbarum præsentium causam extitisse. Suum institutum, suique aduentûs scopum alium non esse, quàm vt ea consilia ineantur, quibus Belgio pax restituatur. Sed quia Parmensis eos admittere nollet, fœderati noua postulata scripto comprehensa ad Parmensem in hanc sententiam miserũt: vti de vetere rerum statu, de pactis mensis Augusti multa commemorarent: hinc in eum sermonem ingrederentur, vti ostenderent suo studio & diligentia multis locis tumultus esse compositos, atque eò rem perductam, vt pristina pax & tranquillitas ad Regis, Ordinumque definitionem expectaretur. Interea noua edicta à Parmensi proposita, quibus conciones, & reliqua Religionis exercitia prohiberentur. Omnia hæc sibi imputari, ob eamque causam malè apud populum audire, qui datis literis hac de re secum expostulauerit. Non tantùm literis & edictis, sed & ipsis factis manifestum fieri, constitutum esse, conciones vi & armis abolere, cùm concionatores capiantur, & malè habeantur. Fieri hæc antequam Rex & Ordines aliquid certi hac in re constituerint. Adhæc socios fœderis malè excipi, varias de illis suspiciones haberi, interdici Proceribus, ne cũ illis familiariter conuersentur, insidias illis strui, vt in carceres abducãtur. Accedere vti multis nouis edictis prioribus pactis repugnetur, militũ tã in ꝓuinciis, quàm extra eas delectus haberentur: nullum imminere peregrinum

1567

Confœderati Bruxellas venire cupiunt: sed reijciuntur.

8. Februa.

Nouus libellus fœderatorũ ad Parmensem.

1567 regrinum hostem, vnos esse se fœderatos, quos ea militia spectaret: vrbibus sibi interdici, itinera militibus obsideri. Ostendunt etiam connexam concionũ & reliquorum ministeriorum rationem esse: prouinciarum præfectos ita passim rem eam intellexisse, sese ita rem eam interpretatos esse profitentur. Rogare itaque se Parmensem secundò, vti & ante annum primò rogârant, vt mentem suam declaret, disertis verbis exprimat, an pactis stare, populo conciones & omnia ad eas pertinentia permittere, an cautionem fœderatis datam sartam tectam seruare, an conscriptas militum copias exauctorare, & seueriora nuper condita edicta abolere velit. Quòd si hoc obtinuerint, promittere sese Parmensi pacem & tranquillitatem: si non obtinuerint, vereri se, vti infinitis cædibus grauissimisqúe motibus Respublica conturbetur. Additũ erat & scriptum Caluinianorum, quo querebantur, maximas persecutiones & iniurias sibi contra æquitatem & datam fidem inferri. Hac re manifestum fieri fœderatos dolo malo secum egisse. Omnino hoc populo persuasum fore, nisi ipso facto ostendant, sibi ad hoc à Parmensi & aurei velleris Equitibus factam esse potestatem. Quòd si fidei, promissisq́ue stare noluerint, rogare se, vt id disertis verbis eloquantur, vt quid agendum sibi sit deliberent.

Scriptum Caluinianorum ad fœderatos.

Parmensis videns fœderatorum & Caluinianorum collusionem, respondet xvj. Februarij Bredenrodio multa verborum, sententiarumque grauitate. Ignorare se qui illi Nobiles sint, quorum nomine hoc scriptum mittatur, cùm plerique eorum, qui anno præterito libellum supplicem obtulerant, Regi reconciliati in cautione data conquiescant. Magnam sibi iniuriam facere, qui de concessis à se nouis Religionibus calumniarentur: inuitam summo animi cum dolore fecisse, vti quibus locis tum conciones haberentur, per ea loca (si à scandalis & opprobrio abstinerẽt) imperio atque vi in conciones non vsuram promitteret. Verùm vt Consistoria nouos creare magistratus, tributa indicere, ingentes pecuniarum summas à populo cogere, doctrinam, ordinemq́ue Ecclesiæ nouum constituere, matrimonia celebrare, è quibus hæredum controuersiæ in contumeliam Regis & iustitiæ orirentur, Baptismum nouis legibus & ritibus suscipere, cæteraque tot & tanta facere eos permitteret, quanta

Responsio Parmensis.

fine

ſine certa Reipub. pernicie non poſſet, id certè quibus 1567
perſuadeant perpaucos equidem futuros. Pluris enim ſe Religionis, Reipub. locique, quem teneret, rationem ſemper feciſſe, quàm vt in res tam ſe indignas, turpesque conſentiret. Ab ijs itaque, qui res eas promiſiſſent, non à ſe poſtulari earum rerum præſtationem debere. De ſecuritate quod proponerent: intelligere fœderatos in præteritum, non etiam in futurum conceptam fuiſſe eam ſecuritatis cautionem, quæ menſis Auguſti conditionibus contineretur: neque aliud ſe tum nobilitati cauiſſe, quàm vti libellũ menſis Aprilis nemini damno iniuriæve futurum intelligerent. Iure ijs ſe iraſci, qui tantam ſibi contumeliam facerent, magnasque Regem cauſas habere, cur ferre eorum hominum improbitatem non oporteat, qui verbo obſequium atque fidem præ ſe ferrent, re grauiſſimis ſeſe criminibus, ſceleribusque obſtringerent. Accuſari ſe quòd contra pacta conuenta iniuriam vel ſuis edictis, vel magiſtratuum auctoritate nonnulli acciperent: ijs acceptum ferre eum dolorem fœderatos debere, qui pacta aliter quàm oportuit fuiſſent interpretati. Vrbium magiſtratus officium præclarè præſtitiſſe: ſi quo negotio iuſto doloři plus æquo magiſtratus indulſiſſet, ad ſe referri res eas debuiſſe. Cæterùm qui tam de ſe tragicè quererentur, eorum item recordari debuiſſe, quæ præter pacta tam multa facerent flagitiosè. Templa direpta, vrbes ad ſeditiones concitatas, peregrinas ditiones ad ſceleris ſocietatem vocatas, in aciem productos milites, de vrbium, agrorumque vaſtitate ſuſcepta conſilia, monaſteria atque arces exuſtas. Quòd de edictis, militibusque quererentur, non commiſſuram ſe, vt quibus iure diuino, legitimoque vti ſibi præſidijs permitteretur, ijs ſe ad certam Reipublicæ perniciem exarmaret. Domum itaque reuerterentur, publicis negotijs abſtinerent, turpes atque indecoras eſſe eas comminationes, quibus vterentur: prudentes futuros, ſi in poſterum ijs parciùs vtantur. Huic ſuo conſilio ſi parere recuſarent, & Regem & ſe contempti imperij iuſtiſſimas ab ijs pœnas ſumpturum. Hæc, pluraque alia Parmenſis: quæ & typis edi, & per totum Belgium circumferri voluit.

Interea Auraicus Germanos aliquot duces mili-

1567 tesque, data pecunia, sibi oppignorat. In Zelandia quoque per Boxtelium quædam suspecta Parmensi de insularum munitionibus molitur, ea Parmensis cum contumelia, vt Zeburgi præfectus Auraici imperio missos à Parmensi milites recusaret. Bredenrodius omnium Geusiorum Princeps existebat: in hunc omnium Caluinistarum conuersa erant studia, hunc vnum tot iniurijs vlciscendis ducem postulabant, huius imaginem ad viuum deliniatam circumferebant, cum hoc elogio:

Auraicus de milite conscribēdo cogitat

Bredērodius caput & princeps Geusiorū.

Sum Brederodus ego, Batauæ non infima stirpis,
Gloria, virtutem non vnica pagina claudit.

Quid autem magnus hic Achilles Belgicus præstiterit, & quàm turpiter fugerit, dicemus: si prius quæ alijs interea locis acta sint commemorauerimus.

TVRCICA ET Vngarica.

Suendius non contentus occupatione Muncazij, mox etiam corona militari cinxit munitionem Hustianam. Quod non Erdelianus tantùm, sed & Budensis Bassa grauiter ac molestè tulit: qui datis ad Imperatorem Maximilianum frequentibus literis, hortari non cessabat, vt à cœpta obsidione Suendium reuocaret, ne inchoatum pacis componēdæ negotium impediretur. Simul etiam suis in consilium adhibitis, deliberabat, quanam via posset obsessis opem ferre. Cumque iampridem de hisce rebus omnibus ad Sultanum Selymum retulisset, indignatus ille Pertanum Bassam exercitum suum, cum Romaniæ Beglerbegi copijs coniunctum, in Vngariam ducere præcepit. Vtrumque tamen ab instituta expeditione Selymus mox reuocauit, cùm intellexisset Antonium Verantium Agriensem Episcopum, & Christophorum Tiefenbachium Baronem Vienna Constantinopolim legatos ad se contendere. Quamobrem & Budensis Bassa, missis ad Imperatorem Maximilianum muneribus amplissimis, perijt, ne turbari pacis tractationem pateretur: sua quidem ex parte futurum aiebat, vt palis transfigerentur omnes, qui per Cæsaris fines excurrendo damnum dedissent. Hæc ille quidem pollicebatur, sed è diuerso Erdeliani duces, cùm Suendium Cassouiam abijsse vidissent, vt spem pacis perturbaret, impressione inopinata Risuarum & thermas, quas riuulos Dominorum appellāt, adorti ceperunt: quas munitiones Suendius eis ante biennium ademerat. Id vbi factum Ruberus legatus

Initium pacis inter Maximilianū & Turcas.

Suendij

suendij accepisset, mox cum iustis equitũ peditumq́; 1567
copijs accurrit, & hostibus inexpectato suo territis aduentu Risuarum, adhibita vi maxima, recuperat, & Riuulos nullo negotio recipit.

Per hæc tempora bellum, quod Sampetrus in Corsica ante triennium mouerat, morte ipsius Sampetri penè finitum est. Est autem Corsica maris Ligustici insula, Genuensium imperio subiecta. Erat in ea veteranus quidam dux Sampetrus nomine, rerum bellicarum peritus, & summæ apud insulanos auctoritatis, qui bello inter Gallos & Burgundos Galliæ Regi magna cum laude militauerat. Pace inter hos Principes composita, decreuit quod reliquum erat vitæ in pace & trãquillitate patrio in solo degere. Magnifici itaque & ingentis in insula palatij fundamẽta iecerat, quod iam ad iustam munitionis formam erexerat: nam aduersus omnem Turcarum & piratarum incursiones tutus esse volebat. At Genuenses, audita munitionis forma, veriti Gallicarum rerum studiosi ducis potentiam, ne quid noui in insula moliretur, per Senatûs consultum ædificationem impediunt, prohibentq́ue, ne in opere progrederetur. Sampetrus, quòd magnam pecuniæ vim in hoc ædificio absumpserat, iniquum esse queritur, Genuenses tam diu tacuisse, vt iam opere penè perfecto, omnem thesaurum suum & peculium, quod diuturnis belli laboribus confecerat, penè profuderit. Si nullum hinc fructum sit habiturus, senem se ad inopiam redactum iri. Velle tamen Senatûs consulto obedire, ea lege, vt impensa pecunia sibi ex publico restituatur. Negant id Genuenses, dicentes: Nemini priuato licere munitiones erigere inconsulto Principe. Sampetrus perquàm molestè ferens hanc iacturam, vbique de Genuensium crudelitate & iniuria conqueritur, tantumq́ue effecit, vt insulani quàm plurimi, qui hominẽ amabant, pro eo contra Genuenses conspirarent. Nam præter causam Sampetri inueteratum erat inter Insulanos & Genuenses odium, vt qui parium imperium ferre minus poterant. Præterea Corsi natura sunt rerum nouarum studiosi, & adhęc in defensione Sampetri Gallica sibi subsidia pollicebantur. Coëunt igitur magno numero sub imperio Sampetri, & Genuenses, qui in insula erant, nil tale opinantes inuadunt, ac trucidant. Philonium inde portum, &

BellũCorsicum.

Sampetri virtus.

Causa belli Corsici.

1567 Corten oppidum occupant. Acta sunt hæc anno post natum Christum M. D. LXIIII. Ex tam exigua deinde scintilla, magnum exortum est incendium. Pugnatum est frequenter, idque varia fortuna, nunc Genuensibus, nunc Corsis victoribus, Gallis clam Sampetri factionem fouentibus: quod tamen admoniti pacis inter Reges initæ, qua etiam Genuenses comprehendebantur, facere se constanter negabant. Cùm itaque diu vario euentu in hac insula pugnatum esset, hoc anno summus huius belli imperator Raphaël Iustinianus à Repub. Genuensi decernitur, qui statim cum multis militum copijs in Corsicam traiecit. Primùm omnium Vrcinium agrum frequentibus incursionibus infestat, agrum Bastellegæ oppidi populatur, vrbem ipsam obsidet. Obsessi vbi diutius Genuensium vires sustinere non possent, suppetias petunt à Sampetro, qui cum CCC. sclopetarijs & XXV. equitibus aduolat. Iustinianus re per exploratores cognita, sexaginta circiter equites, & centum pedites locat in insidijs. Vbi Sampetrum cum equitibus videt accelerantem, ex insidijs erumpit, in hostem fertur, acerrimè pugnatur. Sampetrus tandem cognitus à Michaële Angelo Dornano, vxoris fratre, inuaditur, vnus ex omnibus petitur: ventum est ad Sampetrum cominus, stringũtur gladij, modò punctim, modò cæsim certatur magno studio, nunc in hanc, nunc in illam partem inclinante victoria. Ad extremum multis cadentibus, Sampetrus virtute equitatus superatur ac trucidatur. Filius fuga elapsus saluti suæ consuluit. Caput eius Genuam delatum est, & in foro positum, publicum toti vrbi spectaculum. Erat Sampetrus vir inauditæ crudelitatis & feritatis, qui præter alia, quæ in bello commiserat, vxorem propriam & filios ex ea susceptos leuissima de causa proprijs manibus iugulauerat. Dornanus perduellionis reus, cæso publico hoste, in patriam abrogata priori sententia reuocatur.

Sãpetrus cæditur.

Comitia Pragẽsia. Imperator Maximilianus adhuc de inducijs cum Turca incertus, varia suis Comitia indicit. Pragæ decernuntur Cæsari non contemnenda auxilia, si exercitus in Turcam sit educendus: censentur domus, agri, homines. Possonij in Vngaria non minora auxilia Cæsari promittuntur. Constituitur in ijsdem Comitijs, vt Cæsar suos delegatos mitteret ad vtramque Da-

Comitia Vngarica

que Danubij ripam, qui bona vſurpata à miniſtris 1567
præfectiſque Cæſarianis recognoſcerent, legitimis dominis prædia reſtituerent, in eos, qui furta, rapinas, latrocinia commiſerant, animaduerterent. Vt inuſitata tributa à Suendio vino & beſtiarum capitibus impoſita abrogentur: vt Vngaris tantùm fas eſſet arces & caſtella oppignorata redimere: vt præfecturæ Eccleſiaſticæ Vngaris tantùm, iiſque idoneis conferantur. Hæc, aliaque plura illis Comitijs decreta ſunt. Cæſar, vt ſubditorum petitionibus ſatisfaceret, in multos præfectos, qui ſtipendia præter meritum ſurripuiſſent, & in quoſdam, qui nimis audacter Pontificis auctoritatem obtrectauerant, animaduertit. Præfectos nonnullos à Catholica Religione diſſidentes dignitatibus & officijs priuauit. Iuſſit Senatum eius vrbis per ſolennitatem Corporis Chriſti ſe, ſuoſq; proceres ſequi, quod anno præterito factum non fuerat.

Pietas Maximiliani.

Concionabantur Antuerpiæ Caluiniani & Lutherani eo ſtudio & contentione, vti dum quiſque ſuas opiniones defendere conatur, ab alterius factionis perfidia & impietate ſeſe non temperet. Hinc contumeliæ, conuitia, & omnibus concionibus blaſphemię. Habebant ab initio Lutherani quendam Eccleſiaſten Chilonienſem Holſatum, vocârunt poſtea è Germania Matthiam Flaccum Illyricum, Cyriacum Spangenbergium, L. Hamelmannum, & alios, qui Confeſſionem doctrinæ & ordinationem Eccleſiæ pro Auguſtanæ Confeſſionis ciuibus conſcribunt: quã Tiletanus Theologus Louanienſis poſtea egregiè confutauit. Orta tandem inter Lutheranos & Caluinianos grauiſſima controuerſia eſt, de reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, quæ tãdem in manifeſtum ſcandalum cum dolore partium, & congratulatione Catholicorũ erupit. A diſputationibus enim ad conuitia, à conuitijs ad inteſtina, grauiſſimaque odia res deuenit.

Diſſenſio Lutheranorum & Caluinianorũ Antuerpienſium.

Interea Tholouſius & Bredenrodius (contempto Parmenſis mãdato, de militibus non niſi ſuo imperio legendis) per certos homines Antuerpiæ militem conſcribunt. Parmenſis ea de re Auraicum commonefacit. Clam itaque conniuente (quod putatur) Auraico Antuerpia duces, militeſque nauigio diſcedunt. Acce-

Bredẽrodius & Tholouſius milites cogũt.

1567 dunt plures in itinere, quod in Hollandiam ad Bredenrodium suscipere dicebant. Sed Tholousius Vlissingam, Vualachriamq; insulam cogitabat, cui ope Bailiui Mittelburgensis Petri Hakij insidias struebat. Sed cùm per nauem nundinalem Antuerpiensem Vlissingenses huius rei certiores facti essent, irrita fuit ea expeditio. Tholousius itaque retro vnde venerat conscēso flumine Antuerpiam contendit, aggeribusque ad Oosteruelium, fossis, valloque castra communire constituit, ea spe, vt ad vrbem semper habiturus esset refugium. Parmensis siue quòd Antuerpiæ metueret, (nō enim obscura erat fama Tholousium eas copias in vrbem introducere constituisse,) siue quòd eas breui copias habituri hostes dicerentur, quibus vincendis nisi iustus exercitus non sufficeret, celeritate opus esse existimauit. Noircarmio Valencenas obsidēti miles auferri non poterat. Beauuorio itaque è Bruxellensi præsidio quadringentos milites, duo signa Axelia ab Egmondano submissa, alijs item è locis nonnulla Parmensis attribuit. Profectus Beauuorius III, idus Martij hora sexta matutina cum hoste eo conuentu confligit, vti Tholousio cæso, militibus vel intra ædes exustis, vel flumine submersis, vel pugnando trucidatis, ingenti è numero fuga salutem perpauci inuenirent: captiui in Beauuorij potestatem tercentum peruenirent; quos iugulare ad vnum omnes iccirco imperaret, quòd erupturi Antuerpienses, hostibusq; subsidio venturi dicerentur. Antuerpienses è mœnibus conflictum spectabant, magnaque animi indignatione cùm vicinas vrbi flammas, tum insolitas miserorum (quos dicerent) fidelium, fratrumque suorum cædes intuebantur. Armis itaque correptis, nullo certo duce, ad pontem Merium numero ad xv. millia Caluinistæ conueniunt; sedecim maxima tormenta ex armamentario trahunt: ijs pontis aditus cōmuniunt. Auraicus mense Septembri signa aliquot Catholicorum, modestiorumque ciuium conscripserat. Vt primùm itaq; tumultus est exauditus, octo præsidiariorū militum signa forum curiamque inuadunt, Caluinistas, qui in ponte Merio conuenerant, ad forū accedere non permittunt. Permolestum id erat Caluinistis. Ad pontem Coperbruggium alia quatuor Caluinistarum millia se recipiunt, collatisque cum ijs, qui Merium tenebant, consilijs, de curia, foroq; inuadendo delibe-

Tholousius VValachriam frustra tentat.

13. Martij Pugna & victoria Regiorū in Oosterweel cæso Tholousio.

Maximus tumultus Antuerpiæ.

rant. Auraicus hîc atq; Hoochstratanus(quod negare 1567 nemo potest)summo studio diligentiaque omnem in partem aduigilant. Accedit eos,qui in Coperbruggio cõstiterant, Hoochstratanus: quem licet illi proditorem appellant, cui armis minantur, sclopeta in pectus protendunt, blandè tamen cum illis agit, & rem eò adducit, vti Coperbruggio deductam vnà ad Merium omnem eam hominum multitudinem secum adduceret. Toto illo die de pace Auraicus, Hoochstratanus, & Consul Stralius, qui magnæ apud ciues & incolas erat auctoritatis, agebant. Sed omnis eorum labor erat irritus. Caluiniani claues portarum sibi tradi, aut portas aperiri iccirco postulant, quòd magnam ciuium manum ad vlciscendam fratrum cædem vrbe exire velle profiterentur. Nec mora, è ponte Merio ad portam concurritur, Auraicoque præsente refracto minore ostio summo cum tumultu parant erumpere. Ibi tum Auraicus: Egrederentur, esse in suburbijs, qui eorum aduentum expectarent: si sibi minus crederent, futurum vt suo periculo saperent: quo dicto in vrbem reuertuntur. Quod cùm Caluinistæ viderent, & Auraici verba intelligerent, sedata ira, & succedente metu ad pontem Merium reuertuntur, atque istic in horam septimam vespertinam eo euentu de foro litigant, vti è Merio nonnulla signa in forum, & è foro nonnulla in Merium ad instantes nocturnas excubias adducerentur: iunctisque ibi copijs, *Viuant Geusij* faustis salutationibus sæpius atque diu toto foro, Merioque clamatur. Die insequente Caluinistæ ab armis non discedunt, armati per Ecclesias Monasteriaque discurrunt, Sacerdotes & Monachos ædibus profligant, magnisque vrbem & diuitum tabernas motibus conturbant. Non fert eam pessimorum hominum insolentiam Auraicus. Sub vesperam igitur re cum magistratu, decanis, mercatoribusque deliberata, vi armata agere cum Caluinistis instituit. Idibus itaque Martij Oosterlingis, Germanis, Italis, Hispanis, Lusitanis mercatoribus comitatus, ingenti etiam Lutheranorum contracta manu, multisque bonorum ciuium coactis copiis, ea hominum multitudine, quæ quadruplo Caluinistis maior esset, vnà cum Hoochstratano rem aggreditur. Catholici ciues & Ecclesiastici ripam occupabant, his sese iungebant, qui Confessio-

Auraici fidelitas & industria in tumultu hoc sedando.

1567 nem Augustanam profitebantur. Præsidiarij forum & curiam defendebant. Caluinistæ contra tota vrbe excitis hominibus, multa quoque verbis magis quàm factis moliebantur: verùm quòd pares tantæ multitudini non essent, per suos illos Ministros, eosdem & Euangelij & belli principes, pacem ijs conditionibus postulãt, vti armis depositis eas leges acciperent, quas pridie recusârant: quarum legum hæc erant capita: Fidem Regi atque vrbi præstarent: militẽ peregrinum intra vrbem nisi assentientibus omnibus in vniuersum vrbis collegijs, Auràicus, magistratusque non admitterent: Priuilegia vrbi iurata conseruarentur: pacta mensis Septemb. rata haberẽtur: diuersarum Religionũ homines tranquillè viuerent: portarũ claues Auraicus haberet, ijs pro arbitrio vteretur: nocturnas, diurnasq; excubias nullo Religionis discrimine accuratè ciues agerent. Amnestiâ omnis præteritarum rerum obliuio deleretur: aliaque in eam sententiam nonnulla. His ita transactis, vnusquisque domum positis armis reuersus est. Magnam profectò laudẽ in hoc tumultu meritus est Hoochstratanus, maiorem Auraicus. Atque hæc tunc Antuerpiæ.

Conditiones, quib. vrbi pax est reddita.

Valencenæ oppugnantur, & deditione capiuntur.

Valencenas adhuc obsidebat Noircarmius: is cõsilio Maximiliani Hẽninij Comitis Bossutij, Gignei, Briartij, Crissonerij, Casparis Roblij Domini Billij, Largillæq; vt plurimũ vtebatur. In huius vnius vrbis fortuna omnis Geusiacarum rerum ratio consistebat. Habebat Noircarmius in castris lectissimas equitũ peditumque copias, quibus itinera, aditusque circum vrbem obsidebat, lentoque obsessos bello fatigabat. Interim literis nũtijsq; oppidanos de officio sæpissimè cõmonefacit; eas conditiones proponit, quas nisi cum summa impudentia recusare non poterant. Non placent conditiones Caluinistis: sæpe erumpunt, frumẽtum ex agris in vrbẽ conuehũt, loca, è quibus detrimẽtum acciperẽt, exurunt, cum hoste confligunt, ad equites aurei velleris scribunt; Si Parmẽsi omnino necessarium videretur præsidium vrbi imponere, se illud recepturos ea lege, vt id cum imperio Parmẽsis & prædictorũ equitũ fiat, reformatisq; (vt loquũtur) cautio securitatis fiat, ꝙ vis nulla cõscientijs inferetur, aut exercitiũ religionis turbabitur. Nihil his literis effectum est. Promouentur tandẽ tormẽta, & ad muros diuerberandos disponuntur. Quod antequam fieret, mittitur à Par-

à Parmensi Arscotanus & Egmondanus, qui euocatis 1567
Valencenensium delegatis in arce vicina Beuuragio æquissimas conditiones proponunt. Delegati in vrbem reuersi eas ad magistratum, populumque referunt. Diu in re tam ardua deliberatur. Caluiniani exemplum Tornacensium adducunt, qui vnà cum præsidio seruitutem in vrbem recepissent: nondum rem esse desperatam; Antuerpienses, aliarumque ciuitatum socios de salute sua cogitare, Tholousium breui cum magno exercitu suppetias venturum, exemplo Moysis, Iosue, Machabæorum sese mutuò ad defensionem cohortabantur. Quid multis? communis omnium erat sententia, conditiones à Parmensi propositas nequaquam esse acceptandas. Concordiæ itaque spe sublata, cæso Tholousio, qui subsidio venturus vrbi metuebatur, ad vrbis expugnationem Noircarmius se conuertit. Valencenates rumorem de cæso Tholousio confictum arbitrabantur, magnis itaque animis ad vim sustinendam sese componunt. Galli quoque Valencenatibus decem millia armatorum, sub imperio Principis Portiani, ad vrbis defensionem offerebant. Grangius vnus ex Ministellis, & alter quidam ea subsidia in vrbem admittenda suadebant: sed persuaderi ea res ciuibus non poterat, tum quòd graue id crimen futurum profiterentur, tum quòd Gallis veteri odio infensi ferre id consilij minus possent. Erant ciuibus permixti veterani aliquot milites: electo igitur duce, vrbe egressi, milites regios ea alacritate inuadunt, vt Noircarmius, cæterique tribuni externas veteranorum militum copias vrbem ingressas existimarent: neque enim ciuibus eam fortitudinem tribuere poterant. Decimo tertio Calend Aprilis rem seriò aggressurus Noircarmius, stationes ita disposuit, vt Carolus Mansfeltius totum eum tractum tueretur, qui est à porta Cardonia, vsque ad portam Cameracensem: Aegidius Barlaymontius Dominus Hiergius à porta Ansima, vsque ad portam B. Mariæ. Peditatus reliquus apud tormenta consisteret. Sub vesperam occupato suburbio portæ Montensis, fossis, aggeribusque perductis, ita tutò intra aggerem militem adducit, nulla vt vi aut arte ab obsessis depelli possent. XI. Calend. & sequenti die, quæ erat Dominica in Ramis, XXII. muralibus tormentis mœnia disturbare cœpit, breuique tempore stratis ruinis eos rerum motus in vrbe concitauit, vti sub me-

1567 ridiem nulla exceptione vrbem Regi ciues dederent, & militem, quem vellet Noircarmius, sub vesperam in vrbem reciperent. Noircarmius vrbe hunc in modum recuperata, vno atque altero die ita quiescit, vt vterque Minister, vnà cum Michaële Herlineo filio (nam pater in vinculis erat) clam diffugerent: sed deprehensi, & è fuga retracti, vterque Michael pater & filius, vrbis primarij, & seditionis principes, vnà cum alijs multis capite plecterentur. Duo Ministri, multique alij suspenduntur. Parmensis enim imperij seueritate, vniusque vrbis pœna terrendas vrbes cæteras censebat. Moto igitur magistratu, publicis, priuatisque bonis descriptis, & in fiscum redactis, calamitosam vrbis conditionem facere instituit. Atque hæc est illa famosa vrbis calamitas, cuius deditionem ea sunt toto Belgio cōsecuta, vti hac vna vrbe repertæ cæterarū in vniuersum vrbiū claues dicerentur. Nec temerè: nam & Cameracesium IX. Calen. Aprilis à Caluinistis desertum, ad obedientiam Episcopi sui redijt, & Calendis ipsis Traiectensium ad Mosam legati, dum eò tendit cum exercitu Noircarmius, ad Parmensem veniunt, Principibus suis se parituros ostendunt, nullaque tergiuersatione militem in vrbem admittunt. Egmondanus quoque impetratis à Clero Flandriæ octuaginta florenorum millibus, Parmense auctore, mille quingentos milites conscripsit, quibus Parmensis octingentos alios addidit. Cum his copijs breui totam Flandriam à sectarum nouarum lolio repurgauit, restitutaque Religione Catholica pacauit.

Valencena dedūtur.

Pœnæ de quibusdā sumptæ.

Valencenensis deditio quāti fuerit momenti. Traiectū ad Mosam ad obedientiam redit.

In tanta rerum suarum perturbatione, feliciique victoriarum regiarum cursu, quid agerent, quid consilij captarent, vnde auxilia rebus suis peterent modum aut rationem Geusij non inueniebant. E successu enim rerum Antuerpiæ gestarum facilè diuinare poterant, quid ipsis in alijs vrbibus euenturum esset. Si enim de aliqua vrbe alia, certè de Antuerpia eam spem conceperant, quòd à fœdere nunquam recederet: sed perpetua, inuictaque belli sedes ipsis futura esset. Ea igitur amissa, nullum felicem exitum videbant, animis abiectis suis rebus diffidere, quisque suæ saluti consulere, in fœdere spem nullam ponere, de fuga omnes cogitare cœperunt. Catholici contra melius sperare, templa restaurare, altaria erigere, imagines reponere, hæreticorum templa demoliri, è trabibus furcas & patibula

Desperatio Geusiorum.

Spes Catholicorum.

consi-

conficere, quibus sacrilegi sacrorum violatores, & iconomachi suspenderentur. Sed vnum supererat Buscoducum, in qua vrbe nimis tragicè omnia pro arbitrio gerebat Bombergius; delegatos enim Parmensis, qui Cancellarij & Petersemij restitutionem petebant, cum intolerabili fastu reiecerat: Auraici & Hoochstrateni auctoritate eos detineri primò dicebat, qui rogati hominem mentiri aiebant. Bredenrodij deinde auctoritatem prætendit; negat & ille: quorum literæ etsi ipsi ostenderentur, captiuos tamen dimittere noluit, delegatosque ad Parmensem cum superbo responso remisit. Cæso verò Tholousio, captisque Valencenis, ciues paulatim à Bombergij imperio deficiebant, Magistratui pristina redit auctoritas, quadringentos è toto ciuium numero fidos milites adlegit, Cancellarium, Petersemiumque III. Idus Aprilis domum remittit, seditiosorum principes diffugiunt, miles Regius in vrbem admittitur, Regi, Religionique ea vrbs restituitur, qua subsequentibus temporibus fideliorem non facile inuenias. 1567

Buscoducum ad obedientiam Regis reuertitur. April 11.

Rege Scotiæ modo, quem diximus, occiso, nuntij statim in Angliam dimittuntur, qui nuntiarēt Scotorum Regem à suis crudeliter esse trucidatum, opera maximè & consilio Comitum Morauiæ & Mortonij. Quam rem tam indignè ferebant Angli, vt per aliquot dies nemo Scotici generis, sine summo vitæ periculo, in publicum prodire auderet. Scelere perpetrato, corpus omnium illius ætatis formosissimum, Regina ad se deferri iussit, mœstaque inspexit, ac paucos post dies honorifica pompa sepeliuit. Scoti variè, prout quisque Regem oderat vel amabat, afficiebantur. Omnes boni vno consensu scelus nefarium detestabantur, omnes hæretici se à Papano Rege liberatos maximopere lætabantur, nihil aliud in votis habentes, quàm vt eius Manibus Reginæ morte parentare licuisset. In auctorem sceleris diligenter inquiritur, quidā Morauium Comitem, quidam Bothuelium tanti sceleris reum peragūt. Qui Bothuelium accusabant, Reginam etiam in facinoris communionem trahebant. Quamobrem Regina conuentum Ordinum ad Idus Aprilis indicit, vt de auctore sceleris cognosceretur. Adest dictus dies, Liuinius Comes pater Regis, qui accusator erat, non comparuit. Ascendit in prætorium Bothuelius, eliguntur iudices, sedent, audiunt accusationes &

In Scotia quid post cædem Regis actum.

1567 defensiones: cognita tandem causa pronuntiant; se non videre, cur Bothuelium condemnent: si quis tamē iure & ordine postea accuset, cauent, ne hoc iudicium ipsis fraudi sit. Erat enim vnus & alter inter eos, qui neque more, neque legibus id iudicium exerceri dicebant, ideoque quod ibi statueretur pro non iudicato habendum esse. Alij contra iudicium legitimum esse contendebant.

Bothuelius quibus artibus Reginæ nuptias ambit.

Hoc modo absolutus Bothuelius, Reginæ nuptias ambire ausus est, & quidem primò Nobiles omnes supremi Ordinis ad cœnam inuitat. Ibi solutis ad hilaritatem animis, rogat, vt studium in se suum, quod superioribus temporibus declarassent, in posterū quoque præstarent. In præsentia autem petebat, vt quoniam Reginæ ambiret nuptias, libello, quem ea de re confecerat, illi subscriberent: id sibi & ad Principis voluntatem conciliandam vtile, & apud cæteros homines honorificum futurum. Volebat enim nuptias publicæ auctoritatis specie honestari. Attoniti primò rei nouitate proceres, postea tamen omnes libello subscribunt, ignari adhuc Reginæ voluntatis. Postridie rem diligentius perpendentes, scriptum repetunt, ne Reginam prodidisse, & ad nuptias parum honorificas ipsam compulisse aliquando conuinci possent. Sed sera fuit huius facti pœnitentia. Interea Regina arcem Edenburgensem, quam Ioannes Marriæ Comes tenebat, in suam potestatem redegit. Proceres verò, qui hæreticorum factioni studebant, postulant, vt quod Regina in causa Religionis promiserat (vt scilicet Religionem Catholicam aboleret, & nouis legibus suæ Ecclesiæ auctoritatem stabiliret) iam tandem præstaret. Negat Regina se id promisisse, quòd si quæ in speciem promissa sint, ea & vi extorta, & metu promissa: quæ cùm impia sint, & sinceræ fidei, pietatiq́ue contraria, ad ea præstanda se minimè teneri. Hæc Reginæ responsio Scotorum animos maiori in eam odio accendit, vt iam nihil magis, quàm quoquo modo ab eius imperio se solutos optarent. Regina de puero filio sollicitus, ne aut ab ambitiosis & regnādi cupidis interficeretur, aut in perniciosissima hæresi educaretur, Regnoq́ue & Religioni aliquando exitio esset, Sterlinum profecta, puerum à Marriæ Comite repetit: ille quidem puerum Reginæ ostendit, reddere tamen recusauit. omnia se in sua potestate habere affirmans. Regina cùm ad vim par non

Proceres factiosi postulant à Regina Religionis Catholicæ abolitionem.

esset, retro vnde venerat frustrata reuersa est. Bothuelius ad Almonis pontem cum sexcentis equitibus profectus, Reginam operitur: venientem vi rapit, & secum Dumbarum ducit. Blanditijs, & varijs officijs animum iuuenculæ expugnat, in sui amorem pertrahit, pertractam Edenburgum cum ea proficiscitur, libertati eam restituit, ne si captiua nuberet, pro vitiosis haberi possent nuptiæ. Hic ea in consessu iudicum se liberam, & sui iuris esse fatetur, & in matrimonium consentit. Fiunt in templis denuntiationes, præmittuntur solitæ ceremoniæ, celebrantur nuptiæ (si verum fateri velimus) non satis honestæ, Reginaque indignæ, quibus nec propinqui, nec amici, nec ipse Crocus Gallicus legatus, ne sua præsentia nuptias illas probare, & dignitatem legationis suæ imminuere videretur, interesse voluerunt. Reges quoque Galliæ & Angliæ per legatos eas nuptias auersabantur, quæ & Guisios omnes offendebant. At illa prolixis literis & in Bothuelium, & in Proceres, à quibus se Bothuelio proditam querebatur, eam rei indignitatem transtulit. Quo consilio istud matrimonium factum sit, varij varias adferunt opiniones. Buchananus nulla in re, vt ex scriptis liquet, Reginæ æquus, & cædem Regis, & has nuptias illius libidini improperat. Alij nullam subesse causam afferunt, cur libidine incitata & maritũ tolleret, & adulterum admitteret: cùm eum maritum haberet, qui iuuenis, qui eius seculi formosissimus, qui fœcundus, ex quo tam exiguo temporis spacio prolem, & quidem masculam, quæ inter coniuges, alioquin parum concordes, amores coniugales solet conciliare, maritum, inquam, eiusdem secum Religionis, cuius causa tam indigna pateretur: maritum, quo magis officiosum, & ad omnem voluntatem suam magis obsequentem habere nullum potuisset; cuius consuetudine nondum triennio, ne fastidium in causa fuisse putetur, vsa fuerat. Non omnino igitur reijcienda videtur opinio Genebrardi, cuius verba sunt: Reginam auctorẽ huius cædis mox spargunt, prætextu cuiusdam zelotypiæ, ac nubere è vestigio cuidam Boduuelo cogunt; vt his nouis & acceleratis nuptijs nonnulla etiam apud Catholicos fieret suspicio & adulterij & parricidij. Hæc ille: cætera iudicio lectorum relinquimus. in Arctoum orbem migremus.

1567

Regina à Bothuelio rapitur.

Nuptiæ Reginæ non satis honestæ.

Auctores & consilia harum nuptiarũ.

Dum hæc geruntur in Belgio & Scotia, in Liuo-

1567 nia Poloni à Suecico duce Nicolao Kurselio, oppressione præsidij Polonici in oppido Lemsal, irritati, cum Suecis congressi, in finibus VVichiæ insignem victoriam, cæsis bis mille Suecis, multis signis militaribus, & in his vrbis Reualiæ captis, adepti sunt. Mense Martio Cæsar Maximilianus denuò pacificationem inter Suecum & Danum, constitutis ad hoc arbitris Frederico Palatino, & Duce Pomeraniæ, frustra, quòd Suecus nemo se ad conuentum hunc mittere posse scriberet, tentauit. Mense deinde Aprili Ericus Sueciæ Rex in Noruuegiam erūpit, arcem Aggershausen oppugnat: cuius præfectus oppidum Asloiam ipse exussit. Sed missis Hafnia copijs Sueci repulsi, & arx est conseruata. Suecus deinde præcipuos Regni consiliarios Suantonem Stur, cum duobus filijs, Abrahamum Gostaui, Iuarum Iuari, Dionysium Burgium præceptorem suum, & alios falsò apud se per secretarium coniurationis aduersus Regem initæ delatos, Vpsaliæ à satellitibus iussit trucidari. Post cædem dolore animi & pœnitentia sceleris agitatus, fratrem Ioannem, quem cum coniuge captiuum habebat, libertati reddidit, vt esset, ait quidam, à quo ipse sequenti anno è fastigio Regni deturbatus, vicissim in carcerem conijceretur.

Polonorū in Liuonia victoria.

Sueciæ Regis acta.

Multos Proceres occidit.

Fratrem captiuum dimittit.

In Thuringia quoque hoc tempore bellum aduersus Ioannem Fredericum Vinariensem Saxoniæ Ducem gerebat Augustus Elector, totius Imperij nomine, & quartum iam mensem Gotham obsidebat. Causa belli hæc erat. VVilhelmus Grombachius, stirpe magis, quàm virtute nobilis, ferox, & ab incunabulis in bello & castris enutritus, præter varia & enormia flagitia, quibus Principes in ordinem redigere, Cæsarem ex Imperij fastigio deturbare, nouamque Imperij formam instituere moliebatur, etiam ante triennium Herbipolim ex insidijs occupatam diripuerat, Principem, seu Episcopum occiderat, aliaque multa plus quàm tragicè gesserat. Eam ob causam à Ferdinando Imperatore primùm, deinde à Maximiliano proximis Augustanis Comitijs reus declaratus, cum omnibus coniurationis suæ socijs condemnatur & proscribitur. Grombachius se post primam proscriptionem tutelæ & protectioni Ioannis Frederici Saxoniæ Ducis commiserat, cuius consensu Gotham oppidum occupauit, & communiuit. Maximilianus secundæ proscriptionis executionem Electori Saxoniæ Augu-

Bellum Saxonicum.

Causa belli.

VVilhelmus Grōbachius quis & qualis.

sto de communi Imperij sententia demandauit. Dux 1567
Ioannes, etsi multis Principum literis & nuntijs admoneretur, à pertinaci tamen seditiosorum istorum hominum defensione non abstinuit. Quare Augustus, extrema necessitate coactus, ne mandata Imperij detrectare videretur, Gotham pridie Natalis Domini obsidione aggreditur; & tandem XIII. Aprilis, cùm quatuor tribuni & centuriones aliquot sibi rem cum Cæsare & toto esse Imperio animaduerterent, delicti veniam petunt, vrbem, castrum Grimmensteinium, Ducem, & cæteros rebelles tradituros se recipiunt. His cõditionibus vita, facultatibus, & honore saluis in gratiam recepti, Ioannem Fredericum solutum, Grombachium vinctum, ne venenum, quod semper secum habebat, caperet, tradunt. Vrbs & arx Electori aperiuntur. Castrum Grimmenstein admirandæ fortitudinis, inuito & multum deprecante apud Augustum Ioanne VVilhelmo, solo æquatur. Ipse Ioannes Dux captiuus primò Viennam, postea Posonium, tandem Neapolim Austriç ducitur, in perpetua custodia mansurus. Grombachius tortoribus traditur, cui viuo cor pectore extrahitur, & in os inijcitur: deinde in quatuor partes dissecatur, partes ad quatuor vrbis plagas in vijs publicis suspenduntur. Idem supplicium de quatuor alijs eius coniuratis, inter quos Christianus Bruck I. V. D. & Ducis Cancellarius, sumptum est.

Gotha obsidetur.

Gotha occupatur, & destruitur.

Perduellium supplicia.

April. 18.

Recuperato in Belgio Cameracesio, (neque enim hoc silentio prætereundum est) inuentus est quidam Ioannes, Carmelita Monachus Apostata, qui mutato nomine se M. Philippum nominauit. Hic captus, pernegat se eum esse, etiamsi multi, & mater ipsa certis indicijs id ostenderet, & vt resipisceret hortaretur. Cùm suspensus esset, sparso rumore hæretici excitatum dixerunt, & in Francia concionari. Eius cadauer perquisitum, & inuentum, denuò suspensum est. Ad Reliquias quoque S. Liuini Gandaui absconditas clauda mulier sanata est, & alia facta miracula, quæ in publica acta relata sunt.

Notanda nouorum hominum impudentia.

Miracula Gandaui acta.

Auraicus, videns tantam rerum commutationem, cùm Calendis Aprilis in VVillebroeck & Hellegaten cum Egmondano diu de imminentibus periculis collocutus esset, illum tamen à proposito abducere non potuit. Eam enim Egmondanus spem de Rege conceperat, quam & mordicùs tuebatur, vt si conciones cessent,

Auraici & Egmõdani de manendo in Belgio contrariæ sententiæ.

1567 sent, sacrilegi iconoclastæ, & seditionum principes seuerè puniantur, futurum, vt Rex placatus omnes in gratiam recipiat, nec vlla grauiora supplicia in Belgas statuat. Proinde in Belgio manendum, Regem expectandum, officium faciendum monet. Non placet hoc consilium Auraico: futurum, ait, vt Egmondanum huius sententiæ aliquando pœniteat: eum pontem fore, per quem Hispani in Belgium transeant. Hoc dicto discedit Auraicus, qui iam Germaniam per speciem priuatorum negotiorum cogitabat. Antuerpia itaque III. Iduum Aprilis profectus, ingente hominum multitudine, numero ad quatuor millia, comitatus Bredam discedit.

Auraicus Belgium relinquere vult.

Antuerpiensibus Geusijs omni auxilio destitutis, Magistratus auctoritate pristina recuperata certos homines ad Parmensem legauit, qui septimo Aprilis his conditionibus cum ea paciscuntur: Nouarum Religionum Ministri intra certum diem vrbe tutò discederent: Conciones, cæteraque nouarum Religionum ministeria abrogarentur; Catholicorum Ecclesiæ cum integra Religione restituerentur: nouorum templorum ædificationes intermitterentur: templaque (si Rex iuberet) euerterentur; Regi se ciues iureiurando obstringerent. Apostatæ, exules, cæterique malæ notæ homines vrbe pellerentur: milites, qui magistratui militarent, quamdiu intra vrbem existerent, in huius formulæ sententiam sacramenta dicerent. Res eas si ciues præstarent, nulli Religionem, quam essent secuti, toto Belgio damno iniuriæue futuram. Qui legibus, quas ferre Regem de Religionis obseruantia contingeret, parere recusaret, huic discedendi facultatem futuram. Qui rei Maiestatis, templorum violatorum, perduellionisque existerent, ad eos hanc indulgentiam non spectaturam. Has conditiones se ea lege promittere, si Regi probarentur. Ea de re dum Rex deliberat, neque periculo cuiquam Religionem futuram, & nouarum Religionum exercitia tota vrbe & agro cessatura.

Antuerpienses quibus conditionibus cū Parmensi paciscuntur.

Accipiunt conditiones Antuerpienses, nouisque obsignatis templis IIII. Iduum Aprilis Magistratu imperante, omnes ministri, tam Martiniani, quàm Caluiniani sarcinas colligunt, vrbeque discedunt. Antequam autem discederent, in Curiam ascendunt, Senatui, populoque iram Dei, grauissimaque supplicia denuntiant, quòd purum, scilicet, & sincerum Euangelium tam

Antuerpianiomnes ministros suos à se dimittūt.

facile

facile reijcerent. Sed istorum Prophetarum comminationes, quòd verbum Domini ad eos factum non esset, Senatus & boni omnes nullo momento contempserunt. Inde exauctoratis vrbis militibus VI. Cal. Maij Petrus Ernestus Comes Mansfeltius cum filio Carolo & XVI. signis peditum vrbem ingressus est, quem Parmensis biduo post septingentis equitibus, & trecentis sclopetarijs comitata subsequitur. Catholicam Religionem consilio & auxilio procurat, diuinum cultum promouet, supplicationem publicam in gratiarum actionem institutam sua, & aurei velleris Equitum præsentia cohonestat, multos perduelles, iconoclastas, & præcedentium tumultuum principes capit, condemnatosque extremo supplicio afficit.

1567

April. 26.

Parmēsis Antuerpiam venit.

Bredenrodius per eos dies cum multis Geusijs Amstelredami morabatur, militibusque per vicinos agros palantibus, multa inter immania pocula dira desertoribus in posterum, perfidisque minabatur. Parmensis Amstelredamum misit Torrium, qui excedere Bredenrodium vrbe iuberet: sed Bredenrodius legatum contemnit, & multis verborum conuicijs eum hoc mandato indignum asserit. Fœderati quoque alij, haud dubio Bredenrodij iussu, eum ædibus, quibus morabatur, prodire non permittunt, chartas etiam & instrumenta, si quæ publica aut priuata haberet, diripiunt, mortem postremò modò verbis, modò armis minantur. Magistratus, qui ea vrbe præclarus erat, eam Torrij iniuriam deprecaturus Bredenrodium accedit: negat ille hæc suo imperio committi. Clam itaque cum hospite Torrij re deliberata, nocte vrbe Torrium magistratus dimittit. Megemus & Noircarmius Syluaducis recuperata, per Gelriam in Hollandiam contendunt. Quod cùm Vianæ intellectum esset, præsidiarij oppidulo deserto, Amstelredamum diffugiunt: oppido Ericus Brunsuicensis Dux, qui in vicino copias habebat, potitur. Bredenrodius ad vim sustinendam imparatus, Cal. Maij naue conscensa, in Frisiam Orientalem, inde in Germaniam contendit, vbi paulo post moritur opinione apud suos diu, quòd adhuc viueret, relicta. Eius vidua è familia Moersensi post nupsit Frederico Electori Palatino.

Bredenrodius Amstelredami quid egerit.

Vt legatū Parmēsis excepit.

Viana recuperatur.

Bredenrodius Belgium deserit.

Megemus, Noircarmius, & qui se ijs coniunxerat Arenbergius iam Amstelredamo imminebant: omni itaque spe deiecti fœderati, cum militibus numero ad

1567 quinque millia, ex agris, quorum Monasteria, & in his perantiquam & celebrem Abbatiam Egmondanam, vetus Comitum Hollandiæ Mausæolum, diripuerant, V. Non. Maij diffugiunt: Megemus fugientes insequitur, centum in littore deprehensos cædit, reliqui traiecto mari Australi, per Diœcesin Vltraiectensem in Cliuiam perueniunt. Fœderati nobiles, qui adhuc in vrbe erant, duo fratres Batenburgici, & alij Frisiam cogitabant: nauem itaque cum multis socijs & ipsi cōscendunt, sed in Regiorum manus incidunt. Ferunt ab ebrijs iniuriam nauclero factam, eaque commotum noctu in Arenbergij potestatem nauem deduxisse. Vt vt est, Harlingam naue adducta, multis istic laqueo peremptis, præcipui Principes Viluordiam, Parmense imperante, missi sunt. Exonerato in hunc modum Amstelredamo, ciues nulla mora cum Regijs ducibus paciscuntur, præsidium in vrbem admittunt, eo rerum successu, vti non ea modò vrbs, in qua momenti plurimum erat; sed tota quàm latè patet Hollandia, Zelandiaque, atque adeò totum Belgium Religione restituta, sectarijs vel profligatis, vel dilapsis, officium ingenti alacritate præstarent, & vrbes inter se, & cum Parmensi de obseruantia, obsequioque certarent.

Abbatia Egmōdana diripitur.

Fœderati alij, qui Amstelredami erant, fugiunt: sed in Regiorum manus incidunt.

Amstelredamum primò, inde tota Hollādia & Zelādia Regi reconciliatur.

Auraicus Bredæ rebus, quæ ad œconomiam pertinent, dispositis, Grauiam concessit, inde in Cliuiam proficiscitur, multisque istic vxoris opprobrijs exceptus, Dillenburgum, veterem Nassouiorum domum, se recepit. Secuti sunt eum multi cuiusuis conditionis homines, nobiles plurimi, qui ex Geusijs nomine, Geusij, hoc est, mendici reipsa facti sunt, in alienis regionibus extorres, inopesque degentes. Hoc modo primi illi tumultûs bellici, nimis calidi, & præcoces, prudentia, lenitate & patientia Parmensis compositi sunt, vt iam nulla vrbs, pagus, castellum toto Belgio esset, quod aut Regis, aut Parmensis imperium detrectaret. Hucusque Reuerendus, doctus, & eximius Florentius van der Haer historiam suam, de initijs tumultuum Belgicorum styli, sententiarumque ea grauitate & eloquentia perduxit, vt optandum esset, illum eadem serie cætera ad hæc vsque tempora continuasse. Ex illius scripto nos plurima sumpsisse ingenuè fatemur, vt & ei sua laus constet, & nos plagij crimen non incurramus.

Auraicus relicto Belgio in Germaniam proficiscitur.

Pacatis iam in Belgio rebus, magna spes erat Marchionem Bergensem & Montignæum in Hispanijs

Regis

Regis animum placaturos. Sub id literæ adferuntur, Marchionem XXII. Maij in fata concessisse: Montignæus, Comitis Hornani frater paulo post capite plectitur: tanta enim erat Regis ira & indignatio, tanta apud ipsum rerum in Belgio aduersus Deum & suam Maiestatem commissarum indignitas, vt licet suam vellet, Dei tamen iniuriam se negligere minimè debere existimaret. Quod eius propositum veteres Belgarum hostes Hispani, inter quos primus Granuellanus fuisse putatur, quibuscunque potuerunt rationibus confirmârunt. Multa igitur consilia Madriti, multa agitata sunt in Sylua Segobiensi. Omnium penè sententia erat, tantam Dei & Regis contumeliam minimè inultam relinquendam esse. Sed in modo puniendi non omnes conueniebant; quidam enim paucorum, eorumque capitum seu principum supplicio cæteros terrendos; alij in omnes promiscuè sæuiendos: quidam seuerius & durius, quidam lenius & clementius in eos animaduertendum, prout quisque vel bene vel malè in Belgas affectus erat, consulebant. Ringomes, Fresneda, & qui Regi erat à confessionibus cum Duce de Feria rem lenitate componendam censebant: Ringomes se solum omnia pacaturum recipiebat. Sed præualuit Albani Ducis, Spinosæ, Granuellani, aliorumque sententia, quæ erat; extrema seueritate Belgas coercendos: futurum enim hoc modo, vti Religio, quæ apud homines vndique hæreticis cinctos quotidie periclitatur, conseruetur, & Rex merum in suos imperium consequatur: alijs etiam nationibus exemplum constituatur, ne similibus sese sceleribus obstringant, Ecclesiam perturbent, Respub. euertant.

1567

Marchionis Bergensis in Hispania mors.

Mors Montignæi.

Varia de Belgis puniendis Hispanorum consilia.

Rex pro zelo suo posteriori iudicio assentitur, ipse in Belgium vnà cum filio Carolo, & vxore nauigare constituit vt res omnes coram cognoscat, & gliscenti malo remedium inueniat. Classis itaque multarum bellicarum nauium in Zelandia instruitur, cui Dominus Cattemus præficitur, qui Regi vsque ad Occidentales Angliæ oras obuiam procederet. Cæterùm alijs minus hæc de Regis profectione placebant, ne fortè Belgæ Regis imperium accusarent, ipseque natura clementior, quàm res postularet, illos ad obedientiam difficulter cogere posset. Eligitur itaque huic negotio Ferdinandus Aluarus, Albæ Dux, rerum bellicarum peritissimus, & cui inferiorum prouinciarum consti-

Rex in Belgium venire proponit.

Mutata Regis sententia

1567 tutio optimè erat explorata, ex temporis diuturnitate, quo cum Carolo Cæsare in illis erat versatus. Hoc cùm ita decretum esset, confestim pecunia, & militares copiæ corradũtur: imperatur omnibus Gubernatoribus Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, Mediolani, vt omnia veteranorũ præsidia vrbibus & munitionibus educãt, & in Lombardiã mittant, vt cũ veniente in Italiã Albano in Belgiũ proficiscantur. Paratis omnibus ipse Dux cũ multis nobilibus, vtroq; filio, Frederico & Ferãdo Barcelonæ naues conscendit, & in Italiã traiecit: quo in itinere tertiana febri correptus, mense Maio in Sabaudiam venit. Habebat sub signis nouem veteranorũ Hispanorum millia, septem millia Allobrogũ & Italorũ, mille equites leuis, & aliquot alas grauis armaturæ, omnes armis instructissimos: multos quoq; voluntarios, qui proprijs stipendijs militabant. Castrorũ pręfectus erat Scipio Vitellius Marchio Cetone. Tribunus armamentarij Gabriel Cerbellionius, & præfectus Fabricensium Pariotto. Mẽse Iulio mouet Albanus è Sabaudia, & per Sequanos in Ducatum Luxenburgensem venit, vbi se illi iunxerunt Comites Ladronius, Ebersteinius, & Scouvvenburgius: quorum singuli suam peditũ equitumqúe legionem habebant. Discesserant ante Albani aduentum Belgio Hoochstratanus, Tsherenbergius, Culenburgius, multiqúe nobiles & ignobiles. Lutherani iniuria se Antuerpia pulsos querebantur. Exponunt rẽ eam Parmensi Antuerpię Electoris Saxonis, & alterius cuiusdã Principis Germaniæ legati. Respõdet Parmensis; sine Regis mandato cõstitui de Religione rẽ nullã posse, rogareq́ue, vt qui Principes suo arbitrio, quam vellent Religionem in suis ditionibus tuerentur, ij neque Belgicæ Religionis curam in se susciperent, & Regem veterem, iuratamqúe Religionem Catholicam tueri paterentur.

Dux Albanus eligitur, & Belgis præficitur.

Albanus in Italiã venit, eiusque copiæ.

Responsum Parmensis ad legatos Lutheranorum.

Coniuratio noua Scotorum in Reginam.

In Scotia post nuptias Reginæ, dũ ipsa cum suis cõsilium confert de Regni imperio, quo pene priuata erat, recuperando, filioqúe puero, qui ab hostibus inuita matre detinebatur, liberando, Argathelius, Mortonius, Marrius, Atholius, Glencarnius, & alij aduersæ factionis Sterlini denuò coniurârunt. Hi cum complicibus suis, Bothuelio nihil mali suspicante, sed in Lidaliã aduersus latrunculos expeditionẽ parante, ad duo millia equitum ita occulte contraxerunt, vt Regina id agi non senserit, donec Humius parte exercitus Barth-

vvicum

vvicum admota eã, vnà cũ marito obsideret. Sed pri- 1567
usquã totus exercitus cõueniret, Reges imparati ad re- *Reginam*
sistendũ, vt qui vim nullam metuebant, mutatis vesti- *obsident.*
bus euaserunt, & Dumbarum incolumes peruenerunt. Coniurati hac tanta occasione è manibus elapsa, ne nihil tãta expeditione patratũ videretur, ad capiendum Edenburgũ profecti, oppidum quidẽ suæ potestatis fe- *Edenbur-*
cerunt, arx verò, quã Iacobus Balfurius à Bothuelio si- *gum capi-*
bi creditã tenebat, tũc quidẽ vt sibi traderetur, impetra- *unt.*
re nõ potuerunt: licet paulò post Balfurius contra datã fidẽ, deficiens à partibus Regũ, eam coniuratis dediderit. Regina & maritus Dumbarũ, vt diximus, profecti, in arcẽ ibi munitissimã se condiderunt, vnde tanta rerũ commutatio cõsecuta est, vt Reges, qui modò in summa desperatione versabantur, confluentibus vndiq; amicis, iã satis firmi ad debellandos aduersarios viderẽtur. Contra verò cõiurati ad eam redacti sint angustiã, vt de reditu re infecta cogitarẽt. Sed vel Reginę immatura, & pręcox nimiũ animositas, vel Edmũdi Haij per- *Malum*
niciosum consiliũ victoriã, quæ iam quasi certa erat, è *Reginæ*
manibus denuò excussit. Dumbarũ enim relinquẽs, Le- *consiliũ.*
thã proficisci voluit, persuadens sibi eũ locum fore rebus suis vtiliorẽ, cũ res tamen longè secus se haberet: nã si illa triduũ modò in arce Dũbari se cõtinuisset, cõiurati omni belli apparatu destituti, flagitio hoc in Reges frustra suscepto, domos quisq; suas discedere coacti fuissent. Discedẽs tamen Dũbaro, itinere quã oportebat lentiori, cũ ad Setoniũ venisset, omnẽ exercitũ per vicũ, & pagos Præstonos per noctem dispergit. Cõiurati Muselburgũ occupant: aduolant confestim Edenburgo magnæ hominũ copiæ, quæ se manè Coniuratis coniunxerũt. Instruuntur acies: primæ præerat Mortonius cũ suis; secũdæ Glencarnius. Ad hos venit Crocus orator Gallus, petẽs vt res nõ armis, sed pace transigeretur: promittens Reginę nomine omniũ admissorũ veniam & obliuionẽ. Sed coniurati nil nisi minas regerunt, & nõ se armatos venisse, vt veniã vllius admissi peterẽt, sed vt darẽt. Bothuelius videns nullã spem pacis superesse, equo insigni ante aciẽ prouectus, per præconẽ postulat, quo cũ ipse singulari certamine decertet. Offerũtur duo aut tres, sed dum Bothuelius causatur, eos nec opibus, nec dignitate secum comparandos, Regina suã interponit auctoritatẽ, simul & ab hostibus ad se mitti petit VVilhelmũ Kircadiũ, cum eo se de cõditionibus

Regina capitur.

1567 colloqui velle. Interea Bothuelius sibi consulit, & Dũbatum sese recepit. Regina cùm eum extra periculũ esse iam crederet, pacta cum Kircadio, vt reliquus exercitus sine noxa abiret, ad Coniuratos cum eo venit, tunicula tantùm vestita, eaq; vili & detrita, ac paulũ infra genua demissa. Quæ à prima quidem acie cum aliqua reuerentia accepta, cùm impetrare non posset, vt dimitteretur ad aliquot dies, ea conditione, vt se reuersuram promitteret, ad secundam aciem peruenit. Hîc concors ab omnibus clamor sublatus est, vt meretricẽ, vt parricidã cremarent.

Quibus contumelijs excepta.

Erat in militari vexillo depictus Rex Henricus mortuus, & iuxta filius infans, vindictã parricidij à Deo exposcens: id signũ duo milites inter duas hastas distentũ, quoquo se verteret, ob oculos ei obijciebant. Ad hunc charissimi mariti conspectum animo linquente, ægrè, ne ex equo caderet, sustentata fuit, & tali cum militũ insolentia Edenburgũ, ita puluere & lachrymis oppleta, vt luto cõspersa videretur, deducta est: vbi cùm biduum fuisset, in arcem, quæ est in lacu Leuino in custodiam mittitur. Bothuelius, cùm arculam quandam, in qua literæ quædam secretæ Reginę ad Bothuelium, de cæde Regis, deque nouo matrimonio fuisse tunc dicebantur, à Balfurio arcis Edenburgẽsis præfecto, ex amico iam hoste facto, frustra postulasset, omni spe & auxilio regni recuperandi destitutus, ad Orcadas primùm, inde ad Hethlandicas insulas profugit, ibique piraticam facere cœpit. Coniurati interim non destiterunt vi, minis, promissionibus, quibuscunque potuerunt modis Reginam cogere, vt Regnum eieraret, & honesto aliquo, licet ficto, prætextu, curam & filij & rerum administrandarum alicui procerum cõmitteret.

Regina Regnum eierare cogitur.

Quod cùm illa grauatè faceret, eosque fortè nominaret, qui & filium piè educarent, & Regnum Catholicè administrarent, Coniurati ipsi hãc curam ijs demandârunt, qui & hæreseos, & factionis suæ principes existebant: summum autem imperium cum potestate Proregis Iacobo, nuper à Regina Morauiæ Comitatu donato, fratri eius notho, dederũt. Acta sunt hæc ad VIII. Calen. Aug.

Iacobus VI. puer quibus legibus Regnũ init.

Post quatriduum Iacobus eius nominis VI. puer, ne dicã infans, Regnũ init. Iurârunt pro eo in leges Iacobus Mortonij Comes, & Alexãder Humius, illum doctrinã & ritus Religionis, qui tũ docebãtur, quoad posset, seruaturũ, & contrarios impugnaturũ. Regnum Satanæ, vt quidam interpreta-

bantur,

bantur, contra Regnũ Christi propugnaturum polliciti. Mense deinde Augusto in publicis Comitijs deliberatur, quid de Regina capta statuendum. Variant sententiæ, cùm quidã interficiendam, alij in perpetua custodia habendam decernunt. Solus Bothuelius in armis erat, qui, vt diximus, piraticam in insulis cùm aliquamdiu exercuisset, tandem à VVilhelmo Kircadio profligatus, in Daniam defertur, vbi captus post decẽnium, amentia ad reliquas carceris miserias accedente, extremum diem obijt. Tantum potest subditorum in Principes odium, tantum Procerum inter se ambitio, tãtum opinionũ in Religione diuersitas. Capitur, & ad pœnas poscitur optima, potẽtissimaq; Regina, quę non vi, non dolo malo, sed legitima optimè de Regno promeritorum patrum successione imperium erat adepta. Profligatur sancta, sincera, vera & sola saluifica fides, quam Victor ibidem Pontifex Romanus sub annum CCIII. plantauit, quam Cælestinus Papa anno Domini CCCCLII. à Pelagianis Anglis quibusdam in locis contaminatam, misso Palladio sub Dungardo Rege Scotorum XLII. reformauit, quam ipsi Scoti mille trecentos quinquaginta circiter annos (quod de nulla gente Septentrionali dici potest) constanter defenderunt; & noua, nunquam audita, nuper è Stygijs paludibus emersa in eius locum intruditur. In huius autem doctrinæ patrocinium, non Princeps aliquis sapiens qui inter bonum & malum potest dijudicare; non Sacerdos quispiam, qui inter lepram & nõ lepram potest discernere, assumitur: sed puer innocens, animus purus, veri falsique ignarus, cor tenellum ad vtrumque recipiendum idoneum, ab histrione quodam Bacchico (ait Gilbertus) atheo poëta, impudentissimo Caluinista educatur.

1567

Bothuelij mors.

Vide Buchanan. libro 5. hist. Scot. in Dungardo.

Genebrardi de Buchanano iudicium.

Dum hæc fiunt in Scotia, Naxi insulæ (quæ vna est è Cycladibus in mari Ægeo) Duci vicesimo primo, è Crispa familia oriundo, prudenti & Christiano Principi, apud Selymum insidiæ per quendam Iudæum, nuper Mahumetanum factum, Ioannem Michem nomine, struuntur. Is enim & donis ingentibus, & magnis promissionibus Sultani animum oppugnabat, vti optimo Duce eiecto, ipse insulæ imperio poriretur. Dux huius rei certior factus, Bizantium ad causam suam defendendam proficiscitur, sciensque gratiam & fauores Bassaum, aliorumque Procerum ibi ve-

Naxum insulam Sultanus per vim & dolum occupat.

1567 nales esse, quindecim millia nummûm secum adfert. Sed veniens capitur, pecuniamque & Principatum vno tempore amittit. Libertati tamen paulò post, vt vir bonus & innocens, restituitur, sed Principatum non recuperat. Paupertate igitur pressus, Venetias accedit. Veneti eius fortunæ miserti, magna in eum vsi sunt liberalitate. Quod & Pontifex Romanus fecit, cùm post se Romam recepisset.

Dux Albanus Bruxellas venit. 22. Au.

Albanus Dux in Lucenburgensem agrum peruenerat, & iam in interiora Belgij properabat. Huic multi Proceres Belgici, inter alios etiam Comes Egmondanus, obuiam processerunt: qui eum honorificentissimè exceptum XXII. Augusti Bruxellas, veterem Principum Regiam deduxerunt: vbi Parmensis Ducem humaniter salutatum in Palatium adduxit: ei totum Belgij statum exposuit: omnia iam penè composita ostendit, & si quid reliquum sit, id comitate & lenitate potius, quàm seueritate transigendum esse persuadere conatur. At Albanus eam opinionem imbiberat, vt lenitatem, clementiam, & indulgentiam causam omnium tumultuum crederet: ideoque alias rationes administrandi Rempub. cogitabat. Mandatum igitur, quod à Rege acceperat, tam Parmensi, quàm alijs Proceribus, consiliarijs, Ordinibusque prouinciarum ostẽdebat, quod multo erat amplius & largius, quàm quod Parmensis à Rege acceperat. In eo enim Albano potestas datur Gubernatores Prouinciarum & vrbium instituendi & destituendi, omnes vrbes & oppida muniendi: nouas arces, munitiones & propugnacula extruendi, militares copias auctorandi & exauctorandi, rationes Concilij, Status, Senatûs arcani sanctioris, & Financiarum inspiciendi. Quod mandatum Albanus typis excusum per omnes prouincias diuulgari iussit.

Mandatũ Albani, quod à Rege acceperat.

Initia præfecturæ Albani.

Albanus cùm iam præfecturam inijsset, militares copias per omnes Bruxellis finitimas vrbes disposuit, Lombardicam legionem Bruxellas introduxit, Neapolitanam Gandauum, Ladronij Antuerpiam, cęterasque legiones diuisim per alia oppida arcesque dispersit: antiqua Caroli V. & Philippi Regis de hæresibus mandata renouauit, nouum Consilium instituit, quod Gallicè *Le Conseil des Troubles*, Belgicè, Consilium sanguinis appellabatur. Constabat illud Consiliarijs duodecim, partim

Consiliũ sanguinis.

partim indigenis, partim pegrinis, seu externis, qui de criminibus in tumultu præcedētium annorum commissis cognoscerent. His omnibus Ioannes quidam Vergas, Hispanus, homo Belgis minimè gratus, cuius zelus maior erat quàm scientia, præsidebat. Præscriptæ sunt huic Consilio leges duodeviginti, secundùm quas causas cognoscerent, reos iudicarent. 1567

Rebus sic constitutis, Albanus Proceres & aurei velleris Equites Bruxellas vocauit, vt de nouis munitionibus erigendis, de vrbibus firmandis, de tumultuum seditionumque reliquijs sedandis consultarent. Aberat Auraicus, Hornanus, Hoochstratanus. Hornanus literis & promissionibus Egmondani in Belgium redierat. Hoochstratanus in itinere erat. Ad dictum igitur diem, cùm præter Auraicum & Hoochstratanum omnes adessent, conuentus Bruxellis in Culenburgani ædibus habitus est. Propositis ijs, de quibus deliberādum erat, articulis, post aliquot horarum colloquium Proceres dimittuntur. Abeuntibus alijs, Albanus nomine Regis iubet Egmondano gladio se discingat, & in custodiam discedat: ægrè induci potuit Egmondanus, vt hoc faceret: fecit tandem, cùm elabendi viam non inueniret. Attonitus ad huius rei insolentiam Hornanus, in vicinum cubiculum sese proripuit: sed & ipse apprehensus, vnà cum Egmondano Hispanico præsidio traditur. Mittuntur paulò post ambo cum multis Hispanorum centurijs Gandauum, vbi & arci includuntur. Capti quoque eodem tempore Dominus Backerselius, Ioannes Casenbrotius, Egmondano à secretis, & Secretarius Hornani, alijque complures, qui Viluordiæ in arcem detruduntur. Per eosdem etiam dies quidam à Parmensi hactenus captiui facti, damnati, & supplicijs superiorum temporum edictis comprehensis affecti sunt. Sexto Calend. Nouemb. Albanus castrum Antuerpiense cœpit ædificare, antiquam & celebrem turrim cum porta Cronenburgica demoliri, muros vrbis ad Austrum euerti, fossas impleri iussit, magnaque celeritate arcem ingenio & arte Pariotti Allobrogis, tam munitam, amplam & artificiosè construi præcepit, vt similis in Europa vix inueniatur. Duo virorum millia in hoc opere quotidie laborabant: incolis vrbis hanc molem iniquis oculis intuentibus: qui tamen operis non minimam mercedis partem pendere cogebantur: quod eo

Proceres Bruxellas vocantur.

Septēb. 19

Egmōdanus Hornanus, & alij capiuntur.

Arx Antuerpiensis extrui cœpta 27. Octobris.

1567 libentius faciebant, quia fore ſperabant, vt arce abſoluta, vrbs ab omni præſidio liberaretur.

GALLICA.

In Gallia pax anno M. D. LXIII. inter Catholicos & Hugonottas Regis auctoritate conſtituta, in hunc vſq; annum fuerat obſeruata. Albano verò per fines Galliarum iter cum ſuo exercitu faciente, Rex, ne quid Regnum damni acciperet, ſex Heluetioru̅ millia conſcripſerat, & in fines, quos Albanus tranſiret, miſerat. Fuêre ſeditioſi quidam inter Hugonottas, qui Heluetios iſtos in ſuum exitium collectos interpretabantur. Huc accedebat, quòd videbant ſuam Religionem iam à Parmenſi penè extinctam, de qua aduentu Albani ſpem nullam reliquā fore credebant, & Hiſpanicis auxilijs animos aduerſariorum ſuorum augeri animaduertebant: ideoque omnia (vt genus hoc hominum ſemper ſuſpicax eſt, & quaſi malè ſibi conſcium) in ſuum, ſuorumque excidium cudi metuebant.

SECVNDI BELLI CIVILIS GALLICI INITIA.

Cœpit itaq; Gallia nouis motibus turbari, iiſdem penè auctoribus, qui in proſcenium huius funeſtæ tragœdiæ primi prodierant. Noua fiunt fœdera, nouæ inſtituuntur coniurationes. Sæuitum eſt in omne genus hominum ac rerum ſacraru̅, idque non ſolùm in Turonibus, ſed & Lugduni, Aureliæ, & per omnem Pictonum regionem: fuerunt enim euerſa breui tempore, ſoloque æquata plura ſexcentis cœnobijs, ſuccenſa non pauca. Inſolentia, impietaſque, qua vſi ſunt in ſacratiſſimam Euchariſtiam, nullo eſt vnquam audita ſeculo. Non modò aurea, pretioſaque ſupellectilia templorum direpta, ſed totæ vrbes ferro, ignique vaſtatæ. Multa millia nummûm ſeditiosè à populis extorta, vrbes caſtellaque mœnibus nudata, aut impoſitis diuturnis præſidijs vexata, ciues expulſi, aut in cōſpectu vxorum filiorumque miſerè iugulati, agri hoſtiliter deuaſtati, coloni per ludibrium necati, ad quinq; millia ſacerdotu̅, Eccleſiaſticorumque hominu̅ varijs locis interfecta. Neque bello tantùm, ſed & fame, & peſte florentiſſimum Galliæ regnu̅ vno illo eodemq; tempore affligebatur. Peropportuna hæc videbantur Hugonottis, vt vel in tanta calamitatum Iliade, iam tandem voti compotes facti, Regni adminiſtratione pro ſua libidine potirentur. Clam itaque contractis omnibus, quas potuêre, viribus, Regem incautu̅, & nihil tale ſuſpicantem inuadere, & Lutetiam occupare conati ſunt. Rege enim, & ea vrbe, quæ ſemper ſuis ſtu-

Hugonottæ denuò tumultuantur in Gallia.

5000. ſacerdotum hoc anno ab Hugonottis interfecta.

Regē incautū inuadere conantur.

dijs

diis restiterat, in suam potestatem redactis, credebāt se nullo deinceps negotio toto Regno potituros. Parum aberat, quin coniurati ante rem patefactam omnia occuparent. Rex eo tempore cum matre & toto aulico comitatu erat Meldis: is est decimo lapide à Parisijs locus: sed patefactis insidijs, media nocte Lutetiam versus iter arripuit, nongentis equitibus, qui præter gladios arma nulla gestabant, & sex illis, de quibus ante dictum est, Heluetiorum millibus, egregiè armatis, comitatus. In itinere Condæus cum aliquot equitum optimè instructorum alis in cōspectum se dedit, à fronte occurrens. Leuibus initio pugnis res gerebatur: sed cùm Comes stabilis videret, rem ad vniuersi certaminis aleam inclinare, operam dedit, vt Rex (qui vnus petebatur) per exoletam viam, incolis tātùm notam, paucis comitatus, Lutetiam incolumis deduceretur. Inde ad manus ventum. Heluetij more patrio osculati humū, pro Rege defendendo corpora & animas deuouerunt. Deinde in hostes conuersi, eorum impetum fortiter sustinuerunt, fortius represserunt, donec ingenti hostium strage edita, triginta tantùm è suis desideratis, Borgettum incolumes peruenerint. Condæani, & cæteri coniurati, qui sub Admirallio, Andelotio, & Rupefocaldio militabant, spe frustrati, Rege elapso, cui decem millia armatorum Parisijs occurrebant, à quibus exceptus est, Clayam (pagi nomen est) dilapsi sunt. Hæc præludia, hæ causæ sunt secundi belli ciuilis in Gallia. 1567

Rex incolumis insidiantiū manus euadit.

Interea Hugonottæ socios & fautores suos è Picardia, Campania, Burgundia, alijsque vicinis prouincijs exceperunt: in Pictonibus, Aquitania, Occitania, Delphinatu, Aruernis nouas etiam copias colligebant. Multi item veteranorum peditum manipuli, ex ijs cohortibus, qui Meti in præsidio erant, ad eos accessêre. Vidamius Carnotensis, Mongommerius, Noæus, Lauardinius è Normandia, Britannia, Andibus, & Belsia ad mille ducentos equites, & tria millia peditum coëgerunt. Cumque iam exercitus in vnum conuenisset, Fanum S. Dionysij inuadunt, vbi se veterum Regum thesauros inuenturos sperauerant: sed hiantes coruos Regis prouidentia delusit, illis iam antea Lutetiam translatis. Ad bellum autem citò conficiendum nihil conducibilius existimabant, quàm Lutetiam quoquo modo occupare, & Regem ipsum suæ po-

Hugonottæ spe frustrati copias augēt

Sādionysiū occupant Hugonottæ.

1567 teſtatis facere. Habebāt enim in vrbe plurimos è coniuratis, qui, ſi vrbs obſideretur, operam ſuam illis addixerant. Hac ſpe impulſi, frumentarias molas, quæ à porta Templariorum, vſque ad portam D. Honorati erant, incendio tradiderunt, tanta vi luminis & flammarum nocturnarum, vt vrbs ipſa ardere videretur. Poſt omnes portus & pontes, qui in Sequana, ſupra & infra vrbem erāt, occupare, & itinera, quibus alimēta in vrbem comportabantur, inſidere decreuerunt, eo conſilio, vt ciues inopia & fame preſſi, in vrbe tumultuarentur: Regem ad iniquas pacis cōditiones adigerent, aut fugientem ipſi inſequerentur, & captiuū facerent. Proditores, qui in vrbe erant, eam vnà cum proprijs ædibus ſuccendere decreuerant, & iam omnia parata habebant. Inuenti ſunt plurimis locis ſacculi puluere ſulfureo pleni, ſed incendiarij partim capti, & exquiſitis ſupplicijs affecti ſunt, partim relictis omnibus periculum euaſerunt. Deinde ea per dies & noctes adhibita cura atque diligentia, vt nemo ex proditoribus illis quicquam tentare auſus fuerit. Interim Rex & Regina mater varijs literis & legationibus primò cum Condæo & alijs expoſtulant, quòd nulla dicta cauſa Regi armati occurriſſent, & ſopitū iam bellum reſuſcitâſſent: ſecundò cauſas noui belli inquirunt: tertiò ſi qui iniuriam aut damnum acceperint, id ſe præſtaturum, & operam datūrū, vt pax ſemel data ſincerè & integrè ſeruetur Rex promittit. At Hugonottæ animo ferociores, quòd Rex adhuc imparatus eſſet; ipſi verò ingentes clam copias collegiſſent, omne pacis conſilium contemnebant, iniquas conditiones poſtulantes, & Regi immoderatam in tributis exigendis licentiam improperantes. Regis animo huiuſmodi poſtulatis magis acerbato, nihil de pace conſtitutum, ſed belli conſilia repetita ſunt. Capta eſt initio belli ab Hugonottis Ienuilla, deinde Stampæ & Dordanū, nullius momenti oppida. Condæus, qui obſidione Pariſienſi occupatus erat, confeſtim omnes copias ad ſe vocat, Sanclodij pagum occupat, Regijs inde in vicinā turrim ſeſe recipientibus. Dum pugna committitur, Condæani ſcaphis & pontibus flumen ſine vllo impedimento traiecerūt, in vlteriori fluminis ripa Admirallium obuium habuerunt, coactoque concilio decretum, Lutetiā arctius obſidendam. Claromontius Charentonium occupat, ſed paulò poſt deſerit. Andelotius &

Lutetiam ſpe proditionis obſident.

Hugonottarum victoriæ.

us & Mongomerius ad Poissiacũ & Ponthosiam pro- 1567
fecti, vt ijs occupatis impedirent, ne quis commeatus è Normandia Lutetiam importaretur. Sed irritus eorum iste fuit conatus, quòd Strozza è Picardia cum veteranis cohortibus Lutetiam veniens, in vtroq; oppido firmum præsidium collocâsset. Noæo negotium hoc demandatum, vt Aurelias in potestatem redigeret, quam vrbem breui temporis spatio, vnà cum arce deditione occupauit, eiusque administrationem in se suscepit. Sed non multo post iterum amisit. Qui ad fanum S. Dionysij erant, singulis diebus leuia cum Parisiensibus ferebant certamina, & loca, quæ ad intercludendum commeatum facere videbantur, ab omni parte occupabant. Cùm autem aliquot castella ad Sequanam cepissent, Parisienses, multarum rerum inopia pressi, Regem permouerũt, vt ea recuperaret: quod nullo prope negotio effectum est. Hoc successu excitati Regij, in animum induxerunt, Condæum cum suis tota illa regione eijcere: id nõ difficile factu esse credebant, cùm parum sano consilio copias ille disiunxisset, & flos exercitûs cum Andelotio abesset. Huius consilij præcipuus auctor erat Comes stabilis. Tertio itaque Idus Nouemb. exercitus Regius, qui decem millibus peditum, equitũ verò quatuor constabat, tormenta quoque bellica xiiij. trahebat, in apertum exijt. Præmittuntur, qui situm loci, quem hostes occupauerant, numerum quoque eorum, & quod ipsorum esset consilium, explorarent. Ad primum eorum aduentũ leuis quidem pugna conserta est, sed tanta Catholicorum alacritate, vt Hugonottæ ad suam stationem trepidè sese recipere coacti sint. Totus deinde exercitus instructis aciebus in Hugonottas, ingenti spe victoriæ concepta, progreditur: disploduntur tormenta Regia, hostes ad pugnam eliciuntur, quã illi detrectabant, quòd Andelotius cum delecta parte exercitûs abesset. Mens itaque eorum erat, aciem tantùm ostẽtare, & hostem quamdiu possent ludificando prælium differre, donec Andelotius vocatus aduenirer. Sed cùm tormẽtis secundò & tertiò excussis, multi ex hostibus discerpti, plures mutilati essent, Comes stabilis instructas acies magno impetu in aduersas acies induxit, vti iam diutius pugnam protrahere non possent. Ienlyssius, qui propior Regijs erat, prospiciens ad vniuersam dimicationem veniendum, citato equo Condæum adit,

Hugonottæ parta rursus amittunt.

Prælium Sandionysianum.

ab eoq;

1567 ab eoque postulat, an rem prælio committere censeret. Hostium copias tam propinquas esse, vt ipse nec retrocedere, nec diutius pugnam differre posset. Iubet Condæus Ienlyssium occasioni non deesse. Interea equites ab vtraque parte velitantes initium prælio dederunt, & Ienlyssius reuersus, videt suos iam certamen contraxisse, necessitate à Regijs ad hoc compulsos. Sed quia hostium viribus impares erant, Verdas eorum tribunus receptui canit. Ienlyssius congregatos suos iterum in hostem ducit, succurrit ei Admirallius, ingrauescit prælium, victoria in Hugonottas inclinat. Sed dum Regios victos arbitrantur, Cossæus, Damuilla, Aumalius, & Chanignius nouam in fessas Hugonottarum turmas faciunt impressionem, ea vi atque impetu, vti multis trucidatis, reliquos in fugam coniecerint. Accurrit Condæus, vt suis laborantibus opem ferat: cui opponit sese Memorantius. Condæus diuidens acies suas, vnam in Memorantium, alteram in patrem eius Comitis stabilem mittit: redintegratur pugna. Comes stabilis hostibus circumfusus, cum deditionem facere nollet, sclopeti glande per renes traiectus est, quo vulnere biduo post obijt. Succedunt fessis Aumalius & Damuilla, qui Heluetios clade Comitis stabilis territos in hostem feliciter inducunt, promittentes quæcunque sors obuenerit, se ab illorum latere nunquam discessuros. Memorantius, qui cum Condæanis equitibus pugnabat, feliciorem euentum quàm pater habuit. Nam primis protritis, cæteros in præcipitem fugam coniecit. Hic Condæi equus interemptus est. Tam insigni parta victoria, quominus Regij hostem insequerentur, nox ingruens impediebat. Ceciderunt hoc prælio ex Hugonottis ad mille septingentos, inter quos nobiles antiquo stemmate circiter quinquaginta è Catholicis: quinquaginta. Qui à partibus stant Hugonottarum, æquo Marte, & pari propemodum vtrinque clade dimicatum fuisse scribunt. Ex coniuratis multi noctis beneficio seruati sunt. Qui prælio superfuerunt, ad Sandionysium reuersi, tota nocte maximo in metu versabantur. Vbi postridie illuxit, præmissis impedimentis, relictisque ægrotantibus, veriti ne ab exercitu Regio opprimerentur, fuga se seruârunt. Scribunt nonnulli hoc tempore Condæum Regem Galliarum coronatum, auream cudisse

Comes stabilis interficitur.

Catholici victores.

Quot cæsi.

dixit monetam, cum inscriptione: LVDOICVS XIII. DEI GRATIA FRANCORVM REX PRIMVS CHRISTIANVS. 1567

Condæus Rex Fracorum à suis electus.

Post prælium Sandionysianum animaduertens Rex Carolus, quanto in periculo & ipse, & totum Regnum per subditos versabatur, cùm indies eorum vires è Gallia & Belgio accrescerent, nouas quoque copias Germanorum à Palatino Casimiro collectas in Galliam duci intellexisset, ipse etiam exercitus nouos colligendos esse censuit. Scribit ad Albanum Ducem in Belgium, & auxiliares copias ab illo petit: qui confestim Comitem Arenbergium cum mille ducentis equitibus, & duobus Hispanorum peditum millibus in protectionem Regis & Regni misit. VVilhelmus quoque Saxoniæ Dux, & Marchio Badensis, mandato Regis accepto, tria millia equitum, & aliquot legiones peditum ad Regia castra è Germania adduxerunt. Rex nobilitatem omnem Gallicam & ordinarios milites conuocat: imperatum etiam est regijs cataphractis, vt præsto adessent. Ludoicus Gonzaga Niuernensis Dux ex Italia cum copijs vocatur. populus Parisiensis ad defensionem Religionis, Regis, patriæ, propriæque salutis postulatur. Capta sunt arma ab omnibus studiosis, tam Ecclesiasticis, quàm laicis, quia de omnium salute vno tempore agebatur. Adesse iubentur omnes Heluetij Catholici. Quid multis? omnes Catholici ad hoc bellum euocantur, donec Pontifex, Sabaudus, Italiæque Principes copias mittant. Pontifex enim magnifico, liberalique animo viginti quinque millia nummûm in singulos menses Regi numeranda decreuit. Florentiæ quoque Dux proprijs sumptibus decem millia peditum, & centum millia nummûm in auxilium Regi transmisit. Non enim alia de causa bellum hoc ab Hugonottis susceptum credebatur, quàm vt Religio Catholica exterminaretur: Rex, Sabaudiæ Dux, proximi Regis agnati & amici intimi occiderentur. Dum prædictæ omnes copiæ colliguntur, & conueniunt, Hugonottæ motis (vt diximus) Sandionysio castris in Lotharingiam proficisci decreuerunt, vt sese cum Cazimiro coniungerent, qui sex millia equitum, & tres legiones peditum in suæ causæ patrocinium adducebat. Hos eorum conatus vt Rex impediret, Aumaliũ confestim in Lotharingiam misit, vt copias Saxonis & Badensis reciperet. Andium

Rex sese armat.

Albanus Regi peditatum equitatumque mittit.

quoque

1567

Andius à Rege cũ summo imperio exercitui præficitur.

quoque fratrem suum Proregẽ in exercitu cum summo imperio præfecit, quem cõsilio Niuernensis, Longauillæ, Cossæi, Tauanæique, & aliorum insignium Ducum regi voluit. Andius igitur vt prohiberet, ne hostium vires coniungerentur, Lutetia cum omnibus copijs egressus est. Qui licet omnem diligentiam adhiberet, vt eos assequeretur, priusquam aliquid nouum tentarent: impedire tamen non potuit, quo minus Pons oppidum ad Yonam, Brayum, Nogentũ, Aspernectum ignobilia quidem oppida, sed ipsis ad auxilia Germanica recipienda percommoda, in eorũ potestatem deuenirent. Rex vt suorum sanguini parceret, rem pace denuò tentandam putauit, missoq; ad Condæum Combalto, omnium præteritorum veniã ipsis promisit, & vt pacificatorio edicto purè & simpliciter, vti prius conceptum & publicatum erat, fruerentur concessit. Vt autem de promissis certiores essent, pollicebatur codicillos magno Regio sigillo munitos, & à supremis omnibus Regni curijs confirmatos sese daturum, hac lege, vt qui arma sub auctoritate Condæi sumpserant, ea ponerent. Si hæ conditiones non placerent, nullam debere ab eo sperare pacem, sed Regis indignatio, & pœna perduellionis post triduũ proponebatur. Reportauit legatus responsum superbũ & indignationis plenũ: arma scilicet sese sumpsisse ad Regni & Gallicæ libertatis defensionem, quæ ab alijs opprimebantur. Consideratis tamen postea Regis viribus vndique confluentibus, Telignium ad Andium in castra miserunt, qui eum oraret, vt sepositis omnibus belli consilijs, colloquiũ de pace admitteret. Interea Brissaccus arcem Sarryensem prope Catalaunũ, in qua tres copiarum ductores ex Hugonottis erant, Boyfius, Blossertus, & Clerius, in potestatem suam redegit. Captus Clerius, reliqui duo cum XV. tantùm equitibus elapsi sunt. Andius non iam de pace, sed bello tractandi tempus ratus, Telignũ ad Regem misit, ipse exercitum promouet, & vt ante Germanorũ aduentum fortunam experiretur, maioribus itineribus, quàm antea, progressus est. Interea Guisius cum validissimis copijs Tricassibus egressus, in Lotharingiam properabat, vt vada & pontes fluminum præoccuparet, cui etiam rei Aumalius intentus erat. Alia ex parte Niuernensis cum Italico subsidio, & veteranis cohortibus, quas ex Pedemontanis præsidijs eduxerat, ad præcludendum

Oppida quædã ab Hugonottis capta.

Rex denuò offert Hugonottis pacem.

Hugonottæ spretã pacem vltro petũt.

Regiorũ progressus & victoria.

Hugo-

Hugonottis iter properabat: is enim decem millia Italorum peditum, & mille equites sub signis habebat, quæ Principes Italiæ Regi sub imperio eiusdē Niuernensis miserant: quorum ope multa castella prius ab Hugonottis occupata recuperauit. Hugonottæ videntes se tribus exercitibus penè obsessos, collectis vasis aliò iter instituunt, & ad fanum Michaëlis prope Verdunum Mosa traiecto, Lotharingiam ingrediuntur. Hìc Telignius Lutetia rediens articulos de pace, Regis iussu conscriptos, ad Condæum attulit. De qua pace priusquam agamus, referendum duxi, quòd Hugonottæ per amicos admoniti, vt priusquam bellum auspicarentur, supplices pacem à Rege peterent. Illi viribus confisi, non pacem petendam à Rege, sed eam Regi offerendam existimantes, quasdam cōditiones de communi consilio conceptas Regi obtulerunt. Primò petitum, vt Rex prior arma ponat. II. vt Heluetios dimittat. III. vt exteri omnes, aliquem honoris gradum assecuti, Regno exeant: in primis Regina, Itali, & Guisij. IV. Vt omnia tributa & vectigalia intra octennium imposita aboleantur. V. Vt omnes pro arbitrio, quamcunque voluerint, religionem profiteantur. VI. vt omnes donationes ab octennio factæ à Rege redeant ad fiscum, quibus æs alienum regium dissoluatur. VII. donec illa perficiātur dentur obsides frater, & soror Regis. VIII. vt quatuor vrbes Principibus Hugonotticis concedantur, Lugdunum, Caletum, Aurelia, & Diuodurum Mediomatricum vrbs primaria. Rex auditis tam fœdis pacis conditionibus, quas non Regi integro, sed profligato aut capto vix offerre oportebat, tantam, tamque regiam iram animo cōcepit, vt ipsē statim in apertum exire voluerit. Sed consilio suorum retardatus, conditiones, quas paulo antea commemorauimus, hostibus præscripsit, Telignioque ad se venienti literas tradidit, quibus fidem publicam concedebat his, qui à Condæo pro pace concilianda mitterentur. Quas cùm Telignius, vt diximus, in castra attulisset, legatio ad Regem data est Cetellionæo Cardinali Apostatæ, qui primò Reginam Catalauni conuenit, à qua, quòd res maioris momenti esse videretur, quàm vt à se confici posset, Vicennas missus est, vt ibi plenius voluntatem Regis cognosceret. Huc Moruilleræus & Lansaccus à Rege missi venerūnt, qui cum Cetellionæo de pace tractārunt. Interea Guisij

1569

Conditiones pacis ab Hugonottis Regi proposita.

Pacis tractatio.

1567 sponte aula excesse.unt, ne per suam præsentiam pax impediri diceretur. Cæterùm cùm per aliquot dies pacis negotium ventilatum esset, querelæ veniunt à Rege, Hugonottas in pace procuranda nõ sincere procedere: simulantes enim se articulos à Rege transmissos accipere, externas, quæ in itinere erant, copias non remittere: scrupulo,qui in animo Regis hærebat,quòd scilicet nuper Meldis proficiscenti Regi cum armis occurrissent, & manum cum suis conseruissent, nõdum satisfactum esse: de subditorum fide & promissis Regem certum esse non posse, quia fidem datam iam violârant, & edictum pacificatorium non obseruârant. Cetellionæus videns se tempus istic frustra terere,petita venia ad suos reuersus est.

Guisij vltro aula exeunt.

Querelæ Regis.

Cetellionæus pacis negotio infecto discedit.

Interea ad castellum Pontamossi Condæus, Admirallius,& Andelotius Casimiro occurrerũt, eumq; honorificè & gratanter exceperunt: sed ingens de illius aduentu gaudium grauis solicitudo excepit. Stipendia enim equitibus, peditibusq; Casimirianis promissa, in promptu non erant,nec vnde peterentur sciri sat potuit. Inuentũ tandem huic malo remedium. Præter æs enim signatum, quod in castris erat, præcipui nobilitatis Hugonotticæ aurum, argentumq; cælatum, quod in supellectile habebant, cum torquibus & cimelijs Casimiro pro numerata pecunia dederunt. Gregarij etiam milites pro viribus contulerunt. Aegrè tandem persoluto Germanis stipendio, copiæ lustratæ,& sex millia supra quingentos equitum, triaq; peditum recensita sunt, & in Franciam relicta Lotharingia introducta. Quod Andius, licet in omnem euentum intentus, impedire non potuit. Misso tamen cum Italis Niuernense prohibuit,ne vrbes obsidere,nec longè ad prædas agendas euagari possent. His rebus dum occupantur Galli, annus hic exijt,& in sequentem nouus quotidie fiebat apparatus.

Casimirus in Galliã venit.

Inopia pecuniæ, & promptitudo Hugonottarũ illam conferendi.

Dum sic Galli tumultuantur,Veneti per Oratorem suum Marinum Caballium Bizantij à Selymo pacis, quæ inter ipsos & Solymannum fuerat, confirmationẽ impetrauerũt. Per illud tempus mortuo Hieronymo Priolo, qui ad Venetorũ principatũ post fratrem sumptus fuerat,& in eo annos octo, mensem vnũ vixerat, Petrus Lauredanus præter omnium expectationem Dux renuntiatur. Turcæ hoc anno fuêre quietiores, nec præterquam quòd littora Siciliæ, Italiæq; subinde

Veneti pacem à Selymo impetrant.

Venetorũ Dux moritur, & alius eligitur.

subinde vexârint, quicquam moliti sunt. Budensis quoque Bassa in Vngariam quasdam excursiones fecit, & quosdam pagos Albæ regali finitimos munire cœpit: sed ab Egone Salmensi Comite, quo minus perficere posset, impeditus est. Interim Cæsaris Oratores, qui Constantinopolim missi fuerant, de pacis conditionibus cum Selymo agebant, quo tempore Sultano Cęsar munus magnificentissimum transmitit, mēsam cum fulcris, scamnis, & armariolo, omnia ex argento admirabili opere facta, quibus & triginta nummûm millia addebantur. 1567 *Cæsaris munus Sultano missum.*

In Autumno Suecicæ Danicæque classes iterum congressæ sunt. Sed superiores Dani, non paruam cladem Suecis intulerunt. Daniel deinde Rantzouius, militiæ Danicæ præfectus, mense Octobri per fauces illas viarum angustas, quas cauas vocant, Sueciam ingressus, aliquot menses impunè propemodum obuia quæque ferro & flammis Vastenum vsque populatus est, oppidis plerisque à Sueco ipso, ne receptum hostibus prẹberent, exustis. Silentio hîc minimè præterire possum horrendum exemplum, quod Deus hoc anno in Richbergerum Suecum, ad terrorem Dardanariorum, seu eorum, qui frumentum abscondunt, vt tempore necessitatis pluris diuendant, statuit. Hic Richbergerus diues & opulentus, sed crudelis & auarus, cùm ingentem haberet frumenti copiam, eoque res esset redacta, vt necessariò ab illo emendum foret, vendere noluit, nisi magno, imò intolerabili pretio. Inops ciuis, multis oneratus filiis, vix dimidio collecto pretio eum adijt, frumentumque petijt. Spreuit homo immanis miseri preces, & à se cum conuicijs reiecit. Paulò post famulus alia qua causa ingressurus horreum, cùm portam aperuisset, vidit duos boues nigros per horreum pascentes, & frumento vescētes. Rem cùm ad dominū retulisset, corruit, & animā exhalauit. Alius exploratū missus, refert sues etiā accessisse, & statim moritur. Dominus magnitudine damni territus, ipse accurrit: cumque portam aperire non auderet, per rimam videt varij generis animalia frumentum suum absumere; quam iacturam tam ægro accepit animo, vt in furorem versus, vinculis, ne aut sibi, aut alijs violentas manus inferret, constringi eum oportuerit. *Victoria Dani de Sueco.* *Horrendum exemplum iræ diuinæ in Dardanarios.*

Decimo quarto Calend. Januar. Albanus Dux

1567. 19. Decēb. Albanus Proceres Belgicos citat.

Principē Auraicū, Hoochstratanum, Tsherenbergiū, Culēburganum, Bredenrodiū, & alios è Belgio profugos Proceres, ad causam dicendam reuocauit: ter quatuordecim dierum termino constituto, vt venientes Duboyssii procuratoris generalis accusationes, expostulationesque audiant, & se ab obiectis criminibus purgent. At nullus eorum comparuit. Auraicus & Hoochstratanus publicis, & typis editis scriptis ostendere conabantur, se non à legitimo iudice, neque ad legitimum tribunal citari. Aurei velleris Equites nō nisi ab eiusdem Ordinis collegis iudicari oportere; ad Cæsaris, aut alicuius in Imperio Principis tribunal se appellare. Supplices etiam libellos ad Cæsarem miserunt, orantes vt apud Regem intercederet, ne ab Albano, sed ab Imperio causa ipsorum cognosceretur. Cæsar, vt supplicibus satisfaceret, ad Albanum scripsit: at Albanus hæc non suo consilio, sed Regis mandato fieri ostendit. Cæsar hoc accepto responso, causæ cognitionem ei, cui fidem suam obstrinxerant, relinquendam censuit. Cùm igitur Proceres die & termino constituto non comparerent, læsæ Maiestatis damnati, & eorum bona omnia fisco regio subsignata sunt. Auraicus, qui Belgio excedens ducenta nummum millia exportauerat, centum quinquaginta millia ex suæ sectæ hominibus collegerat, centum millia ex aurea argenteaque supellectile sua conflauerat, quingenta talerorum millia à Saxonum Duce vxoris patruo acceperat, ingentem peditum equitumque multitudinem collegit, quos Albani viribus obijceret, eumque toto Belgio eijceret. Maxima prætereà spes erat in Gallicis, Anglicis, Belgicisque auxilijs: tantum expectabatur tempus oportunum, quo in apertum exiret.

Auraicus copias militares colligit.

Parmēsis è Belgio in Italiā reuertitur.

Parmensis impetrata discedēdi venia, priusquam abiret, literas ad Ordines Belgicos dedit: in quarum initio conqueritur, se non in pleno consessu Ordinum rationem suæ præfecturæ reddere posse, quod semper optauerat, & ab alijs decessoribus suis semper factum erat. Sed alia nunc esse tempora, aliam Regis voluntatem. Deinde in eam narrationem digreditur, vt commemoratis omnibus, quæ in eius administrationem inciderant, ostendat se quidem tranquilliora tempora optasse, sed varijs ortis difficultatibus, se ea semper secutam consilia, quæ putauerit esse optima.

Orare igitur Ordines, vt omnes actiones suas in bonam interpretentur partem: Catholicam Religionem ante omnia colant, Regi obediant, & laudabilem sui semper memoriam habeant. Hæc illa: quæ tricesimo tandem Decembris, cum insigni Nobilium comitatu, in Italiam ad maritum reuersa est. *1568*

Fatalis hic annus fuit Philippo Hassiæ Lantgrauio, olim à Carolo V. capto, & postea libertati restituto. *Philippi Lantgrauij mors.*

ANNO M.D.LXVIII. ineunte Selymus Turcarum Sultanus magnum coëgit exercitum, classemque multarum triremium instruxit, & ex Africa piratas omnes conuenire, seseque ad expeditionem parare iussit. Tanti apparatûs duæ referuntur causæ. Vna, quia famâ ad Ianuas perlatum esset, Regem Hispaniarum classem armare, nec sciri posse, in quem vsum id fieret. Altera, vt Arabes, inter Euphratem & Tygrim habitantes, in ordinem redigeret. Hi enim ante triennium ab imperio Turcico defecerant, partim quia vrbe Teneridone, in finibus Arabiæ Felicis, & Petrææ finitima, Turcicis armis essent eiecti; partim quia Teneridonis præfectus Ailamum, vnum ex primis Arabum Proceribus nuper spoliasset. Ad ducenta igitur millia Arabum confluxerant, vrbem Teneridonem obsederant, munitiones quasdam in eius insulæ ingressu occupauerant, auxilia, quæ Selymus obsessis miserat, trucidârant, & in fugam verterant. Quare Sultanus coactus est maiora auxilia mittere. Quod cùm Arabes intellexissent, soluta obsidione in suas sese insulas receperunt. Multa interim hostiliter in vicinas Turcarum prouincias ausi sunt, & quotidianis excursionibus tam mercatores, quàm agricolas diuexabant. Ad hos itaque domandos ac coercendos, Selymus initio huius anni aliquot triremes, & triginta peditum millia, sub ductu cuiusdam præfecti purpurati, misit. *Arabes quidam à Selymo deficiunt.*

Dum hæc parantur, Melitæ insulæ Magister sibi suisque metuens, vrbem nouam. paulo ante à Turcis conuulsam & prostratam, maxima cum celeritate cœpit restaurare. Mittit equitem Boninsegnium ad Philippum Regem, qui ab eo auxilia peteret, omnesque militiæ istius equites ad Calendas Martias magna proposita pœna in insula adesse præcipit.

1568 In Belgio Albanus Dux compositis vtcunque rebus, cœpit in nouæ Religionis homines, & præcedentium tumultuum auctores seuerius forte, quàm Belgarum ingenia, temporumque & morbi ratio ferebat, animaduertere. Quicunq; templa disturbârāt, diripuerant, profanârāt: quicunq; arma in Regē & Religionē sumpserant: quicunque hæreticis concionibus interfuerant, vel ipsos concionatores in ædes suas receperant, alueranтque, capitali supplicio affecit, eorumque bona fisco Regio adiecit. Quæ nimia seueritas magnam illi inuidiam apud omnes promiscuè, apud multos verò conflauit odium immortale. Discretionem, æquitatem, clementiamque in hoc Principe plerique desiderabant. His enim potius, quàm seueritatis vi Belgarum animos in officio retineri posse arbitrabantur: quamuis alij eam tuerentur opinionem, vt dicerent, illam hæreticorum esse pertinaciam, vt nullis monitis, nulla beneuolentia, nulla lenitate à suis erroribus abduci possint. Vt vt est (nolo enim hîc disputationem non minus odiosam, quàm periculosam incurrere) id constat, hoc Albani rigore multorum animos magis exacerbatos, amplius vindictam, quàm delicti vel veniam, vel pœnitentiam cogitasse. Homines enim malè sibi conscij, qui vel ob sacrilegia, vel ob rebellionem tribunalia metuebant, & forum declinabant, in siluis, desertisque Flandriæ, & aliarum prouinciarum sese abdiderunt, nocturnisque excursionibus finitimorum cœnobiorum, pastorum, aliorumque Catholicorum ædes expugnabant, facultates diripiebant, homines ipsos in antra & loca subterranea raptos immanibus, & plus quàm barbaris tormētis excarnificatos trucidârūt. Hi Geusij siluestres nuncupati sunt. Contra huiusmodi nefarios homines Albanus primò armatas aliquot copias emisit, à quibus multi occisi, multi capti, & suspensi sunt. Deinde publicum per omnes prouincias edictum promulgauit, quo præcepit omnibus incolis, præsertim agricolis, vt suorum pastorum rationem curamque habeant, eos à sceleratorum manibus armis tueantur, & vitam, fortunasque suas pro illorum salute obijciant. Si qui agricolarum incuria vel negligentia detrimentum aliquod acciperet, damnum ipsi præstarent. Aliud quoque mandatum publicauit Albanus, quo cauit, ne quis ex vrbibus profugus ad has colluuies sese adiungeret,

Albani in Belgio seueritas.

GEVSII siluestres, & eorum immanitas.

12. Febru. Edicta Albani.

geret, aut Belgio excederet; ipsi, ipsorumq; bona, terra, marīq; è fuga retraherētur & detinerētur. Omne quoque cōmercium cum huiusmodi profugis interdixit. 1568

Diximus in superioribus quando, & qua occasione confœderatio nobilium in ædibus Comitis Culenburgani repetita & confirmata, Geusiorumque nomine insignita est. Albanus itaque indignum ratus, vt tot, tantorumque flagitiorum officina diutius superesset, præcepit eas ædes funditus excindi, euerti, & solo æquari: & ne vnquam eo loco denuò ædes construerentur interdixit: aream lapidibus sterni, & in medio marmoream columnā erigi iussit cum hac inscriptione:

Aedes Comitis Culēburgani euersæ.

REGNANTE PHILIPPO II. CATHOL. HISPAN. REGE, IN HIS SVIS INFERIORIS GERMANIAE REGIONIBVS GVBERNANTE VERÒ FERNANDO ALVAREZ DE TOLEDO, ALVÆ DVCE, ETC. FLORENTII DE PALLANT QVONDAM DOMVM SOLO ÆQVARI SANCITVM EST: OB EXECRANDAM MEMORIAM REPETITAE IN EA CONIVRATIONIS, ADVERSVS RELIGIONEM ECCLESIÆ CATHOL. ROM. REGIAM MAIESTATEM, ET IPSAS REGIONES. ANNO SALVT. M. D. LXVIII. QVINTO CALEND. IVNII.

Dum hæc fiunt, exules nonnulli nobiles, ducibus Rysorio, & eius fratre Carloo, copias septingentorum circiter equitum, & quingentorum peditum clam coegerant, quibus Albano insidias, facta inter se coniuratione, hoc modo struebant. Sciebant Albanum Bruxellis ad Monasterium Vallis viridis, quod in silua Sonningiensi est, profecturum. Distributis igitur per siluam equitibus, multisque in arce vicina Domini Ohainij latitantibus, peditibus verò iuxta Bruxellas oberrantibus, Carlous in eodem Monasterio habitu Monachi, ob metū Albani (vt ipse simulabat) Ducem expectabat. Qui cùm aduenisset, si in itinere eorū manibus elaberetur, equites, peditesque Monasteriū cingerent, expugnarent, & cum omnibus, qui in eo erant exurerent. Astuta machinatio, & callidum consilium;

Insidiæ Albano structæ.

1568 sed quod euentu caruit, cõiuratione per vnum ex complicibus detecta.

Mors Caroli Principis Hispaniarũ. Huius anni mẽse Februario Carolus, vnigenitus Regis filius, Hispaniarum Princeps, viginti duorum annorum adolescens, in captiuitate, vel mœrore animi, vel potus cibique intemperantia obijt: vel, vt alij volunt, (variant enim hic scriptores) strangulatus est. Huius captiuitatis etsi variæ à varijs causæ referantur, eæ tamen ab his, qui eo tempore in aula versabantur Hispanica, commemorantur, vt hæc captiuitas non modò iusta, sed omnino necessaria fuisse videatur: cùm illo viuente & aliquando imperãte, Respub. minimè salua esse potuisset: non enim æquum imperium, sed meram tyrannidem præ se ferebat, vt non immeritò prouerbium illud. Heroum filij noxæ, in eo locum habuisse videatur.

Legatio Maximiliani ad Selymũ. Per hos dies legatus Cæsaris Maximiliani Constantinopolim venit, primarijsque Bassis & purpuratis de more salutatis, munera obtulit. Ad conuiuium deinde splendidum vocatus, vbi iam prius causam legationis exposuisset, præter alia munera, vasa aurea multa, argentea plura, mira arte cælata, & horologia incredibili industria facta protulit, Sultanoque donanda transmisit. Erat autem legationis causa induciarum postulatio, quas eo minori negotio obtinuit, quòd bellum Arabicum non leuiter animum Selymi angebat. Cõditiones autem earum induciarum erãt: Vt annos octo durarent; quisque quod vltimo bello Pannonico acquisiuerat retineret; his inducijs Veneti, & Rex Ioannes Transyluanus comprehenderẽtur. Agricolæ, qui tributum quotannis tam Cæsarianis, quàm Turcis pendebant, deinde solis Turcis penderent, Turcicumque imperium agnoscerent.

Induciæ inter Maxim. & Selym. earumque conditiones.

Iulius Dux Brũsuuicensis Religionẽ mutat. Eodem ferè tempore Dux Brunsuuicensis Iulius, Paderbornensis Diœcesis quõdam Coadiutor, & Mindensis Episcopus, fratribus Carolo Victore, & Philippo Magno in prælio cum Marchione Alberto ad Siuershusiam cæsis, hoc tempore patriam administrandam suscepit, sinceramque & Apostolicam Religionẽ è suis ditionibus eiecit, & liberiorem viuẽdi normam, doctrinamque Lutheri admisit. Idem in sua Diœcesi fecit Episcopus (si modò Episcopus ille dicendus sit, qui Ecclesiam sibi desponsatam profanorum hominum libidini prostituit) Eberardus ab Hol, Antistes

Idem facit Episcopus Verdensis.

Ver-

Verdēsis:reclamātibus nequicquā Canonicis quibusdā 1568
senioribus Ecclesiæ cathedralis. Imitatus est eundem,
sed ciuium tumultu coactus, Ioannes ab Hoia in vrbe *Osnaburgēses Lutheranismum arripiunt.*
& territorio Osnaburgensi, qua tamen vrbe Cathedralem Ecclesiam, in qua nil ciuibus aut Reipub. iuris erat, ab omni hæreseos labe sartam tectam conseruauit: vti & eius successores in præsentem adhuc diem conseruant. Tantum potuit non tantùm in populo, sed & in Principibus viris nouarum Religionum studium.

Vernalibus nundinis Francofurti peractis, quidam Itali Florentini & Genuenses nauim pretiosissimis mercibus, aulæis Attalicis, ac peristromatibus mira arte contextis oneratam, secundo flumine Coloniam demiserunt. Latebant inter aulæa centum quinquaginta ducatorum millia, quæ pecunia Regis Hispaniarum erat, militibus in Belgio numeranda. Suboluit hoc Frederico Electori Palatino, qui nauim hanc detineri, & merces cum pecunia, sub prætextu non solutorum vectigalium, fisco suo iussit applicari. Indignè tulit hanc rem Albanus, literasque ea de re dedit ad Cæsarem, quibus rogabat, vt iuberet Palatinum merces & pecuniam regiā reddere. Monitus à Cæsare Palatinus merces primò restituit; deinde etiam de pecunia reddenda transactum est. Ita potentissimum Regē non tantùm Imperatores, Reges, & Monarchæ; sed inferioris dignitatis & auctoritatis Principes prouocare cœperunt. *Palatinus pecuniam Regis Hispan. intercipit.*

In Gallia Hugonottæ Casimiri aduentu, vt diximus, recreati, post ignobilia quædam oppida capta, Carnutensibus obsidionem parabant. Qui cùm istius rei certiores facti essent, à Rege duas equitum alas, & quinque peditum cohortes, sub imperio Liguerei impetrârunt, qui Vasconum etiam aliquot vexilla, ante ab oppidanis exclusa, in vrbem recepit. Deinde omnia, quæ ad vrbis defensionem erant necessaria, diligenter & industriè parat: fossas pluribus in locis ducere, aggerem extruere, mœnia reparare, non modò ciues, sed & milites iubet. In ijs multum ipse versabatur, omnes monebat & hortabatur, nihil eorum, quæ ad officium boni ducis pertinent, omittebat. Interea aduolant Hugonottæ cum Germanis, vrbem corona cingentes. Priusquam castra munire potuerunt, ab erumpentibus oppidanis plurimi cæsi sunt, & singulis prope horis leuia certamina ferebantur. Interea tormenta, quæ Dioezzæ *Hugonottæ in Galliá Carnutum frustra obsident.*

1568 portæ mœnia diuerberabant, hiatum in ſedecim paſſuum longitudinem ediderunt: captum deinde vicinum propugnaculum: ſed Floiati cuiuſdam copiarum ductoris fortitudine feliciter illud recuperatum: ruinæ reparatæ, nouæ munitiones excitatæ, & continuis colubrinarum globis caſtra hoſtium turbata ſunt. Oppidani ſæpius erumpentes, maximas clades caſtris inferebant; ſed omnium eruptionum ea potiſſimùm eſt memorabilis, in qua Vaſcones, qui Vicecomitibus parebant, cæſi, & in fugā verſi, duo vexilla amiſerūt, quæ in vrbem illata ſunt. Hugonottæ videntes obſidionem hanc in longum productum iri, ſuas copias minui, multos cædi, multos deficere, tempus labi, & nouorum ſtipendiorum diem inſtare, de relinquenda obſidione cogitabant: cùm ecce peroportunè nuntius in caſtra venit à Rege pacem adferens. Cui tamen paci plerique, qui Condæo parebant, aduerſabantur. Diſplicebat & ea pax Pariſienſibus, legationi Pontificis, & Hiſpano, cùm nuper aucta fuiſſent caſtra regia multis auxilijs: & Pariſienſis populus decies centena millia nummûm, Eccleſiaſticus verò ordo octies centena millia, in vſum huius belli obtuliſſent, multique alij Principes auxilia promiſiſſent. At Rex & Regina ob inſignem annonæ caritatem dicebant, ſe non poſſe æquis auribus audire tot lamentationes ſubditorum populorum, aut euerſiones tot florentiſſimarum prouinciarum videre. Factæ ſunt itaque induciæ in viginti & quinque dies, interea pax ita determinata. Vt neque Rex, neque ii, quos ipſe vellet, arma ponerent. Vt Hugonottæ intra viginti quatuor horas poſt pacem publicatam arma deponant. Vt equites & pedites Germani intra viginti dies, qua via Rex decerneret, Regno exirent. Ne Hugonottæ pacis fruantur beneficio, niſi prius reſtituerint omnia loca, quæ ad Regis pertinent imperium. Exercitium religionis relinqueretur, prout in pacificatorio edicto anni LXII ſeptimo Martij conſtitutum erat. Quo ad ſtipendia Germanorum, Hugonottæ ſoluerent XL nummûm millia, cætera ſeptingenta millia Rex penderet. Vt Rex mille equites, & ſex millia peditum ordinariorum penes ſe retineret. Cætera omnia ad edictum pacificatorium anni LXII. referebantur, in quo, quæ ad Religionem pertinebant, decretum erat. Vt omnes nobiles, qui Baronum, aut Caſtellanorum dignitate ornati erant, quiue ſummam iuriſdictio-

Pax in caſtris proclamatur.

Quibus ea diſplicuerit.

Conditiones pacis.

1568

dictionem, aut liberum feudum habebant, possent in suis ædibus, in quibus habitabant, in libertate conscientiarum, & pleno exercitio suæ Religionis, vnà cum domesticis & clientibus suis viuere. Alijs nobilibus feuda habentibus, qui ruri, non in vrbibus, aut suburbijs habitarent, eodem priuilegio vti liceret: sed tantùm pro se & familia. Vt in omni eparchia vrbs vna designaretur, in cuius suburbijs exercitium Religionis istius haberetur; quo omnes illius iurisdictionis homines, qui eam Religionem profiterentur, confluere possent. In omnibus præterea vrbibus, in quibus circa septimum Martij diem eius Religionis forma obseruabatur, eo priuilegio vterentur, suo more conciones haberent, & sacramenta administrarent, in vno aut duobus locis: ea tamen ratione, vt nullum templum occuparent. Si quæ fuerint ab illis occupata, aut etiam cœnobia, Catholicis restituerent, eosque suis redditibus & possessionibus liberè vti frui permitterent. Hoc edictum paulo post promulgatum, à multis lætissimo vultu exceptum fuit, quia finem bellis ciuilibus impositurum videbatur. Sed ea pax diuturna non fuit: cùm enim neutra pars eâ sibi satisfactum putaret, ad belli consilia redierunt, vt paulo post dicemus.

Rerũ Scoticarum prosecutio.

In Scotia res nihilo quàm præteritis annis erant pacatiores. Confirmato enim Rege Iacobo VI. & Bothuelio à Danis capto, primo statim vere Prorex, Morauiæ Comes, statuit conuentibus iuridicis habendis vniuersum Regnum obire: quæ res variè subditorum animos affecit: oderant enim plerique boni Proregis crudelitatem. Multi etiam ex ijs, qui Reginæ capiendæ auctores fuerant, eius libertatem optabant. Inter hos Mætellanus, & Iacobus Balfurius, qui etsi de Regina pœnas prius in publicis Comitijs expetierant, capto tamen Bothuelio ad Reginam liberandam animum adiecerunt. Horum conatibus patrocinabantur Hamiltonij, Argathelius quoque, & Huntlæus, Hamiltoniorum affines, primarij Scotiæ Proceres: in quorum partes VVilhelmus etiam Morauius Tilibardinus concessit, magnamque amicorum manum, spe nō exigua emolumentorum obiecta, secum traxit. Tandem consilia eorum ad exitum peruenerunt. Regina in arce, quæ est in lacu Leuino, custodiebatur. Aderant illi Proregis mater, & tres ex alio patre fratres, aliaque

Qui Proregem oderant, et Reginæ partibus fauebant, eam liberare conantur.

mulie-

1568 mulierum turba. Neque quisquam ad eam visendam admittebatur, præter notos, aut à Prorege missos. Regina Georgio Duglassio, Proregis fratre familiariter vtebatur: cum hoc paciscitur, vt se custodia, qua tenebatur, educeret, & libertati restitueret. Quæ res etsi non tam occultè geri potuerit, vt suspicionem nullam Scotis pareret: induci tamen Prorex non potuit, vt quicquam è pristina custodia mutaret, nisi quòd Georgium ex insula emigrare iusserit: adeò suorum fidei credebat. Georgius cùm in pagum proximum ad oram lacus se contulisset, per ministros arcis pecunia corruptos, prope liberius, quàm antea consilia cum Regina communicabat. Tandem Regina corrupto nauiculatore, reliquisquе custodibus conficta causa ablegatis, è lacu educitur, ab equitibus ad ripam expectantibus excipitur, & per domos consciorum deducta, magno comitatu postridie, qui erat ad quintum Non. Maij ad Hamiltonium peruenit, qui pagus octo millia passuum distat à Glascua.

Regina è captiuitate quomodo elapsa.

Auraicus & exules Belgæ auxilia implorant.

Pace in Gallia promulgata, copiæ omnes, quæ Condæo militabant, exauctoratæ sunt, & Germani per Burgundiam & Lotharingiam eodem ferè itinere, quo venerant, in Germaniam redierunt, ducemque suum Casimirum Heidelbergam deduxerunt, vbi Princeps Auraicus eos expectabat, vt contra Albanum duceret. Auraicus enim, cæterique nobiles exules Belgæ hac illac circumcursantes, omnes Principes suæ Religionis in Germania supplices adeunt, opem & auxilium contra Albanum & Regem Hispaniarum implorantes. Horum precibus cùm Principes aliquot annuissent, Auraicus & frater illius Ludoicus eas copias cōscripserunt, quibus Albanum varijs locis, vt in terra Iuliacensi, Brabantia, Gelria, & Frisia bello aggressuros sese existimabant. In Transmosanis ditionibus, & Ducatu Iuliacensi belli fieret præludium, ducibus Ioanne Montignæo, Domino Villerio, VVarauxio, Risoirio, & eius fratre Carloo, sub imperio Comitis Hoochstratani. Ludoico Nassouio destinata est Frisia. Franciscus Cocqueuillius Artesiam inuaderet. Præcipuum exercitum Auraicus in Brabantiam duceret. Geusiorum nunc omnium animi in certissimam spem erant erecti, fore vt breui Albanus cum omnibus suis Hispanis aut Belgio eijceretur, aut viuus in ipsorum manus veniret: Religio Catholica toto Belgio exterminaretur

Quibus locis Albanū inuaderent.

termi-

terminaretur, Caluinismus introduceretur, penes Geusios omnis Belgij esset administratio. Spem hanc fouebant socij, qui in diuersis vrbibus adhuc latitabant, ipsisque & per literas, & per nuntios persuadebant, vt sublato belli signo variæ ciuitates tumultuarentur, Regios excluderent, exules obuijs vlnis exciperent, nihilque intentatum relinquerent, vt licentia, quam optabant, vel tandem frui possent. At fefellit eos spes & opinio. Exercitus enim, qui in Ducatu Iuliacensi, in agro Dalensi erat, à Comite Ladronio & Sancio Dauila ad XXV. Aprilis internecione cæsus, Villerius & Dhuius capti sunt. Cocqueuillius, qui cum copijs suis, ex Anglis, Gallis & Flandris conflatis, Artesiæ finibus imminebat, à Marescallo Cossæo, iussu Regis Galliarum, in oppido Sanualercio obsidetur, & capitur. Tribuni militum capite plectuntur. Belgæ, qui fugere non potuerunt, cæsi, Galli incolumes dimissi sunt. 1568

Cædes Geusiorū in Dalem. Cocqueuillij exercitus cæsus.

Initio Maij Ludoicus Nassouius, frater eius Adolphus, & Iodocus Comes Scouvvenburgius exercitum alium conscripserunt, quem in Frisiam duxerunt; arcem VVeddensem primò, deinde Dammum, in territorio Groeningensi occupârunt, ea spe, vt Groeningenses ad deditionem, aut blanditijs inuitarent, aut vi cōpellerent. Signorum inscriptio erat, RECVPERARE, AVT MORI. In eos misit Albanus legionem Sardorum, sub imperio Braccamontij, tria vexilla Hispanorum è legione Longobardica, quadringentos Italos, Hispanosque equites, partem legionis Comitis Megemi, mille pedites Germanos, & quinque signa è legione Arenbergij Comitis, Frisiæ Gubernatoris, qui & totius exercitûs cum summo imperio dux erat designatus. Ludoicus de viribus hostium certior factus, cùm intellexisset equites nondum in castra venisse, Arenbergio obuiam processit, leuiaque primò prælia cum eo conseruit, & cedendo sensim, regios sub aggerem pellexit. Arenbergius insidias metuens, receptui canere, & milites abducere voluit. At Hispanorum tantus erat ardor, vt minimè cedere volentes, Arenbergium tanquam infidum Regis ministrum criminarentur. Arenbergius, etsi periculum facile animaduerteret, vt honori tamen suo consuleret, impressionem in hostes fecit. Vbi ad aggerem ventum est, qui in insidijs erant collocati VValones, prosilientes, & à fronte, & à lateribus in Regios densissimos glādium, telorumque

Ludoici in Frisiā expeditio.

imbres

1568 imbres intorserunt. Pugnatum est diu summa contẽtione. Tandem Arenbergij equus confoditur, ipse autem ab Haulteinio Antonio de Soete interficitur. Cæsus est & eius Vicarius, cum pluribus alijs. Reliqui ducẽm suum, & tot fortissimos milites cadere conspicientes, in vicinum Monasterium fugerunt. Nassouienses eos insequuntur, & dum Regij Monasterium defendunt, pugna redintegratur, in qua Adolphus Nassouius Ludoici frater globo tormentario traiectus occubuit. Perierunt è Regijs hac pugna ad XXIIII. Maij inter VVinschotam, & Monasterium *Heiligerlee* habita, mille sexcentiјè Nassouijs pauciores, qui victoria, vnà cum diuite præda, & sex tormentis bellicis potiti, captiuos Hispanos plerosque ab arboribus suspenderunt. Mors Arenbergij inimicis æquè atque amicis erat luctuosa. Vir enim erat exactæ prudentiæ, acerrimi iudicij, constantiæ singularis, in re militari exercitatissimus, patriæ amantissimus, ad pacem, quàm ad intestina bella pronior. Megemus post pugnam & Martinengius fuga elapsi, vrbem Groeningensem ingressi, diligenti cura aduigilârunt, ne quid ea detrimenti acciperet. Ludoicus enim, vt victoriæ cursum prosequeretur, cum omnibus copijs vrbem duobus locis obsedit. Sed cùm ea natura loci & arte esset munitissima, præsidium firmum, & plurima tormenta bellica haberet, quibus Nassouij destituebantur, nihil laude dignum efficere potuit: nisi quòd leuibus prælijs cum oppidanis sæpe decertaret, in quibus maius damnum accepit, quàm intulit.

Arenbergius Comes cæsus. — *Adolphus Nassouius cæsus.* — *Victoria Geusiorũ.* — *Groeninga frustra obsessa.*

Albanus acceptæ cladis nuntio allato, mox in Frisiam misit Scipionem Vitellium, Cetonæ Marchionem, legionem Comitis Obersteinij, & mille sexcentos equites Germanos, sub imperio Ducis Erici Brunsvvicensis: qui cùm aduenissent, ponè copias Megemi castrametati sunt, quotidianisque velitationibus hostem fatigârunt. Scipio tamen de summa rei cum hoste ante Albani aduentum confligere detrectauit. Interea Cæsar Maximilianus literas Nassouio mittit, eũ arma deponere, & Regis ditionibus iubet excedere: nisi pareat, proscriptionem & illi, & omnibus eius militibus minitatur. Ludoicus has Cæsaris minas facilè contempsit. Multi tamen è Germanis, qui illi militabant, paulatim se subduxerunt, & relicta periculosa militia, in patriam reuersi sunt: ita vt exercitus Nassouij ma-

Albanus nouas copias in Frisiam mittit.

uij magna parte diminutus, debilitatusque fit. Eodem quoque tempore Comes Tsherenbergius sui Comitatus oppidum, eiecto inde Megemi præsidio, recepit: sed mox eadem facilitate, qua occupârat, fortitudine Sancij Londogni amisit. 1568 *Tsherenberga occupatur, sed mox recuperatur.*

Albanus, vt ostenderet Belgis, se nihil tot hostium tam varijs machinationibus moueri, in cœpta mandatorum Regiorum executione progressus est. Habebat eo tempore in vinculis nonnullos è coniuratorum antesignanis nobiles, quos XXVIII. Maij criminis læsæ Maiestatis condemnatos, præter omnium opinionem Calendis Iunij Bruxellis capite plecti iussit: inter quos erant duo fratres, Gisbertus & Theodoricus Barones Batenburgici, Petrus Andelotius, Philippus VVinglius, Cockius nobilis è familia Egmundana, Ioannes Blesius à Terlon, Philippus Thristius à Gent, Bartholomæus de Vall, Artus à Batson, Hermannus Galema, Suyrtius Bemna Frisij; Iacobus Delpendamius, Frominus Piltirius, Constantinus Brunsellius, Ioannes Reinaultius, Ludoicus Carlirius, Reterus & Philippus VVaterloisij fratres. Postridie verò eodem supplicio sustulit Ioannem Montignæum Dominum Villerium, Dominum Duyum, Quintinum Benotium. Viluordiæ per eosdem dies necati sunt Antonius Stralen Consul Antuerpiensis, Ioannes Casenbrotius dynasta in Backerseel, Secretarius Egmondani, & Quæstor Reipub. Mechliniensis. Horum autem necem maturauit Albanus, vt opera Hispanorum, qui eos hactenus custodierant, aduersus hostem vteretur: præterea, ne ipso absente (iam enim in Frisiam proficisci decreuerat) quidam ex illis corruptis custodibus, aut tumultuante populo, elaberentur. *Albanus in captiuos fœderatos animaduertit.*

Tertio Iunij duo captiui Comites, Egmondanus & Hornanus, tribus millibus Hispanorum comitati, Gandauo Bruxellas ducuntur; vbi Procurator generalis capitalem in eos sententiam determinauit, quam scriptam Albanus ad eos noctu misit, & vt se ad mortem præpararent præcepit. Egmondanus initio hanc Albani seueritatem admiratus, cùm animaduerteret nullum veniæ locum esse reliquum, ad mortem sese composuit, postulansque chartam epistolas duas, vnam ad vxorem, alteram ad Regem scripsit. In ea, quæ ad Regem erat, scribit; se Regis sententiam & iudicium audiuisse. Etsi nihil vnquam, vel in Regiam Maiestatem, vel in Catholicam *Comitum Egmõdani & Hornani supplicium.*

Religio-

1568 Religionem, quod sciret, peccâsset; mortem tamen se cum patientia oppetere velle; cùm videat ita Deo decretum esse. Quòd si quid fecerit, aut rebellionis tempore permiserit, quod impedire non potuit, id tamen candido & fideli à se animo factum, ad Dei gloriam, & Suæ Maiestatis vtilitatem secundùm eius temporis rationem. Orare igitur se Regem, vt sibi illud ignoscat, & in bonam partem interpretetur. Vxorem autem sibi charissimam, & proles omnes innocentes, totamque familiam suam commendatam habeat, & sua protectione benignè tueatur. Has literas Reuerendissimo Iperensium Episcopo Rithouio, qui vtrique Comiti, vt ipsis à confessionibus esset, datus erat, tradidit: qui eas se studiosè curaturum promisit, vt Regi traderentur. Quod reliquum erat noctis, & matutinum tempus, expiandis peccatis & precibus ad Deum effundendis insumpserunt, donec sacramentis procurati, in forum producerentur. Forum XXII. Hispanorum peditum signis erat obsessum: in medio pegma erectum, quod pullo, lugubrique panno erat obductum. Egmondanus prior hora decima educitur, ascendensque pegma, cùm aliquamdiu obambulasset, rogauit, an nullus veniæ locus esset relictus? Respondente Romero Iuliano, Nullum; frendens dentibus, & in genua procidens, vnà cum Episcopo preces nonnullas recitauit: quibus finitis, pileum, sudariumque, quod in manu habebat, abiecit, & obnubens oculos, ictum à carnifice excepit. Cadauere, sanguineque nigris pannis tecto, prodit Hornanus, qui simili supplicio affectus, animam exhalauit. Capita contis imposita, omnibus per aliquot horas spectaculo fuerunt. Deinde corpora, capitaque plumbeis loculis inclusa, in suas dynastias missa, ibique sepulta sunt. Erat Egmondanus quadraginta circiter & sex annorum, sincerus, generosus, fortis & magnanimus Princeps; qui vxorem Electoris Palatini sororem, tres filios, & octo post se filias reliquit. Hornanus verò annorum quinquaginta, qui nullos ex vxore, quam habebat Comitis Nuenarij Hermanni sororem, liberos procreârat. Non sine causa profectò Deus in sacris literis tam accuratè prohibuit, ne filij Israel vxores sibi acciperent alienigenas; hoc est, quæ non erant suæ Religionis. Addensque causam: *Ne, inquit, cùm ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos.* Quod & postea factum testatur liber

Egmõdanus producitur.

5. Iunij.

Producitur Hornanus.

Vxores diuersæ Religionis Principes perdidit.

Exod. 34.

liber Iudicum. Et ſanè, quid aliud & Principes Belgas, ſi verum fateri velimus, & ipſum Belgium perdidit, quàm vxores alienigenæ, Principum Proteſtantium filiæ, quæ maritos ſuos in Religione ſua fornicari fecerunt. Dolendum ſanè, vt cum omnes ſectæ tam ſtudioſè obſeruent, ne diuerſarum Religionum coniuges iungantur, ſoli Catholici hac in re tam ſint negligentes & inconſiderati. Sed ad inſtitutum reuertamur.

1568
Iud. 3.

Albanus poſt prædicta ſupplicia, omnia quæ ad expeditionem, quam in Friſiam ſuſcepturus erat, præparauit, & initio Iulij cum XVII. Hiſpanorum ſignis, alijſque multis copijs, & tormentis bellicis Bruxellis, Mechliniaque, vbi Regis erat armamentarium, diſcedens, pridie Non. Iulij in caſtra venit. Naſſouius, Hoochſtratanus, & Scouvvenburgius eius aduentu intellecto obſidionem Groeningenſem ſoluerunt, & Amiſium verſus mouerunt. Ibi loco oportuno delecto, ſtatuerunt maiora auxilia ab Auraico expectare. At Albanus rem in celeritate poſitam conſpiciēs, VVeda recuperata & munita, Reidenſique pago, vnà cum pōte, quo Amiſius ſternitur, occupato, miſit SanciūDauilā, qui caſtra hoſtiū luſtraret. IndeRomerū Iulianum cum octingentis ſclopetarijs, Sancium Londognum cū mille; duas alas equitū Germanorū ſub ducatu Cęſaris Gonzagæ, & Martinengij in hoſtem ire iuſſit; quos totus exercitus ductoribus Alphonſo Vlloa, & Gonſaluo Braccamontio ſubſequebatur. Agmen claudebant ſex cohortes Germanorum, & quindecim VValonū, ſub imperio Georgij Laleinij, Domini de Ville, Comitis Hoochſtratani, qui à Naſſouio erat, fratris. Mandauit autem his omnibus Albanus, ne quid, niſi manifeſto prius accepto ſigno, molirentur. Hoſtes ſe quo loco caſtrametabantur tutiſſimos fore exiſtimabant, Albani vires contemnebant; ideoque in muniendis caſtris erant ſegniores. Viceſimo verò primo Iulij adueniente Albani exercitu trepidantes, dum aggeres fruſtra perrumpere, & Amiſium in agros mittere conantur, dum ſerò caſtra munire, dum ſuo malo ſeſe defendere ſtudent, ab hoſtibus obruuntur, & pecudum inſtar mactantur. Partim enim paludibus, partim Amiſio pagus Gemmingenſis, vbi prælium committebatur, cingitur: via autem, quæ ad pagum ducit, eſt anguſta, ita vt aut nulli, aut pauci, præter Scouvvenburgi-

Albanus in Friſiā proficiſcitur.
14. Iulij.
Prælium Gemmingenſe.
Inſignis Albani de Ludoico Naſſouio & Geuſijs victoria.

1568 um cum quibusdam equitibus, mortem euaserint. Nassouius inuenta in ripa scapha, incolumis Embdam peruenit. Albanus victoria cum opimis spolijs potitus, cladem nuper acceptam vindicauit, & ignominiæ notam multo hostium suorum sanguine deleuit. Erant in Nassouij castris septem armatorum millia, è quibus pauci prælio superfuerunt: è Regijs octo aut decem tantùm desideratos scribunt.

Ad Reginam Scotiæ multi accedunt.

Scotiæ Regina è custodia, vt diximus, elapsa, multi, qui antea rebellium factioni fauere videbantur, ad eam deficiũt: inter hos Robertus Bodius, qui magnam de sua constantia & fortitudine apud Proregem opinionem excitauerat, clam ad Reginam est profectus, atque inde cum literis filium ad Comitem Mortonium misit, excusans discessum, atque affirmans se fortassis non minus partibus Proregis profuturum, quàm si apud eos mãsisset. Interea Hamiltonij, cuius familiæ magna erat clientela, & quotquot Reginæ causæ patrocinabãtur, conueniunt: exercitum sex milliũ & quingentorũ equitũ peditumq; cogũt, & cũ his Proregi atq; eius cõplicibus obuiã procedũt. Prorex quoq; collectis è locis propioribus amicis, lõginquiores è Marcia & Lothinia expectabat. Decimo tertio die Maii, vndecimo quã Regina è custodia erat elapsa, acies vtrinq; Lãsidi, qui vicus est ad Carthã flumẽ, concurrũt, Regina, quę ad mille fermè passus aberat, inspiciẽte. Pugnatũ est primò leuiter, pòst copijs alijs atq; alijs succedẽtibus acrius, nũc huc, nunc illuc inclinãte victoria. Tandẽ totis viribus certatũ est. Initio Hamiltonijs strenuè rẽ gerẽtibus, qui in prima hostiũ acie fuerãt, fugere cœperũt: sed à secũda acie retardati, collectiq; vnà cũ alijs integris copiis denuò in Hamiltonios impressionem fecerũt: quorum impetũ cùm sustinere non possent, qui pro Regina pugnabãt, retro velut ruina impulsi, fugã capessiuerũt; nec è fuga recolligi potuerũt: sed victoriã Proregi reliquêre. Ceciderunt in acie pauci, plures per agros lassitudine & vulneribus confecti passim iacentes inuenti. Numerus omniũ cęsorũ circiter treceñti, captiuorũ maior. Prorex reliquum diei, quo pugnatũ erat, in recensendis captiuis consumpsit, alios liberos, alios vadibus datis dimisit. Principes retenti, & præcipuè, qui è familia erant Hamiltonia, in custodias distributi. Inde Hamiltoniũ & Dresanũ arces receptæ, omnium rerum vacuę, nisi

Pugna inter Reginæ amicos & rebelles.

Prorex victor hostes cædit.

nisi quòd in Hamiltonio è Regis Iacobi V. supellectili nonnihil inuentum. Regina, videns se infelici natam sydere, Deiq; dispositionem aliã esse, quam ipsa proposuerat, in Angliam fugit. Hîc plerique, & qui historiam huius tẽporis, & qui de alijs scribunt cõtrouersijs, asserunt, eam ad alios Christianos Reges se facile cõferre potuisse, atq; vt id faceret ab Optimatibus quibusdam rogatam: tamen Elizabethæ Anglorum Reginæ proximæ illius cognatæ blandis literis, nuntijs, muneribus in Angliã inuitatam; præsidio etiam militum, quo in Regnũ restitueretur, promisso, in Angliã venisse. Prorex fugiente Maria conuentũ omniũ Ordinum Edinburgũ indicit, quem tamen multi Proceres frustra impedire conabantur. Sed & ipsa Anglorũ Regina literas ad Proregem dedit, de conuentu differendo. At Prorex contemptis omnibus Ordines ad diẽ dictũ conuenire iussit. In eo conuentu magna contentione certatũ est, an sine discrimine omnes, qui arma pro Regina tulissent, neq; postea facti veniã petijssent, dãnari deberent perduellionis, ac bona eorũ fisco addici. Vicit eorũ sententia, vt pauci ad cæterorũ terrorem damnarentur. Dimisso conuentu Prorex ad nouã persecutionem sese armauit, collecto etiã exercitu in Annandiam, Nithiam, inferioremq; Gallouidiã est profectus: Catholicorum ibi & Reginæ fauentiũ arces alias cepit & occupauit, alias diruit. Regina Angliæ, etsi multorum iudicio eius auspicijs & consilijs hæc omnia gerebantur, ne tamen periculum vicinæ & sanguine sibi coniunctissimæ Reginæ negligere videretur, per literas à Prorege postulauit, vt idoneos homines ad se mitteret, qui totius rei, vt gesta erat, ordinem exponerent. Multi enim erant, qui Reginæ miserti conquerebantur, magnam illi iniuriam fieri, à malis ciuibus falsa inuidia onerari, nomen regium contumelia affici, ac vilescere sacrosanctæ Maiestatis auctoritatem, si hominum seditiosorum libidini exponerentur: ad vnam quidem atrocissimi facinoris iniuriam, sed ad omnes pertinere exemplum. Itaque maturè obuiam eundum, ne latius contagio Reges pellendi serperet. His itaque Reginæ Elizabethæ literis ab armis discessum est, & de mittendis in Angliam legatis deliberatum.

1568

Regina victa in Angliam fugit.

Regina Angliæ vult cognoscere causam Scotæ.

Per hæc tẽpora Arabes, qui Damascenę regioni cõtermini sunt in Syria, quorũ prouinciã Arabiã Petræam vocant, ab imperio Turcarum defecerunt: duode-

Arabia Petræa defectio-

1568 uiginti Sanzaccos, & plurimos Turcas trucidārūt. Purpurato Damasci præfecto dies dicta est. quia parū diligēs in tantis rebus imp. diendis fuisse videretur, bellicosq; apparatus, quos oportebat, non fecisset. Cùm aūt statuto tēpore non cōparuisset, missus est à Selymo, qui eū strangularet. At ille exitū non expectās, collectis omnibus quæ habebat impedimētis, rebusque pretiosis, cū duobus millibus & quingentis equitibus, præter omniū reliquorū Turcarū consuetudinē, in Arabū castra transfugit: quibus cum summo imperio præfectus est. Indignatus tanta temeritate & perfidia Selymus, expeditionē in Arabes decreuit, cui Ottomānum Bassam Memphiticū præfecit. Hic collectis duodecim equitum millibus in Arabiam profectus est. Sed cùm inaudisset, Arabes multa millia armatorum collegisse, concordique animo & communi consilio istius prouinciæ, quæ longissima & latissima est, bellum hoc susceptum esse; animaduerteret etiam tantas tam bellicosæ gentis vires tam facilè frangi non posse, rem dubio Marti committere noluit; sed prius ad Selymum scripsit, quibus ei totum negotium exposuit. Selymus cùm intelligeret maioribus belli apparatibus opus esse, iubet Purpurato oppida, quæ in finibus Arabiæ erant, magna diligentia muniri, & ad illud negotium interim conniuere. Nam grauioribus curis distrahebatur; ob insignem cladem, quam ad Tanaim fluuium nuper acceperat.

Selymus nouā molitur nauigationem. Tanais fluuius Sarmatiæ Europææ amplissimus, è Riphæis montibus ortus, in paludem Meotidim sese exonerat. Quò antequam defertur, circa Tuiam oppidū ad Volgam cursum deflectit, ita vt exiguum spatiū intermedium, milliarium circiter quatuor, relinquatur: id si perforetur, nauigia & classes è ponto Euxino, in paludem Meotidim & Tanaim ingressa, deinceps è Tanai in Volgam, & inde in mare Caspium deduci possent. Vt autem hoc fieret, quantoperè suis rebus conducturum esset animaduertens Selymus, mittit eò quadraginta millia operarum, qui eas angustias perfoderent, viamque nauigationi è Ponto Euxino in mare Caspium aperirent. Collegit etiam peditum equitumque ingentem exercitum, qui operarios istos defenderent. Sed Magnus Dux Moscouiæ huius rei certior factus, cùm hoc Sultani consilium in suam, suorumque perniciem fore interpretaretur, coacto &

ipse

ipſe exercitu, Turcas omnes trucidauit. Hæc clades Selymum ab infeſtandis Arabibus continuit, quia quò tenderent Moſci conſilia ignorabat. 1568 *Clades Selymi à Moſco accepta.*

Pax in Gallia nuper publicata arma tam Catholicorum, quàm Hugonottarum manibus excuſſerat, quia firma & diuturna fore putabatur. Sed cùm conditiones non ſatis ſincerè obſeruarentur; ſub finem Augusti tertium ciuile bellum, multo quàm præcedens funeſtius, motum eſt. Conquerebantur enim Catholici, Hugonottas edicti regij iuſſionibus nō parere, quòd Rupella, Sanſerra, Montalbanum, & aliæ multæ vrbes Cadurcorum, Viuariatis, Delphinatûs, & Occitaniæ Regijs præfectis ſeſe ſubmittere detrectarent; quòd multi copiarum ductores & milites, qui Hugonotticam religionem profitebantur, in Flandriam contra Albanum Ducem indies proficiſcerentur; quòd Condæus cum Belgis & Germanis in perniciem Catholicæ religionis occultum fœdus percuſſiſſet: quæ omnia edicti auctoritati manifeſtè derogabant. Hugonottæ ſuas quoque querelas habebant, edictum à Catholicis violari aſſerentes, quòd equeſtres & pedeſtres copias retinerent, quas exauctorare oportebat: quòd conciones prohiberent, reditum nonnullis denegarent, cædes perpetrarent, Admirallio & Condæo inſidiarentur. Has iuſtas belli cauſas ſibi videri, cur arma denuò ſumant, Condæus itaque & Admirallius in Burgundia copias colligere cœperunt. Andelotius quoque in Britanniam Armoricam cum exercitu proficiſcitur, vxoris hæreditatem adeundi ſpecie, & in Pictonibus multæ copiæ confluebant. Rex animaduertens Hugonottarum animos quietos eſſe non poſſe, contra Andelotium in Armoricā miſit Coſſæum, & Briſſaccum: miſit qui Fanum S. Valerij in fidem Regis recipiunt. Vt autem difficiliores Hugonottarum coitiones redderet, pontes, portus, & traiectiones occupari iuſſit, valida præſidia in primarijs cuiuſque regionis vrbibus impoſuit, & prouinciarum rectoribus demandauit, vt ſi quæ coitiones fierent, eas diſturbarent. Contra Condæum miſit Tauanæum Burgundiæ præfectum: cui cùm ſe Condæus imparem cognoſceret, vnà cum Admirallio vxorem, liberos, & familiam mille quingentis equitibus comitatus Rupellam deduxit. Interea tota Gallia fiunt delectus. Cetellioneus, qui Cardinalis antea fuerat, in Angliam mittitur, vt opem Reginæ imploret.

TERTIVM CIVILE BELLVM IN GALLIA.

 ploret.

1568 ploret. Germani quoque in auxilium reuocantur. Rex magnas copias in Heluetia cogit, quas vnà cum Gallis Hugonottarum viribus obijciat. Condæus famæ dedit, imò & literis testatus est, sibi non esse bellum cum Rege, sed cum Cardinale Lotharingiæ, à quo sibi insidias per Tauanæum structas dicebat. Simulabat enim omnia quæ fiebant, quasi inscio, inuitoque Rege solius Cardinalis instinctu fieri: eos qui contra se arma gererent asserebat, non Regis, sed Cardinalis milites esse: contra qui edictis non parerent, non Regis, sed Cardinalis esse aduersarios.

Regina Nauarræ in castra venit. Per eosdē dies Regina Nauarræ cum filio in castra Hugonottarū venit, cuius accessione octingentis equitibus & tribus peditū millibus exercitus auctus est. Auraicū etiam Principē, qui Albano bellū parabat, in societatē vocârūt, promittētes ei vicissim post partā victoriā omne auxiliū in Hispanū. Bipontinus Dux sex equitū millia, & quinque peditum pecunia (vt dicebatur) Anglæ cōduxit Coniunctis omnibus copijs Rhodanū traiecerūt. Andelotius suis conueniendi locū Sanmatelinū ad Ligeris ripā assignauit, vt traiecto Ligeri Cōdæo & Admirallio, qui in Pictonibus erāt, se coniungeret. *Andelotius cæditur.* Præuenit eius consilia Martignæus, qui magna diligentia insecutus, Andelotij copiàs fudit, fugauitque. Qui supererant, recollecti vnà cum duce suo Ligerim vado transierunt, & ad Partenæum incolumes delati, illud statim in suam potestatem redegerunt. Eò venit Admirallius cum ijs, quas habebat, copijs. Coniunctis viribus Niortum deditione ceperunt. Inde Mailæum vicinum castellum obsessum, cuius præsidiarij cùm se obsidentium arbitrio dedere nollent, *Oppidula ab Hugonottis capta.* crudeliter omnes occisi sunt. Punialtus totam Pictonum regionem percurrebat, multaque oppida ignobilia cepit. Deinde Fontenæum obsedit, cui Altacombam Rex præfecerat. Is cùm vrbem tueri non posset, in arcem se recepit, quam per aliquot dies egregiè defendit. Sed cùm Punialtum mœnibus scalas admouere, & ignem portis subijcere vidit, in maiorem arcis turrim cum suis se contulit, quam statim vitam omnium incolumem pactus dedidit. *Perfidia Hugonottarum.* At Hugonottæ eos captos contra fidem datam trucidârunt, ipsumque Altacombam Rupellam missum perfidè necârunt. Hæc est hæreticorum fides. Ab his tam cruentis & perfidis initijs sumpto exemplo, totum deinde bellum funestius,

ſtius, quàm antea geſtum eſt. Punialtus victoriam 1568 proſecutus, Sanmaxentium præſidio vacuum facile occupauit. Luſignanum & Pictauium primarias eius regionis vrbes Catholici defenderunt. Hugonottæ relictis Pictonibus, in Xanctones mouerunt. Engoliſmum poſt aliquot oppugnationes deditione ceperunt, vbi non minus turpiter, quàm crudeliter in Catholicos ſæuierunt. Huic oppugnationi intererat Regina Nauarræ, quæ deinde relicto filio in exercitu Rupellam ſeſe recepit. Pontem porrò Xanctonum deditione, & Blauiam in oſtio Garumnæ fluminis proditione occupârunt. Interea Acieræus cum magnis copijs, quas in Delphinatu, Prouincia, Occitania, Viuareſio conſcripſerat, in Petrochoſios venit: cui Mompenſerius, Martignæo, Briſſacco, Monſaleſo, acerrimis ducibus comitatus, cum flore exercitûs Regij magnis itineribus obuiam progreſſus eſt, qui ad Sanchatieræum cum hoſte ſecundo Marte conflixit, & ex Aciereanis plurimos fudit. Deinde ad Monſignacum pagum, vbi ſe Mouanſius & Petrogordius Hugonottarum duces munierant, acriter pugnatum eſt. Mompenſerius equitatu ſuperior totum exercitum fudit, fugauitque: quo in prælio Mouanſius & Petrogordius cum viginti centurionibus ceciderunt. Capta ſunt ex hoſtibus viginti quinque vexilla, quæ ad Regem miſſa ſunt: bis mille occiſi, quatuor millia viua in poteſtatē hoſtium venerunt. E Mōpenſerianis centū circiter deſiderati ſunt.

Acieræus cæditur.

Præliū ad Monſignacum.

Alia victoria Regiorū.

Hæc victoria non parum animos Catholicorum recreauit, & ab eo die res eorum meliori loco eſſe cœperunt. Capta enim Matiſcona Sequanorum, apparatu bellico qui Geneua mittebatur intercepto, Ioannes Adreſſius ex Hugonotta Catholicus in Delphinatu oppida, arceſque & vrbes plurimos Regi recepit, & aliquot hoſtium millia occidit. In Foreſiorum Comitatu Ponſonatius cum duobus Hugonottarum millibus duce Montacellario cæditur, & profligatur. Eadem felicitate pugnârunt Regij iuxta Bilhomum, & in prouincia Phocenſi, Ciſterone oppido cis Druentiam occupato. In Occitania apud Murgonem Tendanus Suza & Ioiſa mille quingentos trucidârunt, plures ceperunt & vulnerârunt. In Aquitania Monlucius decem vexilla, quæ Rupellam contendebant, profligauit. Aumalius quinque

Felices Catholicorum ſucceſſus.

1568 cohortes peditum, & Brissaccus in Campania quatuor equitum alas ex improuiso adortus oppressit. Mantuanus ad fontes aquæ bellæ equites mille, Rimerianus in Neustria Germanos equites sexcentos, in Turonibus Ambasianorum præfectus Occitanorum cohortes duas trucidârunt. Tot, tantisque victorijs cumulati Regij, optimam de opprimenda aduersa factione spem conceperunt. Hugonottas contra demissis animis cœpti belli pœnituit, etsi paulo ante nonaginta quatuor equitum alas, & ducentas quadraginta peditum cohortes sub signis habuerant. Paucis post diebus Andius Regis frater in Pictones venit, & Mompenserianis castris sese coniunxit. Eius aduentus hostium auxit metum, qui Ligerim traijciendi consilium desumpsêre, At Rex misso ad fluuium Corsolio, pontes omnes disrumpi, & præsidia in singulis vrbibus, quæ in vtraque ripa sunt, disponi iussit. Rusticis etiam, qui in pagis amni propinquis habitabant, imperauit, vt traijcere conantibus Hugonottis, arma ad campanæ sonitum corriperent, eosque transitu prohiberent. Andius quoque istuc iter intendebat, vt hostem à tergo cæderet. Cæterùm quia Loduni Acieræum cum validis copijs reliquerant, existimauit eos à proposito itinere retrahi posse, si ad eam vrbem obsidendam exercitum duceret: nolebat enim hostes in vlteriorem fluminis ripam euadere. Ludensem etiam & Brissaccum cum octo millibus militum, & quatuor muralibus tormentis ad obsidendum Mirabellum misit, quam illi vrbem vnà cum arce deditione receperunt. Victores promissis non steterunt, sed multos è præsidiarijs occiderunt, ab Hugonottis (vt dicebant) ad eam sæuitiam prouocati, qui in expugnatione Maileensis castelli, vrbisque Fontinæi deditos immaniter trucidâssent. Dum hæc geruntur, Condæani ad Salmurianum pontem occupandum properant, quo in itinere Monasterium S. Florentis occupârunt, omnes qui in eo erant, tam præsidiarios, quàm religiosos contra datam fidem, vt Mirabellianis parentarent, interfecerunt. Sic Regij & Condæani mutuis iniurijs & perfidijs irritati, omni lege & disciplina militari neglecta, postea in deditionibus vrbium & arcium ea immani barbarie vsi sunt, vt datæ fidei, & omnis prorsus humanitatis penitus obliuiscerentur. Interea An-

Hugonottas cœpti belli pœnitet.

Mirabellum occupant Regij.

ea Andius exercitum ad Lodunum ducebat, cuius obsidione Condæum ab incepto itinere reuocauit, & ad prælium prouocauit. Sed dum exercitus ad sclopeti iactum in mutuum cõspectum venissent, & quinque dies in velitationibus & tormentorum fulminationibus insumpsissent, Condæani animos remittere cœperunt, omnemque efferæ audaciæ & miræ alacritatis famam, quam apud exteros hactenus pepererant, apud amicos & socios amiserunt. Sed & contagiosi morbi exercitum inuaserunt, quibus ad quinque millia perierunt: quo factum vt adeò imminutæ viribus, & animis sint copiæ, vt nunquam postea pares Regijs fuerint, & ad exterorum auxilium confugere coacti sint. Exercitus verò vterque propter asperitatem hyemis, in hyberna concessit. Ad suos profecta Regina Nauarræ, de toto belli negotio consultauit. Inter alia hoc decreuêre, vt Ecclesiasticorum bona omnia diuenderentur, quo bellicis sumptibus subueniri posset. Ne autem otio diffluerent Condæani, principis sui iussu cœnobium S. Michaëlis ad oram maris situ, quamuis nihil hostile in ipsos moliretur: sed tãtùm, quia religiosi Catholicam religionem soli in ea parte sectarentur, obsederunt. Sed fortiter defendentibus se, qui in eo erant, turpiter repulsi, & obsidionem soluere coacti sunt. Reuersi secundò maioribus viribus Monasterium aggressi, turpiori fuga reiecti. Tertiò ope & auxilio Rupellensium muros maioribus tormentis strauerunt, & tandem occupârunt. Nemini tunc parcitum est, quamuis maior pars populi, qui inibi erat, inermis & imbellis esset, passisque manibus & lachrymis vitam deprecaretur. Tanta erat Hugonottarum indignatio, quòd bis fœdè à muris repulsi, & obsidionem soluere coacti essent. Vnus inter eos inuentus est tam vesana barbarie præditus, vt in patẽtia mortuorum vulnera brachia ad cubitum vsq; intruderet. Antequam verò Regis exercitus in hyberna dimitteretur, Rex edictis publicis cauit, ne qua religio præter Catholicam toto Regno seruaretur: hæreticorum ministri finibus Galliæ excederent: Hugonotticæ sectæ homines dignitatibus spoliarẽtur. Quorum edictorum exempla Hugonottæ ad socios suos in Germaniam & Angliam miserunt, vt eos incitarent ad periclitanti suo Euangelio patrocinandum.

1568 *Consilium Hugonottarum de bello gerendo.* *Cœnobiũ S. Michaëlis diu fortiter defenditur.* *Regis edictum.*

Dum hæc geruntur in Gallia, Auraicus vndique

1568 cogit auxilia in Germania, & ardentibus votis ab Hugonottis expectabatur. At ille animaduertens successum Gallorum parum prosperum, ad propriam causam sese totum conuertit. Initio igitur Septemb. exercitum suum lustrauit in diœcesi Treuirensi: deinde Rhenum traijciens ad Fanum S. Viti, pagum sibi hæreditarium peruenit. Habebat in exercitu quadraginta quatuor cohortes Germanorum peditum, sub ducibus Nicasio ab Hatstat, Vito Sconero, Balthasaro VVolphio, &c. quatuor millia VValonũ, exulumq; ex inferiori Germania sclopetariorum, & septem millia expeditissimorum equitum, quos ductabant Theodoricus Sconbergius, Comes Iodocus Schouvvenburgius, Comes Albertus Nassouius, Burchardus à Barby, Otto Malsburgius, & alij. Aderant & præter Ludoicum Nassouiũ Proceres Belgæ, Comes Hoochstratanus, Antonius à Lalein aurei velleris Eques, & Mechlinienfium Gubernator, Dominus quidam Batenburgius, cum nobilibus VVaroucio, Rysorio, Carloo, Hametio, Boxtelio, Loueruallio, Malbergio, Flessiso, Oheinio, & alijs. Trahebat secum sex tormenta campestria, & quatuor maiora. Inscriptio quorũdam signorũ erat: PRO LEGE, GREGE, ET REGE. Alia pellicanum sanguine suo pullos lactantem habebant. Cum hoc exercitu ad Mosam venit Auraicus. Quo in itinere Arenbergam, Eppenam, & Hormesonium, iugulatis crudeliter omnibus præsidiarijs Regijs, occupauit: quod eius factum Albani animum adeò exacerbauit, vt nulli postea militi aduersario parceret. Sed quia pontes nullos construxerat, nec construendi facultatẽ haberet Auraicus, altitudinem fluminis vbique tentauit: tandemque inuento vado iuxta Stockem, paulò infra Traiectum, totũ exercitum

Auraicus quãtis cũ copijs in Belgium venit.

7. Octob. incredibili celeritate traduxit: quo tempore castra sua Albanus nondum munierat. Quòd si eodem momento Auraicus in Albanum mouisset, nondum paratum facile exercitum illius fudisset. Sed dum moram trahit, Albanus sub vrbem Traiectensem in loco editiori castra locauit, & communiuit: omnibusque oppidis & vrbibus valida præsidia imposuit. Deinde molis omnibus subscudes ferreas eximi præcepit, ne hosti farina ad commeatum suppeteret. Quotidianis etiam velitationibus Auraicum distinuit. Sciebat enim eius victoriam in celeritate positam, cùm nec commeatu,

nec

1558

nec pecunia hostis abundaret. Quod igitur se sine sanguine effecturum videbat, dubio Marti committere noluit. Nec eum fefellit opinio. Cùm enim Auraicus videret, se Albanum ad prælium elicere non posse, tempus autem laberetur, commeatusque & pecunia deficere inciperet, in interiorem Brabantiam mouet, & iuxta Thenas aliquamdiu substitit. Interea fama in castra Auraici allata est, duodecim alas equitum, & duo millia peditum in finibus Galliæ, studio Senioris Domini Ienlisij collectorum, in Brabantiam venisse. Auraicus hoc nuntio recreatus, exercitum mouit, vt in Iudoignio pago se illis cõiungeret. Sed quò minus id posset fluuius Gheta impediebat, qui erat traijciendus. Non ignorabat hoc Albanus, qui Fredericum filium suum cum quatuor millibus peditum Hispanorũ, aliquot alis equitum, & sex tormentis misit, vt hostem sequeretur, & cùm pars fluuium traiecisset, residuos cęderet. Nec cõsilium Albani caruit euentu. Cæso enim non exiguo hostium numero, Loueruallius captus est, quem postea capitali supplicio Albanus Bruxellis sustulit. Iunctis in Iudoignio viribus Auraicus omnẽ occasionem quærebat cum hoste de summa rei decertandi. Albanus verò, vt qui veteranus erat miles, sciretque se Principi militare, qui bellum in multos annos ducere posset, prælium detrectabat: sed exercitum hostilem à tergo subsequens, continuis velitationibus id effecit, vt Auraicus nusquam subsistere posset, multos quotidie milites amitteret, pecunia quoque & cõmeatu destitueretur: nec vlla oppida vel vrbes, quæ sub imperio Regis erãt, ei vel portas aperirent, vel vlla necessaria, quod certò certius sibi persuaserat, submitterent. His necessitatibus circumuentus Princeps, magnis itineribus in Galliam ad Condæum profectus est, insequente semper eius exercitum Albano, cum quo tandem iuxta Quercetum non infeliciter pugnauit, cæsis fugatisque aliquot Germanorum & Hispanorum signis. Cùm verò Albanus Auraicum Belgio eiecisset, vlterius eum secutus non est. Sed Auraicus Galliam ingressus, alium hostem reperit Marescallum Cossæum, quem ei Galliarum Rex cum duabus sclopetariorum millibus, & ducentis equitibus obuiã misit: à quo etiam non leue damnum accepit. Accepta occasione misit ad Regem Auraicus, qui causam sui aduentûs ei exponeret. Scire quidem se nimis abie-

Cæditur pars exercitus Auraici. Loueruallius capitur.

Auraicus in Galliã veniens à Cossæo oppugnatur.

ctum

1568 ctum & impotentem esse, quàm vt potentissimo Regi sese opponeret: ideoque optare vt omnes vires suas & seipsum Regi cum summa animi demissione subijcere posset. Sed cùm omnis controuersia sit de vera & reformata Religione, se non posse hanc causam deserere: præsertim cùm sciat socios huius Religionis nihil moliri contra salutem Regis, vt aduersarij spargebant, sed Religionis tantùm suæ exercitium quærere. Proinde sperare se Regem hunc suum aduentũ in bonam partem interpretaturum. Dum hæc fiunt, plerosque equites & pedites Auraici huius belli tœdere cœpit, quare cùm à Principe ipso, Ludoico fratre, & reliquis ducibus monerentur, vt secum in interiorem Galliam contenderent, seseque Condæanis iungerẽt, plerique summam inopiã, morbosque & alia incommoda causati, missionem flagitârunt: quidam etiam in castra Regia se profecturos minabantur: quod & nonnulli equites fecerunt. In hoc tumultu Princeps coactus est residuum exercitum per Champaniam & Lotharingiam in agrum Argentinensem ducere, vbi diuenditis tormentis suis bellicis, cæterisque armis, apparatu, supellectili, & omnibus impedimẽtis, quantum corradere potuit, in militem distribuit, vt singuli aliquid ex magno, quod ipsis debebatur, stipendio acciperent: pro residuo Comes Albertus Mansfeltius fideiussisse dicitur. Deinde exercitum dimisit. Quos belli calamitates nondum satis domuerant, ad Ducem Bipontinum proficiscebantur, qui, vt dictum est, per id tempus exercitum Condæo colligebat. Hunc exitũ habuit illa celebris Auraici in Belgium expeditio, in qua præter aliquot gregariorum militum millia, quorum multi in pugnis & velitationibus cæsi sunt, plures inedia, morbisque varijs, frigore quoque & aquarum eluuionibus perierunt: multi etiam duces, nobilesque penè omnes Belgæ, qui Geusiaco fœderi subscripserant, eoque solum vertebant, atque inter hos Antonius Laleinius Comes Hochstratanus, Dominus Risorius, & Baro Flessius desiderati sunt. Auraicus Dillenburgum profectus, sequenti anno Ludoico & Henrico fratribus comitatus, sub Duce Bipontino in Galliam contendit.

Auraicus omnibus diuendi tis, exercitum inopem dimittit.

Comes Hoochstratanus, & alij nobiles Belgæ desiderati.

Importunus, inauspicatusque fuit hic militũ Auraici in Gallia tumultus, subitusque discessus nõ tantùm Condæo & ipsi Auraico, sed & Reginæ Angliæ.

Ea

Ea enim pacis fortè & tranquillitatis impatiens, belli occasiones quærebat: nam præterquam quòd Condæi factionem fouebat, suis etiam rebus sub illo prætextu contra Regnum Galliæ studebat. Cùm enim intellexisset Auraicum cum exercitu in Gallijs esse, eius vti opera (vt Materanus refert) non ad vtilitatem tantùm Hugonottarum, sed & propriam constituerat, vt scilicet per eum Caletum, cum toto istius loci territorio, suæ denuò potestatis faceret: ad quam rem expediendam pecuniam, vnde exercitui satisfaceret, procuraret. Scripsit de hoc negotio ad Auraicum literas: at eæ proditione cuiusdam Reginæ ministri in manus Cardinalis Lothareni peruenerunt: qui re cum Rege communicata Reginæ per literas respondet. Interea dum hæc vltrò citroque geruntur, tempus labitur, & Auraicus, priusquam consilij Anglæ certior fieri potuit, exercitum dimisit.

1568 Angla Auraici opera cōtra Regē vti vult.

Neque his contenta Angla, Albanum quoque, & Regem deinde Philippum in se prouocauit hac occasione. Nauigium quoddam Cantabricum, cum quatuor minoribus nauibus (Assabras vocant) piratarū Gallicorum metu, vt quidam, vel tempestate, vt alij, compulsum fuit in portum quendam Anglicum sese recipere. Vehebantur his nauibus bis centena ducatorum millia, ex Hispania in stipendia copiarum Albani missa, Guerrarus Spesius. Hispanicus in Anglia legatus, petijt à Regina, vt pecuniam hanc, quæ à Publicanis detinebatur, liceat sibi Antuerpiam mittere. Conceditur. Sed quia multi erant in eo mari piratæ, iterum flagitauit, vt pecunia hæc bellicis nauibus per mare, aut terrestri itinere Doueram deducatur. Quod etiam non solùm cōcessum, sed etiā Francisco VVynterio, classis Anglicæ præfecto, Reginæ literis mandatum est: vt Hispanica ista nauigia, quocunque opus esset, deduceret, donec in securum locum peruenissent. Alijs verò literis imperatur, vt pecunia efferatur è nauibus: quod & factum est, nequicquam reclamante Stephano Serra, Hispanis nauigijs præfecto, dataque est custodienda Britannis hominibus: ipsis etiam nauibus Angli sunt impositi, prætextu nauium à piratis Condæanis defendendarum. Cùm autem instaret Legatus, vt pecunia redderetur, respondet Regina, se intra triduum daturam. Sed cùm Angli minimè illius essent animi, vt redderent, speciosus cu-

Regina Angliæ Regis Hispaniarū pecuniam per vim detinet.

ditur

1568 ditur titulus, quo pecuniam iustè retinere se posse viderentur: eum scilicet non esse Regis Hispaniarũ, sed Genuensium mercatorum. Reginam hac pecunia opus habere: licere autem Principibus iure antiquo necessitatis tempore omnia in vsum suum conuertere, quæ sub suo imperio reperiuntur. Proinde se hanc pecuniam retinere, & mercatoribus debitam vsuram soluere decreuisse: quinquaginta igitur cistulis inclusam nauibus efferri, & in ærarium suum Regina inferri mandauit. Quod cùm Legatus Albano perscripsisset, ille indignatus xxix. Decemb. omnes Anglos in Belgio negotiantes capi, & in ædibus Anglicanis Antuerpiæ custodiri; omnia quoque illorum bona, apographa, syngrapha, accepti, expensique codices in tabulas referri iussit, vt ad exitum negotij custodirentur. Idem & in Hispanijs factum est. Angla vicissim omnes subditos Regis iussit comprehendi, & in custodias duci: ipse etiam Legatus clausus domi adhibitis custodibus detentus est. Hæc initia fuêre multorum dolorum: quæ quem exitum habuerunt sequentibus annis dicemus.

Notanda responsio.

Ad Scotiam quoque turbandam iam pridẽ Angli omne auxilium, consiliumque, vel ipsis Scotis referentibus, conuerterant. Regina tamen Elizabetha causam cognatæ suæ Reginæ Scotiæ negligere videri nolebat. Cùm enim eam ad se euocasset, defensionesque illius audiuisset, iussit Proregi, vt diximus, idoneos homines mitteret, qui totam rem exponerent. Graue illud & molestum erat Proregi: tamen ne Anglam offenderet, cuius ope hactenus vsus fuerat, & adhuc vtebatur, ipse cum VVilhelmo Metellano & alijs in Angliam profectus est, Eboracumque IV. Nonas Octobres peruenit. Vbi cùm aliquamdiu cum consiliarijs Anglæ collocutus esset, tandem Londinum vocatus, ita causam coram iudicibus, ad hoc constitutis, Scotæ & Religionis Catholicæ hostibus, Proregis autem, & nouæ Religionis fautoribus egit, vt omnes pro ipso contra Reginam iudicarent, ipsaque Regina infelix paulò post in custodiam data est: in qua post nouendecim annorum captiuitatem ab Anglæ iudicibus damnata, & capite plexa est, vt suo loco dicetur. Per eosdem dies inter ipsos quoque Scotiæ Proceres, Reginæ hostes, orta est noua controuersia. Nam etsi reipsa seditionis causa esset nouæ Religio-

nis stu-

nis studium, ob eamque defendendam Reginam veteris tenacissimam tot calumnijs onerarent, capitaliter oderant & persequerentur, æmulatio tamen & ambitio Procerum seditionem augebat. Quidam enim auctoritate & potentia in hoc Regno præstantes ægerrimè ferebant aduersarios, & in his potissimùm hominem nothum, illegitimo thoro natum, paruulum Regem, & vniuersa Regni negotia pro suo arbitrio gubernare, se ignobiles & inglorios quasi in theatro spectatores molestissimæ tragœdiæ sedere. Inter hos primum locum obtinebat Iacobus Hamiltonius, qui ante aliquot annos Prorex fuerat. Is contendebat hunc locum omnium prope gentium moribus & legibus, ac potissimum instituto patrio sibi & genere proximo & hæredi deberi. Nunc verò se non legitimis suffragijs, sed à rebellibus per vim ac summam iniuriam exclusum, & quod indignius est, per legitimi sanguinis contemptum, nothum in supremum locum assumptum conquerebatur. Ventilata est & hęc controuersia in concilio Anglicano: sed Prorex, eò quòd aptius suis studijs instrumētum videretur, commodissimumque suis rationibus Angla iudicaret, Hamiltonio prælatus, & in dignitate sua confirmatus est. Hamiltonius verò, ne quid noui in Scotia Prorege absente moliretur, in Anglia retinetur, donec ipse incolumis in Scotiam redijsset: quò sub finem anni huius reuersus est. Interea Scotorum Regina non cessauit literis & nuntijs amicos & fautores interpellare, & ad sui defensionem sollicitare.

1568

Ambitio & amulatio inter Hamiltoniū & Proregem.

Sed nec in ipsa Anglia res hoc anno tranquillæ fuerunt: nam Hiberni partim veteri odio in Anglos, partim propter Religionis dissidium, collectis quibusdam copijs transfretârunt, & extremas ad Occasum Angliæ prouincias hostiliter ingressi, omnia flamma ferroque vastârunt, & ingentem prædam auexerunt.

Hibernorum in Angliam excursio.

Neque bellum inter Polonum & Moscum deferbuerat. Sigismundus enim cum validissimo exercitu (nam centum millia lectissimorum equitum & peditum in eo fuisse dicuntur) tormentis multis bellicis, omniq; apparatu hoc anno in Moscouiam ingressus, ad Rodoscovvixeque castrametatus est; quod oppidū paucas post septimanas re infecta reliquit; partem exercitus dimisit, & Grodnam reuersus est. Reliquas autem

Bellū inter Polonum & Moscum.

1568 tem copias sub imperio Chorkievvizicij Palatini Samogitiæ ad VVlam arcem expugnādam misit, quam cùm grauiter tormentis quateret, & sæpe oppugnaret, aduenientibus copijs auxiliaribus deserere compulsus est: quod tamen oppidū aliquot post menses dux acerrimus Romanus Sangusco inopinata irruptione cepit, & exussit, oppidanis omnibus aut cæsis, aut flamma consumptis, aut in Duna fluuio suffocatis: præda capta ingens. Inde Vielisam arcem & oppidum Moscouiticum Poloni ex improuiso suæ potestatis fecerunt, cæsis trecentis presidiarijs, abactisque magnis spolijs, oppidum incendio deformârunt. Multas præterea excursiones alias in agrum Moscouiticum fecerunt, & sæpius victores quam victi reuersi sunt. Quæ res Magnum Ducem vel inuitum coëgit, vt cum Polonorum Rege inducias faceret.

28. Septēbris.

Induciæ.

Ericus Rex Sueciæ concubinam suam Catharinam, humili loco natam, & regio thalamo indignā, ex qua duos liberos susceperat, solenni ritu Holmiæ in templo sibi copulari, & Reginam coronari iussit. Quibus nuptijs fratres Erici Ioannes & Carolus interesse noluerunt: tum quòd genere suo indignæ essent, tum etiam quia Erico cum Ioanne antiqua simultas esset ob Polonię Regis sororis matrimonium, & quòd eidem Regi, cum quo bellum gerebat, magnam pecuniæ summam mutuò dederat. Fratres igitur hi, paulò antequam Rex has nuptias celebraret, Holmia discesserunt, & occupato VVasteno, cum quibusdam Proceribus in Ericum conspirârunt. Euocatis deinde cæteris nobilibus, parochiarumque præfectis, fœdus de Erico Regno priuando inierunt. Ericus certior huius coniurationis factus, exercitum suum in fratres & hostes misit: qui cum ducibus omnibus in Ioannis & Caroli partes transijt. His aucti copijs coniurati, ad obsidionem vrbis Holmiæ profecti, ea die Michaëli sacro potiti sunt: cùm ante ingressum Georgium Personium Secretarium, quem postulârant, à præsidiario milite traditum, in exercitu duabus rotis circumductum, præcisisque auriculis, & ad furcam affixis, ipsum quoque viuum, vbi in patibulo horā penè pependisset, inde depositum brachijs, cruribusque rota contusis in quatuor partes diuulserant. Steno Erici Regis auunculus, primus vrbem ingressus, dum à Rege salutatur, securi à satellite regio in capite vulneratus,

Tumultus in Suecia inter duos fratres.

1568

tus, sexto post die obijt. Deinde Carolus & Dux Magnus regiæ sororis maritus in vrbem veniunt, & arcem deditione occupant. Vltima tandem Septembris eos secutus est Ioannes Dux Finlandiæ, qui vrbem triumphans ingressus, mox Rex Sueciæ renuntiatus, fratrem Ericum cum vxore in arce inclusit, & custodiri iussit. Tanta est Principum ambitio, vt rectè dixerit Poëta: *Fratrum quoque gratia rara est.*

Rex Ericus à fratre capitur: ipse Rex coronatur.

Antequam Ioannes Dux Holmiam occupâsset, legatis Rotschildiam missis cum Daniæ Rege de pace egit: quæ tandem his conditionibus facta est. I. vt omnium rerum præteritarũ sit obliuio. II. vt vterq; Rex sine præiudicio alterius in insignibus suis tria diademata gestaret: Sueco autẽ vel posteris eius insignia Norvvegiæ aut Daniæ gestare non liceret. III. vt Suecus omni iure, quod se in Norvvegia, Hallandia, Gotia, &c. habere diceret, renũtiaret, VVarburgamq; Dano redderet. Danus vicissim Sueco Elsburgum restitueret. IIII. vt omnia tormenta bellica, arces que & castella tempore belli huius capta vtrinque stato tempore redderentur. Cùm autem Ioannes citius & felicius expectatione bellum aduersus fratrem confecisset, quædam huius pacis capita non approbauit. Itaque sequenti anno Danicum bellum repetitum est.

Pacis inter Suecũ & Danũ conditiones.

Cyprus insula maris Mediterranei, distans à Cilicia Septentrionem versus sexaginta millibus passuum, à Syria ad Orientem circiter milliaribus Italicis septuaginta, ad Meridiem habens Aegyptum, quæ abest ab ea milliaribus circiter LV. ad Occidentem Rhodum. Perampla est, & populosa: habet enim in longitudine CCL. milliaria, in latitudine, vbi maxima est, in LXV. extenditur. Vrbes habet XII. pagos, præter villas & rusticorum casulas, circiter mille. Insulani dicuntur in ea esse centum & octoginta millia, quorum dimidium est eorum, qui patria lingua Francomatti, hoc est, agricolæ liberi dicuntur, quinquaginta sunt Paricorum millia, cætera multitudo vrbana est. Tota insula parebat Venetorum imperio. Parici, hoc est, infimæ conditionis homines à nobilibus insulæ immani crudelitate vexabantur, & opprimebantur eum in modum, vt neque matrimonia contrahere, neque filios educare, multo minus alia officia & munia exercere possent, nisi pro nobilium nutu & arbitrio; nihilque esset misellæ turbæ proprium, quippe

Descriptio Cypri.

Nobiles Francomatti & Parici in Cypro.

Paricorũ seruitus.

1568 qui neque facultatum, neque libertatis, neque vitæ, neque honoris filiarum aut propinquarum potestatem haberent. Petierunt itaque à Venetis Parici, huius seruitutis pertæsi, vt manumitterentur, indigna, quæ à nobilibus patiebantur, exponentes, rationesque addentes, quòd nimis iniquum & crudele videretur, Christianos esse Christianorum mancipia, atque in perpetua Christianorum seruitute contineri, præsertim quòd illud neque iure belli, neque legum ciuilium efficeretur. Insulæ conseruationem à concordia gentis pendere, quæ inter subditos & tyrannos esse non posset. His alijsque pluribus rationibus Paricorum permotus Magistratus Venetus, de nobilium tyrannide coercẽda, & Paricorum miseria subleuanda cœpit cogitare. Sed erant qui nobilium partes tuebantur, asserentes periculosum esse priuilegia Cypriorum nobilium, eorumque consuetudines antiquare, efferum & furiosum hominum genus esse, facile eos irritari, quod minimè consultum videbatur; cùm præsertim vbique nationes, quæ sunt in finibus imperiorum, obsequio sint retinendæ, & non iniurijs irritandæ, ne cum hostibus conspirent. Præterea etsi Turcarum finitimorum superstitio à Christiana religione Cypriorum plurimum differat, eam tamen esse nobilium impietatem, vt facile eum cuiuscunque Religionis hominibus possint conuenire. Senatus nec Paricorum causam negligere, nec nobilium animos volens offendere, diu multumque, quid in negotio agendum esset, deliberauit. Interea Bassæ, Purpuratique vicinarum regionum Turcicarum, cùm has Cypriorum discordias, & inter se inimicitias inaudissent, animos ad insulam occupandam adiecerunt: non ignorantes, nihil tantopere conferre ad capiendorum regnorum facilitatem, atq; Principũ, primariorumq; & subditorum dissidia atq; contentiones. Etsi autem mandatum ad hoc nullum à Sultano haberent: tamen si paruis expensis, aut potius fraude insulam occupare possent, non verebantur se à Sultano castigatum iri: sed etiam insignem laudem consecuturos esse, cùm facilis esset reddendi ratio. Ad fraudes igitur & insidias conuersi, Diassorium quendam hominem Cyprium callidissimum, in Principum aulis quotidie versantem, & apud insulanos magnæ auctoritatis muneribus, promissionibusque magnis & mul-

Paricorũ & nobilium contẽtio.

Turcæ tumultuantibus Cyprijs insulæ insidiantur.

1568

tis corruperunt, vt Cyprum traderet. Mittebantur vtrinque variæ literæ, partim Græco idiomate, partim secretioribus notis conscriptæ. Erant autem notæ illę parua quædam animalcula, vt muscæ, culices, formicæ, &c. Cùm autem harum literarum, munerumque à Bassis ad Diassorium, & huius ad Bassas, nec modus esset, nec ratio; incidit proditor hic in suspicionem, interceptisque literis huiusmodi notis scriptis apprehenditur: creditũ enim est, ijs aliquid significari quod ab alijs nollent intelligi. Quid enim secretioribus notis committitur, nisi quod cognitum periculum minetur suis auctoribus? Captus itaque Diassorius, & tormentis subiectus, eorum impatiens, rem omnem ordine narrauit, & quosdam nobiles proditionis conscios & socios nominauit, qui Venetorum imperium ægrè ferebant: vt qui se illis neque nobilitate, neque opulentia inferiores existimabãt. Hi omnes vnà cum Diassorio extremis supplicijs affecti sunt. Cyprij Proceres, Senatusque Venetus, cùm intelligerent Turcas ad insulæ occupationem aspirate, cùm nullas haberet Cyprus satis firmas munitiones, de ea munienda inter se deliberârunt. Veneti confestim viros rerum bellicarum cognitione præstantes, excitandarumque munitionum peritos, in insulam miserunt, qui loca ad muniendum aptiora explorarent. Hîc variârũt sententiæ, dum alij Ceroniam, alij Salinas muniendas, bellique sedem constituendas censent. Electa tandem Ceronia, Paphiq; muniendi ratio præfectorum arbitrio relicta est. In his deliberationibus omissa est Nicosia, insulæ Metropolis, & sedes Regni Archiepiscopalis nobilissima & opulentissima, quòd ciues & optimates eius vrbis conquerebantur: eò quòd se fidelissimos subditos, ac nomini Veneto semper deditissimos, in quibus nullum vnquam perfidiæ vestigium apparuerat, negligi viderent, & se Turcarum libidini exponi dicerent. Dum sic deliberatur, dum inter se rixantur Cyprij, tempus labitur, quod Turcis maximè opportunum fuit. Omni enim ipsi celeritate in instruenda classe vtebãtur, vt Cyprios imparatos inuenirẽt. Hæc protasis est belli Cyprij, cuius epitasin & catastrophen annis sequentibus videbimus.

Fuit hic annus memorabilis multorum Principum obitu. Nam post Principem Hispaniæ Carolum, postque alios, quos in bello occubuisse diximus, etiam

1568 Hiſpaniarũ Regina, Henrici II. Galliarũ filia, Philippi Regis vxor tertia, cùm per quædam medicamenta & balnea naturæ purgationes fieri ſſent, pauloque poſt grauida facta eſſet, malignis humoribus retentis, naturæ conceſſit, cum maximo totius Hiſpaniæ & Galliæ mœrore: erat enim Regina ſingularis bonitatis. Vtriuſque & vxoris & filij exequiæ paulo poſt celebratæ ſunt. Cæſar cognitis Philippi Regis domeſticis calamitatibus, Carolum fratrem Archiducẽ, Principem ſapientiſſimum mittit in Hiſpaniam, partim vt ipſum Philippum ſolaretur, hortareturque ad ferendas æquo animo fortunæ viciſſitudines, quæ maximè contingunt magnis Regibus: partim vt ſtuderet Belgicis & Gallicis rebus componendis, quia per eius dexteritatẽ & auctoritatem futurũ Cæſar arbitrabatur, vt omnis controuerſia conſopiretur. Albertus quoque Boruſſiæ Dux, Frederici Marchionis Brandẽburgenſis filius, qui primus Boruſſiam Ordini Teuthonico, cuius ipſe Magiſter erat, ſubtraxit, feudumque ſeculare fecit, & reiecta Catholica Religione Lutheraniſmũ in eum Ducatum inuexit, huius anni menſe Martio, in arce Tapia è viuis exceſſit: quem paucis poſt horis vxor Anna Maria, filia Erici Brunſvvicenſis, ſecuta eſt, relicto vnico filio Alberto Frederico, quindecim annorum adoleſcente, qui patri in gubernatione ſucceſſit. Sed & Henricus Dux Brunſvvicenſis, multis & varijs fortunæ vicibus iactatus, Catholicæ Religionis acerrimus in Saxonia vindex, cùm quinquaginta ferè ſex annos Ducatum adminiſtrâſſet, anno ætatis octuageſimo in Chriſto obdormiuit, vnico relicto ex Ducis Vlrici VVirtenbergenſis ſorore filio Iulio, quem viuentibus fratribus Carolo Victore, & Philippo Magno pater ſacris deſtinârat: ſed occiſis fratribus in memorabili illo prelio ad Siuershuſiam, Epiſcopam Mindenſem & Paderbornenſem, cuius Coadiutor erat deſignatus, reliquit, & patri mortuo in adminiſtratione ſucceſſit, patriamque Religionem in hanc nouitiam conuertit. Quæ conuerſio, ſeu peruerſio, peroportunè accidit ijs Eccleſiaſticis hominibus, & Cœnobiarchis, quibus carnis titillatio & pruritus erat permoleſtus, & iam ad inceſtas nuptias omnibus votis aſpirabant. Inter quos primus fuit Ioannes Lorberus, Monaſterij Rittershuſenſis, iuxta Bruinſuigam Abbas, qui primus ex Prælatis in hoc Ducatu matrimonij capiſtrum, abiecto cucullo, induit.

Obit Regina Hiſpaniarũ.

Albertus Dux Boruſſiæ.

Henricus Dux Brũſuicẽſis.

AN-

ANNVS sequebatur M. D. LXIX. Gallis 1569
inprimis exitiosus, cæteris nationibus & Regnis quietē aliquā promittebat. Cùm enim arma deposita essent in Vngaria, factis inter duos Imperatores inducijs; rebus Polonicis & Hamaxobijs consopitis; Daniæ Sueciæq; Regibus per pacem factā quiescentib. Auraici copijs Belgio pulsis; Selymo ad Arabum tumultus conniuente; inducijs inter Polonum & Moscum compositis; seminibus bellorum in Scotia Anglorū viribus oppressis, omnis Erynnidis furor & rabies soli Galliç minabatur. Magni enim exercitus tam in Germania, sub imperio VVolphangi Ducis Bipontini, quàm in Gallia pro Hugonottis conscribebantur. Rex ne saluti Regni & fidelium sibi subditorum deesset, vndiq; etiam auxilia conquirebat. Mittit ad Albanum, qui subsidia ab eo postularet: quia res Belgicæ tranquillæ esse viderentur: qui Regi misit XXV. signa Hispanorum peditum & duo millia equitum, ductore Petro Ernesto Mansfeltio. Mittit Venetias, qui centum millia nummûm mutuò peterent, quæ etiā impetrata sunt. Ad cæteros quoq; Christianos Principes, qui pro cuiusq; facultate pecuniam impetrarent. Ingēs itaq; ad funestissimum bellum in Gallia fiebat apparatus: cuius belli initia nouo Vere conspecta sunt.

Noui belli apparatus in Gallia.

Albanus Dux sub finem anni præcedentis Bruxellas reuersus, hoste iam profligato, at non prostrato, otium sibi & tranquillitatem pollicebatur. Ad edictorum executionem progressus diligenter in hæreticos inquirere, profugorū bona fisco addicere, & in deprehensos pergit animaduertere. Et quia non ignorabat librorum variorum lectione animos hominum facilè deprauari, & diuersis erroribus imbui, nouis edictis cauit, nullos deinde libros imprimi, nisi quorum autographa prius ab ijs, qui ad hoc auctoritatem haberent, essent lecta & approbata. Typographorū etiā & bibliopolarum officinas, aliasq; bibliothecas publicas iussit visitari: si quid Religioni Catholicæ contrarium esset, eijci & flammis exuri. Lis adhuc erat inter Albanum & Anglam de intercepta Regia pecunia, & nondum restituta, quam ipsa (vt non obscura erat fama) Bipontino transmiserat, vt ea copias in Galliam ducendas cogeret. Albanus itaq; initio huius anni in Angliam misit Christophorum Assumuilliū Cōsili-

Edicta Albani.

Lis de pecunia Regia ab Angla intercepta.

1569 arium ad res repetendas. Is in Angliã aduectus, postridie accersitur à regio Concilio: qui in Concilium venire noluit, nisi prius cõsulto Legato Hispanico, deinde Reginam alloqueretur: hoc enim se in mandatis habere dicebat. Sed colloquium cum Legato ei est denegatum, eò quòd captiuum dicerent. Cùm autẽ Assumuillius denuò à Concilio accersitus esset, venit; sed nihil eorum, quæ in mandatis haberet, proposuit: saltem conquestus est de Britannicis, Gallicisque piratis, qui tam communi consensu tolerabãtur, vt nulla habita amicitiæ, beneficiorumq; Philippi Regis ratione nauigia prædarentur, & prædam ex iniquissimo latrocinio partam in insula impunè diuenderẽt: ea enim erat talium piratarum in mari Britannico copia, ea eorum audacia atque licentia, vt nullius habita ratione amicos & hostes æquè prædarẽtur. Ad Reginæ autẽ colloquiũ admissus non est, quòd diceret, eum non à Rege, sed Albano mandatũ habere. Per certũ tamẽ hominem ei Regina significauit: Sibi magnam ab Albano factam iniuriam. Velle tamen huius rei causa nullũ apertũ bellum moliri, nisi Albanus suos diuexare pergat. De pecunia autem reddẽda nullã fecit mentionem: & Angli illa vel conniuente, vel iubente vbicunque, & quascunq; potuerũt, Regiorũ subditorũ naues deprædati sunt. Sed cùm Assumuillius importunius instaret, vt certum quid quod principi suo referret, acciperet, Reginã respondisse aiunt; Non spernendam esse illam facultatem, quam vel Deus benignus, vel fortuna liberalis, vel sors in hoc prouida attulisset, cùm præsertim ipsa maximè indigeret. Legatus itaq; re infecta in Belgium reuersus est. Varia erãt de hoc Reginæ facto hominum iudicia. Quidam enim probabãt, eò quòd illa pecunia mitteretur in perniciẽ hominũ reformatæ religionis, quos illa defendẽdos susceperat. Metuendũ prætерea, ne Albanus oppressis hostibus, & pacato Belgio arma in Angliam inferat, & Rẽpub. vnà cũ Religione ibi iam pacatã perturbet. Nõ esse eam pecuniã Regis, sed mercatorũ, Reginæ verò in necessitate cõstitutæ antiquo iure licere huiusmodi pecuniã ærario suo, sub vsura debita, addicere. Alij cõtra negabant Reginã & caput & defensatricẽ fidei reformatæ, quæ etsi esset, tamen nõ posse nisi in suo Regno esse: alijs enim Principibus idem ius esse in suis ditionibus, quod Elizabethæ in Anglia. Quòd si ipsi ius sit Religionem mutare, alijs etiã licere quã mutari nol-

Legatio Albani ad Anglã.

sent, defendere. Non esse hanc pecuniã mercatorum, 1569
sed Regis:id ex varijs actibus & legationibus constare:
potissimum autẽ ex eo,quòd nullus mercator appare-
ret,qui vel pecuniã repeteret, vel de vsura cũ Regina
pacisceretur. Quòd autem metuendũ esset, ne Albanus
pacato Belgio Anglis negotiũ facessat, id nihil aliud
esse, quàm elabendi rimulã quærere, aut rapto specio-
sum titulũ prætendere. Albanũ enim nihil ausurũ, cu-
ius mandatũ à Rege nõ haberet: credendũ autẽ mini-
mè, Regẽ quicquam durius in Reginã statuere velle,
cui nunquã vel minimã inimicitiæ suspicionẽ dede-
rat: imò quã captam ter capitis periculo eripuerat. No-
tum enim esse, Regẽ in Angliã venientẽ, vt Mariã du-
ceret, Elizabethã cõprehensam, & carceri traditã inue-
nisse primùm quidẽ in Castro Lõdinensi, deinde apud
oppidũ VVodstochiũ, sub custodia Equitis Benengfil-
di, eò ꝙ seditionis excitatæ per Thomã Viatũ & alios,
qui postea capitis supplicio affecti sunt, Elizabetha
ipsius Viati cõfessione particeps fuisset. Eam ob cau-
sam Mariã de sorore quoq; suppliciũ sumere voluisse,
sed Regis intercessione ipsi & vitã & libertatẽ redditã
esse. Idẽ secũdò eiusdẽ Regis beneficio obtinuisse, cùm
Antonius Kingstonus, Vdallus, Trogmortonus, & alij
coniurationis conuicti & damnati sunt. Huius coniu-
rationis Elizabetham quoque consciam certis indicijs
deprehensam, Mariã è medio tollere voluisse, sed Re-
gis patrocinio protectã fuisse. Omniũ autẽ grauissimã
coniurationẽ fuisse, quã cũ Thoma Staffordo cõtra so-
rorẽ inierat, cuius pœnã subterfugere nõ potuisset, nisi
Rex sub idem tẽpus è Belgio venisset. Qui cùm anno
M.D.LVII. mense Iulio in Belgiũ ad bellum Gallicum
profectus esset, nec vnquam reuerteretur in Angli-
am, Maria coniuge sua interim moriente, vniuersam
mortuæ Mariæ pretiosam supellectilem, & ingẽtem
gemmarũ thesaurum, quem illa vel ab ipso Rege, vel
ab Imperatoribus Carolo & Ferdinando dono accepe-
rat, ipsi Elizabethæ ad vnam petitionem munificen-
tissimè donauit. Qui igitur Reginam hactenus tanto-
pere dilexerat, à quo nullam vnquam iniuriam acce-
perat, sed tot potius, tantisque beneficijs affecta erat, ab
hoc nihil hostile metuendum esse: sed ei pro istis be-
neficijs hanc iniuriam irrogare, ingrati animi indici-
um esse. Sed nec Reginam aut sibi, aut suis ho[c] spolio
commodum aliquod facturam, cùm eum prouocet

1569 Regem, quo in orbe Christiano non esset potentior, & qui iniuriã, si quis alius, optimè vindicare posset. Hæc erãt eo tempore hominum de hoc Reginæ facto iudicia, sed nos ad institutum reuertamur.

Scoticarũ rerũ persecutio. Scotiæ Prorex in Anglia rebus vtcunq; procuratis, circa Idus Ianua se in viã dedit, vt in Scotiam reuerteretur, & postridie Calen. Feb. Edenburgũ celebri põpa ingressus est. Paucos pòst dies factionis Caluinianæ Proceres frequentes Sterlinũ conueniũt, vbi quæ cum Anglis acta erant recitata & approbata sunt. Iisdẽ diebus Iacobus Hamiltonius familiæ suæ princeps aduenit, qui propositis edictis vetuit, ne ciues alijs, quàm à se substitutis parerent. Prorex, eiusque socij certatim pecunia in equitũ stipendia collata, vt se ad vltimam, si opus esset, dimicationem compararent, ad diem dictum Glascuam cõuenerunt. Sed cùm ad Hamiltoniũ non pro spe populares adessent, ab amicis vltrò citroq; commeantibus concordię ratio tentata & inuenta est. Argathelius verò & Huntlæus, qui etiam ab Hamiltonio stabant, eius concordiæ legibus subscribere noluerunt. Sed cùm quotidie nouæ literæ à Regina captiua afferrentur, quibus suos hortabatur, ne se vano timore circumagi finerent: se enim breui cum magnis copijs adfuturam (quod eo facilius creditum est, quòd laxiore paulo, quàm antea custodia tenebatur, & quotidie rumores de nuptijs illius cum Hauarto increbrescerẽt) Hamiltonius promissa implere tergiuersabatur, & alias atq; alias mores nectebat. Quod cùm animaduertisset Prorex, eum & Maxualliũ in arcem Edẽburgensem custodiendos dedit. Deinde causa Argathelij & Huntlæi in Concilio proposita. Hi enim absente Prorege, Reginæ exulis partes pro viribus, si non pro voto defenderant.

Huntlæi causa discutitur. Argathelius quidẽ veniam facile consecutus est: at de Huntlæo maior erat difficultas. Quidam durius in eum agi volebãt, nihilq; ab eo, aut eius clientela mali metuendũ esse. Alij humanius & lenius eum tractandũ iudicabant: esse enim hominem vetere potentia, multis propinquitatibus & cliẽtelis præualentem, qui rem ad arma deducere posset. Et si vincatur, tamen ad montes & solitudines fugere, aut ad exteros Reges se cõferre, & ab ijs noua auxilia petere posse: vt ex hac parua odiorũ scintilla magnũ incendium oriatur. Tandem ita transactũ est, vt Huntlæo, quod in Proregẽ deliquisset, ignosceretur: damna verò læsis & spolia-

spoliatis soluere cogeretur: arbitri ex voluntate partium darentur, qui damni æstimationem temperarent. 1569

Transyluaniæ Princeps Ioannes, cùm animaduerteret plero sque Germaniæ Principes bello Gallico implicatos, quorum alij Catholicam, alij Hugonotticam Religionem defendebant, non negligendam oportunitatem belli in Cæsarem repetendi arbitratus, legationes ad Bassas Budensem & Temesvvariensem, Bizantium quoque ad ipsum Selymum misit, quibus auxilia petebat ad oppida sibi erepta recuperãda. Iam enim diuinitùs oblatam esse eam oportunitatem, quã non posset offerri præstantior. Aduenisse nunc tempus id, vt nullo modo possint Christiani ad mutuam defensionem conspirare. Tanta inter eos esse odia, vt à mutuis cædibus dirimi non possint: nec leues esse inter eos contentiones, cùm multo magis inter se, quàm aduersus Turcam dimicent pertinaciter de patria, honoribus, facultatibus, legibus, imperio, Religione, vita: nec iucundius illis esse spectaculum, quàm hostem suum vel cæsum videre, vel prostratum. Budensis cùm ab eo peteret decem millia equitum, nihil censet inconsulto Selymo faciendum: sed & hortatur Transyluanum, vt animo sit tranquillo, cogitationemque à bello reuocet. Non esse Ottomannicis Imperatoribus in more fidem fallere, & inducias violare, nulla probabili data oportunitate. Moscum finibus Turcicis imminere. Selymum multis grauioribus negotijs occupatũ. Germaniam opulentissimam & bellicosissimam esse prouinciam, quæ plures exercitus vno eodemque tempore sæpe eduxit & aluit. Non semel visum, vt vnius regionis aut prouinciæ incolæ inter sese dissentientes, visis communium hostium armis, depositis odijs ad mutuam defensionem confluant. Quod ne & hoc tempore accidat inter Christianos, eo magis metuendum esse, cùm Religio Christiana (quam illi vita chariorem habent) Religioni Turcicæ maximè sit aduersaria. His & huiusmodi alijs rationibus Bassa Transyluanum à bello reuocauit.

Transyluanus Turcas ad bellum Christianis mouẽdũ incitat.

Budensis Transyluanum ad quietem hortatur.

Cùm Pius V. Romanus Pontifex verè pius animaduerteret, Elizabetham Angliæ Reginam in sua nuper instituta Religione pertinaciter persistere, nullamque sanioris consilij admittendi spem reliquam esse, neque eam contentam sua tantùm Regna hac labe aspersisse, sed in omnia circumiacentia Regna & pro-

Regina Angliæ excommunicatur.

1569 uincias hanc luem inferre, totumque Christianismum inficere conari, eam quinto Calend. Martij anathematis fulmine percussit, & bulla publica condemnatam, ab Ecclesia & Christi corpore, vt putre membrum abscissam declarauit. Huius bullæ exemplum tum alibi, tum apud Nicolaum Sanderum extat libro tertio de schismate Anglicano. Quam excommunicationem etsi Angli veluti puerorum terriculamenta se contemnere simulabant, malè tamen eos habuit, quòd hoc iudicium non ab alio Pontifice profectum esset, quàm ab eo, qui omnium bonorum calculis sanctissimus, & ipsorum Protestantium opinione in optimis multorum seculorum Pontificibus habebatur.

An. 1566. Colloquium Altēburgense. Ioannes VVilhelmus Saxoniæ Dux, qui anno superiori Galliarum Regi militauerat, mense Iulio domum reuersus, in nouum bellum Theologicum incidit. Cùm enim defensores opinionis Victorini de Libero arbitrio à fratre pulsos reciperet, & taxantes Adiaphoristarum & Maioristarum opiniones foueret, ab Augusto verò admonitus non desisteret, colloquium Altenburgum ad XX. Octobris indictum est, in quo, præsidente ipso Ioanne VVilhelmo, cùm de necessitate operum ad salutem, de libero arbitrio, de adiaphoris magna contentione in mensem Martium huius anni disputatum esset, & sententiæ de primo articulo animis exacerbatis vltro citroque sæpe commutatæ essent, die IX. Martij discessum est. *Chytræus in Chronico.* *Quæ autem hactenus acta essent, quanquam nil spei de concordia superesset, Theologi Augusto retulerunt. Deinde acta vtrinque edita, & non solùm inter Theologos publicis inuectiuis certatum, verùm etiam acerbißima inter Principes odia inflammata.* Ita enim fieri omnino necesse est, vbi non est vnum caput, vnus iudex, vnum tribunal, ad quod, vt olim in veteri testamento & primitiua Ecclesia, omnes causæ fidei grauiores decidendæ referuntur.

Dum sic in Germania pugnatur verbis, in Gallia certatur armis. Pillæus partis Condæanæ Tribunus, cùm Bergeracum & Fidei fanum occupâsset, in Xantones mouet, vt se cum Condæo coniungeret. Eius profectione cognita Andius, Regis frater, per Pictones & Engolismensem agrum secundùm Charētam amnem descendit, quasi Castrum nouum expugnaturus, & illac flumen traiecturus. Hoc modo inter Pillæum & Condæum medium se interponens, cum alterutro

1569

confligere voluit, antequam simul copias coniungerent. Condæus ad Cogniacum progreditur, Charentam traijcit, Castro nouo præsidium imponit, copias cum Pillæo & Vicecomitibus coniungere, ad Ligerim exercitum ducere, vt Germanicum auxilium, quod Auraicus & Bipontinus adducebant, reciperet, omni consilio conatuque contendebat. Andius rem ad prælium deducere maturabat, & cùm ad Cogniacũ Charentam transire non posset, per Riuieræum tribunum Iarnacum occupauit, Charentam supra Engolismum traiecit, Castrum nouum deditione Scoti cuiusdam recepit, & copias ad Cogniacum duxit. Sed cùm intellexisset Andelotium in vrbem venisse, mutato consilio Castrum nouum reuersus est. Andelotius cum suis de communi consilio statuit, vt impedirent, ne pons Castri noui statim refici posset. Admirallius itaque missus, vt caput pontis occuparet, cum mandatis, vt si hostis exercitum traduceret, neque æquior pugnæ occasio se offerret, nihil in discrimen deuocaret; sed omissa pontis defensione, sese in tempore cum suis in pacatum reciperet. Cæterùm præuertit Andius omnem Admirallij diligentiam, copias suas omnes fluuium ignorante Admirallio traducit: qui cùm periculum animaduerteret, Condæum, qui Iarnaci erat, de hostium diligentia certiorem facit, eumque monet, vt se in tutum recipiat. Ipse cum copijs, quas habebat, equestribus hostes falsa spe pugnæ detinuit, vt interea peditatus elabendi spatium haberet. Instant Regij, cedit paulatim Admirallius. Cumque equitum peditumque suorum copias, quas Punialtus ducebat (quibus eò quòd hostibus essent viciniores maximè timebat) extra periculum esse videt, sese Iarnacum ad suos recipere cogitauit. Noæum & Louam cum suis alis, qui terga tuerentur, ponè relinquens. Iamque Hugonottarum peditatus in pratum Iarnaco proximum peruenerat, tutusq; prorsus ab hoste videbatur; cùm Mompenserius, qui primæ aciei Catholicorum præerat, Hugonottas se recipientes, & certamen detrectantes conspicatus, sexcentos equites, quorum Martignæus & Monsaleus præcipui ductores erant, in turmas Noæi & Louæ immittit, qui tam acri impetu in eas inuecti sunt, vt momento temporis perruperint, captis ducibus. Increbuit paulatim pugna, nouis vtrinque accedentibus copijs, & iam Andius Admirallio imminebat. Dum *Prælium Iarnacense.*

hæc

1569 hæc minuta prælia ferebantur, maiores hostium cunei in conspectum Admirallij sese dederūt: donec se vndique hostibus inclusum videns, ad Condæum, qui duobus passuum millibus inde aberat, propere mittit, de periculo, in quod præter expectationem inciderat, certiorem eum faciens: rem eò deuenisse, vt sine prælio euadere non liceat, nec satis se virium habere, ad hostium impetum sustinendum. Accurrit mox Condæus cum reliquis copijs: recrudescit pugna, acerrimum & atrocissimum prælium committitur. Andius ratus aduenisse, quam exoptauerat, oportunitatem, nihil cunctandum arbitratus, in Condæi latus copiarum impetum facit, & obuios quosque prosternit. Cadente tandem equo Condæi, ipse captus est à cataphractis equitibus duobus Guisij. Condæus è vestigio vtrique mille ducatos obtulit pro sui redemptione: sed superuenientibus alijs centum millia nummûm pollicetur: at detracta galea tandem agnitus, sclopeti glande caput traiectus, in ipso pugnæ loco occubuit: qui in equestribus armis expeditissimus cùm esset, equi casu infelix fuit. In Druidico equus, quo vehebatur, sauciatus eum periculo efferre non potuit, ita vt in manus hostium venerit: in Sandionysiano equi casus prælium maxima ex parte indeptū diremit: in hoc equi casus finem vitæ attulit. Cadente Condæo reliquæ copiæ partim trucidatæ sunt, partim captæ aut fugatæ: nemo enim amplius de pugna, sed de fuga cogitabant omnes. Pugnatum est horas circiter decem, nunquam intermisso prælio. E Regijs desiderati sunt trecenti, ex Hugonottis duo millia; alij plures, alij pauciores numerant. Noæus, Loua, Subiza, Languilleræus, & alij multi rebellium ductores capti: Mesancherus, Brandanieræus, & plures alij occisi. Capta sunt Hogonottarum sexaginta vexilla peditum, equitum signa triginta quatuor, muralia tormenta multa, & in his ænea duodeuiginti, cum omni bellico apparatu. Fuit hæc pugna memorabilis, & victoria Regi, omnibusque Principibus Catholicis ingens gaudium attulit. Andius enim statim Regi, qui tunc in Mediomatricibus ad Metim erat, hanc victoriam per certos homines nuntiauit, & capta signa misit, qui legationes deinde ad cæteros Principes amandauit: signa etiam aliquot capta Pontifici Romam adferri fecit, qui ea tanto cum gaudio recepit, vt in testudine templi D. Petro dicati in per-

Ingens Catholicorum victoria.

Condæus capitur, & occiditur.

Condæus equi casu infelix.

in perpetuam rei memoriam suspendi iusserit,& ab eo 1569 templo ad S.Spiritûs ædem ipse, cum omnibus Cardinalibus supplicabundus vota Deo redditurus processerit. Similes supplicationes Senatus Venetus, Dux Albanus per Belgium,& alij Principes Catholici instituerunt, Deo pro tanta victoria gratias agentes. Nauarræus,& Anghianus Cōdæi filius Cogniaci erant, cùm huius infelicis prælij nuntius allatus est,qui statim sibi metuentes, Xanctium se receperunt. Andius bidui quiete suis concessa, ad Cogniacum mouet: sed cùm nimis difficilem eius vrbis expugnationem videret,Pontes oppidum versus exercitum extendit. Proceres,qui Xanctij erant trepidantes, Angeliacum profugerunt. Inde propius accedente Andio Thonam concesserunt. Tanta enim inter eos erat trepidatio, vt nusquam subsistere auderent. Andius deinde Engolismū frustra tentauit,è Mongomerij tamen equitatu, qui ad Engolismum defendendum contendebat, Brissaccus alas duas prostrauit. Sub hoc Regina Nauarræa Thonam ad Proceres venit: quid factu opus sit in medium consulitur. Placet omnibus turmas recognoscere, quòd multitudine cæsorum multi ex Hugonottis animo essent consternatiore. Inde Nauarræus vniuersi exercitûs dux cum summo imperio renuntiatur. Fit noua coniuratio, nouum iuramentum, noua cur arma sumpsissent protestatio: quæ omnia prudentioribus & neutrius factionis hominibus vt seditiosa, ita & ridicula videbantur. Admirallius legatus declaratur. Nauarræus per literas ab Andio petijt, vt cadauer Condæi, ac cæterorum Procerum sibi mitteret, vt honestè sepelirentur; simul & significauit, se in summi exercitûs imperij gradum electum, non ad Regem oppugnandum, sed defendendum, & ex eorum manibus eruendum, qui eum obsessum tenebant. Hæ literæ missæ sunt ad Regem, à quo mandatum est Andio, vt responderet; Tanto grauiorem Principi illam dignitatem accidisse, quanto diligentius de ea reddenda esset ratio, cur contra Religionem integerrimam & sanctissimam, suumque Principem arma sumpsisset. Se eum amicè hortari, vt ab eo honore abstineat, cùm iam bis Deus per rebellium clades demonstrasset, quantopere illa ei arma essent inuisa. Cauendum esse, ne tertiò Dei grauior vltio ingruat, & serò discat, præstare Catholicam Religionem, & Regis affinis, coniunctique amicitiam,

Nauarræus dux belli creatur.

quam

1569 quàm hanc nouam perfidiam & rebellium atque seditiosorum causam fouere.

Interea Admirallius Andelo ium cum aliquot peditum & equitum turmis in Pictones misit, vt copias colligeret, Catholicorumque, præcipuè Landeræi conatus interrumperet: is enim iunctis cum Puygillardo & Bourlæo copijs Montacutum, Clissenium, & Tifangosum oppida suæ potestatis fecerat. Quæ oppida cùm Hugonottæ frustra vt reciperent tentâssent, vniuersam Pictonum possessionem Landeræo (cui etiam paulo ante insidias struxerant) & Catholicis reliquerunt. Andelotius, alter eorum Achilles, è Pictonibus reuersus, lethali febre correptus, Xanctium se recepit, vbi paucos intra dies fato concessit. Huius felicitatis & virtutis tanta fuit apud Hugonottas opinio, vt vulgus militum penes eum victoriam fore ominaretur, cuius ille causam defendendam susceperat: nec aliquid difficile, aut arduum putarent, quod eius ductu gereretur. Interea Andius per Lemouicensem & Angolismensem agrum nemine resistente excurrebat, & munitas aliquot vrbes occupauit, in quibus Anbaterra, & Mucidantum fuêre. Illam faciliori negotio tormentis quassatam deditione accepit: hoc, quia validum habebat præsidium, aliquoties frustra oppugnatum, multos fortissimos milites, & in his Brissaccum sustulit, tandem tamen captum est. Victores cæsis aliquot præsidiariorum manipulis suorum manibus parentârunt.

Andelotius moritur. *De Andelotij fortitudine opinio.* *Anbaterra & Mucidantum à Regijs capta.* *Brissaccus sternitur.*

Eodem tempore Selymus non leuiter Arabum successibus angebatur: qui à Lusitanis adiuti, plurima damna Turcicis finibus inferebant. Nec minus infestabatur à Sarmatis Asiaticis, quos Hamaxobios vocant, qui anno præterito multas Turcarum copias, vnà cum Sanzaccis non paucis trucidârunt. Ad vtrumque populum in ordinem redigendum non contemnendos misit exercitus.

Hamaxobij in Turcas.

Vltimo die Martij Albanus in Belgio edicto promulgato cauit, ne vllæ merces Anglicæ in Belgium, aut vllæ Belgicæ in Angliam importarentur, donec aliter constitueretur. Præterea, ne quæ naues mare ingrederentur, nisi classiarijs, tormentis, & armis necessarijs instructæ. Vt autem mandatum hoc exactius obseruaretur, designati sunt, qui naues portus Belgicos ingredientes vel exeuntes obseruarent, atque inspicerent.

Edictum Albani de mercibus Anglicis.

tent. Angli cùm viderent sibi nundinas Belgicas inter- 1569
dictas, cum Magistratu Hamburgens. pactum inierũt, *Angli*
vt in ea ciuitate magnarios & institores suos haberent, *Hambur-*
in eam pannos, aliasque merces suas conueherent ac *gum se re-*
diuenderent. Albanus autem intelligens piratas An- *cipiunt.*
glicos quotidie augeri, classem quoque instruit: metuebat enim, ne quid Regina in ditiones Belgicas hostile meditaretur, potissimum autem Zelandiæ & Hollandiæ timebat. Scipionem itaque Vitellium, & Cerbellonem in Zelandiam misit, qui inspicerent omnia loca maritima, quæ hostium inuasioni magis essent obnoxia, eaque aduersus omnem hostilem impetum munirent.

Bipontinus interea in Galliam properabat: duce- *Bipõtinus*
bat ille Germanorum equitum circiter septem millia, *in Galliã*
quibus additæ erant duodecim cohortes Gallici nomi- *mouet.*
nis, cum aliquot leuis armaturæ alis. Erat in exercitu etiam Auraicus cum fratribus: sed non magnis copijs stipatus. Occurrit illi cum aliquot copijs Aumalius, & in agrum Argentinensem vsque progressus, eius aduentum expectabat. Hinc querelæ ad Cæsarem delatæ, quòd Aumalius Imperij fines ingressus, damna subditis intulisset. Cùm Rex Galliarum relictis Mediomatricibus Verdunum concessisset, accessit ad illum Bipontini legatus, causas cur arma sumpsisset, & in
Galliam venisset expositurus: quia scilicet Deo & ho- *Legatio*
minibus suæ Religionis obstrictus erat, ijs opitulari, *Bipontinĩ*
qui istius Religionis causa persecutionem sustinerent, *ad Regẽ.*
& quos Rex contra conscientiam, & propriam voluntatem à vera Religione reuocare conabatur. Regem iniustitiæ accusabat, vt qui primum edictum pacificatorium reuocauerat. Promittebat, si Rex, eiusque administri agnoscere velint, quid debeant Deo, si omnia edicta iniqua velit antiquare, si Religionem reformatam suis permittere, bona restituere, de vitæ securitate cauere, Principem suum arma positurum, & in Germaniam reuersurum. Responsum est legato: Plurimum quidem deberi Deo, qui Carolum & Regem, & *Respõsio.*
Christianum Regem, & Catholicum Regem nasci voluisset, & quod vnà cum Dei reuerentia, & debita subditis iustitia hactenus dedisset tam nefarias hæresium radices euellere, atque eos, qui prætextu Religionis seditiones & tumultus in suum Principem, cum maximo totius Regni incommodo, concitant, exter-

1569 minare. Mirari Regem, quòd ille Princeps tam leuiter ignobile vulgus armis suis protegat, qui maiori cum laude & æquitate cum alijs Principibus aduersus rebelles pro legitimo Rege arma sumere debebat. Mirari omnes Galliæ Proceres, quæ ista sit Bipontini temeritas, vt tanquam tutor ipsum Regem moneat, imò vrgeat ad ea, quæ ad Regni Gallici administrationem pertinent: quæ dementia, vt eum vrgeat, in quem ius nullum habet. Suos subditos gubernaret, in alienam messem falcem mittere desineret. Quòd si in ea demẽtia & impudentia pergat, futurum vt intelligat se periculosam prouinciam suscepisse, susceptæque breui illum pœniteat. Interea Bipontinus per Alsatiam, Montem Pelicardi, & Burgundiam progrediens, inter oppositas Aumalij copias in Gallias interiores penetrauit, deditione occupato, sed contra fidem datam spoliato Charitatis ad Ligerim oppido, traiectoque flumine magnis itineribus ad Regem Nauarræum & Admirallium contendit: atque paucis diebus, lacessentibus eius exercitum, multosque passim trucidantibus Catholicis, Nessouium, prope Carsum, peruenit: vbi quartana defunctus est. Exercitûs curam Mansfeltius eius legatus suscepit. Andius sub id fermè tempus subsidium à Pontifice Rom. expectabat. Is enim Sanflorium Comitem iusserat quatuor millia & quingentos pedites colligere, qui in Gallia Cisalpina conuenerũt, iunctique mille peditibus Ducis Florentini, & nongentis equitibus per Alpes Coctias Lugdunum profecti sunt. Inde Sanflorius omnes simul copias in Andij castra duxit. Is cum toto exercitu ad Lemouicum vrbem progressus est, quò breui Regina cum Cardinalibus Borbonio & Lotharingo appulit. Hugonottæ, qui Germanos Nessouij exceperant, in Pictones reuertentes, Essum ex improuiso occupârunt. Ad fanum Yrieri totus exercitus conuenit, vbi Germani omnes copias suas, tam equestres, quàm pedestres recognouêre, & stipendiorum partem à Principibus recepêre, cum ampla promissione, residuum breui recipiendi. Hugonottæ tantis aucti copijs, spem sibi victoriæ certam destinabant. Vt tamen causam suam æquiorem redderent, nouum libellum supplicem, sed eiusdem cum veteribus argumenti per Memorantium Regi obtulerunt: quo per vniuersum Regnum Religionis suæ plenum exercitium postulârunt, in qua si erroneum quid esset, Occu-

Moritur Bipontinus.

Libellus supplex Hugonottarum.

Oecumenicum & liberum Concilium, in quo de Re- 1569
ligione controuersiæ discuterentur, haberi petebant.
Rex oblatum libellum nec legere, nec quid in eo pete-
batur audire dignatus est: negans se ad illorum postu-
lata animum attendere velle, priusquam cum ipso in
gratiam rediissent. Tũ denuò in prælia itũ est. Primò
ad Yrieri fanũ ita pugnatur, vt victi Andiani quadrin-
gentos circiter amiserint, capto Strozza, Sanlupo, &
aliis quibusdam minoribus ducibus. E victorum parti-
bus tres copiarũ duces perierunt, gregarij milites non
pauci. Certatum est deinde pluribus minutis prælijs,
modò his, modò illis victoribus. Hugonottæ in Petro-
cosios ducentes, aliquot oppida ignobilia intercepe-
runt. Inde in Pictones ductus exercitus, vbi Ludensis
Niortum obsidebat: quod oppidum, cùm à Punialto
egregiè defenderetur, post multas oppugnationes ad-
ueniente cum exercitu Telignio & Mansfeltio dese-
ruit, & oppida præsidijs muniuit. Puygallardus quoque
in suam præfecturam concessit, & Mirabelli in itinere
præsidium validum reliquit. Hugonottarum exerci-
tus in Pictones reuersus, Castelleraldum & Lusi-
gnanum deditione suo imperio subiecerunt, mox ad
primariam eius prouinciæ vrbem Pictauium obsiden-
dam animum adijciunt.

Hugonottarum ad Yrieri fanum victoria.

Albertũ Ducem Borussiæ anno præcedenti mor-
tuum, & illi successisse filium Albertum Fredericum
iuuenem diximus. Is per hos dies feudum & insignia
Ducatûs à Sigismundo Augusto Poloniæ Rege, in Co-
mitijs Lublini, consuetis cum ceremonijs accepit: pe-
tentibus simul per Oratores Georgio Frederico Mar-
chione Brandenburgensi, Alberti patruele, & Ioachi-
mo II. Electore Brandenburgico sobrino, Ducatûs Pru-
tenici collationem seu inuestituram. Eam Rex pro-
cumbentibus in genua Duci Borussiæ, & Marchionum
agnatorum legatis per vicecancellarium consueta
formula orationis concessit. Qua finita, Ioannes Fir-
læus, supremus equitum Regni Magister, Vexillum v-
sitato more Duci tradidit, cuius anteriorem angulum
Marchionis Ambacensis, posteriorem Electoris Bran-
denburgensis legati tetigerunt. Dux inuestitus ascen-
dens in superius solium, & ante Regem procumbens,
solenne iuramentum fidelitatis præstitit. Quo præsti-
to, Rex propria manu torquem aureum, quadringentis
aureis Vngaricis æstimatum, collo inuestiti Principis

Albertus Fredericus in Ducatu Borussiæ inuestitur.

1569 iniecit, eumque ad sinistram consistere iussit, donec equitibus aliquot creatis, Dux rursus cum reliquis Oratoribus in genua procubuit, & gratijs solenniter actis Regem, Senatoresque assidentes reuerenter salutauit. Quibus omnibus solenniter peractis, prælato vexillo in hospitium deductus est. Sequentibus diebus de quibusdam difficultatibus inter Borussos & Polonos trāsactum est: tandem Dux ad suos redijt. Sub idem tempus ciuitatis Dantiscanæ libertas, & Senatus iurisdictio atque auctoritas per legatos Sigismundi Regis grauiter premi & imminui cœperunt. Cùm enim priuatorum quorundam ciuium querelæ aduersus Senatum in aulam regiam delatæ sunt, à paucis scilicet è Magistratu publicos ciuitatis reditus, & opes in priuatos vsus conuerti, pro libidine Senatûs omnia in Repub. geri, & ciues iniustè in iudicio vexari, Rex in vrbem misit, qui omnia cognoscerent, & Reipub. administrationem inspicerent. Sed tumultu in vrbe concitato, missi sunt, qui certa quædam capita à legatis Regis stipularentur, priusquam in vrbem admitterentur. Legati indignantes recesserunt, & apud Regem de summa iniuria, & crimine læsæ Maiestatis, quòd Legati regij in vrbem Regi subditam intromissi non essent, grauissimè conquesti sunt. Rex incredibili ira & indignatione inflammatus, extrema quæque ciuitati minabatur: nec initio placari potuit. Tandem legati denuò missi, & in vrbem recepti, querelas ciuium audierunt. Quæ cùm vtcunque compositæ essent, Rex cum Magistratu de illata nuper legatis iniuria expostulauit. Tandem literæ Placationis conscriptæ sunt, quibus vrbi maxima grauamina sunt imposita, nec parum eorum antiqua priuilegia imminuta. Volebat enim Rex exemplum alijs statuere, ne tam temerè Principes suos offendant. Hæ legatorum actiones dum in multos menses protrahuntur, piratæ Polonici, auspicijs Regis sui, cum Sueco & Mosco bellum gerentis, naues Neruam & Reualiam petentes intercipere iussi, Danicas etiam, si commodum esset, naues diripiebant. Qui in portu Dantiscano receptum habebant. Quare Daniæ Rex, vt malū hoc à suis propulsaret, subditorumque suorum damna resarciret, multas naues Dantiscanas in suis portubus detinuit, liberamque nauigationem Dantiscanis per Hellespontūm Danicum ademit. Etsi legati Dantiscanis promitterent, se eos indemnes

Gedanensium tumultus.

Gedanensium priuilegia imminuta.

Controuersia Dātiscanorum cum Danis.

indemnes seruaturos, etsi legationes in Daniam mitterentur, naues repetitum, etsi in Saxonem & Brandenburgensem compromissum est, tamen cùm Rex Sigismundus moreretur, & omnia diutius protraherentur, quàm Dantiscani nauigationibus Belgicis, Gallicis, Anglicis, Hispanicis, &c. carere possent, ad quas regiones non nisi per Hellespontum Danicum (vulgo die *Sunt* vel *OerSunt* dictū) peruenire possunt, ipsi suo sumptu & periculo, numeratis centum Talerorum millibus, cum Dano transegerunt, mercesque interceptas & liberam nauigandi pötestatem redemerünt. 1569

Dum Ioannes III. Sueciæ Rex Vpsaliæ coronatur, Danica & Lubecensis classis Reualiensem portū in Liuonia, hactenus ab iniurijs immunem, spoliauit, & triginta circiter naues mercibus oneratas abduxit. Reuersa classe Daniæ Rex militem in terram exponit, & arcem VVarburgēsem, quam Suecus tenebat, oppugnat, deditioneque sibi subijcit, amissis in ea oppugnatione duobus è pręcipuis suis ducibus, Daniele Rantzouio, & Francisco Broekenhusio. Sueci, dum in ea oppugnatione hærent Dani, in Blekingiam & Scaniam excurrentes, oppida VVehe, Vstede, & totum tractum Gunding Herrit direptum exusserunt. *Noua belli inter Suecū & Danum semina.*

In Saxonia lis, quæ à plurimis annis inter Duces Brunsuicenses, & vrbem Brunsuicam fuerat, amicè cōposita est. Senatus Duci præfecturam Assenburgēsem, arci Guelphorum vicinam, Brunsuicensibus olim oppignoratam, restituit, & Dux Senatui præfecturas Eich & VVenthausen in feudum confert, actionique in veterem Vicum & Saccum renunciat. *Controuersia inter Duces Brunsuicensem et vrbem cōposita.*

In Gallia Hugonottæ ad obsidendū Pictauiū animū adiecerant. Non ignorabāt hoc Regij: missus itaq; ad eius vrbis defensionē Dux Guisius, cum fratre, qui triduo antequā vrbem obsederunt ingressi sunt, mille quingentos expeditissimos Gallici & Italici nominis, quadringentos pedites, magnam leuiorum equitū turmā duce Paulo Sfortia, & Germanos nonnullos secum adducētes: quæ copiæ mirificè animos ciuiū refecerūt: multi enim ex oppidanis in castra Hugonottarū profugerant, ita vt vrbs, alioquin spatiosa, penè deserta videretur. Cœpta obsidione Admirallius, qui ei præerat, aliquot præmisit, qui suburbiū occuparent: sed malè ab oppidanis excepti sunt. Secutus est totus exercitus, posita sunt locis cōmodioribus castra, in quibus erāt qua- 1401. *Hugonottæ Pictauium obsident.*

1569 tuordecim maiora tormenta, præter cāpestria & colubrinas. His toto triduo tanto cū impetu muros verberârunt, vt ruinā viginti passuū strauerint: sed quicquid deijceretur, antequā ad manus venire possent obsidentes, obsessi summa diligentia reparârunt. Multa etiam in vrbe parata sunt ignis missilis genera, asseres multi clauis & stylis ferreis confixi, murices, oleū bulliēs, & pix ignita. Prætereà fluuius erat trāseūdus, antequā obsidētes ad locū pugnæ venire possent. Constructis tamē pontibus, tantū continua murorū verberatione fecerūt, vt oppidani animos despondere cœperint: q rursus quadringētis quinquaginta peditibus, beneficio noctis in vrbē cum puluere tormētario admissis, erecti fuerūt. Tanta nihilominus oppugnantiū fuit contētio, vt tandē cōuocatis in vrbe ducibus, consiliū exquisitū sit, an vrbs esset defendenda, an deserēda. Quidā sentiebāt, equestri certamine in prato cū hostibus confligendū, priusquā oēs copiæ ad oppugnationē destinatæ pōtem trāsissent, alij vrbē deserendā censebant. Nō defuerūt, qui Guisio suaderēt, vt nocte cū tribus hominū millibus per eam portam, quæ minus custodiebatur, exiret, & in pacatū se reciperet: Maius enim damnū Regi obuenturū, si ipse & nobiles, qui cum ipso erant, in pugna interirēt, aut caperentur, quā si vrbs in potestatē hostiū veniret. At ille virtute potius, quā fuga res Regias indigere respōdit, viros fortes nullā timoris significationē dare; quocunq; ergo euētu in vrbe manendū, eamq; defendendā esse. Huic sententiæ astipulati sunt Ludensis, Ruffeccus, Onouxius, Burgius, & alij notę fortitudinis, & militaris peritiæ viri. Interea ordines instruit hostis, & omnia ad oppugnationē parat. Sed cū Admirallio nūtiatur, pontē non eius esse fortitudinis, vt tam graue onus transeuntiū militū sustinere possit, eo die oppugnatio est intermissa. Nocte subsequente quod in muro collapsum erat, producta fossa, & ex egesta humo aggere extructo, ita reparârūt, vt ea parte difficilior in vrbē aditus esset, quāante stratā ruinā. Tota vrbe in hoc opere occupata, sex insignis audaciæ milites Galli & Itali, dū proxima hostiū statio tumultuaria pugna distinetur, in fluuiū se conijciūt, rudentesq;, quibus pons ligabatur, abscindētes, totā compagē dissoluunt. Apertis sequētibus diebus duobus in locis muris, & ponte reparato, prima instituta est oppugnatio, qua obsidentes ad summa mœnia peruenerūt, nec vlla vi inde repelli potuerunt.

Forte responsum Guisij.

Pictauiū oppugnatur.

tuerũt. Cæterũ conatũ hunc vnius ciuis Bidolieræi in- 1569
uentũ reddidit inutilẽ. Is enim palos & tigna ad Roche-
reuillæi ſuburbij pontẽ tam peritè & cõmodè applicu-
it, vt amnis curſum retinuerit: & ob id ſupra reſtagnãte
aqua, totũ pratum inundatũ ſit. Perturbati hac re ino-
pinata obſidentes, murũ, quem occupârant, varijs locis
perforando, aquã à prato diuertere fruſtra conati ſunt:
ita vt omnis ſpes eam munitionẽ perrumpendi Hugo-
nottis deciderit. Qui cùm animaduerterẽt, quantũ mo-
menti in ſuburbijs Rochereuillæis poſitũ eſſet, oẽs co-
natus adhibuerũt, vt illa ſuæ poteſtatis facerẽt. Sed for-
titudine & vigilãtia oppidanorum ita defenſa ſunt, vt
hoſtes magno ſuo ſemper dãno reiecti, de ijs occupãdis
tandẽ deſperauerint. Dũ obſidiũ in multas ſeptimanas
protrahitur, cœperunt obſeſſi rerũ ad vitã ſuſtentãdam

Summa in vrbe rerum neceſſitas.

neceſſariarũ laborare penuria. Decretum igitur, vt mu
li & aſini inutiles, & fame penè exanimati vrbe eijcerẽ-
tur primùm; deinde etiam imbelliũ vtriuſq; ſexus & ę-
tatis hominũ non exiguus numerus; qui cùm per ho-
ſtium caſtra tranſire nõ poſſent, ſub mœnibus quidam
herbis ſe ſuſtentârunt, quidam fame mortui: ſuperſtites
pallentes & ſemiuiui ab oppidanis tandem miſericor-
dia motis recepti ſunt. Maxima autem in vrbe erat mo-
lendi frumenti difficultas, cũ duo tantùm molendina
non poſſent tot hominibus ſufficere. Aſini tandẽ, equi,
& alia immunda cœperunt comedi animalia, & ad
tantam rerum caritatem ventum eſt, vt ouum quadrã-
te coronati aurei, pullus gallinaceus coronato inte-
gro, capo duobus, tribus etiam & quatuor venierit. In
tantis difficultatibus cùm Guiſius animaduerteret ho-
ſtes obſtinatis animis obſidionẽ continuare velle, miſ-
ſis ad Regem, & fratrem illius nuntijs & literis petiit
vt noua ſubſidia, commeatumq; obſeſſis mittant, alio-
quin obſidionem non poſſe diu tolerari. Rex omnia li-
beraliter pollicetur: nobiles confeſtim & ſtipendiarios
omnes cõuocat, delectus varijs locis habentur. Valetta
& Monlucius iunior cũ copijs aliquot, & alis equitum
mittũtur, ſed cùm omnia itinera ab hoſtibus eſſent oc-
cupata, ad vrbẽ peruadere non potuerunt. Admirallius
cũ difficilem per prata oppugnationẽ videret, omnem
tormentorum apparatũ conuertit ad deijciendos pon-
tes & pluteos, quos obſeſſi ad Sanſorſinũ erexerãt. Sed
cùm hìc parum promoueret, mœnia iterum verbera-
re cœpit, ea vi, vt vno die ſupra octingentas pilas in ea

1569 contorserit. Sub vesperam secunda oppugnatio instituitur. Sed qui ab Admirallio missi erant, vt ruinā explorarēt, retulerunt eam esse aluei profunditatē, vt milites ad cingulū vsq; transire oporteret: præterea muri fragmēta nō extrorsus, ad implendā fossam, sed introrsus ad firmandū vallū decidisse; oppugnationē tamen nō esse difficilē, præsertim si pluribus locis admotis ad mœnia scalis fieret, eò quòd ad tantū ambitū defendēdum propugnantes nō sufficerent, & Admirallius, qui ad triginta millia armatorum in castris habebat, fessis, vulneratis & cæsis nouos ac integros posset sufficere. Sed Admirallius animo remissiori, quàm oportebat, milites ad oppugnationem paratos in castra reuocauit, maximo suorū dolore & indignatione. Guisius interea omnia quæ deiecta erāt, omni cōportata materia, reparauit ea firmitate, vt difficilior esset ea parte in vrbem aditus, quā vbi mœnia integra starent. Verū obsidentes certiores facti, quāta esset in vrbe inedia, arbitrati sunt, si vrbem totis viribus oppugnauerint, plebem mādatis ducum minimè fore obaudientē. Decreta igitur est noua oppugnatio circa tertiam noctis vigiliam, eò quòd sperarēt, propter noctis tenebras, quæ metū & pudorem tegere solent, propugnatores fore segniores. Sed quia milites serius in armis erant, & sol horizonti esset proximus, cum silentio aduenientes hostes à vigilibus auditi sunt; qui signum campana dantes, oppidanos ad arma vocārunt. Cùm se detectos intellexerunt obsidentes, pedē referunt, & re infecta in castra reuertūtur. Nauarræus & Cōdæus iunior à fano Maexantij eò accurrerūt, vt oppugnationi interessent sed cùm eam fœdè intermissam, & obsidionē in longū protendi viderēt, indignabūdi castris excesserūt, & Niortū profecti sunt. Admirallius inops cōsilij, desperatione potius incitatus, quā consilio fultus, omnes vires iterū ad occupandū Rochereuillæū suburbiū conuertit: amplum ad irrumpendū hiatum strauit; Pillæū, qui Vascones & Prouinciales ducebat, in ruinā ad oppugnationem misit, quē Germanorum aliquot signa sequebātur. Sed Guisij, Cænomani fratris, & Ludensis vigilantia & fortitudine egregiè omnia defensa sunt, pilis ferreis, taxillis, cathenis, glandibus, lapidibusq; ex vrbe emissis, fortissimi quiq; ascendentes trucidantur: fit ingens strages, Pillæus ipse glande femur traiectus est. Omissa pugna ad suos se receperūt. Bricqmaldus cum suis cohortibus secun-

Secundò oppugnatur.

Tertia oppugnatio.

ſecundam irruptionem facit: hunc Santandreanus frater ſequitur; ſed eodē modo quo priores excepti, amiſſis pluribus, reliqui ſudore & ſanguine madidi ſe recipere coacti ſunt. Germani ad irrumpendum parati ab Admirallio reuocantur, quòd videret eos non meliori, quàm præcedentes conditione pugnaturos. Pleriq; in eo mirabantur veterani ducis inſcitiam, quòd ea parte mœnia oppugnari vellet, vbi inuadentium latera deſtinatis ictibus feriebantur. Andius interea ad Caſtelleraldum caſtra poſuit: quo in oppido multi erant ex nobilitate de ipſo Admirallio præclarè meriti. Cùm autem ſonus tormentorum in caſtris ad Pictauium audiretur, Admirallius metuens, ne ſui periclitarentur, Noæū cum duobus equitum millibus miſit, qui Andium ab obſidione pelleret. Sed cùm Noęus ex itinere reſcriberet, nō duorum equitum millibus, ſed toto exercitu opus eſſe, Admirallius tāta celeritate obſidionem ſoluit, vt duo tormenta bellica in caſtris reliquerit, quę propter pondus tam citò promoueri non poterant. Andius cùm per exploratores didiciſſet, ſe aſſecutū quod ſperauerat. Admirallium ſcilicet ab obſidione Pictauienſi reuocâſſe, tormenta ab obſidione Caſtelleraldi retraxit, ſeq; cum omnibus copijs & tormentis vltra fluuium Creuſam, ad portum Pilæ (id pago nomen eſt) ſe recepit. Caſtelleraldum iam ante fruſtra oppugnauerat, nec parū aberat, quin præter opinionem expugnâſſet. Admirallij ſupinam in obſidione Pictauiēſi negligentiā omnes, tam Hugonottæ, quàm Catholici admirabantur. Poſtridie obſidionis ſolutæ Sanzæus à Rege Pictauium miſſus, duodecim peditum cohortes, & ducentos equites in vrbem introduxit Guiſius cum mille & quingentis equitibus exiuit, & Turones ad Regem conceſſit. Magna erat per Galliam inter Catholicos lætitia: actæ ſunt vbique Deo gratiæ: inter Hugonottas verò mœror erat ingens & perturbatio, qui de belli ſucceſſu dubitabant. Siquidem rei nummariæ inopia ſupra modum premebantur; milites tot inutilium laborum pertæſi, quotidie à ſignis dilabebantur, præcipui copiarum duces aut vulneribus debilitati, aut grauibus morbis correpti, caſtris exceſſerant, & fauor populi cum fortuna mutabatur. Andium nihilominus ſequebantur, vt cum eo confligere velle viderētur. Hoc maximè ad tuendam exiſtimationem apud populum conducere arbitrabantur, ſi ſe prælium hoſtibus obtuliſſe,

1569

Pictauij obſidio ſoluitur.

Hugonottæ deſperant de belli ſucceſſu.

1569 lisse, illos detrectâsse fama vulgaret. Missus cum copijs Subiza, vt pagum, quem Regij tenebant, occuparet: sed cùm eum munitiorem quàm putârat inuenisset, & à sclopetarijs, qui post dumeta latitabant, maximum detrimentum accepisset, pedem retulit. Andius conuocatis omnibus ducibus & tribunis de summa belli consilia captauit. Decernitur diuturnitatem & procrastinationem pugnæ nihil aliud esse, quàm certissimam totius Galliæ euersionem: necesse esse rem armis experiri. Victa esse non semel Hugonottarum arma, quæ tanto infeliciora putanda essent, quanto deteriorem, iniquioremque causam haberent. Dimisso conuentu Andius Chionium venit, vt copias, quæ vndique mittebantur, reciperet: inde Lodunum mouit, vt hostibus commeatum auerteret, & eos à reditu in Aquitaniam intercluderet. Admirallius Andij consilium animaduertens, Castelleraldum ire simulans, Mirabellum ducit, ibique cum omnibus copijs considet, donec de belli deinceps gerendi ratione decerneretur.

Albanus centesimũ vicesimũ & decimũ nummum exigit.

Albanus Dux cùm secum rationem inijsset, quãtos sumptus Rex in defendendo Belgio profunderet, nec leuibus coniecturis præuideret, exules non fore quietos: sed quotidie noui quid in detrimentum Belgij molituros, quibus sine maximis expensis resisti non posset, omne consilium suum ad cogendam pecuniam cõuertit. Bruxellis itaque in consessu Ordinum à singulis prouincijs omnium bonorum quæ venderentur decimum, omnium mobilium aliorum vicesimum, & omnium immobilium cẽtesimum nummum postulauit. Huius postulationis hanc reddidit rationẽ: Pecunia opus esse ad Reipub. & Religionis defensionem. Eam à populo exigendam. Fieri id minus commodè posse per modum publicarũ precum (vt vocare solent) quod Principibus Belgicis hactenus fuerat vsitatum. Visum enim sæpe esse in huiusmodi collectis Prouincias malè inter se conuenire potuisse. Flandriam quidem trientem totius solidi conferre consueuisse: Brabantiã quadrantem: Hollandos quadrantem eius quod solueret Flandria: Artesiam & Hannoniam sextantem census Flandrici, cæterasque prouincias pro sua quæque facultate. In hac collectione magnas sæpe ortas esse controuersias, dum quæque prouincia se plus cæteris grauari conqueretur. Sibi itaque hanc viam videri

prom-

1569

promptiorem & æquiorem, vt pro bonorum qualitate singulæ censeantur. Ordines audita hac postulatione attoniti, post maturam deliberationem Albano centesimum nummum omnium bonorũ obtulerunt, vicesimum & decimum se conferre minimè posse ostenderunt. Rationem adferebant, quòd hoc modo omnis mercatura, omnes artes & opificia in Belgio interirent, & in alias regiones transferrentur: cùm quę merces ad exteras gentes exportantur, apud ipsas minoris emi possent. Futurum itaque vt vicina Regna artifices, opificesque è Belgio ad se pellicerent, quod sine præsentissimo Belgij interitu fieri nõ posset. Non mouetur his rationibus Albanus, suam oportunè importunè vrget postulationem. Bruxellenses nullo modo in hanc exactionem descendere voluerunt. Lanij itaq; vim paratam cõspicientes, nulla mactabant pecora, non pinsunt pistores, non coquunt cereuisiã zythepsæ: clauduntur omnes officinæ: erat in vrbe omnium rerũ penuria, adeò vt Albanus ipse sibi metueręt, ac popularem seditionem formidaret. Bruxellensiũ exemplum secutæ sunt quædam vrbes aliæ. Dum verò Albanus in sua pertinax perseuerat sententia, & quædam prouinciæ postulata concedere velle viderentur, res in annos aliquot est protracta: donec mutata fortuna, omne huius exactionis consilium perturbauit. Quod si nunquam Albanus in animum induxisset, fortè floreret nunc Belgium, non iaceret nunc conculcata Religio, non plorarent tot viduæ & orphani, non lugerent amissis tot opibus incolæ, non errarẽt per orbem tot exules, nec ego pisces Transalbinos comederem.

Rationes cur Ordines negẽt Albani postulata.

Eodem tempore Pontifex Romanus Duci Albano, tanquam acerrimo Catholicæ Religionis vindici, consecratum solenni Romanorum ritu gladiũ atque galerum per Nuntium suum transmisit: quæ dona diuinis ceremonijs sub sacro Missæ officio accepit. Quo die aulici omnes, & Hispani alij, multis, varijsque ludorum generibus sese oblectârunt. Quia verò quidam præfecti, iudices, iustitię administri, & alij ad defensionem bonorum, vindictam verò malorum constituti, officijs suis abuterentur, muneribusque corrupti sontes dimitterent, insontes varijs suppliciorum generibus necarent, querelæ ad Albanum quotidie deferebantur. Is conuocatis quibusdam, de quibus grauior erat suspicio, rationẽ administrationis exigit. Inuen-

Pontifex mittit Albano galerum & gladium consecratum.

1569

Spellius cum suis suspenditur.

tus est Ioannes quidam Groneltius, cognomine Spellius: quem Albanus latrunculatorem per Brabantiam creauerat, vt cum equitibus sibi attributis obequitaret, atque itinera pagosque passim latrociniis & depraedationibus obnoxios, ab omni iniuria tueretur. Is cùm homo esset scelestissimus, & tyrãnus immanis, sontes simul ac insontes multos spoliârat, & interfecerat: multaque alia nefanda flagitia perpetrârat. Hunc itaque Albanus Bruxellis publicè in furcã rapi & strangulari, duos etiam ex ministris eodem mortis genere tolli, reliquos patibulo eidem alligatos flagellari, cum omnium hominum gratulatione mandauit. Edicto post publico iussit, vt omnes lites & ciuiles controuersiae vt minimum singulis annis deciderentur; ne diutius cum damno partium penderent, aut protraherentur.

Selymus memor cladis anno superiori, in rescindendo terrae spatio, quod inter Volgam & Tanaim interiacet, acceptae, centum varij generis nauigia instituit, commeatuque, classiarijs & omni apparatu bellico instructa, in Moeotidem paludem misit. Persarũ Rex, cuius plurimum intererat, ne hoc Selymi institutum procederet, ad bellum se accingit, munitiones excitat, equitatum & peditatum colligit, quos tantis Turcarum viribus obijceret. Inuitauerat Selymum ad eam prouinciam repetendam Ioaches quidam Turchina, Princeps Mahumetanus potentissimus, Persis finitimus: qui breui tempore ducenta armatorũ millia poterat colligere. Is receperat, quòd Persarum vires retardaret, quod & fecit: appulsaque classe multas istius loci munitiones occupauit. Sed cùm vlterius in Persiam suos ducere non auderet, post varia certamina re imperfecta discessum est.

Tumultus in Anglia & Hibernia propter Religionem.

In Anglia & Hibernia hoc tempore magnae de Religione erant controuersiae: multi in vtraq; insula pro Religione Catholica, contra aliarũ Religionũ homines, & contra Reginam arma sumpserunt. Pugnatum est varijs in locis, eo euentu, vt Catholici initio victores magnas strages ederent: sed post maioribus copijs Reginae aduentantibus, dispersi, dilapsique, nõnulli in montes Pechas, quidam in Scotiam, alij aliò fugerunt. Huius belli haec erat causa: Miserat paucos ante dies Pontifex Romanus in Angliam Nicolaum Morionum S. Theologiae Doctorem, vt certis illustri-

bus,

bus, & Catholicis viris auctoritate Apostolica denun- 1569
tiaret, Elizabetham hæreticam esse, ob eamq; causam *Causæ huius tumultus.*
omni dominio & potestate, quam in Catholicos vsurpabat, iure excidisse, impuneque ab illis, velut Ethnicam & publicanam haberi posse, nec eos illius legibus & mandatis deinceps subijci. Qua denũtiatione multi nobiles viri adducti sunt, non solùm sibi ipsis consulere, sed etiam eiusdem Religionis socios à vi, quam parari videbant, vindicare. Quare multi antiquæ nobilitatis viri, cùm magis dux multitudini, quàm animi, opesque deesse viderentur, Thomam Parceum, Northumbriæ Comitẽ, nõ minus animi virtutibus, quàm generis splendore illustrẽ accedunt, opẽque illius magno studio implorant: eius fidei se, suasque fortunas omnes cõmittentes. Comes difficulter quidẽ ab initio (quod eos ad tantam rem aggrediẽdã satis instructos negaret) ad hoc induci potuit, tandẽ tamen assensum præbuit, vt neglecta reiũ suarum cura periculum faceret, an Catholicos ab hæreticorũ iniurijs, erroribusq; liberare posset. *Northumbriæ Comes dux belli eligitur.* Atque vt fieri solet, vbi multa sunt capita, cùm alij aliter sentirent, dicerentque sibi consultius videri, vt non Catholica fides, sed alia quæpiam causa belli prætenderetur, Northumbrius se aliam causam nec scire, nec agnoscere asseruit: Neque enim hominum, inquit, opinor, sed Dei gloriam quærimus. Armis igitur Dunelmi ob fidem Catholicam restituendam sumptis, cum ingenti plebis applausu ministros Caluinianos ablegârunt, officia eorum, mensasq; prophanas è templis eiecerunt: altaria restituerunt, & sacrosancta mysteria omni cultu & veneratione denuò instituerũt. Sed cùm quidã Principes Catholici desperarent hoc negotium absq; auxilijs externis cõfici posse, remissius in incepto progressi sunt, multiq; Catholici, quorum auxilia expectabantur, de excommunicatione Reginæ adhuc dubij, vel incerti, ad dictum diem & locum non conuenerunt. *Negligentia & metus Catholicorum consilium perturbauit.* Interea Regina quadruplo maiores copias in illos eduxit: ita vt Catholici armis depositis in Scotiam, aliaque loca se recipere compulsi sint. Northumbriæ Comes in Scotiam veniens, ab amico quodam Scoto proditur, Proregique traditur, atque ab illo in lacum Leuinum sub arctissima custodia includitur: postea in Angliam mittitur, & capitali supplicio afficitur. *Comes Northumbriæ capitur.* Sed & alios quoscunque Prorex inuenire posset, qui arma tulerãt, comprehen-

dit.

1569 dit. Carolus Neuellus Comes VVestmerlandiæ, postquam varijs casibus agitatus esset, singulari Dei dispositione incolumis in Belgium euasit. Sed seuerissimè per Angliam, tam in eos qui arma sumpserant, quàm in omnes Catholicos, qui negarent Reginam caput esse Ecclesiæ, vel Pontificis bullam improbare noluerunt, animaduersum est, adeò vt breui tempore plures quàm quingenti vtriusque sexûs & ordinis homines vel morte mulrati, vel in carceribus mortui scribantur: inter quos nemo repertus est, qui aut fidē deseruit, aut belli istius auctores alicuius culpæ accusauit.

Reginæ Scotiæ nuptias ambit Dux Nortfolciæ.

Dum hæc fiūt in Anglia, in Scotorum Regno vehementer etiā trepidabatur. Nam Regina Scotiæ iam captiua per amicos clam cum Thoma Hauarto Duce Nortfolcio, qui post Reges Anglorum erat potentissimus, de matrimonio tractare dicebatur. Scoti videntes eam rem ad noua belli ciuilis incendia spectare, sibi metuebant: erant enim, qui expensis partium viribus, Hauartum quæ vellet non magno molimine sine vi confecturum affirmarent. Præterea Angla iam Scotam dimitti velle videbatur. Scripserat enim ad Scotos, vnum ex tribus eligerent, Aut Reginam Scotiæ in pristinum locum & auctoritatem restituerent, aut simul cum filio regnaret, & regij nominis honore in literis & actis publicis frueretur, Interea summa rerum apud Proregem esset, donec Rex xvij. annum expleret. Aut si neutrum admittere velint, vt siquidem Regina id sibi persuaderi pateretur, domi priuata viueret. Priora duo obstinatè negata sunt, tertio assensum est, quia sciebant Reginam eam conditionem nō accepturam. Interim creuit rumor de matrimonio Reginæ cum Hauarto, qui variè Scotos afficiebat: omnibus enim modis hoc coniugium impediendum censebant, ne ipsorum Religio & auctoritas, in qua nonnulli erant, periclitarētur. Inuentum est huic malo consilium: famæ datum est, verè an falsè nouit arcanorum omnium conscius Deus, Hauartum cum Regina de matrimonio transegisse, consilia de Regibus legitimis trucidandis, & duobus Regnis occupandis esse inita. Eius coniurationis tantas esse vires atque opes, vt Angla meritò de suo statu sollicita esse debeat. Angla confestim hoc rumore diuulgato, Hauartum in arcem Londinensem inclusit, & Reginam in

Nortfolcius capitur.

arctiorem

arctiorem cuſtodiã dedit. Quo facto Prorex quoq; Scotiæ in Proceres, qui Reginæ partibus fauere credebantur, inquiſiuit: VVilhelmũ Mætellanum Perio Sterlinum accerſiuit, & in cubiculum arcis incluſit, inde Edemburgum duci iuſſit. Miſit qui Iacobum Balfurium abſentem comprehenderent. Atque ita omnium Catholicorum conatus in Anglia & Scotia hoc anno in fumos abierunt. 1569

Tumultus Saracenorum in Hiſpania.

In Hiſpania magna erat rerum tranquillitas, cùm ſubitò incolæ quidam Regni Granatenſis, reliquiæ Maurorum ſeu Saracenorum, quorum quidam ſemichriſtiani ſunt, quidam manifeſti Mahumetani, imperij Hiſpanici, & inquiſitionis in eos potiſſimùm inſtituti pertæſi, ad libertatem eam, quam ſub patribus ſuis ante annos LXXX. habuerant, aſpirare cœperunt. Horum ſex circiter millia cum vxoribus, liberiſque in montem Frigilianum fugerunt, ea ſpe, vt indies eorum numerus augeretur, eos tumultus excitarent, quibus ſe Hiſpaniarum Regis imperio explicarent, aut quales vellent conditiones ab eo impetrarẽt. At miſſus confeſtim contra eos Caſtellæ Commendator, & Aloyſius Quexada montem aſcenſu difficillimum ſuperârunt, & manum cum rebellibus conſeruerunt. Qui etſi initio fortiter ſeſe defenderent, tandem tamen victi ſunt: munitio capta, omnes, qui in ea inuenti ſunt, quorum erant duo circiter millia, interfecti ſunt: capti cum fœminis & liberis mille, reliqui in proximos montes diſperſi, ſeſe vt potuerunt occultârũt: vnde quotidie plurimi extracti, & varijs ſupplicijs affecti ſunt. Romanus Pontifex huius tumultus certior factus, cùm videret tot potentiſſimorum populorum, nouis Religionibus ſtudentium, arma eſſe vno tempore mota, putauit ſatis eſſe excitatos tumultus opprimere, nouos nequaquam eſſe mouẽdos, literas humanitatis & ſapientiæ plenas ad Regẽ Philippum dedit, quibus eum hortabatur, vt mitiori modo Mauros Granatenſes tractaret, mitigaret quæſtionis rigorem, omnia ad oportuniora tempora reſeruaret: nihil tam vtiliter fieri, quàm quod oportunè. Non oportere tam eſſe ſollicitum de aliorum ſalute, vt vel propria per nimium zelum amittatur, aut per pertinaciam omnia euertantur: populo ſubinde aliquid indulgendum eſſe, vt in officio cõtineantur. His, alijſque paternis Põtificis monitis Rege acquieſcente, omnis

Pontificis pro Saracenis interceßio.

Salutaris admonitio.

omnis

1569 omnis Granatensium seditio magno quorundam aliorum Regnorum & prouinciarum exterarum, qui hāc seditionem suam salutem fore interpretabantur, mœrore sedata est.

Pontifex Cardinalē Montium captiuum facit.

Per eosdem dies Pontifex Cardinalem Montium comprehendi, & in arcem Santangeli includi iussit, eò quòd dissolutæ esset vitę, nec aliquas admonitiones admitteret. Postridie cōuocato Cardinalium collegio caussam facti exposuit, omnibusque Ecclesiasticis vincula & carceres minatur, quicunque simili intemperantia viuerent: velle enim se, vt in Ecclesia Dei ad religiosorum, non ad epicureorum, ganeonumque mores viuatur, nihil magis perniciosum, & Religioni aduersarium, quàm si ab ipsis sacerdotibus Christianæ leges negligantur. Ecclesiasticos viros plus apud populum valere bene viuendo, quam nudis verbis docendo & exhortando. Fundamentum omnium hæresium dissolutam vitam esse Sacerdotum: qui si piè viuerent, omnibus hæreticis rationes, quibus causam suam defendere conantur, præriperent. Hæc Pontifex longa & pia oratione persecutus, omnium animos ita commouit, vt exemplum in Montium statutum omnes vnanimi consensu & acclamatione collaudarent. Sed in Galliam reuertamur.

Rationes facti reddit pias & salutares.

Admirallium ad Mirabellum consedisse, Andiumque Lodunum venisse, & omnem cum hoste pugnandi occasionem quæsiuisse, diximus antea. Andius igitur cùm intelligeret Admiralliū pugnam simulare, sed reuera de fuga cogitare, magna cum celeritate in eum mouit: ita vt non eum insequi, sed præuenire velle videretur. In itinere exploratores nuntiant, hostes non longè abesse, & Moncōturtium versus iter intendere. Quare Andius celerius exercitum promouebat, ducesque animos & corpora suorum ad prælium præparare iussit. Admirallius etsi fugere decreuisset, exterorum tamen precibus expugnatus, prælij aleam subire voluit. In Sanclareanam igitur planitiem cùm deuenisset, suos in acies distinxit: sed mutato post consilio, mediam aciem, quæ tormenta ducebat, itineri Moncōnturtium versus se accingere iubet, quo Noæum & Louam cum VII. alis equitum præmiserat: ipse tardo gressu subsequitur, Moyumque motum hostium obseruare, & terga tueri iussit. Sed cùm Andiani in Moyum incidissent, Mompenserium, qui

primum

primum agmen ductabat, admonent, pulcherrimam 1569
occasionem oblatam non negligeret. Moyus tanta se hostium multitudine cinctum videns, irruentium in se regiorum impetum paululum sustinuit: sed inferiorem se sentiens, amissis circiter centum, in praecipitem fugam sese dedit. At cùm videret nihil praesidij in celeritate sibi collocatum, hostibus ora obuertit, & denuò cum eis manum conseruit: verùm cùm promptissimi quique suorum, & in ijs Dodencurtius, interficerentur, iterum fugit, donec ad Admirallium & reliqua agmina perueniret. Hugonottarum duces Moyi fugā conspicientes, hostesque fugientibus acrius instare, & ipsi cum toto exercitu fugerunt: quidam ad Moncontur tium, alij ad Partenaeum: tantus enim inter eos erat pauor, vt nullis minis, nullis precibus è fuga retrahi potuerint. Fluuius erat in propinquo, quò cùm insequentes regij peruenissent, vident hostes multos in vlteriori ripa sub signis stare, qui transitum prohiberent. Attractis mox tormentis maioribus, in eorum turmas acriter fulminârunt, tam dextrè, vt ne vnam pilam in irritum emittentes, maximam cladem Hugonottis attulerint: qui etiam non parum detrimenti à Regijs sclopetarijs in equites & pedites continuè, vt eorum ordines perturbarent, displodentibus accepêre. Nox praelium diremit. Postridie, qui erat XXX. dies Octobris, Admirallius videns suos recenti clade perculsos, & rem in maximum discrimen penè adductam, copiarum ducibus conuocatis, sententias exquirit. Hîc cùm maior pars supersedendum praelio censet, Germanorum tamen precibus victus Admirallius, praelio rem committere decreuit, ad quod etiam extrema eum adegit necessitas, cùm nullam euadendi viam cerneret. Instruuntur igitur vtrinq; acies ad Monconturtiū; displodūtur initio tormenta, atque ita exercitus duo ab hora septima matutina, vsque ad tertiam pomeridianam sub signis immobiles steterunt, solis tormentis rem agentes. Improbat hanc moram, vti perniciosam, Tauanaeus; cui acierum regiarum dispositio erat demandata, quòd hostilia tormenta graue damnum inferrent, & dies in vesperem inclinans, plena vti prohiberet victoria, hostibus noctis beneficio elabentibus. Andius itaque signum pugnae dedit: retracta sunt tormenta in latera, acies versus hostes progrediuntur.

Graue praelium cum victoria Catholicorum.

Praelium Monconturtinum.

Marti-

1569

Martignæus cum aliquot Italorum & Gallorum alis initium pugnæ fecit. Hi cùm ab hoſtili peditatu ſclopetis peterētur, in Moyi turmas equitum deflexerunt, quas nullo negotio fuderunt. Pedites Galli tam triſti ſpectaculo attoniti, deſertis Germanis, quorum latera ſtipabant, in fugam ſe præcipites dederunt. Reſtaurāt pugnam Antricurtius & Reuellus in Italos prouecti: ſed mox Antricurtius pugnans cum ſuis occiditur: diſperſi ſunt reliqui, & à cataphractis proculcati. Admirallius videns penè conclamatum eſſe, Nauarræum & Condæum periculo ſe ſubducere iuſſit. Quæ res Hugonottarum animos labefactauit, Catholicorum verò erexit: illis enim pugnandi ardor remittitur, his intēditur, dum vident ſupremos duces de prælij euentu deſperare.

Germani in Germanos, Māſfeltij in Mansfeltios.

Germani deinde Regij Germanos Hugonotticos adorti, ducibus vtrinque Mansfeltijs, omnem ferri rabiem in cognata viſcera ob Religionū diuerſitatem conuerterunt. Credi vix poteſt, quanta pertinacia, virtute & ardore pugnatum hîc ſit. Sed victores Regij, hoſtes vt pecora mactârunt. Succurrit ſuis laborantibus Admirallius & Acieræus, at fruſtra. Cùm igitur rem inclinatam viderent, equos, qui tormenta, & apparatum illorum trahebant, conſcenderunt, & qui potuêre fugerunt. Admirallius à circumfuſis hoſtibus penè oppreſsus, & in maxilla vulneratus, ope Mansfeltij periculo eripitur. Collectis denuò ſuis Hugonottæ tertiam impreſſionem faciunt, & in Andij turmas irruētes, multos trucidârunt. Sed ſuperueniens Coſſa eos repreſſit, victoriamque hoſtium interrupit. Qui cùm ſe ad exiguum numerum redactos viderent, de victoria deſperantes, receptui cecinerunt.

Victoria Catholicorum ingens.

Tum Heluetij in Germanorum peditum phalangem gradum intulêre, quam ſtatim perrumpentes, penè totam conciderunt. Cæteri diſperſi, quidam Partenęum, alij Engoliſmum, alij Rupellam profugerūt.

Numerus cæſorum.

Amiſêre eo in prælio Hugonottæ quinquies mille pedites, præcipuè Germanos, & quadringētos equites, præter captos & vulneratos, quorum nō exiguus fuit numerus. Lixarum item, calonumque turbam omnem; tormenta præterea omnia, omniaque Germanorum impedimenta in victorum poteſtatē venerunt. E Catholicis ſexcenti circiter equites, pedites admodum pauci deſiderati ſunt. Hæc eſt memorabilis iſtius ad Monconturtium prælij victoria, quam Hugonottæ ad

ſuos

1569

suos fautores in Anglia, Scotia, Dania, Germania, Heluetia, & alijs locis confestim scribentes, quàm maximè potuerunt (vt in ea re sunt exercitatissimi) extenuârunt, ne animos ipsi remitterent, & causam ipsorum deinceps fouere ac defendere detrectarent: quæ ratio est, vt licet tot cæsos ipsi fateâtur, quot nos paulo ante referebamus, nunquam tamen exactus eorum haberi potuerit numerus. Andius confestim de prospero rerum successu misso nuntio Regem certiorē fecit: qui statim ad fœderatos Principes legatos misit, vt de hac tam insigni victoria vbique supplicationes ad Deum communibus votis haberentur, & Catholicæ Religionis defensores in fide confirmarentur.

Vrbes & oppida à Catholicis recuperata.

Andius victoriam prosecutus, fœcialem misit ad omnes vrbes, quæ in Pictonibus & Xantonibus Hugonottarum partes sequebantur, excidium denuntiantem, ni properè Andio deditionem facerēt. Mirembellus itaque Lusignanum tradit. Cùm ad Partenęum Andius venit, nemine hostium inuento vrbem occupauit. Inde Niortum castra mota, quod omnium opinione celerius deditionem fecit, Moyio, qui ibi cum præsidio relictus erat, vulnerato, & paulo post mortuo. Ducenti equites & trecenti pedites Castelleraldum custodiebant, qui non expectato hostium aduentu, vrbem deseruerunt: idem fecerunt qui erant Chauignij ad Viennam. Punialtus quoque Fontenæum reliquit. Mittitur Bironius vt Angeliacum in fidem Regis reciperet, quod Pillæus cum valido præsidio defendendum acceperat. Eo deditionem negante, vrbs obsessa, Regis amicitia & præteritorū omnium impunitas Punialto, præsidiarijs & ciuibus omnibus ab ipso Rege promissa. Quæ cùm respuerentur, promouentur tormenta, mœnia verberantur, oppugnatur, de conditionibus deditionis agitur. Decem dierum inducias petunt obsessi, intra quod spacium, nisi subsidiariæ copiæ expansis vexillis vrbem intrarent, illa absque mora potestati Regis traderetur. Interea Pillæo liceret ad Principes suos mittere, qui eos de statu vrbis faceret certiores. Concedit hæc Rex, qui in castris erat. Pillæus vicina omnia præsidia sollicitauit, vt opem obsessis ferrent. Sed cùm intra pactū temporis spatiū auxilia nulla venirent, Bironius vrbis deditionē ex pacto postulauit. Pillæus se vrbē tradere nō posse ait, iterum aliquot horarū petens inducias. Interea

Lusignanum. Partenaū. Niortum. Moyi mors. Castelleraldum. Chauigniũ. Fontenæum. Angeliacum oppugnatur. Pillæi perfidia.

1569. terea quadringenti equites in vrbem, deceptis excubijs, noctu ingressi sunt: quorũ aduentu Pillæus confirmatus, omnia pacta, conditionesque contempsit. Itur ad nouas oppugnationes, & belli consilia resumuntur acrius, quàm antea: mœnia sternuntur, donec obsessi in eas redacti sunt angustias, vt durioribus quàm antea conditionibus vrbem reddere coacti sint. Recuperato Angeliaco, & Xanctio ab hostibus deserto, Rex Andegauum proficiscitur: exercitus in hyberna dimittitur. Ludensis, Puygallardus, & Landeræus bellũ in Pictonibus administrare iubentur, qui tam acriter Hugonottas sunt persecuti, vt ex Pictonum regione prorsus exturbatos, intra Rupellæ mœnia cõpulerint.

Angeliacum deditur, & Xanctiũ.

Hæc ad exeuntem annum acta sunt in Gallia. Interea mense Octobri Albanus Dux è Belgio iterum in Angliam nouam misit legationem, quam Scipio Vitellius, Doctor Funkius Amorfortius, & Torrius obierunt, vt pecuniam Regiã, quam Regina nullo iure tenebat, repeterent, & inimicitias vtrinq;, bonorũque detentiones abolerent. Sed nihil effectũ est. Albanus hac Anglorum contumacia magis irritatus, omnium Anglicorum pannorum importationem, & in Belgio distractionem prohibuit: diligenterque in tabulas referri iussit, quæ naues, quę mercimonia Belgica in Anglia arresto (vt vocant) detinerentur. Hinc factum, vt omnis Anglorum negotiatio è prouincijs Regijs profligata Hamburgum, Embdenam, & ad alia loca relegata sit.

Albanus nouã legationẽ mittit in Angliam.

Venetos etiã ingens clades per eosdem dies inuoluit, maioris calamitatis prænuntia: ignis enim conceptus in quibusdã cadis, seu vasis pulueris tormentarij, quæ in nauali reseruabantur, statim in eam flammam erupit, vt totum nauale disturbauerit euerteritque, firmissimas turres marmoreas tanto cum fragore proximorumque ædificiorum ruina euulsit, vt ex terræ motu parietes longè dissiti, & parum firmi, vel corruerint, vel latissimis rimis actis, ruinã minarentur. Media nocte igneæ trabes sudo cælo per aëra volitabant, & vicinis populis horrendum spectaculum præbebãt. Fragor, strepitusq; Patauij, quod Venetijs XXV. distat milliaribus, auditus est. Quid multis? omnes extremã mundi adesse periodũ existimabant. Senatus nõ ignorans multos, & præcipuè Turcas, à quibus sibi ob Cyprũ metuebant, suæ felicitati inuidere, senatuscõsulto

Venetijs nauale ardet.

facto

facto ingentia præmia proponit, si quis auctorem 1569
tanti sceleris nosset, atque ad Senatum deferret: impunitatemque promittunt, si quis eius particeps fuerit, fateaturque cuius instinctu fecerit. Omnium enim opinio erat, tale flagitium vel à Iudæis ipsis, qui Venetijs habitabant, vel eorum saltem instinctu commissum esse. Deprehensum enim est, eos statim literas ad diuersa loca, ditionesque Turcicas misisse, quibus hanc cladem Purpuratis non tantùm perscripserunt, sed multis additis mendacijs auxerunt, vniuersam penè Venetiarū vrbē corruisse, maiorē partem classis cōflagrasse, vnà cum ipso nauali, quod præ omnibus nationibus Veneti habent instructissimum: nauigia, quæ flammarū vim euitauerint, ita conquassata esse, vt aut nullo modo, aut certè difficillimè possent restaurari: arsisse omnes bellicos apparatus. Quid multis? ita fractas, debilitatasque esse Venetorum vires, vt longissimo tempore non possent reparari. Hæc cùm ad aures Selymi Sultani essent allata, & iam antea intellexisset summam, & qualis ab hominum memoria Venetijs non fuerat, annonæ caritatem, omniumque rerum ad vitā necessariarū, frumenti præcipuè inopiam, de bello Cyprijs inferendo consilium accelerauit: hoc enim tempus maximè oportunum videbatur. Conuocatis itaque belli ducibus, & imperij Turcici primoribus, an bellū Venetorum finibus esset inferendum in mediū propositū est: quibusdā suadentibus fœdus cum Venetis nō esse violandū, vt qui nullam vnquam Turcico nomini iniuriā intulerant: alij omnes pro augmēto imperij iura & amicitias omnes violandas, tantam oportunitatē non esse negligendā, Repub. Venetorū iam adeò attrita, sine vlla difficultate plurima illis adimi posse statuebant. Horū præualuêre suffragia, bellumque in Venetos decretum est.

Iudæi cladem hanc non modò Turcis perscribunt, sed multis mēdacijs augent.

Bellū Venetis inferendum decernitur.

ANNVS M. D. LXX. erat Pontificis verè Pij Quinti quintus, Maximiliani II. Rom. Imperatoris octauus, Caroli Noni Galliarū Regis decimus, Philippi II. Hispaniarū, Indiarumq; Monarchæ potentissimi decimus quintus, & Selymi Othomannorum Sultani quintus, expugnatione Cypri insulæ celebris & memorabilis. Selymus enim, etsi initio imperij pacem à Solymanno patre cum Venetis initam confirmasset, eamque se inuiolatam seruatu-

1570 rum per Deum æternum, creatorem cæli & terræ, per animas septuaginta Prophetarum, per animã suã, suorumque maiorum iurâsset, tamen vel ambitione propria, vel suorum impulsu, vel denique incendio naualis, & multorum annorum sterilitate, quæ magnam pepererat annonæ caritatem, motus, bellum Venetis inferre cogitabat. Vt autem hoc aliqua probabili causa seu prætextu agere videretur, causabatur Venetos Cyprum nullo iure possidere, quæ ob successionem gentis Osmannidarum in iura Sultanorum Aegypti, ad se directò pertineret. Licet enim Selymus auus, & Solymannus pater annui tributi, quod à Venetis eius Regni nomine pendebatur, solutione contenti, possessionem insulæ Venetis hactenus reliquissent, nullum tamen hoc gignere sibi præiudicium posse dicebat: quo minus iam tributo repudiato, Regnum sui iuris occuparet. Erat autem ius illud huiusmodi. Cyprus insula centum & amplius ante hoc tempus annis redacta fuerat sub imperium Sultani Cairensis, eique hoc modo facta tributaria. Anno M.CCCC.XXIII. bellum erat Iano Petri filio, Regi Cyprio, qui penultimus fuit inter legitimos Reges, ex Lusignana familia, cum Aegyptio siue Cairẽsi Sultano Melechella: quo bello captus ab hoste Cyprius, persolutis centum quindecim Seraphinorum millibus, in Regnum cum pacto tributi annui restituitur. Is moriens filiũ Ioannem reliquit impuberem, cui primo matrimonio filia Marchionis Montisferratensis Itali nupsit, qua mortua Helenam Palæologinam duxit. Ex ea vnicam suscitauit filiam Carolotam, quæ Ioanni Lusitano primùm nupsit. Eo paulò post veneno sublato, Iacobus Carolotæ frater nothus, imperandi libidine ductus, Archiepiscopatu Nicosiano spreto, Regnum inuadit. Carolota secundas nuptias cum Ludoico Sabaudi Ducis filio contrahit. Is classe instructa cum coniuge in insulam nauigat. Redeunte legitima Regis defuncti filia, iustaque Regni hærede, Iacobus, Græcis (Re Zages) quasi *Roi Jaques* appellatione Gallica dictus, insula pellitur. Eiectus ad Sultanũ Aegypti, Syriæq; Alesseraphũ cõfugit, eiusq; opem ad recuperandũ Cyprũ implorauit, à quo, pulso Sabaudo cũ coniuge, restitutus est: restitutoq; nõ inuito tributũ imperatũ, quod certo mercium genere, specierumq; numero expresso Sultano quotannis pendebatur. Nondum id temporis vxorem Iacobus duxerat.

Prætextum Selymi, quo vsus est in bello Cyprio.

Ius, & successio Cypri.

rat. Venetias itaq; profectus, Catharinā, seu Aecatarinā Cornarā, prius à Senatu S. Marci filiā adoptatā, constituta de publico dote, matrimonio sibi copulat: sed nō multo post relicta coniuge prægnante moritur. Extincto Rege, Senatus Venetus posthumi (qui diu superstes non fuit) & matris curam suscipit. Mortuo posthumo vidua persuasu Senatûs regno cedit, annuoq; reditu contenta, priuata vixit. Senatus regnum in prouinciæ formam redegit, & Sultano Aegyptio, tributū (quod illi honorariū, non tributū interpretabantur) quod Iacobus Rex illi pollicitus erat, persoluit, donec anno Christi M.D.XVII. q. Mahumetanus erat D.CCCC. XXIII. Sultano Tommambai & Mamelucis à Sultano Selymo deletis, & Aegypto, Syriaq; subiugatis, cōuersum à Selymo victore, Mamelucorumque successore tributū hoc fuit in certū pretiū, videlicet octo millium Zecchinorū, seu ducatorū, quos in hoc vsque tēpus Veneti Sultanis Turcicis persoluerunt. Selymus autē II. cùm audisset mala, quibus Respub. Venetorū hoc tempore affligebatur, cùm difficulter induci posset, vt quæ dicebantur credere, exploratorē sub prætextu legationis in Gallias abituræ misit. Is Venetijs aliquādiu cōmoratus, ꝙ se publicā fidem ex Hispanijs à Rege, cuius ditiones trāsiturus esset, expectare diceret, omnē Reipub. statū explorauit, & Sultano perscripsit. Is postquā rem, vti ferebatur, ita constitutā comperit, Cubatem Zausiū Cōstantinopoli Venetias ablegauit, qui Cyprū à Venetis repeteret, aut recusantibus bellū denūtiaret. Exceptus est à Venetis Zausius nulla cū magnificētia: introductus in vrbē nō per Senatores, vt solent legati, sed per satellites, frendēte, frementeq; populo. Vocatus à Senatoribus, & rogatus quæ causa legationis esset, literas è sinu protulit. Eæ lectæ non sunt, sed iussus legatus disertis verbis causam exponere. Regnū Cypri se petitū à Sultano missum dixit: Rationē eius repetendi hanc esse: Summū Regni imperiū esse Sultanorū Osmannidarū, à quibus Veneti illud vt feudū tenebant, pro quo annuū tributū hactenus persoluerāt. Ius illud tributi, pactionesq; & leges pacis initas violata esse, ꝙ hostes Turcicos per mare littora Turcica deprædantes Cyprum aperuissent: qui prædam ex Cilicia nuper abactam permissu Veneti Magistratûs in Cypro conuexissent, ac vendidissent. Iure igitur insulam ad Patronum & Dominum superiorem recidisse: ideoque Se-

1570 Anno 1476.

Selymus Cyprum à Venetis petit, aut bellū denuntiat.

1570 lymum quod suum esset repetere. Magna inter Patres, qui hæc audiebant, orta est ira & indignatio: rogatæ post sententiæ. Dux Lauredanus Cypro cedēdum suadebat, obtemperandum hosti tam potenti, cui ad resistendum minimè pares essent. Suffragati sunt & Duci quidam alij Senatores timidiores, animoque minus generosi. Cæteri verò hoc indignum gloriæ, nominique Veneto turpe censebant, si qui per virtutem classicam Adriatico mari semper dominati fuissent, in vniuerso Mediterraneo mari primas hactenus obtinuissent, nunc ita abiecto animo esse viderentur, vt ad simplicem Turcæ petitionem territi, ex mari Ionio, Aegæo, & Euxino turpiter excederent, ab ijsque progenitoribus, qui toties tum de alijs hostibus, tum de Turcicæ classis iniurijs triumphârant, degenerarēt. Ex horum sententia non minus fortiter, quàm grauiter Legato Turcico responsum: Venetos nullū imperium Sultani in regno Cypri agnoscere, sed nec tributum ipsi pendere: honorarium munus esse, non tributum, quo gratitudinē suā Cyprij Reges erga Aegyptij Sultanos, benefactores & amicos suos declarare consueuerunt. Mirari Senatum cur Sultanus nulla iusta causa statim post cōfirmatas pacis conditiones, mutato consilio, bellū Venetis denuntiaret, Cyprumque, quam hereditario iure ab antiquis Regibus volētibus obtinuissent, & iam centum annos trāquillè possedissent, summa iniuria eripere vellet. Sed Deum omnis iniquitatis & perfidiæ fore vltorem, qui causarū æquitati solet patrocinari; eius fiducia se vim atque iniurias Selymi armis propulsare, & Cyprū defendere decreuisse. Hoc cum responso legatus dimissus, magnis itineribus Bizantium reuersus est. Magni cum summa celeritate fiunt bellorū apparatus. Selymus iam omnia ad bellum necessaria præparauerat, Venetis nondū de bello cogitantibus: quibus tamen Pontifex Romanus, Hispaniarū Rex, alijque Principes Christiani, perfidia Turcica permoti, omne auxilium pollicebantur. Cæterùm ante omnia opus erat Sultani cōsilium ad tempus distineri: donec omnia ad bellum necessaria compararentur. Factum id est egregiè, studio & diligentia Marci Antonij Barbari, qui nunc spem Barbaro faciebat Senatum vltrò insula cessurum, nunc consilium de permutatione Cypri cum alia ditione minori inijciebat. Interea equitatū, peditatumque Senatus colligit,

Sententiarum varietas.

Respōsum Legato datum.

git,classem instruit, insulanos armat,munitiones no- 1570
uas excitat,antiqua,collapsaque reparat, omniaque ad defensionem necessaria comportat. Capti sunt Constantinopoli mercatores Veneti, & omnes merces Imperatoris nomine apud sequestres depositæ. Idem Venetijs factum de Turcicis, Hebraicis, alijsque Orientalibus mercatoribus,qui capti sunt,& in custodiam traditi: merces diuēditæ,& pretia in publicū albū relata.

Dum hæc in Turcia & Venetijs aguntur, in Liuonia arx Reualiæ astu præfecti equitum, Nicolai Kurselij & sociorum occupatur,eo prætextu, vt dicerent, se Sueco diu militasse, & stipendia nulla accepisse.Gabriel Christianus gubernator Regius ex improuiso oppressus cogitur assentiri, vt arcem vsque ad Pentecosten retineant: interea se apud Regem effecturum, vt stipendia mittantur. Dum Kurselius à Magno Holsatiæ Duce, Mosci cliente,plures præsidiarios petit, eadem arte, qua amiserant arcem, somno, potuq; sepultam Sueci recuperârunt, Liuoniæ nobilibus in custodiam datis, exteros vadibus datis,vel fide iterum se sistendi ab ijs accepta, dimiserunt. Qui violata fide,plerique cum cæteris nobilibus Liuonis ad Moscū transierunt. De Nicolao Kurselio, Framholdo Dukero, Henrico Hakio, & alijs supplicium capitis sumptum est. Quidam in Sueciam missi, intercessione Caroli Ducis Sudermanniæ,pœnam, quam socij dederant,effugerunt.

Chinarum regio quæ in India Orientali est,diues & fertilis, in multa Regna distincta,cùm à multis alijs, tum potissimum à R. P. Mendoza,Ordinis D. Augustini Monacho,peculiari libro describitur, quem si quis legat, præter summam admirationem fatebitur, hanc regionem, siue politicam spectes administrationem,siue disciplinam militarem, siue populi mores, disciplinas, studia, siue denique regionis opulentiam, fertilitatem, aërisque benignitatem, vel quæuis alia humanæ vitæ cōmoda, nulli alij in toto terrarū orbe secundam esse. Horū populorū Rex primarius, quòd superioribus annis Christianā fidem amplexus esset, hoc anno à proprijs subditis bello exagitatus est. Vna tantùm ciuitas in fide regia permāsit.Ad hāc sese cum patre & fratribus recipiēs Rex, Lusitanorū opē implorabat. Crescente verò populi furore,hac quoq; vrbe deserta,ad munitionem Lusitanicam, Ternatem vulgo

CHINA.

Chinarū tumultus.

1570 dictam, confugit. Subditi tãdem belli aduersus iustum & clementem Regem suscepti pertæsi, arma in auctores rebellionis conuerterunt, Regemque in regnum reuocatum propugnârunt: quo reuertente, supra centum hominum millia (inter quos & alij quidam Reges erant) sancto Christi Euangelio promptè obedierunt, sacroque regenerationis lauacro abluti sunt, tanto zelo & feruore, vt neq; Iesuitæ, neque Franciscani, neq; alij Catholici populis docendis, catechisandis & baptizandis sufficerent. Rex tamẽ incredibiles difficultates in regno penitus recuperando sustinuit. Iuit illi suppetias cum nonnullis nauibus Consaluus Perera, summus Lusitanicę classis imperator. Sed cùm ille oborta tempestate in insulas Moluccas reijceretur, Mardonelas Lusitanorum Dux cum auxiliaribus copijs Regi opem tulit, breuiqúe regnum ab omni rebellione pacatum reddidit.

100000. hominum Christiani facti vno tempore.

Quid Selymum ad pacem cum Venetis initã violandam, bellũ inferendũ, Cyprũ ab ijs petendũ mouerit, quibusq; id modis factũ sit, diximus antea. In bello autem hoc describendo breuiores eam ob causam erimus, quia à Surio, & alijs multis id exactissimè præstitum est: quorũ scripta in officinis passim prostant, & in doctorũ hominũ manibus versantur. Obiter tamẽ, & quasi per transennam Cypricũ hoc bellũ percurremus. Reuersus legatus Turcicus Bizantiũ Sultano retulit, quod à Venetis responsum acceperat. Quapropter mense Maio missi cum classe militeque fuerunt, qui bellum Cypriũ gererent, Mustaphas Bassa copiarũ terrestriũ, & Pialis, Alisque Bassæ classiariorũ præfecti. Alis cum triginta & sex triremibus, & duodecim prędatorijs nauiculis exit in mare Aegeũ è sinu Propõtidis, quẽ secutę sunt sex onerarię naues, vna quinqueremis, octo mahonæ, quadraginta hippagogæ, ac totidem caramussali, quæ nauigia sunt minora quidẽ onerarijs, at vectãdis oneribus apta, ideoq; bellicis apparatib. onusta. Veneti cùm oppida, arcesq; Dalmatiæ, Albaniæq; munijssent (earum enim regionũ fines Turcæ leuibus prælijs & hostilibus incursionibus infestabant) Iaderam pręcipuè, ad tutandã Istriã & Italiam ex illa parte maximè oportunam, firmis præsidijs munierunt, Bernardo Maripetro Veneto præfecto ibidem constituto. Sed ei paulo post in pugna cæso Fabius Canalis, vir acri promptoque ingenio sufficitur. Is

sæpissi-

sæpissimè magna cum laude Turcas profligauit, cæsis quàm plurimis, non contemnendas victorias adeptus est. Præfectus autem est cum summo imperio rei militaris in illa parte Illyrij Franciscus Barbarus, cui mortuo, antequam Venetijs discederet, Ioannes Lezius suffectus est. Interea Veneti, qui nummaria difficultate laborabant, pecuniam vndecunque potuerunt coëgêre, opem aliorum Principum per legatos implorârunt, qui arma, milites, pecuniam, & omne genus auxilij liberaliter offerebant: multi etiam gloriæ, honorisque cupiditate incensi, proprijs sumptibus ad hoc bellum proficiscebantur. Quædam ciuitates subditæ per certos menses, pro qualitate facultatum, militem alere in eo bello promittunt; præter tributa ordinaria, & extraordinaria, dono non exiguas pecuniæ summas Senatui miserunt: quas omnes ciuitates magnificentia & liberalitate Brixia superauit. Marcus Quirinus in Cretam mittitur, procuratum, vt eius insulæ triremes instruerentur. Creatus summus belli imperator Hieronymus Zanius, cruda, viridique senecta octogenarius, tantis rebus, præsertim bellicis non satis idoneus. Hic cum pompa maxima, post accepta insignia imperij naualis in augustiore templo D. Marci, à Principe & à Senatu ad triremem vsque deducitur, cui datæ sunt triremes quadraginta & duæ, quæ è Veneto nauali eodem die exierant: tum varijs in locis classes in eius aduentum instruebantur, ita vt numerus triremium omnium ad centum quinquaginta octo accederet. Inter eos erant duodecim, quæ Pontificis Romani sumptibus alebantur, & vndecim quinqueremes, quas Galeazzas nominant, onerariæ quatuordecim, septem prædatoriæ. His præfecti sunt comites & consiliarij Sfortius Palauicinus, peditatus omnis supremus imperator, Franciscus Duodus, Antonius Canalis, Hermolaus Teupolus, & Petrus Tronus. Missi sunt in Cyprum mille trecenti pedites, sub duce Martinengo. Rebus omnibus comparatis, Zanius cum classe Iaderam proficiscitur, ibique moratur, donec noua mandata à Senatu acciperet. Interea accesserunt aliæ Venetorum vires, vti iam quatuordecim millia armatorum cum Palauicino in terram exponi possent. Pialis verò Bassa prouectus cum suis ad Tenum, insulam Venetorum in Aegeo, ferro & flammis eam, non sine graui tamen suorum iactura, direptam vastauit. Ab altera parte

1570

Apparatus Venetorum.

Hieronymus Zanius classis Imperator.

Classis Venetorũ.

Alij 180.

Pialis vastat Tenum.

1570 mense Iunio Sebastianus Venerius insulæ Corcyræ præfectus Suppotoum castrum Albaniæ, Cestriam alij vocant, in prærupto monte situm, & egregiè munitũ, cùm toto triduo mœnia machinis verberasset, expugnauit. Marcus etiam Quirinus sub finem eiusdẽ mensis Leuctrum, Peloponnesi oppidum, ad sinum Messeniacum, alij Tænarium vocant, portum habens accipiendis nauibus perquam commodum, ex itinere feliciter inuasit, & expugnauit, actisque sub arce cuniculis, supposito, incensoque puluere sulfureo funditus euersam diruit, ne barbaris ex hoc portu præternauigantes infestantibus receptum præberet. Dum hæc vtrinque ad bellum parantur, Venetijs Petrus Lauredanus eius populi Princeps moritur, vir quidem bonus & innocens, sed parum fortunatus: in cuius imperio multæ tristes calamitates, multorum præsertim annorum fames, & annonæ difficultas inciderant, & iam grauiores imminebant. Huic summa cum totius populi gratulatione Aloysius Mocenicus quinto Idibus Maij sufficitur.

Suppotoũ Veneti expugnant.

Leuctrũ euertunt.

Dux Venetorum moritur.

Mocenicus eligitur.

Per idem ferè tempus Magnus Holsatiæ Dux Derbato ad Mosquam, vrbem Moscouiæ Metropolim profectus, à Magno Duce Ioanne Basilide magnificentissimè exceptus est. Moscus hìc omnibus captiuis Germanis Holsato petente libertatem donauit, ipsum autem Holsatum Regem Liuoniæ publicè renuntiari iussit: quam eius clementiam plerique admirabantur. Erat enim Basilides hic quouis Nerone, aut Phalaride crudelior, cuius crudelitatis aliquot exempla eo lubẽtius hoc loco referam, quòd hoc anno, imò hoc eodem tempore acciderunt. Nam præter insignia tyrannidis exempla, quæ præteritis annis, & quidem potissimùm anno hunc præcedenti in Polonos, Lituanos, Ruthenosque statuerat, per hos dies fratrem suum germanum, à quodam suo consiliario Tzeciak VViskonati iniustè accusatum, inaudita causa, tormentis exquisitissimis subiecit, eique inter excarnificandum omnem thesaurum extorsit. Inde semiuiuo, iussu illius, securi caput carnifex amputauit. Fratriam in faciem ante pedes eius procumbentem, & misericordiã implorantem, arripi iubet, exutisque vestimentis omnibus turpissimè nudam populo exhiberi. Iussus deinde miles equum conscendere, eamq; funi alligatam velocissimo cursu in flumen rapere, aquisque miserrimè suffocare.

Moscus Magnum Liuoniæ Regem creat.

Moscus tyrannus immanis.

Simili

Simili truculentia ipso die Eliæ Prophetæ, qui di- 1570
es festus apud Ruthenos est celeberrimus, in arcem Mo-
scouiæ ingressus, nobilem quendam Serebrinum, & a-
lium Miessoiedum (cuius vxorem & ancillam paulò
ante constupratas in superiori limine suarum ædium
suspendi atque strangulari iusserat) nulla dicta causa
securi feriri præcepit. Quo peracto, ex arce ad carceres
furibundus procedit. Cumque ciues nonnulli, inusita-
to illius satellitio nonnihil territi, de via deflecterent,
eos vt insequerentur suis mandat, correptosque frusta-
tim dissecarēt. Primum carcerem ingressus, tres capti-
uos Polonos & Lituanos produci imperat, ex quibus
Petrum Biekovvski, Albertum Bugaski, & Besum, tres
antiquæ nobilitatis viros, propria manu interemit. In-
de satellitium in reliquos quinquaginta captiuos im-
misit, & vt membratim eos dissecarent, præcepit. Idem
in secundo & tertio carcere fecit: in singulis enim cùm
ipse tres interfecisset, reliquos CX. à suis militibus di-
scerpi curauit.

Vigesimo deinde mensis Iulij die, in vrbe Mosco-
uia, octodecim grandes palos erigi iubet, eisque trans-
uersos in modum furcarum superimponi. Satellites
varia tormentorum genera ad eum locum ferebant, ex-
citatoque luculento igne, vas ingens aheneum appone-
bant, vt ebulliret & ferueret per multas horas. Processit
tandem Dux Magnus, & iuxta ahenum militibus cir-
cunquaque dispositis consedit. Adducti sunt eius iussu
trecenti nobiles Moscouitæ, quorum nonnullis venia
data, in multos sæuire incepit. Cancellarium Iohan-
nem Michaelem VVicvviskovvati, cùm multis cri-
minibus accusaretur à Secretario, quorum nullius ille
conscium se palam profitebatur, tandem ad furcas illas
prono capite ex pedibus suspendit. Cumque præfectus
satellitum rogaret, quo eum genere supplicij mactari
vellet? respondit Dux: Vos omnes aulici mei ordine
ipsum excarnificare debetis & dilaniare. Præfectus igi-
tur ex equo descendens, arrepto cultro auriculam dex-
trā illi abscidit: accessit alius qui sinistrā, & tertius qui
labra amputauit, atque ita ordine omnibus illū mem-
bris mutilârunt. Secretarius deinde quidam ad extre-
mum, ne quid crudelitatis deesset, pudenda præscin-
dit, statimque exhalauit animam miser Cancellarius.
Videns Magnus Dux ob membrum illud detruncatum
Cancellarium obijsse, indignissimè tulit, incande-

scens-

1570 scensq́ue in Secretarium inclamat: O scelerate, expectes paululum, istud totum est tibi exedendum, quod ille exedere debuisset. Putabat enim Secretarium ex commiseratione istud fecisse, vt citius è viuis Cancellarius discederet. Cadauer è furca depositum, in minutissimas partes consciderunt. Adductum deinde Thesaurarium simili tyrannide dilaniauit. Tres deinde Secretarios Dux educi iussit, eosq́ue ordine cum vxoribus & liberis coram se mactari. Denique ducentos nobiles captiuos capite mulctauit, quos totidem electi eius aulici interfecerunt. Vt autem hanc lanienam ipse egregia catastrophe finiret, venerabilem senem coram se sisti mandat, quem hasta transfixit: vtq́ue suam crudelitatem impleret, sedecim vulneribus mortuum sauciauit. Tot funera dedit, tantamq́ue immanitatem quatuor horarum spatio perpetrauit. Relictis cadaueribus auibus & feris in arcem Dux reuersus est, & in Thesaurarij vxorem quàm indignis modis sæuierit, dicere aut scribere nefas esse existimo. Postridie iterum quàm plurimos nobiles à satellitibus laniari, eorumq́ue vxores ad flumen abduci & aquis submergi mandauit. Hæc aliaq́ue plura Magnus Moscouiæ Dux hoc anno perpetrauit, quibus innatam suam tyrannidem ostendit.

In Belgio Albanus Dux, postquam in perduelles animaduertisset, animum ad statum Reipub. collapsæ reformandum adiecit: atque initio sumpto de monetę adulteratoribus supplicio, edicto publico cauit, ne qui nummi valeant argentei, nisi qui imaginem aut inscriptionem Regis Hispan. haberent. Edictum quoque aliud tulit de Ludimagistris, de Typographis, de Bibliopolis, ne quos libros doceant, imprimant, aut diuendant, qui non antea sint ab Ecclesia Catholica approbati. Sed & seriò præcepit, ne lites in iudicijs vltra annum protraherentur, sed ad maximum singulis annis deciderentur. Profligatis perturbatoribus, eiectisq́ue toto Belgio nouis Religionibus, cœptum est Ecclesias per furores iconoclastarum, bellicosq́ue tumultus vastatas restaurari: collapsam disciplinam reformari, ad veterem consuetudinem & pietatem omnia componi. Concilium eo fine Tridenti ante paucos annos à totius Europæ Regibus, Ducibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis Catholicis habitum, nondum in Belgio erat receptum. Iusserat id quidem

Albani edicta.

Rex

1570

Rex ab anno M. D. LXV. vſque huc mandatis & reſcriptis varijs, ſed quò minus hactenus receptum fuerit, tumultus impediuerunt. Ijs nunc ſedatis, hoc anno menſe Iunio indicta eſt nouorum Epiſcoporum in vrbe Mechlinienſi Synodus, cui præſidebat pietate & doctrina celebris Martinus Rythouius, Epiſcopus Iperenſis. Similem Synodum paulò ante celebrârat Cameraci Archiepiſcopus Maximilianus à Bergis, vt Eccleſiaſtica diſciplina ad veterem normam reduceretur. *Synodus Mechlinienſis & Cameracenſis.* Brabantini vt ab indictione decimi & viceſimi denarij, quam vrgebat nimis importunè Albanus, exonerarentur, certam pecuniæ ſummam obtulerunt. Vltraiectenſes quoque Decanum S. Petri Voeſelium in Hiſpanias ad Regem legârunt, qui poſt multas moleſtias tandem ab iſto cenſu immunitatem Diœceſi impetrauit.

Imperator Maximilianus ad id tempus Comitia Spiræ indixerat, in quibus præcipuæ deliberationes fuerunt, de frenanda Germanorum militum exteris Regibus militantium petulantia: de pace publica in Imperio conſeruanda & defendenda; deque arcibus Vngaricis contra Turcam muniendis; de Gothani belli ſumptibus Auguſto Saxoniæ Electori refundendis; de iuſtitia in iudicio Cameræ adminiſtranda, litiumque deciſionibus accelerandis; de prouincijs ab Imperio auulſis recuperandis; de matricula Imperij, moneta, opificum collegijs, pannis laneis, officinis typographicis, de ſeſſione, denique de alijs, de quibus decreta publicè edita extant. *Comitia Spirenſia.* Ad hæc Comitia miſêre delegatos ſuos exules Belgæ, qui libello ſupplici, typis excuſo, iniuriam, quam ſe pati dicebant, Principibus Imperij exponerent. Horum Principes erant Culenburganus & Tsherenbergius Comites, Hornani vidua, Dominus Batenburgius, & alij nonnulli: ſe clientes Imperij eſſe dicentes. *Exules Belgæ in his Comitijs libellum ſupplicē exhibent.* Illorum cauſæ patrocinabantur quidam Principes Proteſtantes, cauſantes immanem tyrannidem & exterorum in Belgium introductionem Imperio Romano, & quidem proximis Belgio prouincijs fraudi damnoque futuram: ex his ſcintillis magnum incendium excitatum iri, cùm facilè intelligant, non de Religione tantùm, ſed & de fortunis ſubditorum potiſſimum agi. Cùm verò ditiones Belgicæ Cęſari iure feudi ſint obligatæ, eique licet non immediatè in contributionibus pendendis ſint ſubie-

1570 ctæ, fas esse, vt Belgæ non minus, quàm ipsi Germani sub tutela Cæsaris Religionis pace fruantur. Orare igitur se Cæsarem, vt secundò apud Regem Hispaniarum (cui cùm pacificus Princeps sit, nihil magis in votis est, quàm cum natione Germanica amicitiam & pacem colere) intercedat, eumque permoueat, vt omnis persecutio cesset: neminem in rebus cum conscientia pugnantibus vrgeat, nemo posthac causa Religionis relegetur. Cæterùm legati Regij surgentes cum protestatione ostenderunt, libellum illum supplicem, & Principum postulationem Regio nomine indignam, Belgio perniciosam, Christianæ Religioni inutilem, nullisque rationibus subnixam esse. Nihil itaque hac in re constitutum, sed omnis supplicum postulatio ad legitimum iudicem reiecta est.

Controuersia inter Hamburgenses & Holsatos.

Inter Hamburgensis ciuitatis & Ducum Hosatiæ legatos acres contentiones in his etiam Comitijs de dominio vrbis, & iure exemptionis fuerunt. Causam huic controuersiæ dedit contributionum, aliorumque Imperij onerum ab Hamburgensibus exactio. Cùm enim hi negarent, se membrum Imperij esse, exemptos se ab his oneribus ostendere voluerunt, & à Rege Daniæ Christiano, fratribusque, Holsatiæ Ducibus consilium & defensionem in iure pecierunt. Qui in Comitijs Ratisbonensibus anno M. D. XLVIII. apud Carolum & Ferdinandum Impp. se interposuerunt. Mandatum ab vtroque Cæsare, vt processu de cõtributione aduersus Hamburgenses, & diœcesin Slesvvicensem aliquantisper intermisso, principalis causa, an hi Imperio, an verò Ducibus immediatè subiecti sint, in Camera cognosceretur. Si Imperij membra sint, ad contributiones cogerentur: si Holsatiæ, exempti habeantur. Lis hæc ab eo tempore in præsens protracta est. Cùm verò in his Comitijs Holsati de subditorum suorum Hamburgensium contumacia grauiter quererentur, & Acta Cameræ Ordinibus Imperij iudicanda tradi vrgerent, Hamburgenses negant se vnquam Holsaticæ domui subiectos fuisse. Holsatorum contra legatus Caroli IIII. hac de re iudicio & sententia, multis præterea rationibus, & præteritorum temporum actis (quæ omnia à Chytræo commemorantur) ostendit, Hamburgenses aliquot centenis annis domui Holsaticæ subditos fuisse, à qua etiam libertates suas & priuilegia præcipua acceperit. Tandem in his Comi-

tijs

tijs poſt varias contentiones decretum, vt vtraque cauſa, tam Hamburgenſium, quàm Sleſvvicenſium in præſenti ſtatu relinqueretur: iudicium Cameræ ad petitionem partium procederet, & quod iuſtum eſſet iãdem pronuntiaret. His omnibus tranſactis, Comitijs finis impoſitus eſt, quibus duo Electores Auguſtus Saxo, & Fredericus Palatinus non interfuerunt, eò quòd nuptiæ Ioannis Caſimiri Palatini cum Elizabetha Saxonica eodem tempore celebrabantur, ad quas Cæſar etiam euocatus, venire noluit. 1570

Decimo ſexto Iulij Albanus Dux Antuerpiæ omnium præteritorum delictorum vniuerſalem Regis condonationem, ſeu remiſſionem, quam *Perdonam* vocant Belgæ, iuſſit proclamari. Rex enim cùm ſupplicia eorum, qui hactenus interfecti erant, cæteris terrori fore crederet, ne ſimiles turbas in poſterum concitarēt, hoſtes iam quoque debellatos putaret, & ſubditos omnes, qui in Belgio erant, pacatè viuere, officium tam in religione, quàm in rebus politicis facere intelligeret, placatus, ad antiquam clementiam redire voluit, Albanoque iuſſit, vt communem præteritorum ſcelerum obliuionem & remiſſionem per Belgium reſcripto Regio denuntiaret, cuius hæc erant primaria capita. Regem manſuetudine, & benignitate Pij V. Pontificis, gremium matris Eccleſiæ aperientis, vt omnes errantes, & in hæreſin lapſos, ac reſipiſcere volentes denuò in gratiam recipiat, permotum: innata etiam ſua bonitate & clementia, in omnes eos, quorum parentum officia ſæpiſſimè expertus eſſet, nunc vti voluiſſe, omneſque vel per ignorantiam, vel per leuitatem, vel per iuuenilem ętatem lapſos, nunc autem Regis gratia frui cupientes, benignè excipere, omnibus eorum delictis ignoſcere, & ſubditos omnes manſuetudine regere, quàm nimia ſeueritate illis occaſionem, patriam ex deſperatione deſerendi, præbere malle; ne prouincias incolis, indigeniſque vacuas reddere velle videatur. Regis itaque mandato omnibus & ſingulis ſignificari, hanc condonationem & gratiam eſſe vniuerſalem, neque in poſterum neceſſarium fore, vt quiſquam aut aliam ſingularem remiſſionem, aut maiorem ſecuritatem à quopiam exigat. Quòd ſi quis igitur præteritis tumultibus quoquo modo mandata Regia violauerit, aut aliqua alia in re peccauerit, tranſgreſſionis autem illius cum pœniteat, huius eam remitti, nec vlla pœna

Remiſſio omnium criminum Antuerpiæ publicatur.

ſecuris

1570 futuris temporibus teneri:his tamen legibus, vt à præsentis gratiæ proclamatione bimestri spatio in Belgium (si absint) reuertantur, obedientiæ Regis sese submittant, hæreses & errores reuocent, & eierent, pœnitentiam ipsis, ab his, quos Pontifex constituerit, iniungendam perficiant. Ab hac gratia excludebantur omnes Ministri, concionatores & Doctores, aliam præter Catholicam Religionem docentes, qui eos introduxerunt, aut introducere volunt: omnes etiam Consistoriales & Diaconi, eorumque receptores, & qui ijs domum scientes dolo maio prębuisset: omnes item incendiarij, iconoclastæ, qui Monasteria, imagines sacras, & altaria euertissent, quique loca sacra prophanâssent. Secundò hoc beneficio non fruerentur præteritorum tumultuum Principes, qui contra Religionem, publicam pacem, & obedientiam Regi debitam, fœderi seu libello supplici, Parmēsi exhibito, subscripsissent. Tertiò huius gratiæ participes non essent quotquot postremis Rebellium expeditionibus arma gessissent, ijs opem tulissent, commeatum aut pecuniam misissent, aut aliquo modo siue per literas, siue per clādestina consilia colloquiaúe contra Regem, aut eius administros aliquid machinati essent. His exclusis, omnibus præfectis, magistratum gerentibus, Secretarijs, Aduocatis, Procuratoribus, alijsque Regijs Administris, qui quoquo modo perduellium factioni aut fauissent, aut patrocinati essent, certæ quædam reconciliationis leges præscribebantur. Decreta hæc erant Madriti XVI. Calend. Decembris anno præcedenti, mense autem Iulio huius anni extructo ante curiam Antuerpiensem insigni pegmate, sedente in sublimi solio Albano coram omni populo lecta sunt: quo Regis beneficio vt fruerentur, plurimi ab exilio reuersi, multi quoque adhuc in visceribus Belgij delitescentes, & malè sibi conscij, huius rescripti legibus sese subiecerunt, qui pristinis honoribus & facultatibus restituti, Regi per omnia deinceps obediētes extiterunt, & ad præscriptum Religionis Catholicæ vixerunt.

Displicuerunt hæc omnia mirum in modum Hugonottis Gallicis, qui quò tranquillior fieret status Belgicus, eò magis suæ causæ metuebant. Toto igitur hoc tempore qua potuêre contentione bellum aduersus Regem Carolum, & Ordines Regni Catholicos gerebant. At pulsis, vt diximus, sub finem anni præcedentis

dentis ex Pictonum regione Hugonottis, Puygallardus 1570
& Ludensis Maransium, quod vnicum ijs in locis restabat oppidum, fugato Punialto occupârunt. Inde Marennas insulas, vicinis omnibus Rupellæ locis recuperatis, expugnârunt, vbi multæ copiæ Germanorum & Gallorum fugientiū trucidatæ partim, partim aquis submersæ sunt. Omnia deinde itinera terra marique obsessa, quibus Rupellensibus commeatus aduehi posset: ita vt ciuitas iam ad extremam inopiam redacta, breui deditionem factura crederetur. Sed subitò mutata belli fortuna, auctis Hugonottarum copijs, Riuierio fortissimo militum regiorum Tribuno mortuo, castello Noellæo, Longone, Lucone, Mareuillo, & Olone à Noæo Hugonotto receptis, Rupellensium res meliori loco esse cœperunt. Paulo post Puygallardo ad Ludensem Pictonum præfectum misso, Fernaquius Langonem & Vadum Veluiræum, frustra se defendentibus Hugonottis, expugnauit: alia insuper nuper parta amiserunt, ita vt ad calamitatem priori non absimilem redigerentur. Noæus afflictas eorum res denuò restituit, qui cum Punialto, Subiza, & socijs bellum strenuè in Pictonibus, Xanctonibus, & insulis gerebat. Eorum conatibus non minori felicitate restiterunt Puygallardus, Ludensis, Riuieræus, & alij Tribuni Regij. Leuibus his prælijs totum hoc semestre spatium extractum est, eo euentu, vti varia fortuna ab vtraque factione pugnatum sit, nunc in hos, nunc in illos inclinante victoria: multa oppida castellaque ignobilia deserta, capta, dedita, & expugnata, mox ab aduersa parte recepta: iterum amissa, vt quædam exiguo hoc tempore bis, ter, quater dominos pro varietate victoriæ mutare debuerint. Quæ omnia cùm exactè commemorare nimis longum foret, idque ab ijs, qui ciuilia Gallorum bella ex professo descripserunt, præstitum sit, nullo etiam alterutrius partis memorabili emolumento hæc gesta sint, consultò præterire, quàm in rebus non magni momenti lectorem fatigare maluimus.

Fortuna belli inconstātia.

Dum in oppugnatione Xanctij sunt Hugonottæ, fama de inducijs, quas breui pax secuta est, Regis iussu ab vtraque parte receptis adfertur. Ita finis huic bello in Pictonibus & Xanctonibus impositus est. Quod dum gereretur, Admirallius, Pillæus, Mongommerius, Bricqmaldus, & alij Caluinianæ Religionis Principes, alijs in Regni locis arma circumferebant, ad Pyre-

Induciæ in Gallia.

1570 næos vſque montes omnia ferro, flammaque vaſtantes. Interea Bironius ad ipſos à Rege miſſus venit, vt pacis cōditiones proponeret. Sed cū in pacis fœdere articulus ille minimè placeret, qui ſuæ Religionis priuaret exercitio, Telignius, Beluеſius, & Chaſtieræus cū Bironio ad Regē mittūtur. Interim ab armis receſſum nō eſt: ſed in Viuareſiū exercitus ducti, vbi magna contentione animorū, pari penè victoria pugnatū eſt. Sed paulo poſt publicatæ induciæ, expilationes, excurſiones, captiuitates, & oēs hoſtiles inuaſiones prohibuerūt: ſed parū dicto audiētes Galli, in Cantabros & Prouinciā bellū tranſtulerūt. Breui poſt Rex miſerā totius Regni faciē, & deplorandū rerū ſtatū conſpiciens, Reginæ matris, Andij & Alenconij fratrum conſilio, pacem Galliæ reddidit. Præter enim Picardiam, & Normandiā, queà furoribus Hugonotticis hactenus fuerāt cum alijs paucis prouincijs immunes, pleræque Regni vrbes erant expilatæ, & plebs ad extremam inopiam redacta. Non enim à magnis illis exercitibus tantū Galliæ Regnum concuſſum eſt, ſed à minoribus etiam copijs varijs in locis vario euentu pugnatum eſt. Pacem hanc Rex nouo edicto, mēſe Auguſto, apud D. Germanū in Laia confirmauit. Edictum autem illud quadraginta ſex articulos continebat, quibus auctoritate Regia iubebatur: Vt oēs inimicitiæ atq; odia, quæ à belli primordijs exarſerāt, ceſſarent, eorumq; memoria perpetua obliuione ſepeliretur. Nulla propter offenſas, aut diſſentientes opiniones fieret prouocatio, aut inſultatio: ſub pœna publicæ pacis perturbatoribus conſtituta. Vt Catholica Religio Romana reuocetur, ſtabiliaturque omnibus locis & prouincijs Galliæ, eius exercitiū liberè & ſine vllo impedimento fiat. Bona etiā & prouentus Eccleſiaſtici, vel aliorū Catholicorū, ſuperioribus bellis ab Hugonottis per vim occupata, reſtituantur in eodem ſtatu, quo fuerunt antequam legitimi domini illis exuerentur. Omnibus verò Nobilibus, qui plenam iuriſdictionem habent, exercitiū nouæ Religionis permittatur, idq; in ædibus ſuæ iuriſdictionis, quas prius Præfectis Regijs nominare teneantur, idque habeant pro ſe, ſuis vxoribus, familia, & accedere volētibus. Qui huiuſmodi iuriſdictiones non habent, ipſis pro ſe & familia tantùm conceditur, niſi baptiſmus ſit celebrandus: quo caſu etiam alij ad denarium numerū admittantur. Vt eadem Religio in ſuburbijs duarum vrbi-

Deplorādus ſtatus Galliæ.

Pacis cōditiones.

1570

Vrbium, earum prouinciarum, quæ in edicto exprimũtur (non autem cuiuscunq;, cùm quædã in eo non nominentur) exerceatur. In omnibus etiam locis, vbi ea fuisset primo die Augusti ante promulgatum edictum. Expressè autẽ edicto hoc prohibetur, quoduis exercitium eius Religionis vel administrandæ, vel docẽdæ publicè: vel instituendorũ puerorũ, aut aliorũ, præterquã in locis prænominatis. Eadẽ Religio neque in aula Regis, neq; in aliquo loco aulæ ad decẽ milliaria propinquo exerceatur: totidẽ miliaribus eius exercitium absit Lutetia, neque in ea vrbe permittatur. Præfectis Regijs mãdatur, vt loca humandis corporibus istorũ Religiosulorũ idonea inueniãt: procurent vt cadauera nocte, absq; vllo tumultu, nõ pluribus quã decẽ comitantibus efferantur. Matrimonia nulla inter affines aut consanguineos fiãt legibus prohibita. Vt in scholas, xenodochia, aliaq; similia pauperum loca vtriusq; Religionis homines promiscuè recipiantur. Declarat Rex, qui cõtra ipsum & Religionẽ Catholicã arma sumpserant, se non in perduelliũ numero, sed fideliũ subditorum habiturum: hac lege, vt omni fœderi & societati, tam in Regno, quàm extra illud renũtient: ab omni coitione populi, & exactionibus pecuniarũ deinceps abstineant. Vt nulla vicissim damna Regno præteritis bellis illata præstare teneantur. Ad dignitates etiam & publica munia admittantur. Vt captiui vtrinq; sine pretio dimittantur. Vt omnes sententiæ contra Hugonottas à morte Henrici Regis latæ hoc etiam edicto aboleantur, & quisque suis bonis, honoribus & dignitatibus restituatur: nominatim aũt Auraico Principi & Ludoico Nassouio illius fratri, vrbes, iura, principatus, tituli, priuilegia, quæ in Regno Gallico habent, reddantur. Vt Rupella, Montalbanũ, Cogniacum, & Charitæa custodiæ Hugonottarum in duos annos tribuantur, quò, qui domũ redire propter veteres simultates nõ audent, ibi tutò commorari possint, quoad inimicitiæ penitus sopiantur: his tamen conditionibus, vt Principes Nauarrçi, Condæus, & alij viginti eius Religionis nobiles à Rege nominandi, promittãt, iurentq; se præsidia in dictis vrbibus Regio nomine habituros, easque biennio exacto reddituros cuicunq; Regi visum fuerit, eo in statu, quo nũc sunt, nulla re in illis mutata: vtque hoc spatio biẽnij elapsi religio noua in ijs cõseruetur: ita tamẽ, vt & statim, & deinceps in perpetuũ Catholica quoq; Re-

 ligio

1570 ligio in ijs liberè & securè exerceatur: Ecclesiasticis liber ad eas pateat accessus, omniumque bonorū suorum permittatur integra possessio. Hæc istius pacificatorij edicti est summa, quod quidē plures articulos habet, sed quia ad nostrū institutū nil faciunt, & ipsa pax non adeò diuturna fuerit, sufficiat hæc obiter cōmemorasse. Huius edicti auctoritate motus quidē tunc fuerunt repressi, sed non omnino extincti. Quis enim modus esse potest volubilitati animorum ad res magnas, per quasuis cæterorum mortalium calamitates, & excidia adspirantium? In antiquis etiam & acerbis simultatibus difficile firmatur conciliatio, quia aut suspicione, aut vindictæ cupiditate animi præpediuntur. Promulgato per vniuersum Regnum edicto, Rex iussit vt quatuor vrbes in conuentionibus promissæ Hugonottarum custodiæ traderentur. Mādauit etiam vt omnes supremæ curię prouinciarum pręfecti solenni iuramēto promitterent, se diligenter curaturos, vt edictum secundùm formam, qua erat conceptum, ab omnibus obseruaretur Hugonottæ vicissim ponunt arma, Germanos equites exauctoratos ad Regni fines deducūt, vrbes & oppida, quas occupârant, Regi restituūt. Vnde Galliæ populi, fœdis illis tumultibus grauiter afflicti, & supra modū defatigati, abundè recreati sunt. Nunc ad intermissam diu expeditionem Turcicam reuertamur.

Pialis in Cyprum venit. Pialis Bassa, cùm nonnullos dies in Cilicia cōmoratus esset, cum trecentis quinquaginta omnis generis nauigijs in Cyprum nauigat, quò Calendis Iulij appulit, & iuxta Amathunta vrbem, nunc Limissum vocant, copias in terram exponit. Astoris Baleoni, fortissimi iuxta & prudentissimi ducis, præsidiorum, quæ in insula erant, omnium præfecti generalis consilium erat, cum omnibus sclopetarijs & equitibus ad mare contendendum, Turcasque, ne in terram descenderent, prohibendos. At Nicolaus Dandalus, penes quem erat summa auctoritas, & Horocensis Comes eius collateralis Baleoni sententiam improbabāt: quæ tamen Reipublicæ rationibus, vt postea compertum est, magis expediebat. Salinas itaque Turcæ nullo resistente profecti, partem exercitûs ad XXV. Iulij absque vllis machinis bellicis Nicosiam miserunt. Nicosianorum, Palacij, Fauensis, & aliorum hîc iterum sententia erat, vt omnis equitum turma, cohortes etiam mercenariorum & Cypriorum peditum erumperent,

gent,& in Turcarum castra impetum facerent, priusquam reliqua pars exercitûs adueniaret. Ex captiuis enim & transfugis didicerant, Mustapham in apertum non exiturum, priusquam aliæ vires, quas Pialis è sinu Attalico transportaret, accessissent. Hoc quoque consilium Dandalo & Horocensi minimè probabatur. Postridie totus se mouit exercitus, & cum tormentis, omniqúe apparatu bellico Nicosiam venit, socijsqúe se iunxit ab vrbem expugnãdam. Castris per varia loca distributis, Turcæ ante omnia cœperunt fodere,& dulces aquas in terræ visceribus quærere. Neque spe sua frustrati sunt: multos enim puteos, terra ab incolis oppletos, à captiuis edocti inuenerunt: quæ res ipsis ad obsidionem continuandam fuit commodissima. Deinde quotidie missis ad muros equitibus, oppidanos ad pugnam elicere conati sunt: qui cùm se mœnibus continerent, quatuor munitiones erexerunt, è quibus vrbem maximis machinis impetebant. Sed cùm ea res minus feliciter succederet, (pilę namque in munitiones è cespitibus congestas impactæ, in ipso puluere herebant, nec ruinam vllam sternebant) visum illis est, alio modo oppugnationem instituere. A machinarum itaque vsu deinceps abstinuerunt, & cuniculis propugnacula suffodiendo rem tentârunt. Quo effectum, vt varijs fodinis subterraneis ad ipsa vsque mœnia peruenerint. Quindecim truculentissimas impressiones in vrbem iam fecerant, antequam Christiani vel semel eruperant. Dandali enim auctoritate in vrbe continebantur. Tandem cognito periculo, in quo versabantur,(omnia enim ferè propugnacula propter Turcas, qui iam fossas vrbis occupârant, oppidanis reddita erant inutilia) XV. Augusti, ipso meridiano tempore, quo Turcæ plerunque solent quiescere, mille pedites, ductoribus Proueno Vicentino, & Alberto Scotto egressi, castra hostium ex improuiso inuadũt, fortiter pugnando ad hostium munitiones procurrunt, duasqúe timore maioris incommodi ab ipsis desertas occupant. In castris eorum tanta erat trepidatio, vt plurimis in morem pecudum trucidatis, reliqui ad latebras potius, quàm ad resistendum spectarent, multiqúe vel ex ipsis tentorijs diffugerint. Quòd si equitatus, omnesque vires vrbanæ exiissent, & vel eminus sese ostentassent, poterat ille dies tam funesto bello finem

1570

Nicosia obsidetur.

Oppidanorum eruptio.

1570 nem imposuisse, & tam miserabilem cladem à Cyprijs auertisse. Sed cùm indignatio Dandali equitibus exitum negaret, memorabilis & insulæ saluberrima victoria, quæ iam ferè in manibus erat, denuò erepta, & in maximam cladem conuersa est. Pedites enim, qui vrbe egressi erant, ab equitatu deserti, à circumfuso equitatu Turcico fracti, partim occisi, partim in vrbem reiecti sunt. Turcæ eo metu liberati (omnem enim eruptionem Dandalus & Horocensis deinceps prohibuerunt) quotidie à primo diluculo ad meridiem, deinde vna aut altera hora interiecta, in multam sæpe noctem maxima contentione vrbem oppugnârunt. Quo factum, vt omni penè apparatu bellico absumpto, & præsidio mirum in modum diminuto, oppidani à Famagustanis nouas copias, & ad bellum necessaria per secretas literarum notas petierint. Sed quòd literæ à Turcis erant interceptæ, inanis erat ea expectatio. Deserti itaque tam ab ijs, qui in insula erant, quàm à classe, quæ Zanij ignauia & procrastinatione otiosa in Creta stabat, tandem XV. Septembris (alij X. volunt) in potestatem hostium venerunt. Cæsi sunt præsidiarij, extincta nobilitas, perexiguæ reliquiæ seruituti mancipatæ. Pugnatum enim fuit intra vrbem, in foro, in omnibus plateis, donec omnibus vijs cadaueribus & armis constratis pauci superessent. Frãciscus Contarenus Episcopus Paphi, vir summæ integritatis, ex illustrissima familia, cùm vellet in Palatium ingredi, miserrimè trucidatur. Dandalus etiam mutatis vestibus agnitus occiditur, eiusque caput abscissum Famagustam muneris loco ad ludibrium Venetorum mittitur. Cæsa sunt circiter XXX millia hominum, præter Italos, ad XX. millia Cypriorum in seruitutem abducta: inter quos multi Proceres. Seruati sunt ad quinque & viginti è nobilioribus, è popularibus perpauci. Sed & obsidionis tempore adeò diminuta sunt Turcarum castra, vt Pialis illi per Alim Bassam viginti millium armatorum supplementum mittere coactus fuerit. Sed & in ipsa expugnatione ingens Turcarum numerus occisus est. Vbi cessauit rabies belli, & vis ferri, itum est ad diripiendas facultates & exuuias cæsorum & viuentium. Magna inuenta est auri, argentique cælati copia, cùm Cyprij omnes luxui & magnificentiæ mirificè essent dediti, nec vlla inueniretur domus, vel infimæ conditionis,

Nicosia Turcis dedita.

Cæsorum vtrinque & captorum numerus.

ditionis, quæ non argenteis saltem poculis vteretur. 1570
Mustapha impositis nobilioribus captiuis, & pretiosioribus spolijs tribus nauibus Bizantium misit, eo consilio, vt præstantiora quæque Sultano Selymo & Mahumeti Bassæ donaret. Sed in itinere nauis vna proprio igne incensa, reliquas duas secum in ruinam attraxit. Capta Nicosia quatuor millia lectissimorum peditum, & mille equites introducti sunt, qui sub imperio Musafero Bassa vrbem tuerentur. Mustapha cum reliquo exercitu Famagustam obsedit.

Famagusta obsidetur.

Classis interea Venetorum in Creta Hispanicam & Pontificiam expectabat, quæ cùm appulissent, de communi consilio decretum in Cyprum nauigare, & periclitantibus opem ferre. Decimo igitur sexto Septembris soluunt ex Heraclea Sentia, quæ Cretæ peninsula est, eo ordine, vti Quirinus cum XII. triremibus, Columna cum totidē, Auria cum quadraginta & quinque præcederent, Zanium triginta, Pallauicinum viginti & quinque, Celsium viginti, totidem Canalē sequerentur. Sanctius Thronus sedecim, Franciscus Duodus vndecim quinqueremes, Petrus Thronus onerarias quatuordecim duceret. Hoc ordine seruato Cyprum versus nauigant. Sed in itinere intellexerunt, Nicosiam captam esse. Mutato igitur consilio, quòd elati noua hac victoria Turcarum essent animi, quòd Venetorum classis tempestatibus & varijs morbis esset debilitata, hostium verò recens & instructissima, quòd tempus in hyemem vergeret, quòd non ad recuperandum amissa, sed ad ferendam opem, ne qua loca Venetorum amitterentur, missi essent, post grauem inter M. Antonium Columnam Pontificiæ classis præfectum, & Ioannem Andream Aurium Hispanæ classis Archithalassum altercationem, XXV. die Septembris omnes Cretam reuersi sunt. Varijs interim tempestatibus iactata classis, maxima detrimenta accepit. Non procul à Creta duæ Pontificiæ naues disrumpuntur & demerguntur. Auria suas, si qua parte essent labefactatæ, curat resarciri, petitaque venia à Pontificijs & Venetis cum multa gratiarum actione, quod hactenus impetrare non potuerat, classem incolumem in Siciliam reduxit. Sic classis Christianorum, quæ omnibus rebus, commeatu, bellicis instrumentis, insignibus ducibus, lectissima classiariorum manu, pecu-

Classis Christianorum.

Classis disiungitur.

1570 niæ abundantia erat instructissima, aëris iniuria, morbis & contagionibus, imprudentia ducum totum annum inutiliter absumpsit, nihil vt preclari gessarit. Venetorum insuper adeò conquassata & afflicta fuit, vt præter alia incommoda vndecim triremes tempestate solutæ & demersi sint, in tota classe plures quàm XXXVI hominum millia perierint. Decretis nihilominus Famagustanis auxilijs, multi duces ad eam expeditionem eliguntur. Mittitur Venetias, qui quomodo id commodè fieret Patrum sententiam rogaret.

Maximiliani duæ filiæ nubunt. Maximilianus Imperator hoc anno vtramque filiam suam maritis desponsauit: maiorem natu Annam Philippo II. Hispaniarum Regi, illius auunculo, idque cum dispensatione Pontificis. Elizabetham verò Carolo IX. Regi Galliarum. Illam Pontificis dispensationem multi mirabantur, & qui potestatem Pontificis in dubium reuocant, calumniabantur, ignorantes cum gradum nec in Euangelio, nec in lege prohiberi: cùm neque in Leuitico inter gradus prohibitos inueniatur, & libro Iudicum simile exemplum reperiatur, vbi Caleb filiam suam Axam dat vxorem Othonieli suo fratri. Non igitur iuris diuini ea res est, sed positiui, in quo Pontifex pro temporum, personarum & rerum ratione dispensare posse creditur. *Dispensatio Pontificis qualis.* *Cap. 18.* *Cap. 1.* Sed ad rem. Dispensatione facta, mense Augusto Ioannes ab Hoya Episcopus Monasteriensis & Osnaburgensis ex Comitijs Spirensibus à Maximiliano Imperatore Nouiomagum in Gelriam secundo Rheno missus est, vt filiam Imperatoris sponsam deduceret, & Duci Albano, nomine Regis Hispaniarum solenni ritu & cæremonijs, in tali actu adhiberi consuetis, traderet: quod & magnifico cum apparatu factum est. Habebat in comitatu Anna fratres duos, Albertum nunc Cardinalem, & Belgicarum prouinciarum Gubernatorem, ac VVenceslaum, qui in Hispanijs obijt. Quarto Calend. Septembris eadem Regina ab Albano Antuerpiam deducta, magnificentissimo triumpho, celeberrimaque pompa excepta est. Inde vigesimo quinto die Septembris Montes ad Zomam, deinceps in Zelandiam profecta, classe instructissima in Hispaniam ad maritum nauigauit: cui quatuor filios Carolum, Laurentium, Iacobum, & Philippum peperit: qui omnes, Philippo excepto, intra

tra pueritiæ annos obierunt. Altera Maximiliani filia Elizabetha mense Octobri Carolo IX. Galliarum Regi per legatos Spiræ tradita, & à Treuirensi Archiepiscopo, collegisque Maseriam in fines Campaniæ ad Regem deducta est. *1570* *Vxor Caroli IX.*

Cosmus Medices Florentiæ Dux, qui non multo ante Senensium ditionem à Philippo Hispaniarũ Rege acceperat, eaque de causa dignitate auctus videbatur, à Pio Quinto Pont. Maximo ad ampliorẽ honoris gradum inuitabatur: eò quòd insignes & raras animi dotes, heroicasque virtutes in eo perspiceret, cùm de Repub. Christiana nunquam bene mereri intermitteret, Sedem Apostolicam coleret, hæreses opprimeret, Regibus, Principibusque Catholicis opem ferre nunquam cessaret. Egregio igitur eum munere, quod ad dignitatem, decusque pertineret tanti Principis, cui multo maxima pars Hetruriæ parebat, qui plurimis nobilissimis, antiquissimisque vrbibus optimo iure imperaret, atque vnus præ cæteris Christianam pietatem ornaret, Pontifex dignum arbitratus est. Hãc ob causam Ducem Romam vocauit, eumque honorificè exceptum, aurea, regalique corona insigniuit, Magnumque Hetruriæ Ducem appellari iussit: quod solenni, Pontificioque decreto sanxit: causa addita, quòd semper optimo studio in Rempub. Christianam fuisset, & amplissimæ liberæque Reipub. præfuisset. Hoc factum multorum Principum, ambitiosorum præsertim, animos grauiter offendit, cùm Principem nouitium, qui illis cedere solebat, iam prælatum viderent. Cæsari indignitatem rei conqueruntur, eum iudicem postulant. Hunc non tam causa inferiorum Ducum mouebat, quàm indignabatur, quòd dandarum, auferendarumque dignitatum sibi à Pontifice præreptam auctoritatem putaret. Persuadere igitur Pontifici conabatur, imò liberius eum monebat, vt decretum hoc reuocaret: Pontifex nihil nouum, aut præter officium à se factum ostendit. Cùm reliqui Principes, qui Florentino hanc dignitatem inuidebant, se iure nihil in hoc negotio facere posse viderent, à quibusdam aliis, qui erant Romano Pontifici ob Religionem infensiores, opem implorabant, & suam dignitatem armis se vindicaturos minabantur. Sed has contentiones, vt leuiores, curæ grauiores oppresserunt. Magnus verò Dux Hetruriæ (sic iam appellari cœperat) Princeps insigni

Cosmus Medices Dux Florentinus, Magnus Dux Hetruriæ à Pontifice creatur.

Magnus Dux Hetruriæ an-

1570 ſigni animi nobilitate & magnitudine, neque ad animum Cæſaris indignatum, neque ad aliorum Principum inuidiam oculos detorſit, ſed ad ſalutem Italiæ, totiusqúe Reipub. Chriſtianæ contra immanem Turcarum tyrannidem armis, pecunia, conſilioqúe defendendã omnes cogitationes, ſtudiaq; conuertit, ſuaqúe, quanta poſſet, auxilia maritima cum reliquis Principibus contulit.

Famaguſta oppugnatur. In Cypro Muſtapha iam Famaguſtam obſidione premebat. Cumque aggeres iam eſſent confecti, foſſæ militares excauatæ, tormenta diſpoſita, & in vrbem directa, miraque celeritate munitiones omnes extructæ, cœpta eſt vrbs incredibili contentione & diligentia verberari. Res verò memorabilis eſt, quòd poſtquã vrbem, portum & arcem per octiduum concuſſiſſent, contortaque in ea quatuor millia globorum fuiſſent, nemo præter mulam & ſuem læſus eſt. Obſeſſi ſingulari diligentia & virtute quod diurno labore Turcarum conficiebatur, nocte egreſſi demoliebantur: aggeres diruebant, tormenta reddebãt inutilia, idque non ſine Turcarum clade maxima. Erant enim in vrbe præter oppidanos duo Italorum, duo Stratiotarum, ſex Græcorum millia, præſidia vrbis ſatis valida. Muſtapha cùm animaduerteret ſe vrbe ante hyemem non potiturum, maioribus etiam viribus opus eſſe, obſidionẽ ſoluit, milites in hyberna dimittit, agricolas, qui in montana confugerant, reuocat, ijsque agros colendi libertatem, quam hactenus habuerant, reddit: triremes quaſdam in portubus ad inſulæ cuſtodiam, ne accederent ſubſidia, reliquit. Reliqua claſſis (poſtquam intellectum eſſet Chriſtianorum claſſem è Creta verſus Italiam nauigaſſe) Rhodum primò, inde relictis aliquot triremibus ad maris Aegæi cuſtodiam, Bizantium cum inſigni victoria reuerſa eſt. Cùm autem claſſis Venetorum Corcyram appulſa eſſet, fit Senatus conſultum, vt Auguſtinus Barbadicus Corcyrã proficiſcens omnem imperatoriam auctoritatem Zanio abrogaret, eumque captiuum Venetias adduci curaret, Sebaſtiano Venerio in eius locũ ſurrogato, qui hactenus in Creta omnium rerum maritimarũ præſes cum ſummo imperio extiterat.

Obſidio intermittitur.

Zanius priuatur, & capitur.

Præter hactenus commemoratas, multas etiam alias calamitates hic annus in mundum inuexit: Prodigia diuerſis locis conſpecta ſunt plurima. In VValia

lia regione Angliæ, in occidua Cambria, in principatu Herfordienſi, magnum terræ ſpatium, vnà cum arboribus, ſtabulis & ædificijs vi ventorum cum terribili mugitu translatum eſt ad quadringentos circiter paſſus, atque ibi cõſedit. Erat eius ſpatij altitudo quadraginta ferè pedum, longitudo mille & trecentorum, latitudo penè totidem. In Capha vrbe Theodoſia tres ſoles viſi ſunt ad tertiam vſque horam diei, quorum cùm duo poſt receſſiſſent, vnus ad Occaſum, alter ad Ortum, candidi ſuper eis arcus apparuerunt. Poſt biduum Crux candida in cælo conſpicitur, cum ſtella quadam, & luna, quæ Crux toto die immota perſtitit. Columna cum tribus triremibus à Zanio diſcedente, ingens tempeſtas repente, cum tanto tonitruum & fulminum ſtrepitu, imbriumqúe copia inhorruit, vt Columnæ triremis malo de cælo tacto & incenſo, tota miſerabiliter exarſerit. Columna tamen & ſocij, qui ſe tempeſtiuè in tutum receperant, ſeruati ſunt. Quo etiam die & fulmine arx Romæ, & Palatium D. Petri cælitus tactum incenſum eſt, ſed nullo memorabili damno accepto, breui igne extincto conſeruatum. Hec ijs in regionibus. In Belgio verò Caled. Nouemb. ipſo omnium Sanctorum in tantùm, tempeſtate orta, mare & flumina excreuerunt, vt in Hollandia maximè & Friſia, diſiectis aggeribus, fluctus marini latè in agros, villas, pagos ac ciuitates perruperint, omniaqúe tumido mari obruerentur: *Ingens inundatio.*

Tecta, domus, & mixta ſuis armenta colonis,
Cumque pecus paſtore fluit, cum pignore mater.
Et ſi fortè aliquem fugientem exemit aquæ vi,
Seruatum ſors dura fami, vel ab arbore celſa,
Monte vel aëreo ſpectat ſua coniugis ora
Pallida, ſeu natos, ſeu ſi quid charius illis,
Sub pedibus fluitare ſuis, moriturque videndo.
Nam ſtetit æqua mari tellus diſcrimine nullo.

Incredibile dictu quot homines, quot pecora fluctibus inuoluta, hac inundatione perierint. Tanta erat huius exundationis altitudo, vt eam, quæ fuerat anno M. D. XXX, qua pagi ſeptuaginta duo perierunt, ad integrum pedem ſuperauerit: incredibile eſt quanta damna hæc aquarum vis publicis, priuatiſque ædificijs, aggeribus, officinis negotiatorum, mercibus, hypogæis, armarijs, &c. intulerit. Zelandia non minora incommoda accepit; Rommerſvvala præſertim, Mon-

tes

1570 tes & Saeftingha, quæ vorticibus abſorpta, nunc planè eſt inhabitabilis. Neceſſe erat in omnem oram naues emittere, qui homines in aggeribus, collibus, arboribusque ſedentes, magnoque eiulatu opem implorãtes colligerent, nauibusque impoſitis in tutum tranſportarent. Non defuêre qui dicerent, hanc calamitatem Belgis à Deo ipſo omnium Sanctorum feſto immitti, vt ſuo malo hoc diſcerẽt, Sanctos maiori habere in veneratione, quos annis præcedentibus tot blaſphemijs exagitauerant: quorum etiam imagines, omni abiecto timore & pudore, infanda contumelia deiecerãt, fregerant, exuſſerant. Alij iuxta Scripturam aquas multas populos multos, qui ſubſequentibus annis Belgium ferro ignique eſſent vaſtaturi, interpretabantur.

Opiniones de hac inundatione.

Eodem menſe Nouembri magna pars Italiæ ingentibus terræ motibus concuſſa eſt, vt non exiguus terror Venetias, Mutinam, & vniuerſum illum tractũ inuaſerit. Nulla autem ciuitas grauius concuſſa eſt Ferraria, vt quæ ſeptem motibus minimo temporis ſpatio contremuerit. Subſecuti ſunt & alij, quorum violentia multæ domus magno cum fragore corruerunt. Poſtridie plerique alij, ſequẽti nocte vnus omnibus violentior, in quo nec domus, nec homines ſuis locis conſiſtere potuerunt. Ante hunc factus eſt hiatus terræ, aër obſcuratus, maxima vis turbinis: poſt horam redit cælo ſerenitas, apparet iuxta lunam ſtella crinita. iterum cælum obſcuratur. Subſecuti ſunt alij terræmotus, qui ædes ſacras & priuata multa ædificia euerterunt. Dux Ferrarienſis metuens, tentoria ſibi & ſuis ſub dio, in pomœrijs erigi iuſſit, vt periculo ſe ſubduceret, cùm fœminæ paſſim diſcurrerent eiulantes, & extremum diem adeſſe credentes. Quid multis? quadraginta horarum ſpatio centum & quinquaginta motibus vrbs concuſſa eſt. Mantua ab iſtis motibus non fuit libera, licet tantas ruinas non acceperit. Florentia quoque ſuo terrore & damno non caruit, cùm paulo ante celeberrimum templum B. Mariæ cæleſti incendio magna parte deflagrauerit. Nec multo poſt Arnus fluuius & Tiberis Romanus ad ſuæ vrbis vterque inundationem conſpirârunt: ad eam enim altitudinem ambo excreuerunt, vt magna pars vrbis Romanæ & Florentinæ aquæ vorticibus fuerit inuoluta, nõ ſine maximo vtriuſque detrimento. Idipſum & Piſis accidit. Hæc omnia iræ diuinæ fuerunt teſtimonia,

Terræ motus in Italia. Nouẽb. 18.

40. horarũ ſpatio 150. terræ motibus Ferraria concutitur.

quam

quam hominum impietas in se prouocauerat. Vnde 1570
præclarè Aloysius Luisinus Medicus Foroiuliensis, ad tot præsentis anni miserias, & sequentis minas alludens, non minus pium quàm elegans hoc epigramma, quod ex Natali transcripsimus, cecinit:

Diluuium, terræ motus, contagia passim,
Bella, fames, mundi quid reliquum exitio est?
Ignis & ipse prope est. Vnde hæc? ex arce Tonantis.
Tot mala quid mundo congerit? impietas.
Anne salutis adhuc spes vlla est? vnica. quisnam
Porriget hanc? pietas. hæc vbi? nullus habet.
Quid stas munde? rue. vt pietas est nulla, ruentem
Iam video, auxilium numina læsa negant.

Corrupti hominum mores.

Eò enim excreuerant tunc hominum vitia, vt alius libidine insaniret, alius abdomini seruiret, alius inuidia laboraret, alius cœca & in gladios ruente ambitione: nemo alteri cedere vellet opulentiâ, atque hinc auaritia omnium fraudum, fallaciarũ, perfidiarumq; mater: nemo honoribus, hinc contentiones, odia, inimicitiæ, bella. Homo sacra res homini per lusum & iocum occidebatur. Voluptas ab omni parte quærebatur, & hinc luxuria, fornicatio, stuprum & adulteriũ, ne quid dicam peius. Nam adhuc in processu erant vitia: inueniebat luxuria quotidie aliquid noui, in quod insaniret: inueniebat impudicitia nouam contumeliam sibi; deliciarum non erat terminus; epulorum, vestium, supellectilium nullus erat modus. Honesti obliuio inuaserat: nihil erat turpe, cuius aut pretium placebat, aut voluptas delectabat. Humana dico, nam diuinorum aut nulla, aut perexigua, idque apud paucos, erat obseruantia. Sed ad narrationis cursum reuertamur.

Pax inter Septentrionales populos.

Septemtrionales populi ab his calamitatibus immunes fuerunt: nunc enim ipsorum Nemesis præteritorum annorum supplicijs, non tam satiata, quàm defatigata ad quietem & tranquillitatem se componebat. Vnde bella illa diuturna inter Danum, Suecum, Lubecenses, Polonos, Liuonesque sublata, & Regnis, Prouincijsque illis pax restituta est. Quod quidem negotium etsi iam ante aliquoties frustra tentatum esset, hoc tamen anno Stettini, intercessione & auctoritate Romani Imperatoris, transactum est. Miserant ad huius pacis transactionem legatos suos Imperator, Rex Daniæ, Ioannes Rex Sueciæ, Sigismundus Rex

1570 Poloniæ, ciuitas Lubecensis, Danis confœderata.] Interfuerunt & Galliæ Regis, & Augusti Electoris Saxoniæ Consiliarij. Cùm initio Suecorum mandata non essent satis firma, & sufficientia, pleniora illis è Suecia fuêre expectanda, quæ post bimestre spatium allata sunt. Tunc de pace tractari cùm cœptum esset, variæ se difficultates obtulerunt, de Rotschildensi tractatione, quam vrgebant Dani: de Moscis hac pace excludēdis, quod Polonus volebat, Danus negabat: de Liuonia ab Imperio auulsa, & titulo Regis Liuoniæ, quo Magnus Daniæ Regis frater vtebatur, quod conquerebantur Cæsareani. Tandem verò post varias disceptationes, exeunte mense Nouembri, pax certis legibus, quarum præcipuas inueniet Lector apud Chytræum in ipsius Chronico, cōstituta, firmata, & bellum, quod iam octauo anno gerebatur, sopitum est, cùm totum semestre Legati Stettini hæsissent. Exemplis demum transactionis quatuor factis, & obsignatis, conuiuijsq; hinc inde celebratis, & mutuæ amicitiæ symbolis distributis, discessum est.

Hæresis Vnctorum in Anglia. Hoc anno in Surria Comitatu Angliæ apud Bamstedium orti sunt ex Caluinistarum secta sub VVrito quodam duce homines, qui se Vnctos appellabant. Docebant hi peccare neminem, nisi qui veritatem ab ipsis prædicatam non reciperet. Totum nouum Testamentum rerum futurarum prædictionem esse, & Christū, quem semel venisse non negāt, iterum ante diem iudicij rediturum expectant.

Obitus Nicolai Madrutij. Vltimus hic vitæ annus fuit Nicolao Baroni Madrutio, Domino in Aui, & Brentoni, Caroli V. Cæsaris in Italia & Germania belli duci fortissimo, qui in bello Smalcaldico, & prælio, quo Elector Saxoniæ Ioan. Fredericus capiebatur, egregias Cæsari nauârat operas. In obsidione Senensi Germanis imperauerat: in Ducatu Mediolanensi vniuersis copijs Regijs à Christophoro Madrutio Cardin. Tridentino fratre præfectus, egregij bellatoris & laudati imperatoris famam consecutus est. *Francisci Balduini.* Obiit & Frāciscus Balduinus Iurisconsultus celebris, cuius in prolegomenis huius historiæ facta est mentio. Hic aliquot ab hinc annis è veneno Caluini conualescēs, sui Doctoris & ministri pudenda detexit. Ioanni II. Transyluaniæ Principi, Ioannis Regis Vngariæ filio defuncto, Stephanus Bathor postea Polonorum Rex successit.

Ioan-

Ioannes Brentius, vir non minima eloquentia & ingenio præditus, sed secta Semilutheranus, ex eorum videlicet numero, qui Lutheri placitis sua quædam noua Euangelij prętextu assuunt, animam hoc anno deposuit: quæ in locum suum emigrauit, postquam Germaniam varijs erroribus diu dementauerat, dum Lutherum & Osiandrum conciliare nititur. Eius doctrinam sequuntur Theologi Tubingenses teste Staphylo in defensione: vnde & Lutherosiandriani à quibusdam appellantur. Hic vnà cum alijs nonnullis Protestantibus anno M. D. LI. à Principibus Germaniæ ad Concilium Tridentinum missus, mense Ianuario anni sequentis libellum Confessionis obtulit, qui à Patribus lectus, sed improbatus est.

1571
Brentij.
Vide lib. eius ad Ducem VVirtẽb. anno 1562

ANNO M.D.LXXI. ineunte intestina, inueterataque Procerum Scotorum odia nouos Regno motus attulerunt. Qui enim Religionem Catholicam profitebantur, eamque tam turpiter eiectam indignè ferebant, & qui Reginæ captiuæ partes sequebantur, Iacobum Morauiæ Comitem Proregem, tanquam omnium seditionum Principẽ infensè oderant, & è medio sublatum cupiebant. Quo mortuo spes erat Regno pristinam libertatem restitutum iri. His sese coniunxerunt alij quidam ambitiosi, qui quotidie penes vnum Iacobum nothum totius Scotiæ imperium esse querebantur, & Regni tutelam in suam familiam translatam cupiebant. Qui cùm viderent auctoritatem Proregis, & potentiam paulatim apud populum crescere, decreuerũt eum tollere: quo viuo nullum suis consilijs exitum inueniebant. Fœdus in eam rem ineunt, cui subscripserunt Hamiltonij. Operam suam ad id facinus promisit Iacobus Hamiltonius, ex Archiepiscopi Fani Andreæ sorore natus: locumque & tempus insidijs idoneum aucupabatur. Hamiltonius Limnuchum profectus, quò Proregem venturum sciebat, ædes ad consilium exæquendum commodissimas sibi quæsiuit, & occupauit. Prorex de insidijs certior factus, eas contempsit, per eandem tamen, qua ingressus erat, portam, minimè regredi, & commutato itinere progredi decreuerat. Nec hoc quidem propositum tenuit. Cùm itaque equum conscendisset, & in itinere à turba impediretur, quò minùs progredi posset, restitit. Percussor statim è pedio ligneo, quod linteis

1571 teis operuerat, ex insidijs globulo plumbeo, paulo infra vmbilicum adacto, ac prope renes transmisso, Proregem exanimauit: ipse per posticam egressus, celeri equo saluus Hamiltonium peruenit. Prorex se percussum affirmans, ex equo velut sine sensu vulneris desilijt, & pedibus in hospitium redijt. Initio qui curandæ plagæ adhibiti erant, signa omnia ad salutem esse dicebant: sed crescente paulatim dolore, ante mediam noctem ad X. Calend Februarias decessit. Fuerat Iacobus hic, vt quidam scribunt, in iuuentute Abbas designatus, sed apostata factus, postea nouis Religionibus studuit, à quibus vt eum Regens, & ipsa Regina auocarent, omnibus humanitatis officijs coluerunt, magnis dignitatibus ornârunt, & tandem à Regina sorore, ignorante se serpentem in sinu fouere, Comes Morauiæ non sine multorum Procerũ indignatione creatus est. Proxima post cædem nocte Valterus Scotus & Thomas Carus Ferniheſtius Angliam ingressi, ferro, flammaque omnia fœdârunt: idque crudelius quàm superioribus temporibus consuetum erat. Conuentus paulo post de nouo Prorege deligendo habitus est: sed in eo nihil certi constitui potuit, quòd sententiæ Procerum essent diuersæ. Alius igitur conuentus ad Calend. Maij indictus est. Interea qui Reginæ factionis erant, cum confœderatis primùm Glascuæ, inde Limnuchi, post Edenburgi conuenêre: causa erat, vt disceptaretur quo iure tum Scoti Proregem creare possent. Tres erant sententię diuersæ: quarum cùm nulla probaretur, tot coitionibus nihil effectum est. Rursus igitur ad belli Anglici seminaria reuersi, eosdem, quos antea duces in Angliam immittunt, Reginam Angliæ conuicijs proscindunt, Proceres Scotorum calũniantur tanquam Anglorum clientes, vulgo minantur, si Anglica accersunt auxilia, se Gallorum & Hispanorum præsidijs vsuros. Venit interea Veracus quidam è cubicularijs Regis Francorũ minister, qui magnificis promissis Catholicorum animos erexit. Quare Hamiltonij suorum popularium conuentum in quintum Idus Aprilis Limnuchum indixerunt. vbi de bello Anglis inferendo palam tractatum est. Vt autem res maiorem haberet auctoritatem, Edenburgum transire statuerunt. Sed quò minus id liceret, ab oppidanis prohibiti sunt. Præterea repentinus Anglici exercitûs aduentus eorum consilium perturbauit: cuius

Scotiæ Prorex interficitur.

Factionis Reginæ captiuæ Proceres de summa rei deliberant.

conatus

conatus vt remorarentur, duplicem legationē in Angliam miserunt; vnam ad Reginam cum literis, quibus æquitatem causæ suæ ostendebant, aduersariorumque iniurias & fraudes detegebant: alteram ad Thomam Sussexiæ Comitem, quæ precaretur inducias, donec rerum suarum statum Reginæ indicarent. Sed vtraque legatio re infecta reuersa est, dum Sussexius exercitum otiosum alere nollet, nec Regina Angliæ, à suis hominibus præoccupata, literas Procerum legere dignaretur. His rebus annus hic ad Calend. Maij vsque consumptus est. 157[illegible]

Cùm annus hic primùm inierat, Famagustæ defensoribus insperata ferè, at certè diu desiderata lux affulsit. Quatuor enim onerariæ naues, omnibus bellicis apparatibus, commeatu & subsidijs instruuntur in Creta, quæ Cyprum nauigarent. At cùm Turcæ septem triremes in portu reliquissent, quæ omne subsidium ab vrbe excluderent, tutum non fuit onerarias sine triremibus mittere. Marcus Quirinus se obtulit, qui cum duodecim triremibus has onerarias Famagustam incolumes, tribus hostium triremibus demersis, alijsque nauigijs aliquot captis, perduxit. Famagustani aucti commeatu & subsidijs mille quingentorum peditum, cum incredibili lętitia iacentes prope animos extollunt, munitionem, quæ ad Constantinum portum commeatum ab vrbe præcludebat, inuadunt, capiunt, CCCC. defensores occidunt, tormenta capta in vrbem trahunt, munitionem ipsam funditus euertunt. Quirino, cùm omnia feliciter peregisset, in Cretam redeunti, quatuor occurrunt triremes, & vna oneraria Turcica, in quibus quingenti erant Genizari, cum sexaginta nummûm millibus, duobusque cadis minoris argenteæ monetæ: quas aggressus Quirinus, post breue prælium omnes superauit, opulentaque cum præda Cretam reuersus est: quò interea allatum erat Senatûs consultum, Venerium loco Zanij surrogatum, Quirinum Prouisorem classis, & Augustinum Barbadicum summum Prouisorem, cum potestate pro regia nominatos esse. Paulò post in mari Adriatico Turcæ onerariam nauem Venetam, cum V. millibus sclopetorum, multis arcubus & sagittis, globis ferreis, puluere tormentario, pane nautico, frumento & pecunia capta est. In causa fuit militum improbitas, qui occiso nauclero, nauem ad lit-

Famagustani noua auxilia accipiũt.

Quirinus naues hostiles cum insigni præda capit.

Officiorũ distributio.

Nauis Veneta à Turcis capta.

1571 ad littus appulerunt hostibus infestum. Turcæ quoque per eos dies Ascriuio insidiabantur, proditionem cum nonnullis præsidiarijs pacti: sed cohortis vnius præfecti conscientia stimulante negotium detectum est.

Magna erat inter Mahumetem Bassam & Mustapham æmulatio, occulta quædam odia. Mahumetes summus Venetorum amicitiæ obseruator, iniuriam ei Reipub. fieri palam asserebat. Mustapha cōtra omnibus modis id contendebat, vt bellum cum Venetis Sultanus prosequeretur. Mahumetes veritus, ne eo bello confecto Mustapha eam sibi apud Sultanum conciliaret auctoritatem, qua omnes alios anteiret, auctor fuit Sultano, vt pacem cum Venetis cōponeret. Sed quia tunc pacis mentio Bizantij esset odiosa, neque ex dignitate imperatoria esse, vt ipse Sultanus prior pacem à Venetis peteret, crederetur, suasit, vt certæ pactiones vtrinque seruandæ proponerentur, ad mercatores & mercimonia spectātes, per quam simulationem clam etiam de pace posset transigi. Veneti hac de re accepto nuntio, ab his conditionibus non abhorrebant. Iacobum Ragazzonum virum nobilitate animi, & eximia pietate in patriam insignem Bizantium miserunt, cum mandato, ne quid concluderet inconsulto Marco Antonio Barbaro. Cùm Constantinopolim venisset, ad Mahumetē adductus, multa & ardua cum illo consilia communicauit. In pacem propendebat Mahumetis animus, ideoque Ragazzonum magnitudine virium & potentia domûs Otthomannicæ deterrere conabatur. At Ragazzonus his omnibus innocentiam Venetorum, qui pacem nō violârant, eorum fidem, quam Muselmannis semper inuiolatam seruârāt, Reipub. vires, cum alijs Principum Christianorum coniunctas, & super hæc omnia Deum omnis iustitiæ vindicem opposuit. Concessa est tandem colloquij & agendi cum Barbaro facultas. Primùm agitur de mercibus, mox non placidis conditionibus de pace: cùm Veneti negotiatores Cyprum repeterent, & multas alias honorificas conditiones, vt sic per consuetudinem negotiandi cum Turcis auarissimis gentibus ad honestas conditiones deueniretur. Est enim illud ingenium Turcis familiare, vt si ad honestatem quis primùm deueniat, illum habeant despectui, credantque non pro bonitate ingenij, sed

De pace inter Selymum & Venetos agitur.

Ingenium Turcis familiare.

pro

pro imbecillitate animi id facere: quamobrem iacenti & cedenti facile insultant. Arrogantiam verò, nisi cum impudenti temeritate sit coniuncta, magnitudinem animi esse arbitrantur: quare neque demissi, neque auari aut impudentes legati vtiliter ad Turcas mittuntur. Sed cùm de pace diu multis vtrinque propositis conditionibus actum esset, allatæ sunt ad legatos Venetorum literæ, quibus significabatur, frigidius de pace esse transigendum. Hispani enim, cùm cognouissent Ragazzonum à Senatu Constantinopolim missum, eam suspicionem cõceperant, Venetos clam pacem petere, & in negotio fœderis reliquos Principes ludificare velle. Mutatur itaque consilium legatorum, repetitumque, Venetos Famagusta non excessuros (vt petebatur) sine magna permutatione Dyrachij, Apolloniæ, Castri noui, aliorumque locorum. Res per has difficultates differtur, cùm nihil posset à Turcis æquum obtineri. At negotium mercatorum eò peruenerat, vt factum esset decretum, per quod res, negotiaque Veneta libera esse permitterentur, ea tamen conditione, vt Orator Venetus promitteret eandem libertatem subditis Osmannidarum obtentum iri Venetijs. Quæ tamen paulo post Ioannis Miches Iudæi impostura reuocata sunt. Abiecta igitur spe pacis, Ragazzonus petita abeundi venia, post superata multa pericula, post multos labores in patriam rediit. 1571

Turcarum vires præ cæteris Principibus maximè timebant Pontifex, Philippus Hispaniarum Rex, & Veneti. Hi namque, vt in quos arma versa erant, metuebant, ne maiores ab illis clades acciperent. Pontifex, præterquam quòd salutis animarum curam gerebat, solicitus etiam erat, ne Barbarus loca plana & maritima, quæ ad ditionem Ecclesiæ pertinebant, inuaderet, armisque sibi subiugaret. Hispanus verebatur, ne Venetis Archipelago, totiusque Italiæ obice adempto, Regna sua Siculum & Neapolitanum periclitarentur. Pontifex igitur non destitit quibuscunque potuit modis fœdus inter se, Philippum Regem, & Venetos, cuius curam iamdudum susceperat, ad optatum finem perducere. Instabant enim Veneti per Oratorem suum Sorianum, vt illud negotium conficeretur, antequam tempus ad gerendum bellum vtile elaberetur. Singulari itaque Pontificis prudentia, multis *Fœdus inter Pontificem, Philippũ Regẽ, & Venetos.*

1571 ſuperatis difficultatibus, Romæ fœdus concluſum, & XX.die Maij in Conſiſtorio ab ipſo Pontifice, Oratoribusque cæterorum Principum ſubſcriptum, ſigillisque munitum eſt. Poſt quinque deinde dies in Comitijs Patrum purpuratorum Romæ, Venetijs verò decimo poſt die in foro D.Marci præſente Duce, toto Senatu, & multis Principum aliorum legatis, cum incredibili omnium lætitia publicatum eſt. Cõditiones fœderis erant. I. Vt claſſis inſtruatur ducentarum triremium, & centum onerariarũ: in ijs peditum ſint Germanorum, Italorum & Hiſpanorum quinquaginta millia, equitum millia quatuor & quingenti. II. vt Pontifex duodecim triremes inſtruat, in ijs alat tria millia peditum, CC.LXX.equites. III. vt Philippus ſemiſſem, Pontifex ſextantem, Veneti trientem omnium ſumptuum faciendorum ad hoc bellũ conferant. IV. vt ſi Turcica claſſis non exierit, liceat Philippo Regi Africam inuadere, niſi alia fœderatorum nomine expeditio vtilior videatur. Veneti verò loca intra ſinum Adriaticum, & communibus expenſis quinquaginta triremes, vbi opus fuerit, ad vſum fœderatorum paratas habere teneantur. V. vt quotannis menſe Martio aut Aprili ad ſummum claſſes paratę ſint, & in mare Orientale educãtur: quibus duces pro vtilitate fœderis, rerumque & temporum oportunitate præficerentur. VI. vt ſi hoſtis loca fœderatorum inuaſerit, claſſium præfecti, vel cum parte copiarum, vel cum omnibus copijs, ante ſuſcepta expeditione relicta, aduerſus hoſtem proficiſcantur, periclitantibusque opitulentur. VII. vt Oratores confœderatorum Principum quotannis in autumno Romæ apud Pontificem, de copijs comparandis, expeditionibusque anno ſequenti ſuſcipiendis deliberent, decernantque. VIII. vt ſumptus, ſi quos Pontifex facere non poſſit, Rex & Veneti pro ratione ſuarum partium in ſe ſuſcipiant: & ſi Veneti ſupra portionem ſuam grauentur, ſolus Rex ipſos ſubleuet. IX. vt Veneti ipſas duodecim triremes, bellicis tormentis inſtructas, Pontifici procurare teneantur, quas Pontifex ijſdem inſtructas finito bello reddet, niſi quid belli vis abſtulerit. X. cùm fieri poſſit, vt rerum aliarum bellicis vſibus neceſſariarum alijs maior copia ſit, ſi quis plus quàm tenetur contulerit, id ab alijs recipiat. XI. vt ſi alicui commeatus deſit, cum è

Conditiones fœderis.

locis

locis fœderatorum petendi potestas sit, reddito hone- 1571
sto pretio: sintque exportationes liberæ omnibus fœderatis ad vsum copiarum. XII. vt nemini licitum sit ex ijs locis commeatum exportare: nisi prius contulerit quantum sufficiat ad vsum terrestrium, maritimarumque copiarum. Ad vsum tamen classis Melitensis, totiusque insulæ, item Gulethæ ex Hispano Neapolitanoque regno, aut è Sicilia conuehere licebit. XIII. vt si Turcæ Iulia Cæsarea, Tuneto, aut Tripoli Hispanum inuadant, nulla autem fiat à fœderatis expeditio, Veneti quinquaginta triremes instructas Hispano subsidio mittant: idipsum faciet Hispanus Venetis, si ipsi à Turcis bello petantur. XIIII. vt Veneti totidem triremes Regi Hispano, si bellum aduersus Iuliam Cæsaream aut Tunetum suscipere velit, mittant, & Rex Venetis, si quid intra sinum Adriaticum moliri velint, eandem opem præstet: nisi communi omnium fœderatorum consilio certa quę expeditio decernatur, aut formidabilis aliqua classis Turcica egrediatur. XV. vt tres Principum fœderatorum summi duces omnibus consultationibus intersint, ratumque sit vel quod tres communi consilio, vel duo approbauerint. XVI. vt si Pontificis loca à Turcis infestentur, reliqui eum defendere teneantur. XVII. vt dux summus communis expeditionis communi fœderatorum vexillo vtatur: in propria expeditione præsit is, quem volet, qui illam suscipiet, cum proprio vexillo. XVIII. vt summus imperator fœderationis, & totius classis, maritimarũque & terrestrium copiarum sit Ioannes Austriacus, Philippi Regis frater: qui communi consilio cum cæteris fœderatorum præfectis, vel vnius tantùm omnia administret: quo absente, præsit cum summo imperio Pontificiarum triremium summus dux Marcus Antonius Columna. XIX. vt honorificus locus Cæsari, Gallorum, & Portugalliæ Regibus pateat ad hanc societatem belli ineundam: qui pro suis facultatibus fœderatorum vires adaugeant. XX. vt si qua controuersia de rebus ad fœderationem spectantibus oriatur, nulla mora Pontifex eam decidat. XXI. vt Pontifex paternè hortetur cæteros Principes, vt Christianæ Reipublicæ consulant, fœderisque opes & vires adaugeant. XXII. vt loca armis communibus fœderatorum capta distribuantur, vt in fœderatione

1571 anni M. D. XXXVII. constitutum fuit: bellici verò apparatus pro ratione sumptuum. XXIII. vt Iulia Cæsarea, Tripolis Africæ, Tunetum sint Regis Hispaniarum propria. Epidaurus (Ragusam Dalmatiæ nunc vocant) totusque illius ager nullo detrimento afficiatur à fœderatis, nisi secus postea visum fuerit Pontifici. His legibus inter Pium V. Pontificem Romanum, eiusque successores, Philippum II. Regem Hispaniarũ, Aloysium Mocenicum Venetorum Principem ac Senatum pax, fœdus & belli societas perpetua aduersus hostes Christiani nominis, non solùm ad defensionem, sed & offensionem determinata est: cum adiectione, vt nemini fœderatorũ potestas sit de pace aut inducijs cum communi hoste, cæteris socijs inconsultis, agendi: aut vllum amicitiæ genus tentandi. Ad huius fœderis conseruationem Pontifex omnia bona Sedis Apostolicæ, præsentia & futura, Oratores aliorum Principum Regna, Principatus, & omnia, quæ ad Principes suos aliquo iure spectabant, obligarunt.

Dum hæc geruntur in Italia, Selymus, cùm intellexisset subsidia Venetorum Famagustam venisse, metuens ne bellum in futurum annum protraheretur, vt duces suos vigilantiores, cautioresque redderet, Chij præfecto caput iubet amputari: Rhodijs custodijs præfecto adimit prætoriam triremem: Chalcidis, seu Eubææ purpurato iubet, vt omnes triremes ex Ægæo mari in vnum cogat, eas Chium deducat, ibique noua mandata expectet. Illum mox cum quadraginta triremibus secutus est Alis Bassa, summus classis imperator. Hic cùm ad Chium venisset, inuenit ibidem octoginta circiter triremes, quibus adiunctis suis in Cyprum nauigauit: vbi octodecim armatorum millia in terrã exposuit. Inde in Ciliciam reuersus, ad sexaginta millia operarum cogit, & in eandem insulam transportat, atque Mustaphæ iussu ad vrbis custodiam accessit: ne fortè aliundè oppidanis subsidia mitterentur: relictis hippagogis & viginti duabus triremibus ad custodiam nauigiorum, quæ commeatum, aliarumque rerum necessariarum copiam in insulam transuectabant, ipse Alis cum cætera classe in Eubæam nauigans, reliquam partem classis reperit, præfecto Pertao purpurato summo terrestrium copiarum imperatore. Cum his omnibus copijs

in Cy-

in Cyprum appulsi, exercitum Mustaphæ mirum in 1571
modum auxerunt: adeò vt iam ad ducenta armatorum millia habere censeretur, quibuscum Famagustæ obsidionem aliquamdiu intermissam, aut languidius promotam, renouauit. Est autem Famagusta in Orientali sinu insulæ ad mare Syriacum sita, non procul à Constantia, Epiphanio Episcopo clara, Salamis olim dicta, & à Teucridis Regibus aliquot seculis (vt creditur) habitata: quam Henricus, è Lusignana familia, Cypri Rex, amissa Ptolemaide, emporio, dum à Christianis teneretur, clarissimo, Venetis, Genuensibus, aliisque Occidentis mercatoribus in Asia negotiantibus portum tutum ac domicilium, concessis certis priuilegiis attribuit. Hanc natura loci, & præter mœnia decem eminentibus propugnaculis singulari studio & arte munitam, ac propter latitudinem fossarum penè inexpugnabilem, Turcæ circa Idus Maij, extructis decem munitionibus, septuaginta quatuor maximis tormentis disturbare cœperunt, tanto furore, vt intra menses duos centum circiter & quadraginta globorum millia in vrbem intorserint. Tanta tamen erat diligētia & fortitudo obsessorum, vt quidquid ab hostibus deijceretur, ipsi summo studio confestim reparauerint: suis etiam machinis ex vrbe in hostes ita euomuerunt, vt paucis diebus ad triginta Turcarum millia strauerint. Ea erat in castris trepidatio, vt si in vrbe omnium rerum necessariarum habuissent copiam, nunquam tam tristis fuisset Venetis huius obsidionis catastrophe. Sed quia apparatûs bellici laborabant inopia, pulueris præsertim tormentarij & pilarum, determinatum est, vt maioribus machinis paulatim parcius vterentur, certusque modus præscriptus, vt triginta tantùm machinæ locis opportunioribus disponerentur, singulæq; tricesies quotidie excuterentur. Subsidia interim obsessi quotidie expectabant, quæ cùm non mitterentur, Hieronymum Ragazzonum, Episcopum Famagustanum, cum Nicolao Donato ad imperatorem classis Venetæ legârunt, vt quo loco res Salaminensium essent, & quo in periculo non vrbs tantùm, sed tota ea insula versaretur, nisi cita & prævalida subsidia mitterentur, exponerēt. Qui quidem per multa pericula incolumes in Cretam venerunt. Sed dum mandata à Senatu Veneto expectantur, tēpus extrahitur, obsessis cōmeatus deficit, puluis

Famagustæ obsidio repetitur.

Famagustæ descriptio.

Anno 1295.

1571 omnis præter septem vascula absumitur, præsidiariorum pars maxima interit: qui autem residui erant, continuis pugnis & laboribus, paucitate victûs, & assiduis vigilijs (quæ tria naturam maximè debilitant) exhausti, tantis hostium viribus diutius resistere non potuerunt. Marcus Antonius Bragadinus, & Astorius Balconæus cum Laurentio Teupolo, quorum inuicto animorum robore & fortitudine iam vrbs totos penè menses vndecim defensa fuerat, videntes se iam in eas angustias & difficultates redactos esse, vt se diutius tueri non possent, tandem deditionem his legibus fecerunt. Vt Venetis vitæ incolumitas concederetur, ijque cum armis & facultatibus suis in Cretam deducerentur. Græci domos suas incolerent, possessionibus suis fruerentur, ritu Christiano viuerent. Quibus conditionibus à Mustapha Bassa initio mensis Augusti approbatis, ipsiusque manu subscriptis, die quinto mensis eiusdem prodijt ex vrbe Bragadinus, & cum illustri nobilium virorum comitatu in Mustaphæ castra venit, eique claues ciuitatis, quod in deditionibus fieri consueuit, obtulit. Exceptus initio comiter à Mustapha: mox ab illa crudeli bellua, per summum scelus violata fide, exquisitis iniurijs (ducibus & tribunis Venetis prius trucidatis) afficitur: ter enim ceruicem præcidendam porrigere iusso, aures & nasum solummodò amputauit. Postridie in vrbem ingressus, Teupolum Paphi præfectum suspendio necari præcepit. Bragadino verò auribus & naribus mutilato, cùm per loca vrbis celebriora eum ludibrij causa circumduxisset, & varijs, atrocibusque contumelijs vexasset, pellem tandem viuo, & constantissimè supplicium immane perferenti, Deumque testem ac vindicem tantæ perfidiæ vocanti, detraxit. Cæteri dedititij partim occisi, partim in perpetuam seruitutem abducti, Constantinopolique & Alexandriæ venales expositi sunt. Tres tantæ perfidiæ, tamque immanis crudelitatis rationes à quibusdam adferuntur: quarum prima fuit innata crudelis & sæui istius tyranni natura, vt cui nullum potuit iucundius exhiberi spectaculum, quàm Christianos in suo conspectu trucidari. Altera incredibilis ira, quam concitârant illi tot suorum militum funera, qui in hac obsidione perierant: constat enim ex ducentis millibus armatis, in quibus erant Azaporum LXXX. Genizarorum

Famagusta deditur.

Inaudita crudelitas & perfidia, Mustaphæ.

gizarorum XIIII. Volonum, quos Acanzios vocant, LX.millia, supra octoginta millia, præter calones, lixas, cunicularios, &c. occidisse. Tertiam rationem huius tantæ tyrannidis asserunt fuisse pœnitentiam pactorum cum obsessis initorum: præsertim cùm pòst intellexisset, eam fuisse vrbis conditionem, vt deterior esse non potuerit, futurumque fuisse, vt obsessi omnes se suo arbitrio tradere debuerint. Hæc est expugnatio nobilis, celebrisque vrbis Salaminis, seu Famagustæ, quam Surius, Natalis Comes, & alij copiosius, exactiusque descripserunt: ad quos lectorem remittimus, ad alia properantes. 1571 *Supra 80000. Turcarũ in obsidione Famagustæ periêre.*

Selymus interea audito trium Principum Christianorum fœdere, magnisque apparatibus, qui fiebant, metuens ne & alij Principes, & quidem inter alios Polonus in belli societatem traherentur, Dorgutem in Poloniam cum literis misit, quibus Regi significabat, velle se veterem cum ipso amicitiam continuare, & commertia vtrinque fore libera. Pergratus iste fuit Polono nuntius. Sed cùm superioribus annis cum Chamo, inter Scythas præcipuæ auctoritatis Principe, fœdus & pacem Polonus inijsset, à quo nihilominus perfidè multis iniurijs vexabatur, vt qui Poloniæ fines incendijs & rapinis vastaret, Polonus hac oblata occasione de Chami huius perfidia, iniurijsque, scriptis ad Selymum literis, conquestus est. Respondit Selymus perbenignè: se amicitiam & fidem inuiolatam conseruaturum, & vt ea ab alijs conseruetur operam daturum. Ad Chamum quoque literas minarum plenas dedit, se scilicet, nisi ab amicis Regibus infestandis abstineret, omnis iniuriæ vindicem futurum. Præterea solicitum Selymi animum tenebat mors Ioannis Vaiuodæ Transyluaniæ, ad Turcicas partes, dum viueret, propensi: & Comitia Tordam ad VIII. Calend. Iunij indicta, vt nouus Princeps crearetur. Metuebat enim, ne quem Osmannicis minus gratum Ordines eligerent. Selymus igitur ad Transyluanos literas dedit, quibus Proceres vt Vaiuodam Stephanum Battorem crearent, hortabatur: quod si facerent, se totius Transyluaniæ (vbi opus sit) fore protectorem. Paruerunt Transyluani, & Battorem appellârunt. Is in regia dignitate constitutus, confestim legationem magnificentissimam ad Selymum mittit, quæ ipsi gratias ageret, & munera offerret. Pergratum id fuit Selymo, Batto-

1571 remque vicissim sceptro & regio vexillo donauit: præcepitque, ne cum exteris Principibus amicitiā exerceret, vel cum illis fœdere iungeretur. Deinde Palodam Transyluanis nuper ereptam Battor obsedit, & præsidiarios paulò post ad deditionem compulit.

Tartari Moscuā occupant, & incendunt. Maij 24.

Per hos dies Moscuam totius Moscouiæ Metropolim, Praga in Boëmia duplo maiorem, sed paucis ædificijs exceptis totam ligneam, Tartari Præcopenses vnà cum arce iniecto igne penitus exusserunt: quo incendio innumerabilis populi multitudo flamma, fumoque absumpta est. Vna arx Kitaigorod vix defendi potuit. Magnam captiuorum copiam hostes inde abduxerunt, prædam inæstimabilem secum auferentes. Ita Deus nonnunquam tyrannos inter se committit, & immanitatem vnius alterius feritate plectit.

Veneti post fœdus cum Rom. Pontifice & Philippo Rege initum, alios etiam Principes in Turcarum tyrannidem incitârunt, non vicinos tantùm, sed etiam remotiores: vt dum ille vndique impugnaretur, vires eius diuiderentur, fierentque imbecilliores. Vincentium itaque Alexandrium, ciuem Venetum, ad Persarum Regem Thomam, quem alij Tachmam vocant, legârunt, vt eum ad bellum Turcis mouendum induceret: sciebant enim huic Regi malè cum Turca conuenire. Vincentius per Germaniam, Poloniam, Bogdaniam & Mysiam ad Euxinum Pontum profectus est. Inde in Asiam nauigans, per multas Ottomannici Imperij ditiones, non fine summo periculo, Tigraanem, quæ & Tauris dicitur, Persarum Metropolim peruenit. Reperit istic Oratorem quendam, quem Britanniæ Regina ad Persarum Regem legârat: ab hoc Vincentius mores ritusque Regem conueniendi, salutandique didicit. Tigraana Casbinum, vbi Rex domicilium tunc temporis habebat, profectus, *Caidaris Mirosis* tertiogeniti Regis opera vsus est, qui literas Venetorum, & quæ in mandatis habebat Vincentius, ad Regem detulit: sed orto paulò post inter Persam & Cairum Seidi Achmati nepotem, propter Geilani regnum, bello, in quo Persæ ferè semper erant inferiores, re infecta Vincentius ad suos est reuersus, in multorum interim animis acerbiores in Turcicam perfidiam aculeos relinquens.

Turcica classis

Dum obsidetur, grauissimeque à Mustapha oppugnatur Famagusta, classis Turcica, damnum illatura

Vene-

Venetorum in Aegeo mari insulis, Ali Bassa duce Cretam petijt, vbi exposito in terram milite sæuitum in obuios quosque immaniter. Munitis vrbibus & oppidis ita prospectum erat maturè, nullum vt ab hoste detrimentum acciperent. Solum Rhetymum adortus Vluzalius Africanæ Barbariæ Prosultanus, ab incolis desertum mense Iunio vastauit. Alis Bassa tandem recensitis copijs suis, quod apud ipsos per fabas, vel aspros (monetæ genus est) fieri consueuit, quum tria millia & septingentos ex suis desideraret, relicta Creta, Cerigum Veneti iuris, è regione Promontorij Maleæ sitam insulam, Citheram dixêre veteres, ad S. Nicolai portum inuasit, & maiori ex parte diripuit. Inde Zacynthi & Cephalleniæ suburbijs excidio datis (arces enim præsidijs & opere sic munierant Veneti, vt eas hostis tentare non auderet) Cestriam, quam nunc Suppotoum vocant, pergit Alis Bassa, captisque duabus onerarijs Venetis, quæ prius ab octodecim triremibus fortiter sese defenderant, castrum obsedit, numeroque militum superior, cæsis, captisque præsidiarijs recepit. Cuius arcis præfectus Manuel Murmurius, vir bello strenuus, etiam in hostis potestatem venit. Neque tamen incruenta fuit hæc Turcis victoria. Cùm enim obsessi viderent rem conclamatam esse, ignem bellicis apparatibus subiecerunt, vnde tantum excitatum est incendium, vt quingenti circiter Turcæ perierint. Iaderam deinde nauigantes Turcæ, cùm vrbem explorare vellent, ab oppidanis fortiter, cum non exigua suorum clade, reiecti ad naues se receperunt. Alis, vt victoriæ cursum prosequeretur, cum classe Dulcinium versus, oppidum in finibus Albaniç, Dalmatiçque, iter instituit, iactisque in conspectu vrbis anchoris, in sinu Adriatico tam diu stetit, quàm terrestres Turcarum copiæ Bizantio missæ aduenirent: quarum ingẽs numerus cùm Illyricum ingrederetur, à Venetorum præsidijs, varijs locorum angustijs, tribus leuibus prælijs ita exceptæ, vt plurimi cæsi sint. At Veneti tandem à Barbarorum multitudine cincti, funduntur partim, partim in vicinas munitiones fugantur. Turcæ agro potiti, Dulcinium obsident, & septem continuos dies tormentis maximis disturbant, stratis ruinis cùm vrbem inuaderent, tota classis applicuit. Obsessi cùm se diutius tueri non possent, nec spes alicuius subsidij affulgeret, mense Iulio sese dediderunt: ciuibus liberta-

1571 *varia Venetorum loca populatur.*

Suppotoum à Turcis recuperatur.

Dulcinium oppugnatur.

1571 tem suam, militibus vitæ incolumitatem pacti. Cæterùm dum contendunt inter se Bassæ, quorum alter oppidum terrestribus copijs, alter mari obsederat, vtrius esse deberet, plerique omnes in seruitutem abducti fuerunt, exceptis Sarra Martinengo, Dalmatiæ supremo cum imperio gubernatore, qui & graue vulnus in propugnatione oppidi acceperat, ac Marco Venerio Dulcinij præfecto. *Antibaris capta.* Per eosdem dies Turcæ Doclea vrbe, quæ neotericis Antibaris dicitur, potiuntur, per summam ignauiam deditionem faciente Alexandro Donato præfecto, qui & totum Illyrium nuper turbauerat, & inexpugnabilis Scedræ oppidi recuperandi occasionem sua timiditate, cunctationeque turpiter amiserat. *Butua intercepta.* Butuam deinde mouentes Turcæ, eam quoque nullo negotio, eò quòd esset versus mare parum munita, occupârunt. Vluzalius verò & Caracosa Raisus interea cum sexaginta triremibus vniuersum mare Adriaticum rapinis & latrocinijs infestum habebant. Tandem cùm ad insulam Liesenam, quam Phariam, aut Farum Dalmatæ nominant, appulissent, suburbia depopulati sunt: arcem verò tentare non audebant. Liesena relicta Curzolam, seu Corcyram nigram, haud procul inde dissitam nauigârunt, cui insulæ nihil aliud dedêre damni, quàm quòd Vlatim pagum exussent. *Curzola à fœminis egregiè defensa.* Nam cùm oppidum insulæ, quod ipsum quoque Curzolæ nomen habet, à viris desertum aggrederentur, à fœminis animosè patriam defendêtibus, memorabili cum marium Curzolanorum & ipsorum hostium infamia, fœmineique sexûs immortali laude reiecti fuerunt.

In Belgio magna erat rerum tranquillitas, silebant bella, restaurabatur præteritis annis labefactata Ecclesia & Respub. quieti erant omnium incolarum animi, hoc vno excepto, quòd importunitatem Ducis Albani in nouis exactionibus postulandis ferre non poterant. *Hermannus Ruyter Louesteiniam occupat.* Præterea quidam Hermannus Ruyterus, vir incredibilis temeritatis & audaciæ, Buscoducensis, munitissimam arcem Louensteiniam, in insula Bommelensi, ad confluentiam Mosæ & Vahalis, è regione oppidi Gorcomiensis sitam, paucis cum socijs per insidias occupauit: maiora subsidia expectans, quæ illi secundo flumine adfutura promittebantur. Sed cùm cunctarentur, Albanus nulla interposita mora, missis frustra, qui deditionem postularêt, arcem obsedit, attractisque tormen-

tormentis bellicis, sinè intermissione verberare iussit, 1571
donec stratis ruinis arcem inuaderent. Ruyterus nihilominus fortissimè sese defendebat, multosque ex Regijs trucidabat, non sine multorum, qui eius alacritatem videbant, admiratione. Sed multitudine tandem hostium obrutus, occiditur & ipse. Caput eius trunco abscissum Buscoducum mittitur, ibique medio foro patibulo infixum, in contumeliam amicorum, cognatorumque omnium oculis exponitur. Socij eius septendecim capti, Antuerpiæ, alijsque in locis suspendio plerique, duo verò crurifragio necati sunt. Sunt qui credunt hanc expeditionem auctoritate & collusione Comitis Tsherenbergij susceptam, qui è Saxonia inferiore, regionibusque ad Balthicum mare sitis quotidie copias nonnullas expectabat, quibuscum Ruytero suppetias veniret, & Regi bellum moueret. Sed consilium hoc euentu caruit.

Louēsteiu ab Albano recuperatur.

Albanus cùm iam omnia in Belgio pacata crederet, nec bellum nouum in posterum timeret, per literas, nuntiosque à Rege flagitauit, proregia dignitate in Belgio defungi, eo quòd iam senex his laboribus & curis ferendis par non esset, & iam sibi gloriam satis amplam peperisset. Institit igitur, vt in Hispaniam reuocaretur, nouusque Gubernator suo loco denuò mitteretur. Rex itaque de sententia Senatûs Hispanici Duci Medinæ Cæli eandem potestatem Proregiam commendauit, cuius aduentus quotidie à Belgis expectabatur. Priusquam tamen Albanus sese itineri accingeret, voluit in perpetuam sui memoriam trophæum apud Belgas relinquere. Quare in meditullio arcis Antuerpianæ statuam æream, opere fusili, in basi seu fundamento è saxo viuo exciso, ad cuius summitatem gradibus nonnullis ascendebatur, erigi mandauit. Statuam autem ex aliquot tormentis, quæ Ludoico Nassouio in Frisia paucos ante annos ademerat, Iacobus Iungelingius miro artificio fuderat. Erat eiusdem quo ipse Albanus longitudinis, seu proceritatis, per omnia eius imaginem & formam referens, tota armis tecta, solo capite nuda, & dextera, quæ ad vrbem Antuerpiensem extendebatur, exarmata, qua significari voluit, se pacificatorem omnes hostes, quasi nullo memorabili bello deuicisse; sub pedibus illius duæ aliæ iacebant æreæ statuæ, cum multis brachijs & manibus, in quibus libellos habebant supplices, loculos, malleos, fra-

Albanus cupit præfectura Belgij defungi.

Albanus in arce Antuerp. sibi trophæum erigit.

1571 ctas secures, & faces, instrumenta, quibus rebelles præteritis tumultibus erant abusi. E statuarum istarum auribus pendebant Geusiaci calices, è collo mantica, ex qua angues & viperæ proserpebant, facies laruis tegebantur, quibus Geusiorum hypocrisis, malitia, auaritia & mendicitas notabatur: in basis frontispicio maioribus characteribus incisa hæc legebatur inscriptio:

FERDINANDO ALVAREZ A TOLEDO, ALBAE DVCI, PHILIPPI II. HISPANIARVM REGIS APVD BELGAS PRAEFECTO, QVOD EXTINCTA SEDITIONE, REBELLIBVS PVLSIS, RELIGIONE PROCVRATA, IVSTITIA CVLTA, PROVINCIAE PACEM FIRMARIT, REGIS OPTIMI MINISTRO FIDELISSIMO POSITVM.

In dextero latere trophæi excisus erat pastor, qui iam in pace oues suas ad pascua educebat, quem lupi & leones fugiebant: auroræ quoque radij orientes, & omne malum fugantes, vespertilionibus, bubonibusque auroram metuentibus, auolantibusque, cum inscriptione: Ἀλεξίκακος ἠώς, hoc est, Aurora fugans malum. A sinistro latere expressum erat altare, & in eo ignis cum similitudine oblationis pro gratiarum actione, hac addita inscriptione: DEO PATRVM NOSTRORVM. Paulò inferius astabat Pietas, cum multis trophæis, armis & bellicis instrumentis. Sub statua scriptum erat: IVNGELINGI OPVS EX AERE CAPTIVO. Huiusmodi statuas Albanus duas fieri curauit, quarum vnam secum in Hispanias auferret, alteram in arce Antuerpiana, vt diximus, erexit, quæ à Requesenio, illius successore, paucos post annos deiecta, & sublata est, opere licet atque artificio admirabili facta.

In Scotia hostes Reginæ conuentum mense Maio Edemburgi celebrandum indixerant: quem etsi Proceres, qui à Regina stabant, libenter impediuissent, irritus tamen omnis eorum fuit conatus. Quare & ipsi Limnuchi se toto conuentus tempore continuerunt.

Dum igitur alteri alteris seditionum causas & initia 1571 imputant, qui Edemburgi erant certas pacis conditiones proposuerunt: quæ cùm Reginæ amicis minimè probarentur, tres ex illis Comites Araniæ, Argatheliæ, & Huntilææ postquam edixissent: vti ciues vniuersi Reginæ legatis parerent, alia Comitia in tertium Nonas Augusti Limnuchi habēda indixerunt. Interea Angli Teuiotiam ingressi, villas Carorum & Scotorum diruunt, agros populationibus vastāt, & incendijs deformant, eo quòd hi prius excursionem in Angliam fecerant, & Anglos exules receperant. Humam etiam arcem deditione occupârunt, & diruerunt In Glottiano quoque tractu omnes agros Hamiltoniorum, & in Annandia Ionstoni villas omni belli iniuria fœdârunt. Miserant rebelles Scoti legationem in Angliam, quam obiuit Petcarnius, vt Anglam de morte Proregis, & rebus interea gestis faceret certiorem. Is reuersus nuntiat, Anglam mirari cur quarto demum à morte Proregis mense hanc legationem mitterent: incertam eam fuisse, quid de fide Scotorum speraret. Interea à legatis Regum Galliæ & Hispaniæ, Reginæque captæ prope quotidianis precibus & querelis fatigatam, ijs audientiam promisisse, ea lege, vt Scota scriberet, ne quid sui noui tentarent. Hac autem pactione illigata, negabat se posse consilij eorum de nouo creando Prorege participem fieri, ne causa Reginæ captiuæ nondum audita præiudicasse videretur: cæterùm curæ sibi illorum factionem fore. Rogabat itaque, vt tantisper electionem Proregis differrent. Hæc Anglæ responsio rebellium animos variè affecit: ope enim Anglæ minimè carere poterant, ideoque illam offendere consultum non erat: econtra omnino necessarium censebant, vnum esse inter ipsos, ad quem, tanquam ad summum magistratum, omnia deferrentur: neque hoc negotium eam moram, quam Angla petebat, ferre posse iudicabant. Medio igitur quodam consilio, non Proregem, sed Interregem, qui si Anglæ gratus foret, ex Interrege Prorex renuntiaretur, creandum esse decreuerunt. Placuit consilium. Matthæum Stuardum, Leuiniæ Comitem, Regis pueri auum elegerunt: quam electionem Angla literis mense Iulio datis approbauit: quibus literis cōfirmati, Matthæum ex Interrege Proregem creârunt Hic confestim collectis quàm maximis potuit copijs, circa initium

Augu-

1571 Augusti Limnuchum contendit, vt conuentum Catholicorum,& amicorum Reginæ ibidem indictum prohiberet: qui & suas copias eduxerunt. Quia tamen hoste numero multò essent inferiores, retro vnde venerant reuersi sunt, nec causæ summam prælio committere voluerunt. Conuentu igitur isto impedito, Prorex alium suæ factionis hominum in X. Octobris diem indixit, in quo tamen nihil actum est, nisi quòd Proregis electio est confirmata. Hic status rerum hoc anno in Scotia: sic Scoti ab arbitrio Anglorum, cum quibus æterna hactenus bella gesserant, sese vltrò subiecerunt, vt ne Proregem sine illorum consensu creare potuerint. Sic qui libertatem suis factionibus initio prætexebant, in extremam seruitutem sese præcipitârunt. De quibus non immeritò dictum videtur illud Taciti: Vt imperium euertant, libertatem præferunt; si euerterint, ipsam aggrediuntur.

Tacit. xvj. Annal.

In Anglia circumferebantur literæ Pontificis, vt creditum fuit, quæ Anglos hortabantur, vt ab iniusto Reginæ imperio discederent,& ad Catholicam Ecclesiam redirent. Sectarij,& hi, quibus Religionis mutatio vindemia quædam erat, ad omnes suspiciones pauidi, non linguas solùm, sed omnium manus obseruabant: familiare enim hoc isti hominum generi est, vt eo quoque tempore, quo non captantur, peti se iudicent, nullumque momentum immune à metu habeant. Hi itaque Reginæ auctores fuerunt, vt in Comitijs Parlamentaribus VVestmonasterij, secundo Aprilis die indictis, in decreta relatum sit, vt quicunque Reginam hæreticam, schismaticam, aut tyrannicam appellaret, proditor iudicaretur, & talem pœnam, mortem,& bonorum ademptionem pateretur, qualē summæ proditionis aut perduellionis conuicti. Quicunque viuente Regina ausurus esset scripto publicare, aut declarare, quis sit, debeátue esse legitimus hæres & successor eius (nisi naturalis corporis eius progenies sit) in pœnam prioris culpæ, annum vnum carceribus detinebitur,& dimidio bonorum mulctabitur. In pœnam autem alterius culpæ, bonorum omnium ademptione punietur,& perpetuis carceribus mancipabitur. Quicunque Romanas absolutionis, seu reconciliationis bullas in Regnum importauerit, earum auctoritate aliquem absoluerit, seu reconciliauerit, verbo, scripto, aut alio quouis modo absolutionem seu reconci-

Edictum Parlamētare in Anglia.

liatio-

liationem alicui promiserit, aut tali medio absolutionem aut reconciliationem meruerit. Quicunque etiam Romanas quacunque de causa bullas, scriptáue impetrauerint, eosdem ob omnes & singulos actus hos summæ proditionis notandos, & tanquam perduellionis reos redituum & bonorum omnium confiscatione mulctandos, & morte puniendos. Quicunque in Regnum intulerit Agnos Dei, cruces, imagines, grana, aut quodcunque aliud à Romano Pontifice benedictum, aut ab alio quocunque, ab ipso auctoritatem habente, & tale quid alicui in Regno ferendum aut vtendum tradiderit, qui intulerit, & qui acceperit pari supplicio plectetur, amissione scilicet bonorum omnium, & perpetua captiuitate. Denique quicunque, nisi notus mercator, Regni fines sine speciali Reginæ licentia excesserit, & vltra sex menses absens fuerit, bona eius omnia mobilia & immobilia fisco adiudicabuntur. Hæc in illis Comitiis: ad honestiora pergamus. 1571

Confirmato, vt diximus, inter summos Principes contra Turcas fœdere, mox classes cum omni diligentia instrui cœperunt: tum ne æstas otiosa elaberetur, tum etiam vt Cypriis periclitantibus subuenirent. At ea fuit Turcarum in bello Cyprio conficiendo celeritas, vt antequam Christianorum vires coire potuerint, iam bellum hoc confectum fuerit. Dum classes instruuntur, Philippus Rex maximas copias in citeriori Gallia conscripsit, quas in Liguriam eo consilio mittit, vt si quid Galli tentare cœperint, haberet quos ipsis obiiceret: non enim leuis suspicio erat, Gallos cum subditis Marchionis Finalis conuenisse, vt arcem Marchionis in ditione Genuensium sitam traderent. Hispanus itaque castra ad arcem hanc collocari, eamque verberari & oppugnari iussit. Etsi Finalenses initio se fortiter defenderent, tamen paucos post dies animaduertentes se tantis viribus resistere non posse, deditionem fecerunt. Interea Philippus fratrem suum Ioannem Austriacum cum omni peditatu Hispanico in Italiam nauigare iussit, cum quo classem conscenderunt Rudolphus & Ernestus, Maximiliani Cæsaris filii, quorum ille post obitum patris Imperium Romanum administrat: hic Belgii Prorex creatus, cùm eam præfecturam breui tempore administrasset, in Belgio vita defunctus est. Hi tunc à patre in Germaniam reuocabantur. Barcinona soluentes, Genuam cursum direxerunt. Quorum

Castrum Finale Hispano deditione traditur.

Rudolphum &

1571 rum Principum aduentu intellecto Genuenses, cum Florentiæ, Vrbiniq́ue Ducibus magna nobilium & virorum bellica virtute illustrium multitudine honoris causa obuiam profecti sunt. Cæsaris filij cùm in Italiam venissent, missa ad Pontificem legatione eum salutârunt, & Mantuam profecti, superatis Alpibus, in Germaniam reuersi sunt. Austriacus quoque e Liguria soluens, cum aliquot triremibus Messanam breui peruenit, missa prius ad Pontificem & Venetos legatione, qua significabat suum aduentum, eosq́ue hortabatur, vt omnia ad classes necessaria, quanta possent celeritate, compararent. Paulo post confœderatorum omnium classes in Sicilia, in portu Messanæ conuenerunt, initoq́ue nauium numero, compertum est, Venetos habuisse centum triremes, quinqueremes sex, & duas oblongas naues; præter biremes, myoparones, onerarias, aliaq́ue minora nauigia, quæ omnia imperio Sebastiani Venerij, quem postea Ducem suum creârunt, parebant. Pontificis classis sub M. Antonio Columna Talliacocciano Duce, nobilitatis Romanæ Principe, duodecim constabat triremibus. Philippica verò, cui Ioannes Austriacus totius expeditionis summus imperator, & Ioannes Andreas Dorea præerant, octoginta triremes & vnam, viginti verò duas maiores naues habebat. Aderant & Melitenses cum triremibus tribus, Genuenses etiam, Dux Sabaudiæ, Princeps Vrbini, suas pro cuiusque facultate coniunxerant: ita vt vniuersa classis è CCIX. triremibus, VI. quinqueremibus, & XXIIII. onerarijs conflata existeret: has omnes liburnicæ XL. subsequebantur. Erant in classe Italorum, Germanorum, & Hispanorum viginti duo millia, exceptis lixis & calonibus: trecēti etiam nobiles, qui suis sumptibus fortunam belli sequebantur, præter nautas, remiges, & qui arma non tractabant. Præter summos confœderatorum imperatores, erant etiam in hac expeditione Principes & illustres viri Ludoicus Requesenius, Magnus Castiliæ Commendator. Austriaco ob adolescentiam & ætatem vix maturam datus consiliarius, & quasi gubernator: Ascanius Cornianus; Augustinus Barbaricus; Marcus Quirinus; Antonius Canalis; Alexander Farnesius, Princeps Parmensis; Franciscus Maria, Guidonis Vbaldi filius; Rouereus, Vrbini Princeps: Paulus Iordanus Vrsinus, Dux Braccianensis: Aluarez Marchio S. Crucis, & alij plures. Paratis omni-

Ernestus Maximiliani Cæsaris filij ex Hispania in Germaniam redeunt.

Numerus nauium Christianæ classis.

Principes qui in classe fuerunt.

omnibus, imperatores, tribuni, illustrioresque fœderatorum Principes ad Comitia militaria conuenerunt: cœptum est primùm de prælio ineundo. Hîc diuersæ fuerunt sententiæ, dum quidam censent multis de caussis rem protrahendam, nec prælio committendam esse: alij contra, inter quos primas tenebat Ioannes Austriacus, multis rationibus demonstrabant, in apertum prodeundum, hostem per æquora quærendum, pugnam minimè detrectandam esse. Rationes vtriusque sententiæ qui scire cupit, Natalem Comitem legat: nos breuitati studemus. Vicit tandem Austriaci & illi assentientium sententia. Vt autem Austriacus Venetis animum adderet, concessit illis, vt quantum commeatûs, apparatusque bellici, quot classiarios vellēt sibi sumerent, quædam enim illis deesse videbantur. Quod & Venerius fecit, aliquantulum commeatûs, quatuor Italorum & Hispanorum millia sibi ex Hispanica classe accipiens, quibus suam refecit. Naues deinde omnes in eum ordinem constitutæ sunt, qui in pugna seruandus esset. Adhibitæ sunt variæ exhortationes, quibus milites ad piè & Christianè viuendum incitabantur; optimi quoque instituti modi, quibus vt orationibus & vitæ pietate cum fiducia fortitudinem à Deo flagitarent, quò tandem vires Turcicas cum illorum ignominia, Christique gloria possent eneruare. Hoc ordine mense Septembri classis è Sicilia soluit, & paucis pòst diebus Corcyram delata. Inde iterum discedens, vltimo Septembris Gomenicias insulas in portum perueniunt. Hîc ab Austro aliquamdiu detenti sunt: quare Austriaci iussu classis denuò lustratur & recensetur, mandatumque est omnibus nauarchis, vt naues suas diligenter inspicerent, & scrutarentur, nē quis postea reperiatur defectus. Accessit per idem tempus prætoria Gilandradæ, & triremes Contateni, ac Maripetriæ, qui nuntiârunt, Turcicam classem in Sinum Corinthiacum ingressam. Communi itaque decreto sublatis anchoris tertio die Octobris iterum in altum vehuntur, eo proposito, vt ostio istius sinus occupato, hostes ad pugnam compellerent, ad portum insulæ Cephalleniæ, quem vallis Alexandrinæ vocant, adpulit. Præerant (vt iam dictum est) hostili classi Alis Bassa, terrestribus verò copijs Pertauus. Inter hos cognito Christianæ classis aduentu sententiarum diuersitas exstitit. Pertauus abstinendum iudicabat à prælio,

1571

Variæ de prælio sententiæ.

De prælio

1571 lio, quòd coniuncta iam Christianorum classis vnius ducis imperio regeretur: expectādum esse perexiguum ad tempus, vt illo præsertim anni tempore soluatur. Alijs omnino contrarium sentiebat. A Pertauo stabant rei naualis peritissimi, veteraniq́ue duces Sirocus Alexādriæ Sangiacus, Carabuces Sangiacus Sourisaris in Caramania siue Cilicia maritima, Mechmetes Begus, Sale Raisi filius, Sangiacus Eubœæ. Cum Ali verò sentiebant Chasanes Begus, Charaidinis Barbarossę filius, Vluzalis Prosultanus Cęsairensis, & Caias Begus Smyrnensis Sangiacus: quorum sententia tandem vicit, Vluzali iubente in medium proferri & recitari mandatum Selymi, quo victoriam vti prosequerentur eis iniungebatur. Rationes, quæ vtramque dissentiētium partem mouebant, prolixè à Natali commemorātur. Placuit classem ex angustijs sinus Corinthiaci, quem Lepanthicum nunc vocant, in apertum pelagus educere, & cum Christianis confligere: quæ educta VI. Octobris secundo vento in Christianos ferebatur. Christiani eodem die (neque enim antea potuerunt ob ventos contrarios) portum Vallis Alexandrinæ deserentes, cursum cum summis laboribus (erat enim tempestas valida) ad scopulos Cuzoilares dictos direxerunt, & nocte illa iuxta littora Galangea constiterunt. Postero die, qui Dominicus erat, hora diei secunda, classis Turcica eminus apparuit. Mira fit vtrobique alacritas, mira oritur lætitia, cùm omnes dicerent, aduenisse iam diem, qui adferret finem laborum, & quo imperium Deus cui vellet adiudicaret. Austriacus videns hostem appropinquantem, ab altissima triremis suę antenna vexillum viride (hoc enim sacri fœderis signum erat) suspendi iussit, & maiori tormento excusso, omnes vt se ad pugnam præpararent admonuit. Ipse deinde & Columna duabus circumuecti biremibus, omnes & singulas naues accedebant, ipsasq́ue in ordinem, qualis erat necessarius, instruebant. Erat autem tota classis in quatuor partes, seu acies diuisa: primam, quæ à dextris erat, Ioannes Auria ducebat, cuius naues omnes vexilla coloris viridis habebant: alterius, quæ etiam à dextris erat, præerat Augustinus Barbadicus, cuius vexilla erant flaua. Medium tenebat Austriacus, qui ceruleis vexillis vtebatur: cuius Prætoriæ latus dextrum claudebant optimæ triremes Pontificiæ,

Varietas sententiarū inter Turcas.

Classis Christianæ ordo.

tificiæ, sinistrum Venetorum munitissimæ, penes quas 1571.
erant Genuensium, quibus imperabat Parmensis; & Allobrogum, in quibus vehebatur Princeps Vrbinas: extrema cornua tenebant Melitensium à dextris, à sinistris cum suis triremibus Bacianensis Dux Paulus Iordanis Vrsinus. Hic ordo Messanæ decretus, & deinde seruatus est. Austriacus, vt diximus, omnes & singulas naues accedens, ephibatas omnes ad pugnam accendit. Ostendit paucis, in hac pugna de Religione, patria, facultatibus, liberis, vita ac sanguine singulorum dimicari: necesse esse vel fortiter cadere, vel fortiter vincere, cùm reliqua omnia turpia sint ac misera: virtuti ferro viam sæpè aperuisse, timori omnia calamitosa esse coniuncta; vnam horam posse perpetuam gloriam & felicitatem adferre. Idem fecerunt alij Duces. Capucini, & Patres Societatis Iesu, quorum ingens numerus per classem erat distributus, omni quoque deuotione, & religiosissimis exhortationibus Classiariorum animos ad prælium excitabant. Austriacus ad Prætoriam suam reuersus, imaginem Christi Cruci affixi erigi iussit, & in alio signo imaginem Deiparæ expandit. Classiarij & ephibatæ, qui iam antea per peccatorum confessionem Deo erant reconciliati, videntes signum Crucis erectum, cum magna pietate ad sacerdotes confugerunt, se Deo commendari flagitantes. Mox dicti Patres amplissimum Iubilæum à Pontifice omnibus, qui huic expeditioni interessent, concessum promulgârunt. Interea Alis per Caracosam, quem exploratum emiserat, intelligit, non solùm Christianorum classem instructam in acie, sed etiam signis erectis ad pugnam contendere. Quo nuntio plurimùm consternatur, præsertim audito nauigiorum numero, quem ille ex alijs multo minorem esse intellexerat. Dantur nihilominus vtrinque pugnæ signa. Turcæ magnis clamoribus & vociferationibus de more lætitiam significant: Christiani classicis, lituis, tympanis, tubis ad prælium incitantur, summaque alacritate in hostem feruntur: quos Turcæ explicata classe in formam lunæ semiplenæ excipiebant. Turcis victoriam promittere videbatur secundi venti beneficiũ: sed hoc incommodum eos vicissim infestabat, quòd nauigabant sole aduerso, radijs oculorũ ipsorum aciem perstringentibus. Ioannes Andreas Auria & Vlizalius pugnæ dederunt initium, quorum vterque

Ecclesiasticorum in classe munus.

Naualis pugna in sinu Corinthiaco.

1571 cũ in naualibus bellis esset exercitatissimus, multa arte atq; industria inter se pugnârũt. Interea cæteræ quoque triremes cum triremibus, prætoriæ cum prætorijs congrediuntur. Turcarum tormenta, eò quòd eorum triremes essent altiores, confœderatis parum damni intulerunt: at illi à confœderatorum machinis maxima incommoda acceperunt. Pugnatum est vtrinque magna animorum contentione & ardore; tanto cum clamore, tympanorum sonitu, & tubarum clangore, vt cælum mugire videretur: fulmina & tonitrua tormentorum tanta erant, vt Iouem in fratris Regna transmigrasse credidisses: densa telorum & sagittarum per aëra volitantium multitudo ipsum Solem obscurabat, hastarum fractarum stridor aures obtundebat: vulneratorum & morientium gemitus & eiulatus animos eorum, qui adhuc integri erant, lancinabant: tabulata, antennæ, mali, arma per aëra volitabant: mare non iam aquis cæruleum, sed sanguine rubicundum, nihil ferè præter capita, manus, pedes, brachia, truncata corpora, homines mortuos & semiuiuos ferebat. Non potuit diu propter fumum tormentorum & sclopetorum prospici, penes quos futura esset victoria. Ancipiti itaque Marte pugnabatur: sed mox singulari Dei beneficio effectum, vt mare, quod antea leniter fauebat Turcicæ classi, paulatim resederit, pacatumque fortunam pugnæ mutauerit, mox placidissimus suauisque secundus ventus Christianis aspirare cœperit, qui Turcarum classem densissimo fumo inuoluit. Tunc vbique à Christianis felicius pugnatum est. Mahumetes, cui cũ Augustino Barbadico & Marino Contareno res erat, cùm suos diutius in acie retinere non posset, pugna excessit. At classiarij, quibus imperabat, triremes in siccum consultò impingentes, in mare desiliunt, & fuga salutem quærunt: nandi imperiti spem omnem vitæ in clementia Christianorum ponunt. Dum Auria prospectat, ne ab Vlizalio circumueniatur, Alis cum prætoria naui prætoriam Austriaci inuadit. Hîc prælium denuò exarsit, hîc atrocissimum omnium certamen gerebatur, vtpote quo fortissimi, celeberrimi, gloriæque auidiores duces vtrinque confluxerant. Turcæ Prætoriam Austriaci omni conatu conscendere nitebantur, sed non semel defensorum virtute repulsi sunt. At succrescente Turcarum frequentia, tandem hæc triremis superatur, & iam

Mutatio dexteræ Excelsi.

iam eam Turcæ ad malum vſque occupârant. Bis re- 1571
pulſi, bis nouis ſubſidijs recreati, tandem accurrenti-
bus vndique fœderatis, qui vniuerſam victoriam in il-
la triremi defendenda repoſitam eſſe cenſebant, Tur-
cæ maxima cum clade denuò eijciuntur: quo in con-
flictu Alis glande traiectus perijt, cuius ſtatim caput *Alis occi-*
abſciſſum, ad Auſtriacum allatum, haſtæ infixum, & *ditur, &*
tanquam trophæum in altum erectum eſt. Rareſcen- *caput eius*
te fumo, & redeunte ſerenitate, agnouerunt Turcæ *haſta infi-*
dextrum cornu profligatum, Alim Baſſam ſummum *gitur.*
imperatorem cæſum, Prætoriam eius captam, quam
Auſtriacus, detractis vexillis Turcicis, Crucem Chri-
ſti iam geſtare docuerat: imò totam claſſem diſſipa-
tam, depreſſam, & diſiectam: optimos duces tru-
cidatos. Trepidantes igitur ſegnius pugnârunt tri-
remes aliæ. Vluzalius præſens animaduertens peri-
culum, cum triginta triremibus è prælio ſeſe pro-
ripuit, & in proximum continentem fugit: quò
antequam venire potuit, ab Auria & Marchione
S. Crucis circumuenitur, pleræque eius naues in ter-
ram impegerunt, ipſe cum ſex tantùm aut ſeptem
noctis beneficio euaſit. Interea tota Chriſtiano- *Victoria.*
rum claſſe victoria conclamatur. Turcæ illa voci-
feratione conſternati, qui ſupererant terga vertere
cœperunt: ſed à perſequentibus cæſi, triremes & ſpo-
lia in poteſtate fœderatorum reliquerunt. Chriſtiani
capti, & ad remos damnati, ſolutis aut fractis cate-
nis, arreptis Turcarum armis, & ipſi in antiquos do-
minos ſæuierunt. Cum reſiduis ad tres deinde horas
pugnatum eſt, donec plena penes Chriſtianos ſtaret
victoria. Poſtridie luſtrantur naues, recenſentur claſ-
ſiarij: compertum è Chriſtianis ſeptem millia, ſex- *Numerus*
centos, quinquaginta ſex deſiderari, qui fortiter pug- *cæſorum*
nando ceciderant: inter quos fuêre inſignes Ioannes & *& vulne-*
Bernardinus Cardonæ Hiſpani: Horatius & Virginius *ratorum.*
Vrſini Romani: duo M. Antonij Landus & Paſquali-
gus, Hieronymus & Marinus Contareni, Franciſcus
Bonus, Andreas & Auguſtinus Barbadici, Ioan. Laure-
danus, Vincentius Quirinus Veneti: & ſexaginta equi-
tes Melitenſes. Vulnerati ſunt ipſe Auſtriacus, quam-
uis leui vulnere: Paulus Iordanus Sanctiflorius regu-
lus, Troilus Sauellus, Marcus Molinus, Thomas Medi-
cęus, & alij. E Turcis cæſa ſunt viginti quinque mil-
lia, capta inter quatuor & quinque millia, inter quos

1571 insigniores fuerunt Seinus & Malemetus Alis filij, qui cæso patre capti sunt. Armerbæius Genizarorum præfectus, *Assambeius Barbarossæ filius, cum filio suo Caracosa; Eubœæ, Mitilenæ, Chij, Alexandriæ, eiusque vxor mulier venustissima, Rhodi, Tripolis & aliarum prouinciarum Turcicarum Sangiaci. Addũt quidam Mustapham Celebim, summum aulæ Sultanicæ præfectum. Centum septendecim triremes, tredecim quinqueremes seu Galeotæ integræ, nulla parte læsæ in potestatem Christianorũ, cum omni apparatu & præda peruenerunt, Octoginta circiter triremes, quinqueremes & biremes perforatæ, depressæ, & incensę perierunt. Inuentæ sunt in ijs CXVI. maxima tormenta, CCLVI. minora. Liberata Christiana mancipia supra duodecim (alij duo addunt) millia. Hæc est illa toto orbe celeberrima naumachia, qua ab Augusti Imperatoris tempore mare Mediterraneum maiorem nõ vidit: qua metuenda illa & summa Imperatoris Turcici potentia cum in modum fuit attrita, vt nisi Veneti à fœdere tam facile decessissent, paruo deinde negotio penitus conteri potuisset. Parta victoria statim missi sunt nuntij cum literis ad fœderatorum Principes, vbique Deo actæ gratiæ, multæ congratulationes, multa lætitiæ exhibita signa.

*Hamsamus alijs.

Gallici tumultus, etsi non omnino extincti essent, hoc tamen anno conquieuerunt: nec vllum in Regno bellum gerebatur. At piratica Hugonottarum factio nondum in mari conquiescebat. Iam pridem enim aliquot nauium classem Rupellæ consilio Reginæ Nauarræ instruxerant, cui Chastellieræum præfecerunt, Is mare vniuersum infestum habebat. Postea in Angliam ad Cetellionæum Cardinalem Apostatam profectus est, & cum eo consilia communicauit. Videbat enim se portubus & littoribus Angliæ difficulter carere posse, & iam Conquesto proximus, à Britonibus, ne descenderet, prohibitus erat. Cetellionęus nõ difficulter ab Angliæ Regina impetrauit potestatem, Catholicos, & eorum naues vbique intercipiendi, ea lege, vt tertia pars prædę communi Caluinianorum vtilitati, quam Causam nominabant, obueniret. Qui huic militiæ adscripti fuêre, Causarij, & ipsa factio Causa dicebatur. Huius Causæ vim & iniuriam Genuenses, Veneti, Belgæ, Hispani, Galli breui tempore sensêre. Habebant hi piratæ tutum in portu-

Causa quid.

portubus Angliæ receptaculum. Hinc Reges Hispaniarum & Lusitaniæ, quibus maximi thesauri erant ab his nebulonibus adempti, apud Reginam de vi conquerebantur. Illa negabat se alicui represalliorum literas dedisse: iccirco si capi possent, qui has prædas egerant, pœnas luerent. Interim nemo aliquid, colludentibus inter se Principibus huius factionis, recuperat. Chastellieræus, cùm iam diu Causam Hugonotticam gnauiter apud homines egerat, apud Deum causam propriam acturus, à Condæo in prælium Bassacense vocatus, trucidatur. In eius locū sufficitur Sora quidam, homo sceleratissimus, & Archipirata celebris. Hîc se Admirallium, seu Archithalassum Nauarræ, auctoritate accepta à Ioanna d' Albret, Regina eiusdem Regni, iactans, non Britannicū tantùm, sed Athlanticum, Aquitanicum, & totum Oceanum Occidentalem suis latrocinijs, furtis & rapinis infestabat. Is hoc anno versus Maderæ & Canariæ insulas nauigauit, vbi nauem quandam Lusitanicam, Americam versus tendentem, detexit. Quam vt insecutus attigit, inuasit, & in ea quadraginta Religiosos Societatis Iesu deprehendit, qui in Brasiliam gentibus illis annuntiatum Christi Euangelium mittebantur. Sora furens, & ira æstuans in sanguinem innocentem, omnes istos Religiosos aut ipse necauit, aut per suos necari iussit: quosdam pugionum ictibus confossos, & semimortuos, quosdam resectis brachijs, quosdam disruptis thoracibus corde exempto, in mare præcipites dedit. Pater Ignatius senex, eleuata manu dextra, Deiparæ Virginis imagine omnes ad constantiam hortabatur: omnibus tandem vario martyrij genere sublatis, ipse quoque Ignatius, post patienter latas iniurias, post multa crudelitatis vulnera in mare deturbatur, & aquis obrutus spiritum Deo reddidit. Sora multa alia præda parta Rupellam se recepit.

1571

Historiā hanc latius prosequitur Surius.

Iesuitæ in Brasiliam nauigantes à Sora occiduntur.

Exules Belgæ, cùm animaduerterent hanc negotiationem esse quæstuosissimam, quæ ex Geusijs, hoc est, mendicis, breui opulentos facere posset, volentes & ipsi Causam agere, comparatis aliquot nauibus, piraticam longè lateque exercere cœperunt. Hi ad distinctionem Geusiorum siluestrium, qui in siluis grassabantur, Geusij aquatici dicebantur, & auctoritatem, potestatemque suam ab Auraico habebant. Duces eorum erant D. Oheinius Hannoniensis, Ioannes Broe-

Exules Belgæ piraticā facere incipiunt.

GEVSII AQVATICI.

1571 Broekius Amstelredamensis, VVilhelmus de Fiennes, Bartholdus Entius, Egmondanus quidam Holladus, Embiesius iunior, & alij. Hi naues omnes è Septemtrione aut Occidente venientes, & Belgium petentes, intercipiebant:& nisi graui lytro redimerentur, diripiebant. Rupellæ, Embdæ, in quibusdam insulis Hollandiæ, & maritimis locis Angliæ tuta habebant receptacula. Armârunt contra hos piratas Daniæ, Sueciæque Reges, & Dux Albanus quædam nauigia, quæ mare ab his rapinis tutum redderent. Sed in Oceano tam lato & spatioso deprehendi & capi difficulter potuerunt. Accedente tandem Lummæo, è Comitum Markensium prosapia nobili apud Eburones, colluuies hæc eum in modum creuit, vt Albanus apud Reginam conquestus sit, quòd reciperet ac foueret hostes Regis Hispaniarum, contra antiqua pacta & societatem inter Anglos & Burgundos initam: nec hostes tantùm Regis, sed publicos piratas, latrones, & grassatores, qui nullo discrimine amicos & inimicos spoliarent. Hac expostulatione Albanus tandem id effecit, vt Regina nefario huic hominum generi omnibus portubus, littoribus, locisque maritimis Anglię interdixerit, vt suo loco dicetur. Interim prudentiores quique, & qui rerum Belgicarū erant experitiores, suadebant Albano, vt præsidia quædam è mediterraneis locis euocata, in maritima loca Hollandiæ & Zelandiæ induceret; maius enim ipsi à mari, quàm à terra imminere periculum. At ille, vt hoc faceret, nunquam induci potuit; parum memor illius Taciti: *Principem sua scientia nō posse cuncta complecti, nec vnius mentem tantæ molis esse capacem: adsumat igitur in partem curarum alios. Qui enim,* ait Liuius, *nec ipse consulere, nec alteri parere scit, is extremi est ingenij.*

Albani cū Regina Angliæ expostulatio de his piratis.

Annal. III. & II. Liuius lib. xxij.

Hoc anno celebratæ sunt nuptiæ Archiducis Caroli Ducis Stirię, & filię Alberti Ducis Bauariæ, quibus interfuerunt, Cæsar Maximilianus, & Archidux Ferdinandus sponsi fratres, Regina Poloniæ, & Principes complures Germaniæ: vbi varia spectacula, ludi, certamina, & equorum decursiones ad oblectandos Principum animos exhibita, institutaque sunt.

Nuptiæ Archiducis Caroli

Post inclytam illam Christianorū de Turcis victoriam Austriacus Naupacti expugnationem aggredi cupiebat, sed cùm censæ fuissent classicæ copiæ, supra octo millia peditum, qui exponi possent, non sunt inuenta:

Quid classis Christiana post victoriam egerit.

uenta: quæ copiæ omnibus videbantur ad hanc expugnationem non sufficere. Inde vētum est Leucadem, S. Mauram nunc vocant, Epiri vrbem, cuius expugnatio dicebatur esse facilior. Sed re diligentius cognita, visum est eam expugnationē, propter iam imminentem hyemem differendā. Corcyram itaque tota classis reuersa est. Veneti accepto horum omnium per Onfræum nuntio, dici non potest quanta exultârunt lætitia, quantus auditus campanarum per vrbem strepitus, quot per noctes festiui ignes accensi, quantæ Deo omnis felicitatis auctori actæ gratiæ: variorum criminum rei nonnulli Senatûs decreto liberati: dimissi; qui pro leuioribus latrocinijs in vinculis detinebantur. Postridie aditur templum augustius solenni cum pompa, nec multo post celebrātur exequiæ eorum, qui fortiter in bello occubuissent. Eadem facta Romæ & per totam Italiam. Pro demortuis alij suffecti sunt tierarchi. Iacobus Superantius Eques per Senatus consultum succedit Barbadico. Leonardus Contarenus Eques ad Austriacum mittitur, vt ei gratularetur, & de rebus gerendis in annum sequentem ageret, quem in finem datæ sunt ei literæ beneuolentiæ, officij & maiestatis plenæ. Non minor erat lætitia in Hispania, quam auxit natus eodem tempore Philippo filius. Bizantij nil nisi gemitus, lamentationes, singultus & lachrymæ. Sultanum non tam iactura classis mordebat, quàm optimorum Ducum, quibuscum educatus erat, & quorum consilio & opera maximè fidebat, interitus. Hunc tam impotenti animo ferebat, vt omnes per Turcicas ditiones Christianos Hispani & Veneti nominis trucidari decreuisset, nisi Mahumetis prudentia obstitisset.

1571

Philippo nascitur filius.

Fœderatorum classis duces, cùm considerarent anni tempus rebus gerendis idoneum effluxisse, & iam hyemem in foribus esse, classem diuidendam decreuerunt. Ioannes itaque Austriacus Occidentem versus nauigās, in Siciliam adpulit, & classem Messanam reduxit, vbi regia pompa exceptus est. Columna Romam redijt, Pontifici gratissimus hospes, à quo magnificis muneribus donatus est. Veneti, ne triremes otiosæ stationem haberent, aliquam adhuc fortunam tentandam statuerunt. Venerius itaque cum triginta triremibus Margaritinum, in Cimmeriotarum regione, quæ Albaniæ pars est, haud procul à Corcyra si-

1572 tum, profectus, illud duodecimo Nouemb. deditione cepit, vitam, facultatesque saluas paciscentibus Barbaris: & ipsum castrum mox igne iniecto concremauit, ac diruit. Cestriam quoque à Turcis desertam Albani occupârunt, & Venetis restituerunt, à quibus pace restaurata Selymo reddita est.

recuperatum.

Cestria à Venetis capta.

Bellū inter Selymum & PrætoIoannem.

ANNO deinceps M. D.LXXII. fatali certè, & multis regnis atque prouincijs funesto, nouum oritur bellum, inter Selymum, & Dauidem Regem Aethiopiæ, quem Vncanum, Præto-Ioannem, Presbyterum Ioannem, vel preciosum Ioannem appellant. Huius imperium, sub ipso Aequinoctiali positum, latissimè sese ad vtrunque Tropicum extendit. Lunæ montes, & maximam Africæ partem complectitur, multosque sub se reges habet. Causa belli fuit tributum denegatum, aut dilatum. Cùm enim Turcarum Imperatores ex veteri pacto tributū, ducentorum millia nummûm, Aethiopum Regi pendant, Selymus id iam biennio non miserat. Rex itaq; Cairū, Aegypti vrbem celeberrimam, quam & Memphim, & Babylonem vocant, vniuersumque agrū sub imperio Turcico vicinū, emissis Nili aquis, submersit. Est enim in huius Regis arbitrio, placidè & moderatè aquas Nili in hos agros immittere, solumque fœcundare, cùm nec niues habeat, nec imbres; aut perforatis quibusdam angustijs, vrbes & agros, homines atque iumenta fluctibus inuoluere, & suffocare. Purpuratus Memphiticus, ferro potius, quàm auro, se inundationem hinc coërcere posse putans, multos Arabes, Mauros, multosque Cairi incolas, accolasque cogit, finesq; Aethiopum ingressus, omnia vastat, & populabūdus ad Saban & Meroen procurrit, angustias illas occupare & obstruere conatus. Sed à Dauide præuentus est, omnes Mauri & Arabes cæsi, capti, & in fugam versi sunt. Id cùm malè Purpurato successisset, simulat se inscio amici regis agros spoliatos esse, nihil petere quàm amicitiæ veteris continuationē. Sed Aethiops non ignarus cuius auspicijs hæc gesta erant, literas Purpurato mittit, & vt tributum soluat sinè vlla contradictione aut prorogatione imperat, id nisi faciat, se finitimos Turcarū agros hostiliter ingressurū, omnique ferro & flamma vastaturum minatur. Quod & confestim fecisset, nisi cum Persa de Arabiæ finibus

bellum

bellum metuisset, quod paulo pòst prudenti est consilio sopitum. 1572

Selymus, cùm nondum iram ex clade Corinthiaca acceptam decoquere posset, multos Græcorum sacerdotes miseris modis interfici mandauit, eos accusans, quòd Deum pro Christianorum salute aduersus Turcicam incolumitatem precati fuissent. quod exemplũ sequentibus annis Geusij in Belgio imitati sunt, quibus nihil vsitatius est, quàm tum sæuire in Catholicos, cùm insignẽ ab Hisp. Rege cladem ipsi acceperunt, illam Catholicorum votis & orationibus imputãtes. Multi quoque tunc temporis Turcæ Christianã fidem amplexi, cùm ad supplicium deducerentur, nihilque in via clamarent, quàm Christianorum fidem veram fidem esse, priusquam ad locum supplicij venissent, iugulabantur.

Selymi in Christianos tyrannis.

Sed & Turcæ nouis victorijs acceptam gloriæ maculam eluere volentes, Iaderæ insidiabantur. ad insulam itaque appulsi, ad ingressum statim munitionem struunt. Iaderenses 400. ciues Turcicæ linguæ peritos emittunt, qui Turcarum habitu amicti, armisque Turcicis accincti, per noctem sese Turcis coniungerent, non autem pugnarent, priusquam maiores sociorum copias aduentare conspicerent. Hi venientes ad munitionem accepti sunt. Paulo pòst Iaderenses subsequentes pugnam offerunt. initio leui prælio pugnatur, retrocedunt Turcæ atq; in munitionem sese recipiunt, vnaque cum illis Iaderenses, qui Turcas se simulârãt. Oppugnant interim alij munitionem, & mox qui in munitione erant, armis in Turcas conuersis, eos penè omnes succurrentibus socijs occidunt. Hermolaus quoque Teupolus Venetus in Hadriatico sinu Archipiratam Recamatorem capit, qui astu manus eius euadere volẽs, occisus, inde excoriatus, ex antenna suspenditur, eique nauarcha, viuo prius cute detracta, adiungitur.

Turcæ Iaderæ insidiantur.

Stratagema.

Recamator Archipirata capitur.

Thomam Hauartum Nortfolciæ Ducem, eo quòd matrimonium cum Regina Scotiæ non consulta Anglia inire decreuerat, in custodiam datum diximus antea. Scoti, & quotquot erant Reginæ capitales inimici, metuentes, ne, si hoc matrimonium speratum consequeretur euẽtum, Religio & res Scotorum denuò turbarentur, inter se consilia contulerunt, quomodo vtrumque tollerent. Optimum visum est consilium,

1572 filium, vt eis obijcerent, quòd cum Pontifice & Albano Duce in necem Reginæ Angliæ conspiràssent. Credita confestim accusatio, per se fauorabilis. Quare initio huius anni de Hauarto capitale sumptum est supplicium, sententiam mortis in illum proferente Stuarto hanc: Thomas Dux Nortfolcij accusatus proditionis & insidiarum in caput Reginæ Britanniæ structarum, atque in patriæ libertatem, Londini in turrim reducatur. Vnde super crate per vrbem ad Tiburnum suppliciorum locum trahatur. Ibi pendeat, donec fit semimortuus. Tunc membrum virile illi abscindatur, eoque vidente comburatur. Cædatur vtraq; manus, & corpus in quatuor partes diuidatur. Cadauer iaceat, donec Regina statuat, quid sit de illo faciendum.

Nortfolcij ducis sententia.

Conferatur hæc cũ Egmõdani & Hornani supplicio.

In Scotia nondum cædium & latrociniorum erat finis. Hyeme enim per inducias subinde renouatas transacta, cõuentus, quem Prorex in octauum Calendas Februar. indixerat, in Maium est reiectus. Interea Hamiltonij Pasleti turrim, eiectis custodibus occupât. Prorex Legatos in Angliam ad disceptãdum cum Legatis exterorum Regũ Galliarum & Hispaniarum de liberanda Regina Scotiæ, Mortonium, Robertum Petcarnium, & Iacobum Macgillium ad Calend. Febru. misit. Ipse Pasletum profectus turrim obsedit: quam, quia præsidiarij aquæ inopia laborabant, breui deditione recuperauit. Multi per hos dies, qui à Regina steterant, deficientes ad Proregem venerunt, à quo in gratiam & fidẽ recepti sunt. Sub id Proregi spes fit Britannoduni recuperandi, arcis munitissimæ, ad Glottæ & Liuinij fluminum confluentia, quam qui haberet, Scotiæ compedes iniecisse dicebatur. Nec eum spes frustrata est. Ope enim & consilio cuiusdam transfugæ, & præfecti Flaminij turpi negligentia, Thomas Crafordius scalis admotis, & transfuga præeunte arcem occupauit. Capti sunt in ea Ioãnes Hamiltonius, Archiepiscopus Fani S. Andreæ, Ioannes Flaminius, Bogallius iuuenis Anglus, Veracus Gallus, & Alexander Guilielmi Leuistonij. Præfectus ipse per portulam emissus, & nauiculam nactus in Argatheliam profugit. Ex captiuis solus Archiepiscopus, quem Prorex maximè extinctum cupiebat, Sterlini suspendio necatus est: homo genere clarus, vt qui ex Hamiltoniorũ gente erat oriundus. Interea Mortonus è legatione

Britannodunũ Scoti rebelles occupant.

Angli-

Anglica reuersus, in conuentu Nobiliũ Sterlini summam legationis retulit, quæ his ferè duobus capitibus continebatur. Primò crimina Reginæ captiuæ obiecta non opus esse alijs, quàm hactenus adducta essent, argumentis comprobare. Ea enim Anglæ & suis satisfacere. Secundò Regni eiurationem, & ius omne imperandi à matre in filium vi & armis translatum, non esse nouũ: illud se demonstrasse, quòd id Scotis semper fuit familiare, nec apud Lacedæmonios & Romanos huiusmodi exempla deesse. Sed hæc neque legatis Reginæ captiuæ, neque Regum externorum satisfaciebant. Cùm itaque Scoti prægnantiora argumenta adferre non possent, responderũt: Se domo non esse missos cum liberis mandatis, sed se certis finibus circumscriptam habere potestatem. Impetrata igitur venia, re non magna præstita, domum redierùnt.

1572 Legatorũ ex Anglia redeuntium respõsum.

In Belgio Dux Albanus adhuc decimum & vicesimum bonorum omnium denarium ab incolis exigere non destitit. Sed cùm prouinciæ adduci non possent, vt assentirentur: tandem postulatum hoc modo mitigauit. Vt externi mercatores pro mercibus, quas importarent, in prima venditione nihil soluerent: sed & easdem gratis exportarent, nisi eas permutarent, sed tantùm per prouincias veherent. Vt omnium mercium decimus & centesimus nummus semel tantùm penderetur, aut cùm è Belgio exportarentur, hoc est, in vltima venditione. Vt omnes fructus, frugesque in Belgio crescentes, & pecora, quæ in agris pascerentur, in prima venditione ab omni censu essent immunes. At Prouinciarum Ordines ne has etiam conditiones acceptare voluerunt, dicentes eas cum suis priuilegijs & libertatibus pugnare. Metuebant etiam, ne census hic, qui in certos annos petebatur, in consuetudinem vbi venisset, futurus esset perpetuus. Interea Belgarum animi à Rege, cui hæc omnia per literas & legatos exposuerunt, admonentes & deprecantes ne iugum hoc subditorum humeris imponeret, cœperunt indies magis magisque fieri alieniores, vt qui huic malo remedium non adhibebat.

Moderatio exactionis in Belgio.

Interea exules multi sub imperio quorundam nobilium, prædatorijs nauibus aliquot instructis, Piraticam exercebant, & mare infestum habebant, in Texela potissimum, Fleto, & Amisij ostio excubantes, &

Piratæ Belgæ.

1572 tes, & omnia diripientes. Oneratis præda nauibus in portus Angliæ velificabant, ibique spolia diuendebant: vbi & tempestate orta, aut alia necessitate ingruente, sua inuenerunt receptacula. Albanus non destitit ad Reginam scribere, vt prædones istos caperet, dignoque supplicio afficeret, aut saltem ijs in portubus suis liberum non permitteret refugium: hæc enim antiquis fœderibus & contractibus inter Belgas & Anglos olim initis aduersari. Angla etsi clàm istorũ piratarum conatibus fauebat, ne tamen fœdera violare videretur, prohibuit, ne in insulis, littoribus, aut portubus Angliæ reciperentur: & ne quis subditorum illis commeatum administraret. Coacti itaque Anglia cedere, alibi fortunam tentare constituerunt. Primarij huius colluuiei duces erãt VVilhelmus Comes à Marka, Dominus Lummæius, VVilhelmus à Bloys Dominus Treslonius, Dynasta Suetensis, Lancelotus à Bredenrode, Bartholomæus Entes, Iacobus Schonvvallius, Antonius Vtenhouius, Iacobus Cabelliau, Antonius Reinius, Ruichauerus, Roybollius, Iacobus Hennebartius, & alij: horum omnium summus imperator, & archithalassus erat Auraicus, cui omnis prædæ quintum quemque nummum pendebant. Naues habebant circiter quadraginta, quibus totum mare infestabant. Cum his Douera nauigantes, Enchusam dum petunt, obuium habuerunt nauigium Antuerpianum, ex Hispanijs veniens pretiosis mercibus oneratum: inde in aliam nauim Cantabricam inciderunt: vtramque superârunt, & suæ potestatis fecerũt. Sed cùm ventus ipsis esset contrarius, Enchusam cursum tenere non potuerunt. Quare ad Insulam Vornẽsem nauigârunt, iactisque anchoris, & suis in terram expositis, intempesta nocte oppidum Brielense, quod vnicum est in hac insula, tentârunt. Excitato ad Australem portam incendio, & ad illud restinguendum ciuibus cunctis accurrentibus, Septentrionalem portam occupârunt, oppidoque potiti sunt. Mox in templa & Monasteria irruunt, Diuorum imagines comminuunt, Ecclesiasticam supellectilem diripiunt, in sacerdotes & virgines Deo consecratas barbaro furore desæuiunt. Acta sunt hæc primo die Aprilis, qui erat Dominica Palmarum. Postridie per omnes insulæ pagos discurrentes, simili modo debacchati sunt. Huius rei certior factus Albanus, serò didicit, quàm male sibi

Briela occupatur.

lè sibi, Regi & patriæ consuluerat, quòd neglectis maritimis, mediterraneas vrbes præsidijs suis, non tam munierat, quàm diuexârat. Hostium nihilominus viribus spretis, Comitē Bossutium cum duabus tantùm centurijs Brielam misit, vt hostes insula pelleret. Sed Lummæius cùm Regiorum naues vidisset, suos descendere iussit, eisque obuiam processit. Regij audacia hostium consternati, velis versis in continentem redierunt, & Dordracum profecti, vrbe exclusi sunt. Bossutius Hollandiæ tunc & Vltraiectensis Diœcesis Gubernator, metuens ne Geusij eodem astu plura occuparent oppida, Roterodamum suos duxit, postulans vt in vrbem reciperetur. Quod cùm impetrare nō potuit, tandem ęgrè obtinuit, vt Centurionibus suos decuriatim per vrbem ducere potestas esset. Sed apertis portis milites furore parciti, quòd vrbe Regia excluderentur, cum impetu irruentes, vrbem suæ potestatis fecerunt, & multos ciues trucidârunt: quod factum apud omnes non eandem laudem merebatur. Inde profecti, portum Delphensem, vulgo Delfshauen, occupârunt.

1572

Comes Boshuitius à Geusijs fugatur.

Comes Boshuitius Roterodamum hostiliter inuadit. Aprilis 9.

Tres celebriores sunt in Belgio, quod Regis Philippi paret imperio, portus: quibus omnium ferè orbis terrarum regionum naues excipiuntur, Briela, Vlissinga, & Enchusa. Hæc in Hollandia Arctoa, illa in Meridionali est, ista Angliæ obiecta in Comitatu sita est Zelandiæ: oppidum à mari munitissimum, à terra inexpugnabile. Qui tribus his locis dominatur, Belgio quasi compedes iniecit: cùm ex ijs cæteris prouincijs plurimum potest commodare, vel incommodare. Brielam nunc interceptam diximus. Vlissingenses ob castrum, quod in ea vrbe extruere cœperat Albanus, in fide sui Principis quoque nutare incipiebāt. Albanus itaq; Middelburgum, olim Metelli castrum, Dominum de Bannoys, è familia Laleiniorum cum præsidio misit, quod à Senatu, quamuis difficulter, receptum est. Huius præsidij pars Vlissingam iussu Ducis mittebatur. At cùm ille nouum bellum imminere sentiret, Vlissingensibus melius cautum volens, Magistrum Campi, vt vocant, Paciecum cum octo centurijs peditum Vlissingam misit. Mensores præcurrentes ipsa Dominica Resurrectionis in vrbem venerunt, Senatuique nuntiarunt Paciecum cum præsidio in procinctu esse. Petere itaque vt sibi potestas detur

Vlissingēses præsidium Regis excludunt.

1572 hoſpitia militibus deſignandi. Cùm fama hæc per vrbem increbuiſſet, populus, qui in templis erat, relictis ſacris, & Synaxi, ad quam ſe parârat, in forum ante domum ciuicam venit, & quibuſdam incitantibus alta voce inclamârunt: Se Hiſpanos in vrbe nec ferre, nec videre poſſe. Caueret igitur Senatus, ne quod præſidium inconſultis ciuibus in vrbem admitteret. Dum ſic in foro tumultuatur populus, naues, in quibus præſidium erat, eminus conſpiciuntur. Confeſtim meſonautæ, & reliqua fex, colluuiesque nautica ad portum accurrunt, tormenta bellica onerant, armamentarium effringunt, omnia telorum, tormentorumque genera in portum, mœniaque efferunt: quibus aduenientes naues ita exceperunt, vt verſis velis Montes ad Zomam reuerterentur. Præſidium Gallorum, quod in vrbe erat, ſibi metuens, relicta Vliſſinga Middelburgũ redijt. Interea Paciecus in vrbem Vliſſingenſem venit, exiſtimans ſuas centurias in vrbem receptas eſſe. Admiſſus confeſtim capitur, pauloque poſt repetente illũ fruſtra Albano in crucem actus eſt. Quod eo conſilio factum arbitrantur, vt oppidani maiorem indignationem Albani, cuius agnatus dicebatur eſſe Paciecus, incurrerent, nec deinceps vllam ab illo veniam expectarent. Ad defenſionem itaque ſeſe præparantes, ope Evvaldi Petri, & Capitanei VVorſtij pulueris tormentarij copiam Antuerpiæ coemerunt. Ad Anglos confeſtim, & Comitem Ludoicum, tum in Gallia multa in perniciem Regis Hiſpan. molientem ſcripſerunt, præſidiarium militem flagitantes. Lumæus confeſtim quoſdam ex ſuis miſit. Exulantes in Anglia Belgæ centurias aliquot ſub imperio Bernhartij cum puluere ſulfureo, alijſque rebus ad defenſionem neceſſarijs eò ablegârunt. Comes quoque Ludoicus Hieronymum Tſeratium, nobilem domeſticum Auraici, vnà cum Haulteinio, & aliquot Gallis peditibus in vrbem Vliſſingenſem deſtinauit. Erãt & prædatoriæ naues contra Anglicos & Belgicos piratas ab Albano inſtructæ, quarum claſſiarij & ephibatæ, auditis Vliſſingenſium tumultibus, illis ſeſe iunxerunt. Nec minus rebus ſuis ſolliciti Middelburgenſes omnibus ad bellum neceſſarijs ſeſe inſtruxerunt. Armuyda in eadem inſula oppidum Middelburgum, Campinera Vliſſingam ſequebantur: ita vt inſula in duas factiones eſſet diuiſa. Vliſſingen-

Tumultus Vliſsingæ.

Vliſsingẽſes Regi rebellant.

genſes initio naues in Zelandiam appulſas benignè exceperunt, & tormenta tantùm, quæ habebant, ijs ademerunt. Inde aliquot naues ex Hiſpania venientes, aromatibus, alijsque mercibus pretioſis oneratas, in quibus non contemnenda quoque erat pecunię vis, ceperunt, exonerârunt, omniaque in ſuum vſum conuerterunt. Tandem omnia quæcunque obuia diripuerunt. Hinc mercatores Angli Vliſſingam frequentare, hinc milites vndique ſpe prædæ huc confluere cœperunt. Albanus tanta rerum mutatione attonitus, non ignorans quanti intererat Vliſſingam amiſiſſe, Sancium Dauilam cum inſtructo exercitu, & aliquot tormentis in Zelandiam miſit, vt Vliſſingam deditione aut expugnatione recuperaret, Middelburgum & vicinas inſulas annona & commeatu inſtrueret. Dum hæc parantur, è Brabantia Vliſſingenſes nouis ſubſidijs miſſis recreati, non iam de bello ſuſtinendo, ſed inferendo cogitare cœperunt, eductisque aliquot peditum ſignis, Middelburgum irrito conatu tentârūt. Dauila coorta tempeſtate cum claſſe ſua ad littus reiectus, munitiſſimum caſtrum Rammekens occupauit. Inde Middelburgum feliciori fortuna delatus, commeatum, apparatumque bellicum in vrbem intulit. Vliſſingenſes interea maioribus aucti copijs centum quinquaginta naues inſtruxerunt, quibus impedirent, ne quid Middelburgenſibus aduceheretur, nullæque merces ex alijs Regnis & prouincijs in hoſticū, niſi cum ipſorum conſenſu & licentia importarentur. Middelburgenſes contra omnem hoſtilitatem Vliſſingenſibus exhibuerunt, eruptioneque facta, munitionem Souburgenſem, Vliſſingæ vicinam, expulſis inde Gallis Geuſijs, recuperârunt. Inde Vliſſingam copias duxerunt. Vliſſingenſes nondum rebus omnibus compoſitis, inopino hoſtiū aduentu conſternati, aggeribus perruptis, aquis ſtagnantibus hoſtem à mœnibus repulerunt, vrbemque nouis propugnaculis, ſepimentis & vallis munierunt.

1572

Sancius Dauila in Vliſſingēſes mittitur.

Middelburgenſiū & Vliſſingenſiū hoſtilitas.

In Gallia edicto pacificatorio per omnes prouincias proclamato, quatuor vrbibus, vti cōuenerat, Hugonottis traditis, remotis armis, & nuptijs Regis Caroli IX. iam viginti annorum adoleſcentis cum Elizabetha Maximiliani Imperatoris filia in finibus Campaniæ celebratis, Rex non diu in Regni limitibus hæſit: ſed in interiora cum omni comitatu aulico ſeſe

Regū Galliarū nuptiæ.

1572 recepit. Cumq; non procul Lutetia abesset, Protestantium Principum Germaniæ legati illum adiêre, de cōnubiali fœdere cum domo Austriaca inito, & pace cū subditis conciliata illi congratulantes. Admiralius, tum vt Caluinianam suam Religionem magis propagaret, tum vt se de Hispaniæ Rege, qui præteritis bellis, Rege Galliarū id obnixè flagitante, aduersus ipsum instructas copias miserat, vlcisceretur, potissimum autem, vt sibi auctoritatem & potentiam comparaet, Regi Galliarum sæpe, multisque rationibus persuadere conatus est, vti bellum è proprio Regno in Philippicas ditiones transferret. Omnes enim Philippi subditos ita nomen & imperiū Hispanicum odisse, vt dubiū non sit, quin si sufficiētes copiæ in Belgiū & Insubriam Rex mittat, omnia suæ potestatis facturus sit. Oportunitatē solam Reginam esse rerum præclarè gerendarum, eam amisisse frustra multos pœnituisse. Huius consilij structor & auctor erat Ludoicus Nassouius, qui tunc in Gallijs erat. Rex initio ab hoc consilio multum abhorrebat, dicebatque palam, se fœdus, quod Hispanus cum patre inierat, & sanctè colebat, violare non posse. Ingratitudinis quoque notam se vel maximam incursurum, si amicum Regem, à quo toties dubio isto tempore suppetias flagitârat, & impetrârat, pro tantis beneficijs bello infestaret. Obstare quoque eiusdem Religionis communionē, & duplicem affinitatē. Hunc Regis animū confirmabant Gallici Proceres Catholici, quibus suspecta erat Admiralij potentia. Cùm enim ipse ingentem equitum, peditumq; numerum ad hoc bellum se missurum polliceretur, ducemq; se & imperatorē offerret, videbāt eius apud Regem auctoritatē in immensum auctū iri: futurum asserebant, vt Admiralius his viribus adiūctis, non Galliæ amplitudinem, sed suam potentiam aucuparetur: qua comparata, vix Gallia vniuersa contentus esset, nedum Belgio & Insubria. Qui enim in Religione tantoperè cum Rege dissentiat, qui Regnum affectare iam per arma visus sit, non minus quàm Condęus, qui tot Principum Germanorum, Angliæque viribus adiuuetur, qui tot Gallicorum nobilium & populorum beneuolentiā assecutus sit, quo pacto auctus Insubriæ, Belgijque imperio priuata prope vita sub Rege contentus esse poterit? Satius esse Gallorum Regi, vt Regni Gallici imperio contentus sit, fœdera religiosè colat,

Admiralius Regē aduersus Hispanū incitat.

Rex à cōsilio Admiralij abhorret.

Catholici Proceres bellū contra Hispanum dissuadent.

colat,

colat, communem Religionē tueatur, amicitiam cum amico Rege colat, quàm vt se externis bellis cum maximis Gallorum populo in calamitatibus implicet, fœdera, amicitiasque violet, eos honoribus, auctoritatibus, & potentia augeat, quos cōstat nil aliud, quàm veræ, sincereque Religionis, pro qua hactenus pugnatum erat, extirpationem, interitumque machinari. Alij contra, Regi non deesse causas iustas de fœdere cum Rege Hispaniarum inito discedendi. Regis enim sororem, Hispani vxorem, tam inhumaniter à marito habitam, vt violenta magis, quàm naturali morte extincta sit. Non multos ante annos Gallos, qui erant in terra Florida sub imperio Ribaultij, ab Hispanis nullo iure trucidatos, nec in auctores istius cædis vnquam animaduersum esse. His & huiusmodi calumnijs Regis adolescentis animum Admiralius cum suis sollicitabat, eoque tandem permouit, vt Rex Ludoicum Nassouium Rupella ad se Lemouicum euocauerit, eiq; mandauerit, vt Principi fratri suo scriberet, ne reconciliationis conditiones, quas nomine Regis Maximilianus Imperator illi proposuerat, iustas alioquin (vt ipsi fatentur) æquas & securas acceptaret. Deinde actum est de bello Hispaniarum Regi inferendo, & quæ cuique post bellum cederent emolumenta. Rex omnes prouincias Belgicas, Galliæ conterminas ad Rhenum vsque perpetuo iure teneret: Auraico Hollandia, Zelandia, Frisia, Diœcesis Vltraiectensis, & omnes aliæ prouinciæ Transrhenanæ, Transiselanæque, vt iure belli acquisitę, relinquerētur. Auraicus in Germania exercitum conscriberet, Alenconius Regis frater cum summo imperio bello præesset, cui Admiralius Legati loco adiungeretur. Classis quoque, cui Philippus Stroza præerat, ad hoc bellum instrui credebatur. Nouum quoque fœdus Rex cum Regina Angliæ pepigit, quo constitutum, vt mutuis sese auxilijs defenderent, communibus expensis bellum gererent, nec Religionis causa se inuicem desererent. Fuerunt huius fœderis plures, maximique ponderis conditiones, quæ nondum publicæ factæ sunt: eæque per Marescalium Mommorantium stabilitæ, confirmatæque. Scribunt nonnulli & Ducem Florentiæ huic fœderi subscripsisse. De hoc fœdere plurimum eo tempore gloriabantur nouarum Religionum studiosi, de quo & ea, quæ à nobis commemorata sunt,

1572

Gallica fides.

Fœdus inter Regē, Admiralium, & Auraicū cōtra Hispanum.

Aliud fœdus Galli cum Angla.

1572 ipsi editis libris vulgârunt: licet alij nunquam absolutum Regis consensum accessisse, & conceptas fuisse magis istas conditiones, quàm determinatas & confirmatas crederent. Dum sic fluctuat Regis animus, & hinc ambitione, dilatandique Regni cupiditate, illinc fide & honestate Regia pulsatur, Admiralius, Noæus (quē Lanouvve vocant) & Ienlissius ope aliorũ Hugonottarũ aliquot copias militares contrahũt, quibus Ludoicum Nassouium in Hannoniam, ad occupandos Montes, eius prouinciæ vrbem primariam, miserunt. Quæ vrbs cùm muris, fossis, aggeribus, turribus & propugnaculis sit munitissima, non viribus, sed arte, doloque erat expugnanda Præmisit itaque Ludoicus duodecim insignis audaciȩ milites, qui XXIV. Maij vrbē habitu mercatorum ingrediuntur. Hi apud hospitem vesperi cœnantes interrogant, qua hora manè ciuitatis portæ aperiantur. Respondit hospes, hora quarta, & si quis ostiario exiguum munus det, citius etiam proficisci volentibus portas reserabit. Postridie itaque ante Solis ortum surgentes, ante portam veniunt, quȩ illis promisso munusculo reseratur. Illi eductis gladijs portæ præfectum interficiunt, & Nassouium, qui cum triginta circiter equitibus ante portam excubabat, in vrbem recipiunt. Is ingressus, equites per vrbis regiones distribuit, per plateas discurrētes, & stentoris voce inclamantes, Libertas, ô ciues, libertas vobis offertur: Auraicus Princeps venit, vt vobis patrocinetur, & à decimo Albani nũmo liberet, tantũ tumultum concitârunt, vt ciues aliquot equitũ millia in vrbe esse existimarent. Si quis ciuiũ fenestram aut ianuam aperiret, aderat cōfestim qui globum immitteret. Cùm sic aliquandiu tumultuati essent, nec reliquȩ copiæ aduenirent, eò quòd in silua proxima errarent, accurrit confestim Ludoicus Comes, eos inuenit, & in vrbem introduxit, cùm iam ferè hostis ex vrbe reiectus esset. Erant autem equites circiter quingenti, quorum singuli peditem à tergo vehebant: qui confestim portas, arcem & curiam occupârunt, totamque vrbem suo imperio subiecerunt. Eodem die, quo Nassouius Montes cepit, Noæus Valencenas occupat: sed paulo post inde à Regijs eijcitur. Miserat enim istuc Albanus Ioannem Mendozā cum aliquot equitũ alis, vt cōmeatum in arcem inferret. Qua re consternati qui vrbem auspicijs Nassouij occupârant, eam rursus

Ludoicus Nassouius Montes Hannoniæ occupat.

Valencenas capiunt Geusi.

cum

cum magna ignominia deseruerunt. Similes insidiæ alijs etiam vrbibus, sed irrito conatu struebantur. Albanus accepto de captis Montibus nuntio, primò induci non potuit, vt crederet, cùm recentes literas ex Gallia accepisset, Nassouium ibidem paucos ante dies visum, nec de expeditione noua, ab illo suscipienda, vllus in aula Gallica sermo esset. Sed cùm certis nuntijs, certisque literis cognouisset, verum esse, quod hactenus dubia fama ferebatur, confestim omnes Regulos, Proceres, militum tribunos, & belli præfectos ad se vocat, periculum, in quo Belgium versaretur, iis exponit. Ne autem malum hoc vlterius proserpat, sed maturè illi obuiam eatur, iubet omnes vt suas legiones, centurias & cohortes cogant, suppleant, ac recenseant, vt cùm ad expeditionem euocentur parati sint. 1572 *Deserunt.*

Dum hæc geruntur in Gallia & Belgio, Pius V. Pontifex Romanus terrenam hãc vitam cælesti commutauit: dum enim ad sacrum fœdus cõtra Turcam Principes omnes Christianos inuitat, nouoque bello hosti barbaro inferendo intentus est, medio mense Martio nephritis morbus ei familiaris maiori cum doloris vehementia ingrauatus est, creuitque in horas, ita vt vnà cum vrina sanguinem & putredinem eijceret. In hoc morbo asininum lac tanquam præsens huic malo remedium bibere consueuit. Ad consuetum itaque potum recurrens, tantum lactis istius bibit, vt stomachum eum in modũ debilitauerit, quòd cibum nullum potuit concoquere, nedum retinere. In hoc grauissimo morbo, intolerandisque doloribus erat patientissimus: Ecclesiam Christi orationibus assiduis Deo commendabat, omnibus spiritualibus operibus adiuuabat, septem Ecclesias in hac periculosa infirmitate pedes visitare non intermisit. Postea cùm morbus ad singula prope momenta noua haberet incrementa, & iam ad summum peruenisset, die Mercurij, qui vltimus erat mensis Aprilis, mortem adesse sensijt. Cardinales igitur omnes, qui in vrbe erant, ad se vocatos multis salutaribus documentis ad officium suum faciendum exhortatus est. Deinde sese ad mortem placidè composuit, & postridie, Calendis scilicet Maijs hora XXII. Aetatis suæ anno LXII. Pontificatûs verò VII. rebus humanis exemptus, ad Dominum migrauit. Eodem die, quo obijt, sub vesperem *Mors Pij V. Pontificis Max.*

1572 corpore diſſecto & aperto, tres calculi in veſica illius reperti ſunt. Poſtridie funus in Eccleſiam D. Petri illatum eſt, maximo populi, qui eius videndi deſiderio tenebantur, concurſu: cui iam mortuo nō minorem, quàm viuo, reuerentiam exhibebant: multi vberrimè, tanquam optimo patre orbati, illachrymabantur, & certatim eius corpus, tanquam viri ſanctiſſimi contingere ſtudebant. Memoriam, & maximum ſui deſiderium apud omnes etiam hoſtes reliquit: ob inſignes enim dotes, raraſq; animi virtutes, nō amicis tātùm, ſed & inimicis, hæreticis & Turcis erat venerabilis: quod certiſſimum bonitatis illius argumentum eſt: *Bonum enim eſt*, inquit Ariſtoteles, *quod inimici & mali laudant: videntur enim ferè omnes fateri, quod fatentur vel hoſtes, vel qui ob aliquam offenſionem à nobis alieni ſunt. Cùm res ea adeò ſit euidens, & expoſita omnium oculis, vt illi diffiteri non poſſint.*

Gregorius XIII. Pontifex eligitur.

Poſt obitum Pij V. cùm Sedes dies XIII. vacaſſet, omnium prope Cardinalium conſenſu XIII. Maij, hora circiter XXII. Pontifex creatus eſt Hugo Bononienſis, è Boncompagniorum familia, patre Chriſtophoro, anno poſt natum Chriſtum M.D.II. procreatus.

Breuis vitæ Gregorij cōmemoratio.

Qui nobilium more educatus, cùm grauioribus ſtudijs aptus eſſet, ad Iuris, Legumq; facultatem miſſus, Ludoicum Muzzolum, Annibalem Caccianimicum, Gozadinum, & Carolum Rouinum, celeberrimos eius ætatis Iuriſconſultos audiuit: ſub quibus & Doctoratûs inſignia ſuſcepit. Cùmque varijs officijs tam in patria, quàm extra patriam functus eſſet, ad magnas dignitates aſcendit, & à Paulo IV. Epiſcopatu Veſtæ donatus eſt. Qua in dignitate conſtitutus, cùm præclaram operam in Concilio Tridentino Eccleſiæ nauaſſet, ſingulariſque prudentiæ ſuæ ſpecimen non obſcurum exhibuiſſet, reuerſus à Pio IV. Cardinalis, cum titulo S. Sixti creatur. Mox in Hiſpanias cum poteſtate Legati à latere mittitur. Inde reuerſus, tandem Pontifex renuntiatur, mutatoque Hugonis nomine, Gregorij ob ſummum affectum, quo in D. Gregorium erat, aſſumpſit, & in feſto Pentecoſtes coronatus, Gregorius XIII. eſt appellatus, cuius virtutes ſi quis enumerare vellet,

Caucaſea citiùs ſoluet de rupe Promethei
Brachia, & à medio pectore pellet auem.

Non

Non enim Demosthenis eloquentia, nec Ciceronis lingua,par esse posset eius commendationi. Si œconomiam(vt ab infimis incipiam)spectes; Romam ex lateritia reddidit marmoream,imm̀ò ex ruinis atque rudcribus,nouam,eamque magnificentissimam Vrbem exædificauit.Si politicam administrationem; corruptissimos Italiæ mores repurgauit,pullulantes sæpè Ducum & Rerumpub. motus prudenter suppressit. In Polonia,Germania,Gallia,Belgio, alijsque regnis & prouincijs exteris quid non fecit, vt bella abrumperet, & seditiones sopiret? quas legationes non misit? quos thesauros non profudit, ne boni à malis opprimerentur? Si sacra iura quæras; ea ipse non tam vetera restituit,quàm noua,eaque optima,condidit.Si Ecclesiasticam consideres disciplinam; quid non fecit? quibus sumptibus pepercit, vt eam nobis redderet quàm incorruptissimam? Si denique Ecclesiam ipsam, atque Apostolicum illud munus, quo ipsa propagatur, animaduertas; inuenies eam olim toto orbe diffusam, paulò ante in maximas angustias redactam, nunc sub hoc Pontifice dilatari. Quæ enim gens, quæ natio, ad quam Christiana fides hoc tempore non peruenit? Taceo diligentiam, quam in Orientalibus, Occidentalibusque Indijs,magnique Oceani Insulis,per Patres Societatis Iesu,aliosque religiosos conuertendis, insumpsit. Quid non agit,vt errantes ab Ecclesia populos reducat? Anglis, Scotis, Germanis, Vngaris, Boëmis, Græcis atque Hebræis, magnificentissima Collegia construxit,liberalissimeque dotauit,ex quorum alumnis in patriam redeuntibus qui fructus,quæ emolumēta sint aliquando prouentura,quis non videt?

1572 Gregorij XIII. laudes.

Seminaria sumptibus Pōtificis fundata.

Seminarium instituit pro Iudæis,qui relicta perfidia Christi fidem amplecti cupiunt: erexit aliud pro Græcis & Hungaris,nefandis Turcarum erroribus, alijsve hæresibus imbutis.Collegium Germanicum tam liberaliter dotauit,vt etiam Polonos, Suecos, aliasque nationes vicinas, maximè eas, quæ hæresi Lutherana laborant,suscipiat.Aliud quoque pro Dalmatis fundauit.Plurimum etiā clero Romano,alijsq; Collegijs celeberrimæ Societatis Iesu contribuit, cuius laboribus Pontifex in horum ferè omnium Collegiorum gubernatione vsus est hactenus,& in posterum vti decreuit. Magnam præterea pecuniæ vim dedit Collegio Pragensi & Viennensi.Præterea nobilem illam Acade-

1572 miam Louanienſem, tumultu Principis Auraici grauiſſimè afflictam, ſua liberalitate magnoperè ſubleuauit. In Liuonia breui ſeminarium erexit, pro Liuonibus & Moſcouitis: & in Iapania pro Iapanis Iacta quoque ſunt Pariſijs fundamenta Collegij pro Scotis erigendi. Quin & hoc ipſo anno, quo hęc ſcribimus, Belgis frequentiſſimum ſeminarium Buſcoducis erectum ſeſe promiſit. Mirùm ſanè eſſet, vnde tot, tantique (præſertim hoc tempore, Pontificis ærario tam vehementer acciſo) ſanctiſſimo viro theſauri prodeant, niſi qui Salomonem ædificantem templum Deo tantis opibus beauit, rebus humanis adhuc præſideret, & Gregorium Pontificem Maximum, nulli rei quàm Eccleſiæ ſuæ reſtaurationi intentum, conſimili modo bearet. Ite igitur hæretici, abite muſcæ liuidæ, qui præcedentium Pontificum vlceribus (ſi quæ ſint) inſidere ſoletis: ſanum hoc corpus eſt, & à ſpiculis veſtris omninò tutum. Vbi veſter Lutherus? vbi Caluinus? vbi Beza? vbi rabularum veſtrorum & ſpermologorum caterua? quis eorum vnquam Hebræum, Græcum, aut Paganum ad fidem conuertit? quis non infinitos fideles à fide, quam habebant, potius auertit? Pontifex Romanus ad ædificationem eſt, non ad deſtructionem. Non ſum Pontificum adulator, nec inter eos volo numerari: quod res eſt dico, & me tacente lapides & ligna clamant, literæ mutæ vociferantur, & in vna eademque Eccleſia Græci, Iudæi & Barbari loquuntur.

In Belgio Geuſij rem ſtrenuè gerebant. Vliſſingenſes & eorum ſocij, contractis vndique maioribus copijs, partem peditatûs ſui in Flandriam transportârunt, vt Comiti Ludoico, ſi neceſſe eſſet, ſuccurrere, atque interea Flandriæ quaſdam vrbes occupare poſſent. Flandriam itaque ingreſſi Ooſtburgum, Ekeloum, & Arenburgum hoſtiliter inuaſerunt, vbi ciues nonnullos Brugenſes inuenerunt: qui Tſeratio huius expeditionis anteſignano perſuaſerunt, pleroſque conciues ſuos factionis Auraici ſtudioſiſſimos nihil magis optare, quàm vt Brugæ quoque in fœdus recipiantur. Hi confeſtim remiſſi ſunt, vt plures ciues in hanc opinionem adducerent, venientibusque Geuſijs portam aperirent. Sed detecto hoc conſilio, negotium ex ſententia non ſucceſſit. Idem & Gandaui, ſed non meliori ſucceſſu, tentatum. Tſeratius cùm nihil quod operæpretium

Brugis inſidiantur.

tium eſſet ſe in Flandria præſtare poſſe videret, copias in Zelandiam reduxit, vbi à Vliſſingenſibus proditionis inſimulatus, omnibus locis excluditur. Quare cum exercitu, cui præerat, in inſulam vicinam mittitur, vt Goeſium munitiſſimum oppidulum Zelandiæ expugnaret, aut deditione occuparet: dicebantur enim multi in oppido eſſe, qui Geuſiacæ factioni fauebant. Sed Hiſpani, qui non procul ab oppido ſtationem habebant, aduentu hoſtium intellecto oppidanos monet, vt vigilent, & ab hoſte adueniente ſeſe defendant. Tſeratius ſuos ad oppidum ducit: ſed ab oppidanis bis nõ ſine clade repulſus eſt. Abducẽs igitur copias à mœnibus, ad mille circiter paſſus aliquamdiu conſedit, ſperans tumultum in oppido concitatum iri. Sed cùm ſummam tranquillitatem & ciuium concordiam animaduerteret, Vliſſingam reuerſus eſt. Vliſſingenſes cùm audirent nil actum eſſe, maiorem de Tſeratio proditionis ſuſpicionem conceperunt, nec vllo modo induci potuerunt, vt vel ipſum, vel ipſius quos ducebat Anglos & Gallos in vrbem reciperent. Coactus eſt itaque in vicino pago Soutlandia caſtrametari, vbi poſtridie ab Hiſpanis inopinatò obrutus, multos è ſuis amiſit. Prælio verò redintegrato, & Geuſijs è fuga collectis, cùm dubio euentu diu acerrimè pugnatum eſſet, neutraque pars cedere vellet, Hiſpanis iam penè victoribus, hoſtes machinam bellicam attraxerunt, quam ſemel atque iterum in Hiſpanos, non ſine leui damno excuſſerunt: adeò vt Hiſpani cedere cogerentur; quibus Diepenſes & Angli inſtabant. Deſiderati ſunt vtrinque viri aliquot fortiſſimi, è Geuſijs quidam Riuierius miles ſtrenuus, & ſuis in primis charus. In cuius cędis vindictam Zelandi & Galli omnes captiuos, quos è fuga retraxerant, ſuſpenderunt. Hiſpani verò, vt his parentarent, Geuſios à ſe captos, quorum non exiguus erat numerus, eodem ſupplicij genere viciſſim mulctârunt.

[Margin: 1572. Tſeratius in ſuſpicionem proditionis venit. — Tſeratius Goeſium fruſtra tentat. — Crudelitas factionum.]

Philippus Hiſpaniarum Rex, cùm nouos in Belgio motus nuper excitatos intellexiſſet, & incolas grauiſſimè de ſeueritate Ducis Albani conqueri cognouiſſet, vt Belgarum ſalutis ſe ſtudioſum oſtenderet, Ducem Medinæ Cæli, Principem optimum & clementiſſimum Belgicarum prouinciarum Gubernatorem deſignauit, Albanumque in Hiſpanias reuocauit. Medina acceptis literis & mandatis Regis cum duobus Hi-

ſpano-

1572 spanorum millibus, paucarum nauium classem conscendens, per mare Britannicum in Belgium nauigauit. Adiunxerant se huic classi mercatorum quorundam naues, aromatibus, alijsque pretiosis mercibus oneratæ, Caletum prætervecti, oram Flandricam legerunt, & cursum Vlissingam direxerunt: nihil enim de Zelandiæ motibus cognouerant. Hic in classem hostilem incidentes, dum maiora nauigia cum Vlissingensibus pugnant, Dux Medina & Hispani cum viginti circiter Cantabricis nauibus, quas Assabras vocant, vela vertunt, & nullo penè incommodo accepto Slusam, quæ Flandriæ vrbs est maritima, peruenerunt. Maiora mercatorū nauigia capta sunt, & Vlissingæ exonerata: præda omnis in militiæ sumptus conuersa est. Multi tamen Classiarij quibusdam cum nauibus incolumes ad arcem Rammekēs primùm, inde Middelburgum delati sunt. Nouus Gubernator cùm ex longa nauigatione vires nonnihil refecisset, Slusa Brugas, inde Antuerpiam ad Albanum profectus est. Sed cùm rerum Belgicarum longè aliam constitutionem, quàm in Hispanijs ferebatur, cognouisset, omniaque perturbata & ad interitum spectantia vidisset, administrationem prouinciarum acceptare noluit: sed Regis voluntate exposita, & rebus suis constitutis, paulo post in Hispanias reuersus est.

Dux Medinæ Cæli in Belgiū veniens in manus hostium incidit. 10. Iunij.

Duo maris ostia seu portus Belgicos celebriores Brielam & Vlissingam à Geusijs occupata diximus hactenus. Restabat nunc tertius portus, ingressus in Belgium ex omnibus Septentrionalibus regionibus commodissimus, Enchusanus ab vrbe Enchusa, quæ hunc ingressum tuetur, dictus. Ea vrbs hoc modo etiam in potestatem Geusiorum venit. Cùm decimo die mensis Iunij Nauarcha quidam Regius, nomine Boshusius, cum suis nauibus Enchusam venisset, vt classem repararet, apparatu, commeatuque bellico instrueret, classiarij in vrbe diuersabantur, & inter naues vrbemque vltro, citroque commeabant. Quæ res ciuibus displicuit, ortaque est inter eos suspicio. Non deerant qui rebus Auraici studebant, Religionique nouæ addicti erant. Hi gliscenti seditioni ignem & materiam subdiderūt, populoque persuaserunt, Boshusium non alio fine illuc appulisse, quàm vt per insidias vrbem Albani imperio subijceret; nolentes, volentesue ad tributa decimi nummi persoluenda cogeret. Quibus sermonibus

Enchusa quomodo in potestatē Geusiorum venit.

ciues

ciues concitati, præfectum classis captiuum fecerunt, 1572
classiariosque omnes vrbe eiecerunt: in hoc Vlissingensibus humaniores, quòd neminem partis aduersæ occiderunt: imò ipse Boshusius paulo post libertati restituitur. Magistratus & ciues metuentes, ne hac sua insolentia Regem, Regiosque ministros offendissent, ad Lumæum scripserunt, orantes eum, vt vrbis patrocinium susciperet, præsidiumque militare ad vrbis defensionem mitteret. quod ille non grauatè fecit. Enchusianorum exemplum confestim imitata sunt cætera Hollandiæ Borealis oppida, Horna, Alcmaria, Edamum, Medenblica. Quæ fama cùm ad Australes Hollandos perlata esset, etiam ipsi Geusiacæ factioni fauere, & portas suas Lumæo aperire cœperunt. Primò Veteres aquæ, paruum, sed munitum inter Vltraiectum & Goudam oppidulum die XVIII. Iunij in partes Geusiorum transijt. Post dies quinque Gouda: idque cum omnium hominum admiratione: erant enim incolæ pacis & Religionis studiosissimi, Lumæo sese subiecit. Vicesimo quinto Iunij idipsum fecêre Dordracum, Harlemum, Lugdunum. Postridie Gorcomium ab eiusdem factionis hominibus occupatur: arx tamen post occupatam vrbem aliquamdiu in fide Regis permansit. Tota itaque Hollandia ab imperio Regis ad Principem Auraicum, & à Religione Catholica ad Caluinianam deficiente, Amstelredamum & Schonhouia Deo ac Regi fideles manserunt. Quare Lumæus vt vel inuitos Amstelredamenses sibi subijceret, varias vrbi insidias struxit, vrbemque bis, sed irrito conatu obsidere conatus est. Ciuium enim animi nullis minis aut promissionibus expugnari potuerunt, vt à Religione & Rege deficerent.

Alia Hollandiæ oppida se Geusijs dedunt.

Amstelredamum & Schonhouia Deo & Regi fideles.

Lumæus, socijque eum in modum rebus suis stabilitis, cùm iam potentes satis ad Regias vires reprimendas se esse arbitrarentur, crudelitatem, quam hactenus innocentiæ, lenitatisque fuco texerant, detracta larua palam ostentârunt, & pro qua Libertate pugnârant omnibus testatum fecerunt. Potiti enim Alcmaria, in cœnobium familiæ Franciscanæ magno cum impetu irruentes, inde R. P. F. Danielem Arendon Guardianum, olim Seminarij & monasterij Louaniensis moderatorem, F. Cornelium Diestensem patrem Monialium S. Claræ, Ioannem Nardensem, Ludoicum Voets sacerdotes, & Adrianum Goudanum laicum

Franciscanorum Alcmariensium martyria.

1572 laicum extraxerunt, captiuosque Enchusam miserunt: vbi post varios cruciatus ipso die Natiuitatis Baptistæ suspendio necati, beata natalitia sua celebrârunt. Engelbertus verò Teiburgius laicus, vir simplex & pius in Monasterio relictus, & Senatui traditus, cùm aurum, argentum & sacra cœnobij vasa prodere nollet, miseris modis torquetur, à pedibus suspenditur, flagellatur, facibus aduritur, & tandem viuo corpus, thoracis instar, nouaculis & cultris scinditur: quo in cruciatu cùm aliquot septimanas vixisset, vltimò in conspectu Amstelredamensium in pago Rarop suspenditur.

Gorcomiensium Ecclesiasticorum martyria. Gorcomium à Geusijs præter arcem occupatum dicebamus. Ne autem hostem tam vicinum haberent, attractis machinis bellicis arcem obsederunt. Cumque continuis pilarum ictibus murus conuulsus esset, nec subsidium à Bossutio mitteretur, in potestatem Geusiorum deditione concessit. Erant in arce præter alios duodecim Franciscani, & quidam sacerdotes seculares, qui nutante vrbe in arcem à Præfecto moniti sese receperant. Hi comprehensi, & in teterrimos carceres coniecti, post dira flagella, & inaudita tormenta, vt habet historia de his Martyribus conscripta, Brielam deportati, vt erant luto conspurcati, patibulum, quod erat in foro erectum, circuire coguntur: impudente quodam milite crucem præferente, cæterisque eos subsannantibus, & fustigationibus propellentibus. At illi præter Psalmos & preces nihil occinuerunt. Deinde in carceres detrusi sunt. Duo germani fratres Guardianum Brielam secuti sunt: qui cum licentia Præfectorum militum fratrem è carceribus eductum in hospitium quoddam secum abduxerunt, eique multis rationibus persuadere conati sunt, vt dissimulata saltem Catholica Religione sese hoc periculo liberaret. At ille nequaquam induci potuit, vt tantum scelus committeret, & in carceres redire, quàm cum fratribus cum salutis iactura & apostasiæ suspicione liber abire maluit.

14. Calen. Augusti. Ad horam noctis circiter tertiam adest carnifex Guardianus suauiter dormiens, tanquam nullum subesset periculum, à carnifice excitatur, & cum fratribus suis Franciscanis extra portam in Regularium Monasterij, nuper exusti, horreum ducitur. Erat cum illis Pastor vrbis Gorcomiensis M. Godefridus Dunæus, quondam Rector Vniuersitatis Parisiensis, doctrina & pietate clarissimus: qui eadem nocte crudeliter flagellatus, magnam

magnam præbuit animi constantiam. Cùm enim è 1572
circunstantibus nonnulli carnificem rogarent, vt humanius hominem tractaret: Quin tu, inquit ille, vir bone flagellare ne desinas: non enim flagella hæc tua mihi dolorem & cruciatum, sed voluptatem & consolationem summam adferunt. Is ergo talis tantusque vir, Theologus eximius, Ecclesiastes facundissimus, & gregis sui Pastor vigilantissimus, primus omnium scalas ascendere iubetur: quod prompto animo, lætoque vultu fecit, caputq; & collũ laqueo inserẽs, vitam pro Christo & Romanæ Ecclesiæ fide finiuit. Post Pastorem Nicolaus Pickius Guardianus, vbi fratres suos exosculatus esset, atque ad mortem intrepidis animis excipiendam admonuisset, in transuersam trabem eleuatur, & laqueo iniecto strangulatur. Tertio loco Hieronymus VVertensis, eorundem fratrum Vicarius suspenditur Is cùm spiritu esset feruentissimus, aliorum animos mirum in modum confirmauit. Tribus his strangulatis, cæteri quoque eodem supplicij genere sublati sunt: vno Gallobrabantino excepto, qui timore mortis à Catholica fide deficiens, Lumæo deinceps militauit. Sed paulò post insignis huius perfidiæ suæ grauissimam pœnam exoluit. Mense namque Septembri huius anni, tanquam minus fidelis ad Tribunum delatus, suspendioque addictus, mortem, quam cum gloria oppetere noluit, cum summa ignominia, summoque animæ periculo adire coactus est. Nomina verò cæterorum, vt in perpetua sint memoria, lubuit hoc loco annotare. Sunt autem ordine hæc: Frater Guilhaldus Danus, sacerdos octuagenarius, olim ex Dania propter fidem Catholicam profligatus. Nicasius Hesius vir singulari vitæ sanctimonia præditus, & in Theologia apprimè versatus Theodoricus Embdanus Amorfortius, magni illius Pauli Busij, qui apud Lumæum & Hollandos Geusios omnia poterat, auunculus; vterque mihi adolescenti notus & familiaris. Antonius Hormarius, Godefridus Meruelius, Franciscus à Bruxella Sacerdotes, & diuini verbi præcones celeberrimi. Post illos Petrus ab Ascha, & Cornelius VVicanus ad idẽ suppliciũ rapiuntur. Aderat quidam eiusdẽ familiæ sacerdos simplex & innocens, iã quintò è manibus eorũ carnificũ ereptus. Is cùm videret fratres suos tam lætis ac serenis vultibus ad mortem properare: Et ego, inquit, cum fratribus mori volo. Video enim

cælum

1572 cælum apertum,& animas eorum in illud recipi. Geusij his verbis ira magis incitati, eum cum alijs iugulârunt. Memorabile autem est, quod in horum Patrum ac Fratrum historia legitur, de ciue quodam Gorcomiensi, nomine Matthia Thorano, qui cùm viginti annis hernia miserè cruciatus esset, constantiamque horum fratrum intellexisset: Orate, inquit, pro me Patres & Fratres, quos inuictam Romanæ fidei confessionem iam Martyres gloriosos effecisse non dubito. Adhuc in ore illius erat verbum hoc, & se planè, integreque curatum sensit. Suspensis quomodo diximus Pastore primario, & vndecim Franciscanis, Nicolaus quoque Popelius Sacellanus Pastoris Gorcomiensis, cum tribus alijs Presbyteris, & Canonico Regulari; duo etiam Franciscani aliundè adducti in Briela suspendio necati sunt. Mortuos tandem vestibus spoliârunt, & ne quid extremæ crudelitati deesset, alios auribus, alios naribus, alios, ô rem nefandam, pudendis truncârunt, ijsque galeris suis affixis, perpulchrè (vt sibi videbatur) ornati, tanquam insignem è tam nobili pugna trophæum reportantes, in oppidum reuersi sunt. In hac vrbe Brielensi diuersis temporibus LXXXIIII. viros Ecclesiasticos necatos esse quidam scripserunt.

Dum sic in Catholicos sæuiunt Hollandi, Comes Tserenbergius, qui Auraici Principis sororem coniugem habebat, à quibusdam Gelris, alijsque finitimis, veteris Reipub. administrationis, pacisque publicæ pertæsis incitatus, exercitum non contemnendum conscribi iussit: quo cum in Comitatum Zutphaniensem primò hostiliter ingressus, oppida Doesburgum, olim Drusiburgum, à fossis Drusianis dictum, Duetechemium, & Zutphanium occupauit. Inde copias aliquot Iselam transportatas in Gelriam duxit, atque in Velauia Hardervvicam, Elburgum, & Hattemum sibi subiecit: vti & in Transiselania Oldenzaliam, & Gorçum. Comes videns multorum animos in hanc rerum mutationem propendere, maioribus expeditionibus animum cogitationesque suas adiecit, & Campensem ciuitatem obsedit. Quæ cùm commeatûs & apparatûs bellici inopia laboraret, se Comitis imperio subiecit. Inde Hasletum, Suollam, & Steenvvicam in deditionem accepit. Sed neque Frisia ab his motibus fuit immunis: Nobiles enim quidam, qui propter præcedentium annorum delicta exulabant, sub ducibus Domino à Neor-

Comes Tserēbergius in Comitatu Zutphaniæ, Velauia & Transiselania quædam oppida capit.

à Neorvvormter, & Comite Iusto à Scauvvenburch, collectis aliquot peditum copijs, Frisiam ingressi, à Snecanis, Boelsuertis, & Franckeris vltrò excepti sunt. Sed Curia, quæ Leovvardiæ totius prouinciæ Metropoli sedem habet, partes Regis sequebatur. Huius igitur Curiæ Senatus Casparum Robles Billij Dominum, Groeningensium gubernatorem in auxilium deuocârunt: qui cùm insigni, optimeque armata manu Gallorum comitatus accurrisset, in vrbem & arcem Leovvardiensem, in arcem quoque Harlingensem & Staueren sem benignè receptus est. Geusij, ne tempus in otio consumerent, collectis viribus Doccomium profecti sunt. Erat in eo oppido modicum Gallorum præsidium, quo pulso oppidum occupârunt. Interim quinque Galli sese in turri Ecclesiæ tenebant, maximam glandium procellam effundendo, incredibile damnum ciuibus & præsidiarijs inferebant. Oppidani cùm modum, viamque hos inde eijciendi non inuenirent, iniecto igne turrim exusserunt: sperantes Gallos istos, si non flamma concrematum, saltem fumo suffocatum iri. Sed præter vnum cæteri omnes intacti atque incolumes stationem suam ad decimum sextum Septembris defenderunt. Quo tempore Gallorum aliquot copiæ, ductore Billio, Doccomiū denuò inuaserunt, Geusios expulerunt, socios liberârunt, & tandem oppidum incendio deleuerunt, munitionesque omnes solo æquârunt. Billius, vt qui erat rei militaris peritissimus, cùm intellexisset Geusiorum copias ex colonis & ciuium filijs conflatas, qui nullam habebant belli experientiam, cum magna celeritate ad secundam expeditionem profectus est, Stauriamque veniens, Geusios arcem obsidentes fugauit, oppidum diripuit, & incendio deformauit. Gallis præda onustis, Stauria redeuntibus Geusij, qui Boelsuardi, Snecæ & Franekeræ in præsidijs erant, coniunctis viribus occurrunt, ex inopinato eos obruere, prædamque illis extorquere studuerunt. Sed cùm ad manus ventum esset, Geusiorumque ductor sclopeti glande ex equo deiectus animam exhalaret, cæteri omnes salutem in fuga posuerunt. Tam eo tempore aduersa fuit Frisijs belli fortuna, nihil vt præclari vnquam gesserint, quod non turpem militibus & calamitosum ciuibus habuit exitum.

1572

Frisiæ oppida à Rege deficiunt.

Doccomium.

Circa idem ferè tempus Vltraiectenses, qui à Rege adhuc, non tam amore illius, quàm castri & præsidij

1572 metu, ſtabant, publico edicto cauent, ne Amorfortiis
Amorfortia in poteſtatem Geuſiorū venit. annona adueheretur. Peperit ea res graue diſſidium inter vtranque vrbem: nec deerant Amorfortijs homines quidam fanatici, qui ad exemplum aliarum vrbium, eos quoque ad ſeditionem atque rebellionem concitarent. Adrianus verò Egmondanus, vir nobiliſſimus, & religioni Catholicæ addictiſſimus, Petrus VVeſtrenus, Rutgerus Peutius, Gisbertus Vermatius, M. Gerardus Scadikius viri conſulares, magnæque in hac Repub. auctoritatis, plurimùm laborârunt, vt ciues in officio continerent. Dum ita fluctuāt ciues, Comes de Monte, qui iam Zutphanium, Suollam, Campos, & Harderuicam nomine Auraici occupabat, aliquot cohortes cum tormentis bellicis expugnatum Amorfortium mittit: ſed tanta erat tunc ciuium alacritas, vt interfectis quàm plurimis, hoſtem à mœnibus repulerint, magnamque ſpem dederint, ſe in obedientia Regis & fidei Catholicæ permanſuros. Sed paulò pòſt, neſcio quo fato quorundam hominum mendacijs perſuaſi, metu potiùs virium aduerſæ partis, quàm amore ſeditionis, ſe Comiti Montenſi dediderunt, præſidiumque illius acceperunt; ea tamen conditione, quòd Catholica religio ſarta tecta conſeruaretur, omnisque iconomachia ceſſaret: quod Præfectus in editiori loco ſtans, publico iuramento, inuocato Spiritûs S. numine, iurauit. Sed paulò pòſt omnia templa, annis ſuperioribus ab omni iconoclaſtarum impetu defenſa, diripiunt, aras euertunt, & ſacra profanis miſcent. Multi tūc viri egregij, præter ſuperius nominatos, vrbe exceſſerunt, & Vltraiectum, relictis vxoribus & familijs, commigrârunt. Sed relictis nunc his prouincijs ad bellum, quod in Hannonia gerebatur, reuertamur.

Montes Hannoniæ à Ludoico Naſſouio dolo captos dictum eſt antea. Albanus neglectis rebus Batauicis, Gelricis, & vicinarum regionum, vni bello Montenſi erat intentus: vel quòd Gallis nō fideret, qui propter vicinitatem hîc belli ſedem facile conſtituere potuiſſent, (vt enim non obſcura hominum fama erat, Gallorum, quorum lubrica ſemper fides eſt, ope & opibus bellum hoc adminiſtrabatur,) vel quia Hannonia primarijs Belgarum prouīncijs imminebat, quibus deſolatis ac perditis, cæteræ difficulter poſſent defendi, aut amiſſæ recuperari. Initio itaque Iulij Albanus filium ſuum Fredericum cum bis mille Hiſpanis & Bur-

gundionibus, totidemque Germanis, & quingentis e- 1572
quitibus ad obsidionem Montium præmisit: ipse cum *Montes in*
maioribus copijs subsecuturus: neque enim Germano- *Hānonia*
rum legiones, & equitatus Adolphi Holsatiæ, Erici- *obsidet*
que Bruinsuigæ Ducum aduenerant. Fredericus initio *Albanus.*
obsidionis Monasterium, quod vrbi imminebat, post multas velitationes, Gallorumque, qui illud defendendum susceperant, eruptiones expugnauit. Sed & oppidani excurrentes, vt segetem vicinam meterent, (erat enim tempus messis, & magna erat in vrbe frumenti inopia) cum Regijs sæpe leuibus prælijs decertârunt, nunc prædam in vrbem conuehentes, nunc excussa præda, & quibusdam è suis amissis, vacui in vrbem redeuntes. Paulo pôst Hispani Abbatiam Espinensem, quam ad teli iactum à mœnibus sitam Rouerius cum centum Gallis tuebatur, irrito conatu tentârunt. Huiusmodi velitationes, leuiaque prælia quotidie serebãtur. Interea Dominus Ienlisius, qui instinctu Admiralij & Nassouij à Rege Galliarum petierat, vt sua cum licentia plures copias conscriberet, quod facile impetrauit, cum septem millibus Gallorum peditum & equitum aduenit, vt obsessis succurreret. Cùm Nassouius eos in procinctu esse cognouisset, literas illi misit, quibus ab illo petebat, vt Cameracum versus iter institueret, & cum summa celeritate ad Auraicum fratrem suum contenderet, viresque suas cum viribus illius coniungeret. Gallorum enim copias sibi in vrbe parum profuturas: præsertim in hac omnium rerum caritate & inopia. Neque consultum fore, vt iuxta Hispanorum castra sua figat: Hispanos enim tam vicinum hostem non diu toleraturos. Metuendum igitur, ne omnes Hispanorum vires in se conuertat, & de summa rei cum ipsis decertare necessariò cogatur: quod minimè hoc rerum statu expedire videbatur. Respondit Ienlisius: Se hostē nō reformidare, sed vt cōfœderatis obsessis opem adferret venisse: prima igitur occasione oblata, se cum exercitu propius accessurum. Responso hoc ad Nassouium remisso castra mouit, ne hostem formidare videretur: temerarieque & inconsideratè, nullo maturo præuio consilio, iter rectà ad obsessos instituit: haud aliter, quàm si hostis multis milliaribus abfuisset. Sed nec ductores viarum gnaros habebat, qui tutum iter demonstrare, & per ambages circumducere possent, ne in manus hostium inciderent. Cùm ad fil-

1572 *Prælium inter Gallos & Hispanos ad Montes Hannoniæ.* uam ventum esset, trecentos circiter equites præmisit, qui quid hostis ageret, & quæ castrorum eius esset constitutio, specularentur. Dominus Rentius & Rumollus in primo agmine erant: Ienlisius, Comes Rheni, & Ianissius in postremo. Cùm itaque exploratores reuersi nuntiarent, se quosdam ex equitatu hostili iuxta siluam vidisse, Rētius confestim quasdā decurias ex suo equitatu legit, quas in fronte aciei constituit, vt hostiū impetū sustinerent. Qui in prima acie stabant, cùm hostiū copias ex silua prodire, & sclopetarios plenis, cōpositisque ordinibus se petere conspicerent, non diu cunctati, sed territi, sese in fugā verterunt, & ad suos nullo ordine reuersi sunt. Quod cùm Noircarmius Regiorum equitum Magister conspexisset, magna celeritate fugiētes insecutus est. Ienlisius, & alij duces, qui cū toto exercitu sequebantur, videntes suos fugere, & hostē totis viribus aduentare, pugnā non expectārūt: sed abiectis armis ignominiosam & ipsi fugā accelerārunt. Qui in postrema stabāt acie, à socijs deserti, cùm hostiū viribus impares essent, in fuga quoq; omne præsidiū suū collocârunt. Hoc modo insignis ille exercitus, in quo quadringenti circiter nobiles, mille quingēti equites, præter quinq; millia peditū fuisse perhibētur, ante præludiū pugnæ Hispanis victoriā vltrò detulerunt. Cæsorū magnus fuit numerus, captiuorū maior: quorū tamen sors beatior fuit, quàm qui hostiū manus effugerūt. Hi enim in agricolarū potestatē venerunt, qui quòd non leuia dāna ab his paulo ante acceperāt, exacerbati, quoscunq; obuios spoliârūt, spoliatosque miserè trucidârūt. Rentius, Comes Rheni, Dolheinius, Nicolaus du Pre in fuga cæsi sunt. Ienlisius & Ianissius cum sexcentis alijs, inter quos sexaginta erāt nobiles, capti, & in varias custodias distributi, plurimi postea strangulati sunt. Ienlisius Antuerpiam ductus paulo post ex hac vita discessit. Ianissius Dornichium missus, & in arcem conditus est. Bauesius cum octo equitibus in Abbatiam Espinensem incolumis peruenit.

Post cladem hanc, cæsis, captis, & dissipatis his auxiliaribus copijs, spes erat Nassouiū, cùm vrbē tam spatiosam exiguo quod habebat præsidio tenere difficulter posset, deditionem facile facturum esse. Fredericus itaq; Albani filius misso ad vrbē tubicine, æquas deditionis conditiones, obtulit. At Nassouius eas accipere noluit, fratris aduentum expectans. Cùm itaque Albanus

1572

nus animaduerteret, eum constanter in suo proposito perseuerare, & extrema tentare, quàm vrbem deserere secum statuisse, omnes Regis vires in illum conuertendas decreuit. Maximus itaque belli fit per totam Brabantiam apparatus, quo cum Albanus ipse in castra proficisceretur.

In Germania quoque ingentes copias Ducibus Holsatiæ, Erico Brunsuicensi, Francisco Louvvenburgēsi, Salentino Archiepiscopo Coloniensi, & alijs cōscribi iussit: qui insignem equitatum contraxerūt. Duodecim legiones peditum diuersis Germaniæ locis corrasit, reliquus peditatus Hispanis, VValonibus & Belgis constabat. Initio Augusti ipse in castra ad Montes Hanoniæ profectus est, triginta duo maiora, minoraque secum trahens tormēta bellica. Eum secutus est Dux Medinæ Cęli, qui tunc adhuc in Belgio hærebat. Arscotanum Ducem Bruxellis reliquit, vt Reipub. negotia curaret.

Albanus in castra ad Montes proficiscitur.

VVilhelmus Nassouius spe rerum gerendarum plenus, cùm Galliam suis rebus studiosam animaduerteret, ex qua iam ingentem pecuniæ summam acceperat, Principum quoque Germaniæ animos solicitauit, vt opes, quas possent, ad hoc bellum conferrent: sed & Sigenam, aliaque hæreditaria Dominia sua Hassiæ Lātgrauio, alijsque vendidit partim, partimque oppignorauit, & eam pecuniam conflauit, vnde exercitū VII. millium equitum, & XIIII. millium peditum, ducibus Ernesto Manneslo, Comite Barby, & fratre suo Henrico collegit, & octauo Iulij iuxta Teutoburgum Rhenum traduxit. Quem cùm in Gelria lustrâsset, ad Mosam magna celeritate contendit: vbi Ruremundam post vnam aut alteram impressionem quarto Augusti occupauit.

Auraicus cum exercitu in Belgium venit.

Raremūdam occupat.

Et quia in oppugnatione quosdam à suis amisisset, horrendum dictu, quàm in omnes, præsertim Religiosos impius miles desæuijt. Sed in nullos crudelius, quàm in Carthusianos: quorum ostiario cerebrū ligone elidunt, duos laicos, quorum alter senex morbidus, in lecto inuentus est, interficiunt. Alios senes duos scipioni innixos confodiunt. Cùm omnia diripuissent, sacra & profana, nec eorum auaritia satiari posset, Diaconum quendam coëgerunt, vt plures thesauros ostenderet. Quod cùm facere non posset, pugione capulo tenus in cor adacto in ipso templo peremerūt. Procuratorem

Auraici miles vt sæuijt in Carthusianos Ruremundēses.

1572 rem Monasterii, cùm eam pecuniæ summam, quã exigebant, dare non posset, bipenni primò lethaliter vulneratum, sclopeto mox trucidârunt. Præter hos trucidati sunt & alij quatuor Monachi, quotum vnus erat hospes, qui paucos ante dies Confluentia huc inauspicatò aduenerat. Grauiter vulnerati, & post lytro satis magno redempti quatuor. At omnium pessimè habitus est Monasterij Aeditimus. Detractum enim à testudine templi, dum saluum atque incolumem in castra ducere parãt, alij rapiunt, cædunt, vulnerãt, cõuitijs & maledictis onerãt. Omnia patienter ferenti nasum & vtrãque aurem præscindunt, mentũ in crucis modũ fodiunt. Tandẽ post multas sannas & ludibria globulo tormentario traiectus est. Vicarius graui lytro redemptus mortẽ euasit. Idẽ Priori, sed post diuturnã captiuitatem ingẽti pecuniæ summa persoluta, accidit. Prolixius hęc in Cõmentario suo Surius, qui & ipse Carthusianus cũ ijs, qui barbarorũ istorum hominum crudelitatẽ effugerant, aliquãdiu vixit, vestigiaq; vulnerum, & pugionibus, gladijs, sclopetisq; laceratas vestes corã conspexit. Reuerẽdissimus D. VVilhelmus Lindanus, primus Ruremundensiũ Episcopus, vir pius & doctus, sed hæreticis hominibus perquàm odiosus, magno suo commodo ea tempestate in vrbe non erat: qui si fuisset, insignia procul dubio crudelitatis in eum exempla statuissent. Iram tamen, quam in Dominum non potuerũt, in eius bona effuderunt: omnem eius supellectilem diripuerunt. Inter cætera eius optimis libris, tota Gallia & Germania conquisitis, plerisque perantiquis, & necdum in lucem editis, instructissimam bibliothecam, quam omni thesauro pretiosiorem æstimabat (quod mihi subinde literis suis conquestus est,) licet vix vni aut alteri cognito loco abditam, repererunt, & horrendum in modum discerpserunt, lacerârunt, exusserunt. Quin etiam Paulum à VVaelvvijc eius sacellanum, virum rara eruditione & virtute præditum, concionatorem facundissimum, & perditorum hominum morum castigatorem acerrimum, spoliatum, multis probris & conuitijs fatigatum, instar pecudis mactârunt. Gallis deinde præsidiarijs, & ciuibus quibusdam interfectis, quod reliquum erat militibus ferè in prædam datum.

Auraicus in Brabantia.

Auraicus Ruremundensi oppido superato, trans Mosam exercitũ ducit. Ea res Brabantiã, finitimasque

oras

oras cōsternauit, agrestes & sacerdotū plurimi in fugā 1572
vndiq; se cōiiciunt. Mechlinienses leuæ mentis auspicio, cùm præ horrore militū Hispanorū paulo ante oblatum à Duce præsidiū recusâssent, clam vna nocte inimicas copias recepêre. Paucorū sanè id conspiratio fecit, præter cōsensum & expectationē optimorū ciuium ac magistratûs. Auraicus iter versus Albani castra instituens, Diesthensem ciuitatem & Thenas, aliosque vicinos pagos & territoria facili negotio peragrauit. Deinde à cursu proposito nonnihil reuulsis copijs, potiundi Louanij inauspicata eum cupiditas cepit. Louaniensis Magistratus & Vniuersitas dudum ante de seligendo milite, firmandis mœnibus, aduocandoque præsidio foris, & belli totius apparatu comparando in medium consuluerant. Eramus tunc in vrbe studiosorum multa millia: sed cùm pleriq; rumoribus essemus impleti, aliò commigrauimus. In locum Prætoris Domini de Quarebbe, qui tum à Principe captiuus tenebatur, Senatûs consilio receptus est Dominus de Dyon, cui se ciues alacriter iurisiurādi vinculis obstrinxerūt, se pro Rege, pro patria, pro Religione Catholica vsq; ad extremū spiritū pugnaturos. Erāt selecti prius ex toto circulo centū & sexaginta milites, vt cōtra incursus subitos excubarēt, donec præsidiū aliud maius ab Albano Duce promissū mitteretur. Præfecti tū Reipub. Louaniensis Adrianus de Dyon, Cōsul Scotelius, ac Doctor Leoninus, quē alio nomine Longoliū vocant, ciues aperta oratione ad fidē mutuā, fortemq; constantiam hortabantur. Hora septima tertio Septembris visa est primū hostilis acies circa Thenensis portę suburbia, & infelicis arboris locū. Omnes tunc signo dato ad cāpanæ pulsum discurrerunt, portas & propugnacula communierunt, pontem deiecerunt, omniaq; ad defensionem necessaria cōportârunt. Omnibus sua constabat cura, atq; officij ratio obfirmatis pectoribus aut hostem auertere, aut speciosę occūbere morti. Nec eousq; cunctari potuerunt, dum colloquendi gratia legatus Principis adsit, sed iamdudum manus ad pugnam pruriebant, & excussa bis terve ingenti machina, rectà in aduersariam aciem impulerunt: neque multum ab Auraici latere abfuisse commemorant: ceciditque vnus ex signiferis, cuius vitam redimi posse vel multis millibus voluisset. Interea Magister equitum versus mœnia properabat, rogans num Principis nomine ad audiendas

Louanium obsidet.

1572 conditiones pacis colloqui oppidani cuperent. Respōsum: Neminem virorum fortium esse, qui magnopere ad huius generis colloquium properaret: proinde si sapiat maturè gradum referat. Dum hæc fiunt, magis magisque hostiles ordines omni expectatione maiores in apertam planiciem ferebantur. Rediit legatus secundò, proponens eadem. Respondit Senatus: Sibi non licere cum eo fœdus inire, cuius machinæ tam apertè cum Regiæ Maiestatis imperio dissiderent. Orare se, vt aliò exercitum ducens vrbem obsidione liberet, quæ ipsum Principem nulla ratione offenderit, vt iure se hostem faciat: quam etsi vi captam aut deditam fortè tenuerit, nec profuturam sibi magnopere sciat, nec se tutari commodè quantumuis vel manu valida posse speraret, quin prius euersa funditùs in detrimentum Regis ac nominis Christiani, imò in suæ familiæ labem perpetuā sit concessura. Non satisfecit responsum Auraico Tertiò mittit fœcialē, sed cùm simile is responsum referret, expedita sunt tormenta. Thenensis & Parmēsis portæ simul oppugnatæ: inde & Heuerensis. Pugnatū est acerrimè à tertia hora pomeridiana ad decimā ferè vespertinam. Strati ex obsidentibus plures quingenti, vulnerati circiter ducenti, quorū maior pars postea in vrbē illata obijt. Postea affixa portæ Heuerensi flammæ materia, excitatoq; incendio porta conflagrauit. Cumqúe indomita vis ignis grassari amplius in muros & ædificia cœpit, ciues mœnia deserētes, in latebras sese abdunt: alij acrius apud Consules & Senatum instant, vti saluti publicæ, quam penè nullam amplius in armis videbant, pro rerum statu maturè consulant. Missus itaque in castra Leoninus & Ioannes VVamesius, quibus ciuitatis nomine adiunctus est Hierōnymus VVinganus. Hic Leoninus factum excusat, vitam ciuium deprecatur, & ne quid deinceps cōtra Regem acerbius, vel fidem Deo præstitam admittere cogantur orat. Ad hæc Princeps initio blādius, postea respondet acerbius, exprobrans legatis, Louanienses expeditioni suæ plurimum incommodasse: non debuisse eos tam sinistram de se suspicionem habuisse, quasi ipse leges, ritusqúe patriæ vellet euertere: coniecturā minimè sanam ex facto & religione militum de vniuersorū capite duci. Bellū sibi non cum Rege, sed cū ijs esse, qui Regis abutuntur auctoritate & potestate; qui se bonis omnibus spoliatum, immerentem, inglo-

Louaniēses delegatos ad Auraicū de deditione mittunt.

1572

inglorium̄que expulissent: quam ignominiam nisi vlciscatur, familiamq́ue & sanguinē suum ab ea repurget, vitam hanc sibi fore acerbissimam. Hinc de conditionibus pacis actum. Non se Princeps magnos thesauros, non iusiurandum pro noua Religione suscipienda exigere, non se passurum, inquit, vt quidquam iniquius in sacra aut profana committatur, tantum petere, vt promittant se commeatum liberum permissuros, nec se impedimēto futuros, quò minus cœptam expeditionem in Albanum prosequi possit. Cum hoc responso missi sunt in vrbem, qui ad Senatum referrent. Interea Leoninus semotis arbitris longa oratione cum Principe de RECTI ipsius genuina natura disputauit, multisq́ue ostendit, non omnes naturæ leges & pugnandi causas honesti ac veri boni legibus consentire. Turpissimū genus trophæi esse illud, quo salus vnius multorum constat exitio, & victor de ruinis publicis, multorum strage promiscua, tot occisorū sanguine, tanto mutationis metu atque periculo triumphat. Cùm legati ex vrbe reuerterentur, mutato Auraici animo, multo plura, & quidem ferocius contra Regem & Religionem postulata sunt. Tandē multis vltro citroq́ue in medium productis, pax his conditionibus confecta est, Ne quid supra quàm hactenus fati violentia tulit, vel in Catholicam Religionem, vel in Regiam Maiestatem iniquius facere cōpellantur: Principem pro amico reciperent, commeatū liberum ei permitterent, hostilia non facerent, in alterius fidem non animaduerterent, modò suæ offendiculo non sit. Exacta deinde nummûm centum millia, post ventum ad quinquaginta, tandem concessa sedecim, quæ summa cum difficultate, propter exhausti iamdudum ærarij inueteratam inopiam, viritim colligi debuerunt.

Conditiones deditionis postulatæ.

Leonini cum Auraico disputatio.

Conditiones deditionis.

Dum hæc in Belgio geruntur, in Gallia noui tumultus excitantur. Etsi enim pax vbique esset proclamata, ea tamen erat hominum vtriusque Religionis animorum exacerbatio, vt se mutuò ferre non possent. Hinc Austrasiæ primùm, inde Rhotomagi, post Diepæ tumultuatum est. Rex vt sibi pacem curæ esse ostēderet seuerissimè in seditionum istarū auctores, & quidem seuerius in Catholicos, quàm in Hugonottas animaduertit. Interea de connubio Henrici Nauarræi cum Margaretha Regis Caroli sorore agitur. Ma-

Gallica.

Agitur de matrimonio Nauarræi.

1572 tei Nauarræi, postquam consensisset, Blesios contendens, à Rege honorificentissimè excepta est. Inde Lutetiam profecta, vt quæ ad nuptias essent necessaria præpararet, in lethalem morbum incidit: vnde quinto post die extincta est: mulier prompto quidem & alacri ingenio, sed Caluinianis dogmatibus præter modum infecta. Erat eodem tempore etiam Rex Lutetiæ, vbi familiarissimè cum Admiralio conuersabatur, & varia cum illo de bello Regi Hispaniarum inferendo consilia conferebat: iam enim persuasus ab Admiralio, ope ipsius Principis Auraici & Anglæ Ducatum Mediolanensem & Belgicas prouincias imperio suo adijci posse sperabat: leuitatis, perfidiæque Gallicæ magnum, vt quidam aiebant, exemplum. Catholici vt Regem ab hoc suo instituto auerterent, omnem lapidem mouebant. Pontifex Romanus Cardinalem Alexandrinum in Galliam ad Regem misit, flagitans vt sacri fœderis societati contra Turcam sese adiungeret; secundò ne Regi Nauarræo sororem nuptum daret; tertiò ne Hugonottarum consilijs aures præberet. Cæterùm nihil horum Cardinalis potuit impetrare. Guisij quoque & reliqui Principes Galliæ Regi multis argumentis & rationibus demonstrârũt, quàm impium, quàm inhonestũ, quàm periculosum esset futurum, eum Regem, qui Catholicæ Religionis fulcrum & columna erat, à quo ipse toties in maximis suis periculis adiutus erat, quiq; Regum omnium Christianorum esset potentissimus, bello lacessere, idque tempore maximè importuno, quo ab inimicis Dei & hominum vndique oppugnabatur: præsertim cùm Rex aliam causam nõ habeat, quàm regnandi cupiditatem, amplificandi Regni contra fœdera desiderium, & hæreticis gratificandi studiũ. At vnius Admiralij, cuius arbitrio omnia per Galliam nũc geri videbantur, perniciosum consilium apud Regem plus, quàm omnium Principum admonitiones, potuit.

Nauarræa moritur.

Admiralius Regẽ hortatur, vt Hispano bellũ moueat.

Legatio Pontif. ad Regem.

Dissuadẽt consilium Admiralij cæteri Proceres.

Admiralij apud Regẽ authoritas.

Nuptiarum Nauarræi dies dictus erat XVII. Augusti, ad quem omnes Principes Galliæ adfuerũt. Spõsalia Lutetiæ in Lupara arce fiunt: sponsa in ædes Episcopi, templo Deiparæ Virgini contiguas deducitur. Postridie in amplissimo theatro hũc in vsum ad templi valuas erecto nuptiæ per Cardinalem Borbonium celebratę sunt. Peractis omnibus ad talem actũ requisitis sub vesperem in Palatinas ædes, quæ in vrbis me-

Nuptiæ Nauarræi.

ditullio

ditullio sunt, ad cœnam itur. Remotis epulis, varia & exquisita hilaritatis signa exhibita sunt. Id per aliquot dies continuatum est. Vicesimo secundo Augusti Rege se cum Guisio & Telignio pila palmaria exercente, dum Admiralius, in hospitium reuersurus, literas inter eũdum legeret, à quodã Moyi aulico, à quo & ipse Moyius occisus dicebatur, ob idq; facinus ab Admiralio ad necem destinatus erat, sclopeti ictu vulneratur, pollice manus dexteræ mutilatur, & sinistrum brachium traijcitur. Ostium domûs, vnde incẽsi sclopeti fumus exire visus est, statim effractum, sclopetus quidem inuentus, at qui disploserat, fuga sibi per posticam consuluerat. Admiralius inter manus suorum in hospitium ducitur. Mox Pillæum ad Regem mittit, vt ei infortunium exponat. Qui cùm audisset Admiralium vulneratum, indignatus reticulum in terram proiecit, sphæristærioque excedẽs, subtristi vultu in Palatium rediit, & sceleris istius auctorem diligenter inquiri iussit: sed is per portam Antonianam elapsus, celeri equo sese in tutum receperat. Deinde Rex ipse cum matre & fratribus Admiralium inuisit, eum consolatur, promittitq; se ita in auctorem sceleris animaduersurum, vt sibi sentiat factum satis. Eodem die & sequenti mittit ad eum frequenter, qui videant & renuntient, vt sese habeant eius vulnera. Medici verò & chirurgi lethalia non esse affirmârunt. Rege præsente Admiralius remotis arbitris suam innocentiam & fidem erga Regem multis speciosis verbis declarauit: secundò Regem iterum seriò ad Belgium inuadendũ, Guisiosque, & eos, qui contrarium suaderẽt consilio, aulaque eijciendos: tertiò, vt Religionem Caluinianam suis hominibus liberam inuiolatamque conseruaret hortatus est. Postquã Rex discessisset, Hugonotticæ factionis Principes Nauarræus, Condæus, Telignius, cum Mariſchallis Cossæo & Damuillæo eundem Admiralium adierunt, & quo in periculo versarentur, inter se contulerunt. Quidam cum Admiralio Lutetia discedẽdum, & aliò migrandũ suadebant: alijs consilium hoc minimè probabatur, cuius opinionis præ cæteris defensor erat Telignius. Postridie frequẽs eorundẽ Procerũ conuentus habitus est in ædibus Admiralii, in quo de Guisijs remouendis, & supplicio de eo, à quo læsus erat Admiralius, sumendo actum scribunt nonnulli: alij conspirationem initam de Rege, omnique

1572 *Admiralius vulneratur.*

1572 omniq́ue prole regia interficienda asserunt, vt inferius dicemus. Rex cum de hac coniuratione, quæ an vera fuerit, an falsa, aliorum iudicio relinquimus, certior factus esset, perpendens quo in discrimine versaretur, nec otium aut tempus sibi concedi certius rem inquirendi, statuit eas insidias à se auertere, & in auctores ipsos conuertere. De sua enim, multorum Principum, & totius Regni salute agebatur. Mandante itaq; Rege milites, qui per diuersas vrbis regiones diuersabantur, accepto campanæ signo in Hugonottarum ædes irruunt, eosq́ue immaniter trucidant. Primus impetus in Admiralij ædes factus, qui multis vulneribus confossus est. Cadauer adhuc palpitans per fenestram in aream proijcitur, capiteq́ue mutilatum per vicos vrbis raptatur, & ad damnatorum furcas delatum, è pedibus suspenditur. Comes quoque Rochefolcius, Marchio Reuelius, Perdillianus, Pillæus, Sanmartinus, & alij multi in hoc tumultu perierunt. Ciues Parisienses Religioni veteri & Regi suo perquàm addicti, aperta semel vlciscendi iniurias ab Hugonottis acceptas ianua, à cæde reuocari non potuerunt: sed militibus permixti, tribus sequentibus diebus in Hugonottas cuiuscunque sexûs aut conditionis sæuierunt. Quo tempore inter alios quoque Petrus Ramus, turbulentæ vitæ & sui in linguas, artes, & Theologiam furoris pœnas luit. Hoc supplicium sumpto Lutetiæ initio, per omnes Regni prouincias peruasit, & magnę vbique cædes factæ. Præcipuè verò Lugduni, Aurelijs, Tholosæ, & Rothomagi: nec finis cædium fuisset, nisi Rex auctoritatem suam interposuisset. Tam enim acerbũ erat odium, quo plebs in gentem illam deflagrabat, vt omnes extinctos cuperent. Ferre namque non poterant suam Religionem, quam à maioribus acceperãt, ab istis nouis hominibus impietatis damnari, violari, exscindi, pedibus conculcari: cùm ea ratione non sibi tãtùm, sed parentũ etiam manibus, qui in ea Religione mortui erant, iniuriam fieri existimarent. Præterea omnium cladium & calamitatum, quas præteritis bellis pertulerant, istos homines auctores esse nouerant. Hæc est memorabilis illa Hugonottarum cædes, quam nunc nuptias Parisinas, nunc Bartholomæanas noctes, nunc Siculas vesperas nominant. Quasi quis auctor fuerit, & quæ causa, variant scriptores. Qui pro Hugonottis scribũnt, eas tantùm perfidiæ & tyrãnidi Catholi-

Laniena Parisiana.

Admiralius occiditur.

Petri Rami mors.

Causa huius laniena.

tholicorum adſcribunt. Sunt qui Albano Duci mortem ſaltem Admiralij, & aliorum Procerum tribuunt, qui Catholicos Galliæ Principes eò permouiſſet, vt Regem huc inducerent, ne quod Admiralius cum Auraico, Naſſouio, & alijs eius factionis aduerſus Principem ſuum Regem Hiſpaniarum machinabatur, quem ſperabant euentum conſequeretur At non aliunde fortaſſe certior huius facti petenda eſt ratio, quàm ex ipſius Regis literis, quas ſtatim poſt cædem ad omnes prouincias, Principesque externos ſcripſit, in quibus facti rationem reddit: ex publico etiam ſcripto Lutetiæ Regis auctoritate typis excuſo. Cuius hæc ſumma eſt. In conuentu illo, in ædibus Admiralij habito, cuius antea mentionem fecimus, Admiralium longa oratione demonſtraſſe, quo in periculo ipſe & omnes ſuæ partis Proceres eſſent, ex quo expedire ſe non poſſent, niſi conſilium ſuum ſequantur. Illud eſſe, vt Regem Nauarræum iſtic præſentem in Regem Galliarum aſſumant. Id factu fore facile: de ipſo enim, vt qui in aula Regis erat, nullam fore ſuſpicionem. Oportere igitur, vt ad XXVII. Auguſti diem Nauarræus omnes ſuos in armis eſſe iubeat, Regem cum coniuge, matrem, fratresque vno impetu adoriatur, & trucidet, totam familiam illam extinguat, aut ſaltem perpetuis carceribus clauſam teneat. Quod, inquit, vt commodius fiat, Condæus interiorem Regis cuſtodiam inuadet, & opprimet: portam, pontemque aperiet, quam ad rem exteriorem Scotorum cuſtodiam auxilio paratam inueniet. Pillæus pontem, quo ad ciuitatem itur, occupet, ne quis ex ciuibus ad Palatium accurrat, Regique ſuppetias veniat. Cæteri vicos & locos ſuis ædibus viciniores obſeruent, ac tueantur. Solus Montgomerius ſit extra ciuitatem ad S. Germanum, vbi per hos dies clam militem colliget, vt in tempore vobis poſſit opitulari. At omnia hæc arcana apud vos fore promittetis, & dicto diei nocte in opus mittetis, vt lætius moriar, videns Regnum ad hæredes & Religionis ſocios noſtros translatum. Facta igitur inter Principes coniuratione, Nauarræus domum reuerſus, cogitabundus, ſubtriſtis, & demiſſo vultu ſequentibus diebus mœrere viſus eſt: quò enim magis enormitatem ſceleris perpendebat, eò magis ab illo abhorrebat. Cùm itaque vxor facilè animad-

1572

Coniuratio Admiralij in Regem.

1572 animaduerteret, maritum magno aliquo malo affligi, causam mœroris quærit, precibusque suis eum fatigat, vt secretum, quod pectore coquebat, sibi reuelaret. Cui ille post ingentia suspiria, post manuum contorsiones, & sublatos in cælum oculos totam coniurationem detexit: quam ipsa statim, petente Nauarræo, matri, mater filio Regi nuntiauit. Rex vt suæ, suorumque saluti consuleret, cædem prædictam accelerauit. Hæc summa literarum Regis, hoc libelli Parisiensis argumentum, quibus an maior fides habenda, an verò anonymis quibusdam Ministris Caluinianis, qui aliter hanc rem commemorant, magis credendum, aliorum iudicium esto. Hoc saltem extra controuersiam est, hanc cædem Regi Hispaniarum, Catholicæ Religioni, & Christianæ Reipub. paci fuisse vtilissimam: trucidatis nimirum ijs, qui omnia perturbare conabantur.

Albani ob hanc cædē lætitia.

Huius cædis certior factus Albanus, XXVIII. Augusti in castris ad Montes Hannoniæ omnes sclopetarios ter sub noctis initium eiaculari iussit, in signum boni auspicij, & magnæ lætitiæ. Optimè enim iam de belli exitu sperabat Albanus: nam qui hactenus omnes Galliæ vires, vnà cum fratribus Regis Andio, & Alenzonio, Admiralioque in Belgium aduersum se expectabat, hac rerum mutatione ab illis securus, vnum tantùm Auraicum hostem se habiturum sciebat, cuius viribus se superiorem credebat. Contra Auraicus, intellecta Parisiensi laniena, attonitus stetit, consternatusque animo de belli euentu cœpit desperare. Intelligebat enim promissis Gallicis auxilijs iam se destitutum iri, & metuebat, si hęc fama ad aures Tribunorum militum perueniret, eos mutato animo dilapsuros esse. Omni itaque celeritate in Albanum mouendum statuit, vt si posset, de summa rei cum ipso confligeret, priusquam res Gallicæ in publicum prodirent. Motis itaque castris Louanio Bruxellas versus exercitum rapit, tanquam & eam vrbem oppugnaturus: sed portis mœnibusque studio Ducis Arscotani ciuium, militumque stationibus bene prospectis, propius accedere non audebat. Mox sinister nuntius eum aliò vocauit. Albanus enim tormentis viginti quatuor muros, portasque Montenses tanto tonitruum, fulminorumque furore concussit, vt porta vna cum du-

Auraici mœror.

Auraicus Bruxellas frustratētat.

obus

obus propugnaculis penitus conuulsa subsederit. 1572
Auraicus igitur, qui bombos hos tormentorumque tonitrua audiebat, relictis Bruxellis iter Niuellas instituens, illud etiam oppidum deditione cepit. *Niuellas occupat.*

Cùm quotidie nuntij de aduentu Auraici ad Albanum venirent, castra sua communiuit, & tormenta locis idoneis disposuit, statuens acie cum Auraico non confligere, sed eum, vt solet, pecuniæ, commeatusque inopia coercere. *Ad Montes venit.* Trecentos equites emisit, qui de aduentu, viribus, & consilio hostium certi aliquid cognoscerent. Hi cùm in conspectum exercitûs hostilis venissent, misit in eos Auraicus fratrem suum Henricum, cum quatuor cohortibus equitum. Regij cùm quæ volebant explorassent, pedem retulerunt, quos Nassouius ad castra Albani persecutus est. Sed cùm intra teli iactum venisset, maioribus tormentis malè exceptus, cùm sedecim è suis amisisset, ad fratrem reuersus est. Auraicus cùm trepidare hostes in castris intellexisset, Hannoniæ iuga celerrimo gradu superauit, octauo Septembris ad castra Albani venit, & ad molas frumentarias castris positis, vniuersum exercitum in acies instruxit, atque ita paratus ad pugnam quatuor horas ante castra Regia constitit. Albanus verò initio suos in castris retinuit, & vtrinque maioribus tormentis res gnauiter acta est: à quibus cùm Geusij non leue damnum accepissent, Albanus emissis nonnullis equitibus peditibusque ad fossas, sepesque hosti pugnandi copiam fecit. Initio leui prælio certatum est: deinde magnam equitatus partem in eos misit Auraicus: retrocedebant Regij, & cùm ad castra ventum esset, maioribus copijs aucti, in Auraici equitatum irruunt, multos occidunt. Peditatus eius videns multos cadere, turpi ignauia constitit, nec vt pugnam restauraret compelli potuit. Auraicus videns Regiorum castra non nisi maximo suorum detrimento expugnari posse, Quaregnonium exercitum duxit: vbi cùm nullum commeatum aut pabulum inueniret, postridie Guimadium fluuium ponte sternere decreuit, copiasque suas traducere, vt ab ea parte per internuntios fratri Ludouico rerum suarum constitutionem significaret, & cum eo, quid agendum esset, deliberaret. Sed cùm

1572 per exploratores didicisset, Albanum mille equites trans fluuium misisse, consilium Auraicus mutauit. Dum Auraicus ita ad Louanium, Niuellas, aliaque loca cunctatur, Albanus ingentes equitum, peditumque copias, quas in Germania colligi iusserat, magnis itineribus ad se venire iubet. Inter alios hoc ipso tempore Salentinus Comes ab Isenburg, Elector Coloniensis, cum duobus lectissimorum equitum millibus venit, præclaramque operam Regi præstitit. Habebat iam Albanus in castris XII. millia Hispanorum & VValonum, Germanorum sedecim, exceptis Belgis, & equitibus veteranis. Erant & in castris quatuor millia quingenti equites Germani: expectabantur quotidie Duces Holsatiæ, Brunsvvicensis & Louvvenburgensis, alijque plures, cum multis equitum millibus. Pecuniæ, apparatûs bellici, & commeatûs incredibilem Albanus in castra comportari iusserat copiam, ita vt nihil illi deficeret. Auraici verò milites marcescebant inedia, defectuque commeatûs, quem à tergo nullus sequebatur. Reductus itaque exercitus ad molas frumentarias, denuò per aliquot horas in acie stetit, vt aut hostem castris ad pugnam eliceret, aut maius præsidium in vrbem introduceret. Sed neutrum præstare potuit. Albanus è castris sine intermissione & vrbem simul, & hostilem exercitum tormentis maximis verberabat. Auraicus Albani consilium & mentem cùm iam satis exploratam haberet, & quidam Galli, quos Rex Carolus ad illum miserat, tumultuari inciperent, decreuit Niuellam redire, priusquam maior in castris ataxia oriretur. At non ita illum dimittere voluit Albanus. Insequente igitur nocte centum viginti Hispanos pedites, & octingentos equites in hostium castra misit, qui commutatis laneis vestibus in lineas, quo se mutuò dignoscerent, latus alterum exercitûs inuadunt, & ad tertiam vsque stationem perueniunt, primamque Germanorum legionem, priusquam hostis se armare posset, internecione deleuerunt. Sed & alijs quàm plurimis interfectis, præclaro astutiæ militaris & audaciæ specimine edito, incolumes in castra reuersi sunt.

Salētinus ab Isenburg in castra Regia venit.

Stratagema.

Auraicus Montes deserit.

Tædebat tandem Auraicum fortunæ suæ supra quàm dici potest: quare Montibus relictis, fratri & Gallis, qui in præsidio erant, significauit, quid hactenus

nus actum esset. Vrbem obsidione tam arcta liberari non posse, post vnam aut alteram oppugnationem vrbem dederent, & vitæ suæ consulerent. Acta sunt hæc medio mense Septembri. Profectus itaque cum omnibus copijs suis Mechliniam, ibidem aliquamdiu substitit. Inde ad Rhenum magna celeritate contendens, iuxta Orsoy exercitum traducit, & exauctorauit, non sine maximo vitæ periculo, cùm suis stipendia nulla, destitutus à Gallo, numerare posset. Quare plerique censebant consultum se facturos, si ipsum captiuum Albano traderent, à quo solutionem stipendij sibi debiti facilè impetrarent. Auraicus tamen & precibus & promissionibus quibuscunque potuit eos placauit, & à se dimisit: ipse in Hollandiam Delphos profectus est. 1572

Periculū in quo erat Auraicus. In Hollādiam proficiscitur.

Albanus post Auraici decessum multo furiosius, quàm antea Montensem vrbem oppugnauit: cuniculos multis locis agi iussit, Bartimontensem portam cum vicinis propugnaculis & turribus strauit, vt nemo diutius se in illis continere posset: aquam è fossis per elices aliò deduxit, fascibusque & alia materia fossas repleuit, ruinas strauit, ita vt iam omnia ad oppugnationem essent præparata. Tanta enim tormentorum frequentia mœnia concussit, vt vno die, qui erat XIIII. Septembris, mille nongenti & octoginta ictus numerati sint. Obsessi hanc Albani contentionem & studium videntes, cùm ab Auraico desererentur, nec aliundè subsidium expectarent, Galli quoque cædem Admiralij & tot aliorum Principum intellexissent, Regisque animum mutatum inaudissent, palam tumultuarentur, ciues imperata facere nollent, Comes Ludoicus, qui mœrore animi languebat, cùm nullum remedium cerneret, de deditione facienda cogitauit. Delecti sunt itaque à parte Albani Noircarmius, Vaulxius, Liquius, & Gognius: à parte obsessorum Noæus, Senarpontius, Soyecortius, & Elcourtius, qui decimonono Septembris his conditionibus vrbis deditionem pacti sunt. Ludoicus Comes, & omnes præsidiarij nobiles & ignobiles Galli, Germani, & Angli cum armis, equis, & impedimentis exirent: Belgæ cum gladio tantùm & pugione: ciues quoque, qui vellent, sed absque armis. Qui alterius quàm Catholicæ Religionis erant, his in vrbe de-

Montes deditionē recipit Albanus.

Conditiones.

T

1572 be deinceps habitare non liceret. Nulli exeuntium, seu ciuium, seu militum fas esset aduersus Regem Hispaniarum aut Galliarum militare: quia conditione tamen Germani & Angli non tenerentur. Descendit in has conditiones eò libentius Albanus, quòd ad laudum suarum cumulum non parum facere videret, vrbem munitissimam, fortissimo præsidio defensam, omnibus rebus necessarijs instructam, tam breui tempore, exigua cum suorum iactura ad Regis imperium à se reductam. Conditionibus approbatis & subsignatis, obsidibusque datis, Nassouius cum suis Germanis à Regijs Ruremundam deductus, in Comitatum Nassouiensem profectus est. Galli quoque assumpto comitatu in Galliam redierunt. Albanus verò omnibus ciuibus benignè exceptis, tolerabili præsidio vrbem muniuit. Nunc relicto Belgio, quid interea in alijs regionibus actum est, vt temporis aliquam rationem habeamus, commemorare oportet.

Gregorius Pontifex fœdus approbat.

Gregorius XIII. vbi coronatus esset, statim ad confœderatos, Regem Hispaniarum & Venetos certos homines misit, qui significarent illis, se eiusdem voluntatis esse, cuius fuerat eius decessor Pius, eaque subsidia ad bellum Turcicum missurum, quæ pro facultate & auctoritate Sedis Romanæ possent expectari. Pio mortuo, & Sede vacante Marcus Antonius Columna, accepta à Sacro Collegio officij sui continuatione, & à Rege Hispaniarum admonitus, vt primo quoque tempore ad nouam expeditionem Turcicam sese præpararet, iussu Gregorij cum Iacobo Superantio Messana soluit: Austriacus viginti triremes sub imperio Gilandradæ addidit: ipse autem cum reliqua classe in portu substitit, vel quòd frater eius Philippus illum ad expeditionem Tunetanam ire iusserat, vel quòd Belgicis tumultibus distineretur. Promisit interim se breui subsecuturum.

Classis Christianorũ in apertum progreditur.

Pontificij & Veneti, cùm Gilandrada aduenisset, expansis velis circa finem Iunij Corcyram appulerunt, vbi Generalem Foscarinum inuenerunt. Communibus hîc sententijs decretum, Turcicam classem per mare quærendam, eique pugnandi copiam quoquo modo offerendam, licet de illius magnitudine multa, sed non verisimilia dicerentur. Iuxta Corcyram itaque classem suam fœderati lustrârunt, & inuentæ sunt

ſunt triremes CXXX. quinqueremes VI. naues ob- 1572
longæ X. omnes optimè expeditæ, & rebus neceſſa-
rijs inſtructæ. Portu egreſſi, Peloponneſum præterna-
uigantes, Cytheram inſulam, nunc *Cerigo*, tenuerunt,
ibique intellexerunt, Vlizalium per mare Aegæum
Nouembaſiam nauigaſſe, & nunc Eplæ inſulæ, Louo
à nautis dictæ, imminere. Noſtri eum inſequētes, cùm
ad Maleæ promontoriū IV. Auguſti veniſſent, hoſti-
lem claſſem eminus conſpiciunt, & nauibus in or-
dinem reductis, rectà in hoſtem contendunt. Qui
licet numero nauium ſuperior (habebat enim CCL.)
verſis proris Occidentem verſus fugit, & ſub inſula *Vlizalius fugant.*
Cerui anchoras iecit. Inſequitur eum claſſis Chri-
ſtianorum. Quod cùm vidiſſet Vlizalius, vt exiſti-
mationem ſuam ſaluam conſeruaret, omnia ad præ-
lium inſtruit, & pugnam ſimulat. Chriſtiani cùm
pugnandi copiam datum iri conſpiciunt, magnis
clamoribus ſibi mutuo gratulabantur: in hoſtem
feruntur, initium pugnæ dant. Sed priuſquam præli-
um exarſit, Vlizalius denuò fugit, & ad Matapani-
um promontorium, veteribus Tenarium, claſſem ap-
plicuit, deinde in portum *della Quaglie* ſubduxit.
Noſtri Cytheram reuerſi ſunt, claſſemque hoſtilem
diligenter obſeruârunt. Quam cùm portum rurſus
egreſſam cernerent, Superantius non cunctandum
ratus, cum ſuis in hoſtem prouehitur. Cumque ali-
quandiu maioribus tormentis eminus certatum eſſet,
Superantius impreſſione facta primo impetu trede-
cim hoſtiles triremes depreſſit, & in reliqua claſſe ma-
gnam ſtragem edidit. Attoniti hac clade Turcæ, fu- *Nauale*
ga elabuntur, quos etſi Superantius inſequendos ſta- *prælium.*
tuit: aliorum tamen diuerſa fuit ſententia. Interea
nuntiatur Chriſtianis Ioan. Auſtriacum Corcyram
appuliſſe, vehementerque dolere, ſe abſente hoſti pu-
gnandi poteſtatem factam. Columna igitur & Gi-
landrada ad eum proficiſcuntur, & quid agendū cum
ipſo deliberant. Placuit iterum claſſem Turcicā quæ-
rendam & oppugnandam. Nec mora, Calend. Septēb.
claſſes coniunguntur, inuentæque ſunt Chriſtiano-
rum CLXXX. triremes. XVIII. maiora nauigia, &
quinqueremes VI. quas cùm Auſtriacus conſcenſo *Chriſtiani Nauarinum obſidere ſtatuunt.*
cataſcopio luſtraret, nuntiatur hoſtem ad Pylum,
quod Nauarinum iam dicunt, non procul à Metone
ſtationem habere. Conſtitutum vt hoſtem de nocte
T 2 ex im-

1572 ex improuiso inuaderent, fugamq; illi intercluderēt. Consilium optimum, sed quod euentu caruit: qui enim nocte adesse debuerant, vix prima luce aduenerūt. Quorū aduentum cùm lucis beneficio ex altissimis montibus Vlizalius cognouit, Metonem, qui portus est munitissimus, fugit: nec inde vlla arte extrahi potuit, sed scopulum quēdam vicinum, & collem eminentissimum muniuit, tormentisque in illis dispositis, Christianorum classem abegit. Christiani habito consilio suos in terram exponere, scopulumq; & collem oppugnare statuerunt. Sed Christianis quibusdā mancipijs elapsis nuntiantibus, loca ista esse munitissima, & expugnari nisi multo sanguine non posse, mutato consilio Metonem expugnare decreuerunt: obsidio incœpta, sed ob difficultates quasdam intermissa est. Iterum igitur à sententia discedentes, Nauarinum castrum tētare visum est. Data est hæc prouincia Alexandro Farnesio, tunc Principi, post Duci Parmensi. Is secundo die Septemb. cum tribus Italorum millibus, & mille ducentis Hispanis in terram expositus, Nauarinum obsedit, omniaq; ad oppugnationem necessaria instituit quàm diligentissimè. Sed tanta confestim tempestas inhorruit, tantæ cum ventis vehementibus, & intolerabili frigore inundârunt pluuiæ, vt inceptas operas perficere nullo modo potuerint. Sub id fama adfertur, in Messenia magnas equitum cogi copias, quibus cum Vlizalius obsesso Nauarino succurreret. Reuocatur itaq; cum suis Parmensis, qui antequam ad naues venire potuit, Barbarorum multitudine circumfunditur. At Parmensis industria & fortitudine sua egit, vt magna hostium edita strage, suos omnes incolumes abduxerit. Qua vna re spem fecit, se aliquando fortissimum, prudentissimumque imperatorem futurum. Considerantes tandem Christiani, se neque terra, neque mari præclari quid posse, eò quòd classem hostilem è latebris extrahere facultas non esset, hyemsque iam appropinquaret, classem in portum reducere constituerunt. Nocte igitur VII. Septemb. insequente lectis anchoris, expansisq; velis Occidentem versus nauigârunt. Austriacus & Columna classes suas per mare Siculū Messanam reduxerunt. Foscarinus cum suis in Corcyra mansit. Vluzalius ne nihil hoc anno fecisse videretur, metu Christianorum liberatus, in Dalmatia Ascriuium, sed irrito conatu, obsedit.

Castrum Nauarinū frustra obsidēt.

Classes in portus reducuntur.

dit. Ad intermissa diu Scotica redeamus. *1572*

Edenburgenses, qui Reginæ partibus studebant, milites conscribunt, loca idonea occupant, omniaq; agunt, vt excluso Prorege Comitia Edenburgi indicta impedirent. Aderat Comitiorum dies, Prorex cùm nihil ad oppugnandam vrbem paratum in promptu esset, Comitia extra portam habuit. Omnes Principes, qui in arce erant, perduelles denuntiat. Illi vicissim Proregem, & quotquot cum illo erant, perduellionis damnârunt. Vtrique parti noua iterum Comitia in mensem Augustum, his Edenburgum, illis Sterlinum indicta sunt. Soluto conuentu in mutua denuò vulnera proruerunt. Edenburgenses Dalkethum oppidum, in quo erat Mortonus, frustra quidem, sed non absque multo vtriusque partis sanguine oppugnârunt. Toto quod sequebatur vsque ad diem Comitiorum tempore, leuibus quotidie prælijs, varia fortuna pugnatum est, Angla Proregis, & Gallo Reginæ captiuæ factionem, non tam pecunia & armis, quàm splendidis promissionibus adiuuante. Interea pars vtraque sese ad proxima Comitia comparat. Qui Edenburgi erant Principes supra ducentos alterius factionis damnârunt, qui Sterlini circiter triginta, qui in causa Reginæ erant feruentiores, Regis & patriæ hostes declarârunt. Qui à Regina & Religione Catholica stabant, per Procerum absentiam aliquid tentandum rati, Letham per insidias tentârunt: quod cùm minus succederet, cæsis & captis vtrinque nonnullis, copias suas vnà cum Iacobo Haliburtono, qui omnibus peditum copijs hæreticorum nomine præerat, captiuo, Edenburgum reduxerunt. Captiuitas Haliburtoni hostium animos vt consternauit, ita Reginæ amicorum animos erexit, & ad maiora audenda incitauit. Cùm igitur per exploratores didicissent, omnes ferè Proceres aduersæ factionis Sterlini adeò negligenter & solutè agere, vt tanquam in summa pace, in oppido aperto, ne excubias quidem nocturnas haberēt, assumptis CCC. peditibus, & ducentis equitibus, ducibus Georgio Gordonio, Claudio Hamiltonio, & Valtero Scoto summo cum silentio, nondum exorto sole vrbem ingressi sunt, & nemine obuio in forum penetrârunt: aditus omnes obsederunt, expugnatisque Procerum hospitijs omnes penè, inter quos Prorex, Comes Morto-

Factiones in Scotia recrudescunt.

Catholici Sterlinū occupant, & Proceres aduersæ factionis capiunt.

1572 nus, Alexander Glācarniæ, & Hugo Aeglentoniæ Comites erant, aut vi, aut deditione captiuos fecerunt. Et sanè eo die penè debellatum fuisset, nisi victores in præda colligenda, quàm in captiuis abducendis fuissent diligētiores. Sed dum inter prædandū vrbē incautius custodiūt, à Ioanne Areskino, arcis præfecto, vrbe denuò tanto timore eijciuntur, vt desertis plerisq; captiuis, paucos abduxerint. Inter quos Georgius Ruenus, dum se ferocius defendit, interficitur. Alexander Stuartus Garlianus dū captus abducitur, incertū à suis, an ab hostibus ictus cecidit. Proregem ducebat Dauid Spensius, quem cùm à percussoribus vellet defendere, vnà cum illo interemptus est. Diuina hæc fuit dispēsatio, vt optima Regina Scotiæ, licet capta, maximorum hostiū suorū Proregum & Procerum, qui per vim Regnum suum inuaserant, cædes viua vel viderit, vel audierit. Exequijs Proregis tumultuariè factis, rebelles Ioannē Areskinum Marriæ Comitē Proregem creârunt: qui Idib. Octob. castrum Edenburgense obsedit: sed paucis post diebus re infecta iterum deseruit. Tunc denuò ad cædes & rapinas itūm, maximè in locis Borealibus, vbi duæ potentissimæ familiæ Gordoniorū & Forbosiorū feralibus inter se odijs & funestis cædibus grassabantur. Gordonij, qui Reginæ causam defendebant, superiores Arcturū Forbosium trucidârunt, Alexandrum gentis Principem comprehenderunt. Reliquum hyemis leuibus prælijs extractum est.

Prorex occiditur.

Io. Areskinus nouus Prorex.

Rudolphus fit Rex Vngariæ.

Rudolphus Cæsaris Maximiliani filius, magnificentissima pompa exceptus Posonij, per hæc tempora Vngariæ Rex creatus est. Vicesimo verò die Iulij Fredericus Daniæ Rex Sophiam, Vlrici Ducis Megapolitani & Elizabethæ amitæ suæ filiam, sedecim annorū puellam in matrimonium duxit: quæ nuptiæ Hafniæ cum incredibili solennitate celebratæ sunt.

Diuersa intentio Hugonottarum.

Post cædem Hugonottarum in Gallia, qui superfuêre, paucis exceptis, qui extra Regni fines profugerunt, ad Religionē Catholicam reuersi sunt. Vt enim pauci erant, quos pietas in hanc fidem pertraxerat, sic pauci in ea constantes permanserunt. Etenim non omnium huic Religioni nomina dātium idem fuit ab initio propositum. Nam alij nouitatis amore, alij Ecclesiasticorum odio, alij Nobilibus, qui huic sectæ fauebant, gratificandi studio, alij spe quæstûs vberioris, alij mera malitia vt omnem tum Ecclesiasticum, tum Politi-

Politicum ordinem turbarent, à sana fide ad hanc perfidiam transierant. Hi abiurata Religione Caluiniana in Catholicam, iuxta formam à Concilio Tridentino præscriptam iurârunt. Impulit huc illos partim metus, in quo versabantur, partim exemplum Regis Nauarræi: qui cùm in aula versaretur, & quotidie agnatorum Principum admonitionibus, doctorumq; Theologorum sermonibus ad Catholicam fidem inuitaretur, per hos dies vel verè conuersus est, vel conuersum se simulauit: Nam cùm Parisijs coram Nuntio Apostolico pristinos errores condemnasset, tertio die Octobris Legatum cum literis ad Pontificem Romanum misit, orans eum, vt ratione Sacramentorum, quæ ante hæresin in Romana Ecclesia acceperat, ipsum pro vno ex filijs suis agnoscat, nouæ doctrinæ errorem suum non sibi, sed prauæ institutioni adscribat, confessionem fidei Catholicæ, quam Lutetiæ sub Nuntij Apostolici manibus fecerat, benignus accipiat: se enim Pontificem Romanũ pro supremo Ecclesiæ capite agnoscere, & pro obediente vicissim filio ab illo agnosci optare: precari denique, vt Sua Sanct. matrimonium cum cognata sua nuper cõtractum ratum habeat. In fine literarum promittit, se breui singularem Legatum Romam missurum, per quem in genua prouolutum Pontifici plenam obediẽtiam præstaret. Hoc Nauarrçi exemplũ multos permouit, vt ab Hugonottarũ secta deficerẽt. Et certè plures defecissent, nisi Rupellani contempta Regis auctoritate in suis erroribus nimis pertinaciter perstitissent, Occitanis & Sãserranis auctores fuissent, ne regios præfectos admitterent, & cum Montalbanensibus fœdus contra Catholicos inijssent: ad quas vrbes relicta Hugonottarum colluuies confluxit. Rupellani contemptis omnibus damnis, quæ per octo iam ferè menses à Strozzeanis copijs terra, & à Paulina classe mari acceperant, præsidium Regium admittere nòluerunt, quamuis vt id facerent à Rege multis literis iuberentur. Rex vt facilius eos ad officium faciendum induceret, Bironium istuc, virum leni ingenio, & ab omni acerbitate abhorrentem misit, vt vrbi præesset. Hic acceptis à Rege, Regina & Nauarræo literis, solo familiari comitatu, nullos secum adducens viros militares, eò proficiscitur: & ne quid doli subesse suspicarentur Rupellani, cum duobus tantùm comitibus

1572

Nauarræus Caluinismũ abiurat, & Pontifici reconciliatur.

Rupellani labantem in Gallia Caluinianam Synagogam sustinent

1572 se vrbem ingressurum promittit. At illi multa causantes, quidquid offerebatur procaciter respuebant. Militares præterea naues instruxerunt, quibus Regam vicinam commodissimam nauium stationem occupare frustra tentârunt. Bironius necessariò ad bellum procedendum perspiciens, vicina loca omnia occupauit: inde Rupellam tribus exercitibus obsedit, ipse castra ad Fanum Sandræ locauit. Strozza ad Pileboreum, Goaffus Ronsæi. Rupellenses cùm animaduerterent Regi constitutum esse, vrbem totis viribus, omniq; conatu expugnare, ad Mongommerium & Vidamium, qui in Anglia erant, scripserunt, vt de mittendo auxilio, in quo omnis spes tolerandæ obsidionis posita erat, seriò cogitarent. Interea obsidentes in quatuor molendina iuxta portam Cogneam noctu irruperunt, multos è ciuibus trucidârunt, triginta ceperunt, magna denique frumenti farinæque copia ablata, molendina incenderunt. Quæ res obsessorum animos non parum consternauit. Paucis post diebus eruptione facta acriter ante muros pugnatum est, victoria ad Regios inclinante. Noæus, qui tunc in vrbe erat, ciues periclitari videns, cum omni peditatu & equitatu aduolat: redintegratur prælium, & in horas quinque durauit. Ex obsidentibus plures, quàm ex obsessis ceciderunt, eò quòd loco pugnarent iniquiori, sub mœnibus maiorum tormentorum pilis expositi. Oppidani cùm castra nouis quotidie copijs augeri viderent, iterum ad Mongommerium in Angliam mittunt, orantes vt aduentum accelararet: qui cùm classem iam penè instructam haberet, iamque ad velificandum paratus esset, fœdo, inopinatoque casu eius conatus interruptus est. Regina namque Franciæ filiam pepererat, quam vt de sacro fonte leuaret Angliæ Regina rogata est. Misit illa Regulum, qui vices illius ageret. Qui cùm fretum Caletense traijceret, à piratis aliquot Gallis & Belgis, sub auspicijs Auraici latrocinantibus spoliatur. Angla indignitate rei commota, iussit omnes naues Gallicas & Belgicas, quæ in portubus suis erant, exarmari, nautasque & gubernatores detineri. Hac de causa Montgommerij profectio impedita, & Rupellenses concepta spe frustrati sunt.

Rupella arctius obsidetur.

Habebãt Regij immensæ molis galeonẽ, quem sub ipsa mœnia subduxerunt: ita vt ex eo in vrbis regiones penè

penè omnes tormentariæ pilæ emitterentur : & quia 1573
carina canalis fundo impacta sedebat, immobilis erat, propugnaculique loco Regijs tutissimam stationem præbebat. Hanc nauim dum obsessi lignis, paleis, pice, aliaque materia simili supposito, igneque immisso cremare frustra tentant, fama allata est, Andium in castra venturum, bellumque deinceps administratum. Is ex itinere humanissimè ad obsessos scripsit, æquissimas illis conditiones pacis offerens, tantùm ad fidem & officium redirent. At illi in sua pertinacia infractis animis persistentes, omnem pacem detestati sunt. Andius igitur reiectis pacis consilijs, animum ad bellum conuertit, & ad castra cum Alenconio fratre, Nauarræo, Condæo, Dalfinio, Guisio, Aumalio, Longauilla, Bullonæo, Niuernensi, cæterisque nobilibus quàm plurimis profectus, duobus passuum millibus ab vrbe consedit. Postridie tribus locis, sed minimo vtriusque partis damno pugnatum est, singulisque deinceps diebus vario euentu leuia prælia ferebantur. Andius vt maiorem obsessis terrorem incuteret, omissis leuibus pugnis, post iterum oblatam pacem octo tormenta muralia & duas colûbrinas attrahi iussit, quibus sequentibus aliquot diebus portæ, mœnia, turres concussa sunt. Sed quicquid ab obsidentibus disturbabatur, ab obsessis magno labore cõfestim reparatũ est. Nullus erat in vrbe vir, fœmina, puer, qui in tãto discrimine fuit otiosus. Erant in vrbe Ministri Caluiniani, tam peregrini, quàm vrbani LVII. qui etiam arma ferebant, munia militaria obibant, mœnia reparabant, hominum alioquin genus ignauum & delitiosum : at nunc de illorum corio agebatur. In tantis angustijs constituti, plerique æquissimas pacis, quæ offerebantur, conditiones acceptandas suadebant. Alij turbulentiores dicebant præcipuam belli causam esse Religionem : nihil itaque statui debere, nisi de consilio Ministrorum Ecclesiæ: alij minimè consulendos eos censebant, vt quibus ex pace nihil emolumenti, plurimum autem detrimenti erat expectandum : qui præter vile scortum, & famelicam prolem nihil quod amittere poterant habebant. Consulti nihilominus Ministri, omne de pace consilium abijciendũ, & Montgommerianæ classis auxilium expectandum censuerunt. Post triduum tamen ab Andio concessæ sunt induciæ, eum in finem, vt de pace ageretur. Noæus cam ob causam

Andius in castra venit.

Ministri bellicis operibus incumbunt.

1572 sam bis in castra missus, cùm ciuibus æquitatem conditionum persuadere non posset, ne bellum alere, & ciues in sua rebellione confirmare videretur, cum tribus Centurionibus, & aliquot militibus relicta vrbe in castra regia concessit. Ciues nihil hoc Noæi abitu moti, eius loco sex viros ex omnium ciuium numero elegerunt, qui cum Prætore publica negotia administrarent. Sub id literæ ex Anglia adferuntur, quibus nuntiatur Montgommerium breui cum XLV. nauium classe adfuturum. His promissis iterum confirmati obsessi, quotidianis eruptionibus obsidentes fatigabant, nunc victores, nunc victi in vrbem redeuntes. Qua effreni rebellium audacia irritatus magis Andius, tanta vi atque impetu mœnia diuerberauit, vt XXVI. dierum spatio ad tredecim ferrearum pilarum millia in mœnia, ædiumque tecta intorserit. Qua vehementi conquassatione à vetere fonte, vsque ad propugnaculum Euangelij muros lato hiatu aperuit. Tunc oppugnationes aliquot, sed frustra institutæ, quibus dum intenti sunt, annus hic elabitur.

Noæus vrbem deserit.

Agareni è ditione Parmensi eijciuntur.

Agareni, qui sese Aegyptios falsò nominant, & nescio quam peregrinationem simulant, chiromantiam & medendi artem mentiuntur, Septentrionales populi Tataros vocant, gens furax & ignaua, quæ turmatim per Principum regiones, non sine subditorum damno vagatur, in Parmensi agro Palatium coëmerant, ibique terra excauata, magnas cauernas fecerant, in quas circumquaque colonos depopulantes ingentes prædas conuehebant. Querelæ hac de re ad Ducem delatæ sunt: qui confestim trecentos equites, totidemque pedites contraxit, & omnes istos prædones, seu latrones trucidauit: quod exemplum confestim Mediolanenses imitati sunt. Eodem hoc tempore Hansiaticæ ciuitatis frequentē Lubecæ conuentum habuêre, de quarum societate, quoniam per plurimas regiones celebris, & non omnibus cognita est, hoc loco quædam commemorare volui.

Hansica societas quando instituta, vnde dicta, & quid sit.

Paulo ante ætatem Frederici II. Imperatoris, circa annum MCC. primò incepta est Hanseaticarum ciuitatum societas, quæ olim auctoritate, potentia, commercijs multarum gentium, & priuilegijs ac immunitatibus amplissimis in exteris Regnis florebant, & domi suis ac vicinis Regibus & Principibus non minus charæ, quàm commodæ fuerunt. Dictæ sunt autem

ciuita-

ciuitates istæ Hansicæ, quasi *Handelsteden*, & ipsa soci- 1578
etas erat confœderatio istarum ciuitatum, quæ in qui-
busdam exterorum Regnorum & prouinciarum em-
porijs negotiantur, in ijsque certis quibusdam Priuile-
gijs & immunitatibus ab Emporiorum istorũ Princi-
pibus sibi, & non alijs singulariter concessis gaudent &
fruuntur. Harum primæ fuerunt ciuitates in littore
Balthico, & cæteris Saxoniæ inferioris partibus nume-
ro plures octoginta, distributæ primùm in tres: deinde
Prussicis accedentibus in quatuor Classes, quarum Me-
tropoles fuerunt Lubeca, Colonia, Bruinsuiga, & Dã-
tiscum. Harum numerus postea imminutus est adeò,
vt in reformatione collegij mercatorum Londinensi-
um, Lubecæ anno M. D. LIIII. instituta, tantùm sexa-
ginta sex recenseantur, quarum nomina sunt. VAN-
DALICAE: Lubeca, Hamburgum, Rostochium,
Sund, VVismaria, Luneburgum. POMERANI-
CAE: Stettinum, Ancla, Golnon, Gripsvvaldum,
Colberga, Stargarda, Stolpa, Rugenvvalda. PRVS-
SICAE: Culma, Thorna, Elbinga, Dantiscum, Mons-
regius seu Coninxberga, Brunsberga. LIVONI-
CAE: Riga, Derpatum, Reuelia. SAXONICAE:
Magdeburgum, Brunsvviga, Goslaria, Embeca, Gottin-
ga, Hildesheim seu Hildesia, Hannouera, Vlsa, Boxte-
huda, Stada, Brema, Hamela, Minda. VVEST-
PHALICAE: Monasterium, Osnaburgum,
Tremonia, Susatum, Heruorda, Padelborna, Lemga,
Bilefelda, Lippa, Coesfelda. CLIVENSES, &
MARCHICAE: Colonia, VVesalia, Teutobur-
gum seu Duisburgum, Embrica, VVarburgum, Vn-
na, Hamma. GELRICAE: Nouiomagum, Zut-
phania, Ruremunda, Arenacum, Venlona, Elburgum,
Hardervvica. TRANSISELANAE: Dauentria,
Svvolla, Campi. FRISICAE: Groeninga, Stauera,
Boelsvverda. Vrbes autem, quæ ob causas in recessu
anni M. D. XVIII. expositas partim ex fœdere Hansæ
eiectæ, partim sponte illi renuntiârunt, exclusæ manẽt,
Stendalia, Soltvvedela, Berlinum, Brandenburgum,
Francfurtum ad Oderam, Vratislauia, Cracouia, Hal-
la, Aschersleuia, Quedlenburgum, Halberstadium,
Helmstadium, Kyla, & Northeim. Nulli igitur ex ci-
uitatibus exclusis, multo minus Anglis, Scotis, Hol-
landis, Flandris, Germanis, Danis, Suecis, Polonis pri-
uilegijs Hansæ in emporijs istis quatuor externis frui
possunt

1572 possunt: nec seruos aut socios mercaturæ ex illis gentibus habere licet. Nati verò in oppidis & pagis prouinciarum Hansæ ad vsum priuilegiorum non admittuntur, priusquam ius ciuitatis in aliqua vrbium Hansæ adepti sint. Quatuor autem præcipua in exteris Regnis Emporia, & domos in illis, ac collegia & iurisdictiones proprias hæ ciuitates tenuerunt, LONDINI in Anglia, BRVGIS in Flandria, BERGIS in Norvvegia, NEOGARDIAE in Russia. Ex his Londinum priuilegia primùm accepit ab Henrico III Rege, quæ Eduardus III. auxit: Richardus verò II. Henricus IIII. V. & VI. tam noua, quàm vetera religiosè seruârunt. Sub Eduardo verò IIII. ob dissidium inter Anglos & Danos, propter piratas quosdam Anglos, rescissa sunt. Sed Carolus Burgũdus, qui sororem Eduardi vxorem habebat, post bellum triennale, sopita Traiecti controuersia, id effecit, vt Hansicæ societati antiqua Londini priuilegia restituerentur. Ab eo tempore annos circiter octoginta sub Richardo III. Henrico VII. & VIII. & Eduardo sexto in Anglia Germani immunitates suas retinuerunt, donec Dantiscanorum temeritate Angli irritati, à Parlamento decretum impetrârunt, quo Germanos omnia emporij illius iura, immunitates, residentiam & priuilegia amisisse, iisque perpetuò priuatos esse, nec vnquam recuperare debere pronuntiârunt. Quod decretum moriente paulo post Eduardo VI. Maria soror Regnum adepta, reuocauit. Sed anno vix vertente Londinensibus mercatoribus rursum querelas de Hansicorum in Belgio mercatu mouentibus, noui conuentus occasio subministrata fuit: quas querelas Philippus Hispaniarum Rex pro suo in Hansæ societatem clementissimo animo interueniens componere studuit. Sed immatura Reginæ morte præueniente, illa querelarum capita in exordium Regni Elizabethæ reiecta sunt; sub qua nouis subinde exortis difficultatibus, nunquam ad absolutam causarum decisionem peruenire potuerunt.

Londini societas Hansica. An. 1250.

BRugense in Flandria emporium anno M.CC LXII. institutum scribitur: olim florentissimum, sed anno M. CCCC. LXXXVIII. labefactari & euerti cœpit, portu Frederici III. Romanorum Imperatoris iussu, ob petulantiam, quam in Maximilianum eius filium captiuum exercebant ciues, obstructo. A quo tempore mercatura Antuerpiam translata est; quæ ciuitas breui in

Brugis quando Hansica societas instituta.

ui in eum splendorem euecta est, vt mercatores Bru- *1572*
genses cum senatu Antuerpiensi de priuilegijs & sedi- *Quando*
bus, quæ Brugis habuerant, Antuerpiam transferendis *Antuer-*
anno M. D. XVI. agere cœperint, quod tandem vr- *piā trans-*
gentibus Antuerpiensibus apud alias Hansæ ciuitates à *lata.*
Carolo V. impetratum, & post à Philippo Rege anno
M D. LXI. confirmatum est. Sequenti igitur anno de
Domo mercatorum Hansæ priuilegiata Antuerpiæ
instituenda cum Senatu transactum, & promissis Se-
natui ab Hansæ societate sexaginta millibus Carolino-
rũ, Domus Oesterlingia ædificata, & iure hæreditario
Hansæ immunis ab omnibus accisis (vt vocant) &
exactionibus, & propriam in omnibus causis excessi-
bus & delictis non capitalibus, iurisdictionem habens,
solennibus literis & ritibus tradita est.

Nouogardiæ verò, amplissimæ olim & totius Rus-
siæ vrbis potentissimæ emporium, circiter trecentos
annos ab Hansæ Teutonicæ mercatoribus frequenta-
tum est, & merces Russicæ in omnia Europæ loca in-
de euectæ sunt: cùm vicissim Russi in Liuoniæ vrbi-
bus Reualiæ, Derpati, & Rigæ liberè cum exteris nego-
tiarentur, & templa propria Græci ritûs haberent. Sed
à Ioanne Moscouiæ Duce Basilidis patre, Ioannis Ty-
ranni auo, Theodori adhuc viuentis Magni Ducis pro-
auò capta hac vrbe, mercatorum libertas cœpit immi-
nui. Deinde ob contumeliosum verbum quorundam
Reualiensium in Ducem prolatum, planè extincta est. *An. 1494*
Inde igitur translata, commercia Russica Reualiæ an-
nis circiter quinquaginta exerceri solita sunt, sed inter
Reualienses & Russos orto dissidio, Moscus omnem
negotiationem Russicam Neruam transtulit, cuius *An. 1558.*
portus, nequicquam reclamantibus Reualiensibus, Or-
dinis Magistro, Archiepiscopo & ciuitate Rigensi, non
modò ab Hansæ ciuitatibus, sed & ab exteris nationi-
bus Anglis, Belgis, Gallis, merces omnis generis cò
conuehentibus, etiamnum frequentatur. Superest Ber-
ga in Norvvegia, vbi hucusque veteris emporij vesti-
gia expressiora, quàm alibi remanent. Tametsi sub Re-
ge Christiano III. cùm Danica Nobilitas ipsa negoti-
ari, mercibus à se coemptis, & in naues proprias im-
positis, ac in Belgium, aliasque nationes emissis, cœpis-
set, multum ciuitatum priuilegijs decedere visum
est. Quare etsi Hansæ societas frequenter apud Regem
conquereretur, hac nobilium negotiatione priuilegia

sibi

1572 sibi olim à varijs Regibus antecessoribus suis concessa infringi, nunquam tamen vt eam nauigationem, negotiationemque prohiberet, induci potuit. Ex his omnibus constat, celebrem olim fuisse hanc societatem: sed mutatis iam rebus (vt humanarum rerum scena mutari subinde solet) non modò commerciorum impedimentis multiplicibus, ac emporiorum priuilegijs passim imminutis, aut sublatis, verùm etiam desciscentibus à communi fœdere ciuitatibus, partim priuata cōmoda cum totius societatis damno quærentibus, partim inopiam & alias difficultates suas prætexentibus, & proximo etiam bello cum Suecis diuturno grauiter afflicta & labefactata est. Quare hoc anno ad ineuntem mensem Iunium Lubecæ societatis huius conuentus indictus est, in quo de instauranda societate, & renouando ciuitatum fœdere, de commercijs cum Russis in emporio certo continuandis, de recenti Naruicæ nauigationis interdicto per Suecum facto, de contributione ad domum Orientalium Antuerpiensem ære alieno liberandam, & alijs aliquot capitibus, ad domûs illius commoda pertinentibus, de legatione in Galliam & Belgium pro amplificatione & confirmatione priuilegiorum, & abolitione grauaminum obtinenda, de domo Hansæ Brugensi, de emporio Londinensi, quod per concessam Anglis Hamburgensem nauigationem protsus labefactetur, & concidat, de oneribus emporij Bergensis, de vectigali Danico, vulgo *die lest zollen*, de piratis Auraici Principis in mari Britannico coërcendis, de sumptibus Lubecensium bello Sueuico factis, ciuitatum contributione leuandis, de pleonexia opificum & nautarum moderanda, diu deliberatū est. Quid autem de singulis determinatum est, tum quòd nimis longum esset referre, tum etiam quòd quædam calumnijs aliquorum hominum sunt obnoxia, scriptores de industria prætericrunt. Latius hæc Chytræus, ex cuius Chronico ista pleraque desumpsimus.

Teneremunda, et Aldenarda Flandriæ oppida à Geusijs occupantur.

Dum Albanus Dux adhuc in obsidione Montium Hannoniæ occupatur, Teneremunda Flandriæ vrbs munita astu Arnoldi Derpij à Geusijs occupatur. Paulò post die Septembris septimo Aldenarda eiusdem prouinciæ ciuitas prope inexpugnabilis Iacobi Blommartij artibus, & ciuium quorundam proditione Auraici imperio subijcitur. Horrendum dictu est, quàm barbara crudelitate hîc in viros Ecclesiasticos sæuitum

est.

est, Sacerdotes enim, Monachi, & Pastores omnes, quorum non exiguus numerus e pagis in hanc vrbem confluxerat, capti, cæsi, varijs contumelijs & opprobrijs affecti, tandem manibus, pedibusque colligatis per fenestram in præterfluentem amnem præcipitati sunt. Inter hos fuere Magister quidam Petrus, vir venerabilis, & qui omnes ætate antecedebat, Ioannes Obstalius Pastor Pamelensis, M. Paulus Coye, primarius Curio vrbis Aldenardensis, & alij plures Sacerdotes. Iacobus Obeyn, prouectissimæ ætatis ac debilis, natandi insuper imperitus, euidenti miraculo vndis sublatus, & ad ripam iactatus, ab accolis extrahitur, & incolumis euadit. Ioannes Mahusius, vir doctus & venerabilis, paulo ante Episcopus Dauentriensis designatus, inclementissimè vulneratus, pedibus conculcatus, pluribusque iniurijs alijs affectus, instar putidi & abiecti cadaueris in plateis relictus est. Prætorem quoque vrbis Iodocum à Corteuile, vt pro sacramento Regi dato vrbem defenderet pugnantem capiunt, multis vulneribus conficiunt, & semiuiuum in flumen abijciunt. Ad idem mortis genus destinati erant multi captiui laici, nobiles & ignobiles, qui captis Montibus, & fugientibus Geusijs, periculum mortis, præter vnum Petrum Bekensem, euaserunt. Per eosdem dies non longè ab Ypris barbari isti Sacerdotes quosdam comprehensos, viuos capite tenus defoderunt, ad quos, vt ad scopum, globos ludentes direxerunt.

1572
Ecclesiastici Aldenardi quomodo excarnificati.
Immanis barbaries.

Albanus Dux captis, reparatisque Montibus, relicto ibidem necessario præsidio, omnem reliquum exercitum secum in Brabantiam rapit: Niuellam deditione recipit: inde XXIIII. Septembris mouens, tricesimo tandem Mechliniam venit, & ad duo millia passuum ab vrbe substitit, visurus num Mechlinienses vltro sese dederent. Sed nemine se mouente, primo Octobris castra promouit. Hîc consternati tam præsidiarij, quàm ciues, alijs in turpem fugam se vertentibus, alijs nequicquam ad resistendum paratis, ad prima ferè obsidionis præludia fugiente Bernardo Meroda, Domino in Runen, cui vrbs ab Auraico credita erat, capitur, quam in direptionem datam, milites miserè deprædati sunt. Quæ ibi per tres dies, noctesque integras, vbi cuncta effræni licentiæ & libidini patebant, inter tot millia facta sunt, quisque cum suo animo facilè cogitauerit, & præcipua intra aulæa & peripetasmata fortassis manebunt:

Recuperatur ab Albano Mechlinia.

1572 bunt: non extra scenam ante iusti iudicij diem pro-
Louaniū. ditura. Louanienses quoque, vt accensi Ducis iram præmollirent, missis legatis, intercessione Ducis Medinæ Cæli, & Philippi de Croy Ducis Arscotani, veniam impetrârunt, & in gratiam recepti sunt. Interea
Diest. Albanus duo millia equitum misit, qui Diestense oppidum occuparent, quod & fecerunt, Geusijs fuga dilabentibus. Ea ciuitas prædæ non cessit, sed annonam militi suppeditare ciuibus imperatum est. Eodem tem-
Teneremunda. pore Teneremunda se Regi reddidit. Aldenardenses quoque Geusij, quos exagitabat scelerum conscientia,
Aldenarda. relicta vrbe Ostendam fugerunt, vt nauigio in Zelandiam deferrentur. Ioannis verò Imbiesij Gandauensis filius, cùm in periculo esset, ne caperetur, in mare prosiliens, aquis absorbetur. Reliqui tribuni, vt Iacobus Blommart, VVilhelmus Comes Gandauensis, Antonius Renæus, & alij, dum per aliam viam in Zelandiam se peruenturos opinantur, nocte in quadam domo à Regijs obsidentur: cumque se dedere nollent, iniecto igne omnes concremati sunt. Dignus sanè tantis carnificibus exitus, vt facinus, quod in Christos Domini (quos tangere nefas) commiserant, igne & aqua expiaretur.

Omissis iam aliquantisper Albani reliquis expeditionibus, prius commemorabimus, quæ interea in Zelandia & Hollandia acta sunt. Vlissingensium copię nouem signorum peditum Anglorum sub imperio Omfredi Gilberti, & multorum Gallorum accessione auctæ, tumultum in vrbe concitârunt, stipendia postulantes. Sed cùm pecunia vndique collecta, & inter milites distributa esset, seditio resedit. Missus deinde Gubernator vrbis Tseratius cum magno exercitu, tormentis bellicis, omnique apparatu in Svvitbeuelandi-
Gousum denuò obsidetur. am, vt Gousium oppidum denuò tentaret. Quò cùm venisset, suburbium occupat, in eoque castra posuit. Promotis deinde tormentis, duobus locis cœpit mœnia diuerberare, ita vt breui tempore ruinam quindecim pedum strauerit. Media nocte instituitur oppugnatio. Dum ad muri ruinam progrediuntur Galli & Angli, tribunus Creitius scalas parte aduersa mœnibus iussit admoueri. Pugnatum est aliquamdiu fortiter. Sed cùm scalæ breuiores essent, & oppidani in mœnium ruinis obsidentes acriter exciperent, Tseratius receptui signum dedit, & pluribus amissis reliquos à

mœnibus

mœnibus abduxit. Albanus non ignorans oppidum 1572
tam exiguo præsidio (erant enim duæ tantùm in vrbe centuriæ) diu defendi non posse, Sancium Dauilam misit cum copijs auxiliaribus, vt obsessis opem ferret. Hic copias suas bipartitò distribuit, quasdam nauigio in insulam præmisit, ipse cum reliquis terrestri itinere subsecutus est. Sed cùm naues à classe Geusiorum aditu in insulam prohiberentur, & ipse Dauila ob continuos imbres retardaretur, peritissimos aliquot naucleros ad se vocatos consuluit, anne breuia, seu vada quædam essent, per quæ exercitus in insulam traduci posset. Qui cùm vadosum iter per terras anno M. D. XXXII. tempestate maris absorptas ostēdissent, sed laboriosum & periculosum, tum quòd ad aliquot milliaria sese porrigeret, tum etiam quia in maximo maris recessu tres alueí satis profundi occurrerent, Sancius his spretis periculis & laboribus, cum vno aut altero nauclero conuenit, vt agmen præcedentes, duces itineris essent. Tentatur negotium, ductores præcedunt, à tergo sequitur Christophorus Mondragonius, quem Albanus Sancio, vt vicariam ei in hac expeditione operam præstaret, adiunxerat. Mondragonium totus exercitus, qui mille trecentis Gallis, trecentis Germanis, & centum Hispanis constabat, sacculis tormentarij pulueris, quē ferrent humeris, in capita distributis, magna alacritate & fiducia in Deum secutus est, & quinque horarum spatio per tractum cœnosum, & venis stagnantibus importunum, quasi per mare rubrum, ne vno quidem desiderato, in insulam peruenerunt. Recollectis viribus, extersisque armis, mox in hostem, qui ad quatuor circiter milliaria aberat, rectà proficiscuntur. Hostes nouitate rei stupefacti, & inopinato regiorum aduentu attoniti, obsidionem soluerunt, & celerrimo cursu ad naues sese receperunt; relictis in castris aliquot Anglorum & Gallorum centurijs, qui hostium impetum retardarent, & tormenta custodirent Sed & ipsi viso hoste fugerunt, quos Regij insequentes partim conciderunt, partim in mare impulerunt. Hoc modo Mondragonius heroico, inaudito, & incredibili stratagemate hostes septingentos oppressit, & ciuitatem grauissima obsidione liberauit. Tormenta muralia nouem, magnam vim commeatûs & apparatus bellici ab hostibus relictam in vrbem intulerunt. Tseratius cùm vbique Martem sibi infensum sentiret, Vlissingam,

Memorabile facinus.

Octob. 20.

Gousenses obsessi liberantur.

Clades Tseratij.

1572 quam ab Auraico defendendam acceperat, deseruit, eò quòd omnibus ob res infeliciter gestas proditionis suspectus esset. Ad ipsum igitur Auraicum profectus, sese illi purgauit: literis vbique valuis templorum & portarum affixis accusatores suos citauit, cum protestatione, si certo tempore non comparerent, innocens haberetur, & honori restitueretur.

Cùm tota iam Hollandia in partes Auraici transijsset, vt diximus antea, soli Amstelredamenses & Schonhouiani in fide sui Regis permanserunt. De Amstelredamo Geusijs spes erat nulla: de Schonhouia suo imperio subijcienda, vt oppidum minus munitum, spes maior erat relicta. Postridie itaque D. Michaelis Comes de Marck Schonhouiam oppidum, tribus passuum millibus Vltraiecto distans, & ad ripam Lechæ situm, obsedit. Oppidani diu fortiter sese defendebant: sed cùm auxilium nullum mitti à regijs viderent, in extremas angustias redacti, in arce Ducis Erici Brunsuicensis Lisfeldia vitam, fortunas, religionis Catholicæ liberum exercitium, religiosorum locorum, personarumque priuilegia, ab hoste pacti, deditionem fecerunt. At ille periurus XXII. Octobris templa prophanans, Ecclesiasticam supellectilem diripiens, aras euertens, sacramenta pedibus conculcans, omnem Catholicæ religionis vsum exterminauit. Erat in agro suburbano insigne Monasterium Canonicorum Regularium Montis D. Michaelis, vulgò *in dem Hem* dictum. Huius religiosi in oppidum propter hostium excursiones commigrârant. Ab iconomachia itaque ad carnificinam proruentes Geusij, F. Theodoricum Gerardi Goudanum, huius Monasterij Canonicum, pluribus vulneribus conscinderunt, & interemerunt. Deinde F. Iacobum Guilielmi, qui etiam Goudanus erat, & Monasterij Supprior, cum F. Cornelio Reineri Schonhouiano, è nuce, quæ è regione domûs ciuicæ stabat, suspendentes, cùm constantissimè in fidei Catholicæ professione perseuerarent, venerandos Christi sacerdotes, strangulauerunt. Casparum verò Arnoldi Dinslacensem, huius quoque Monasterij sacerdotem & Sacristam, equinæ caudæ alligatum, Goudam, cum omnium inspectantium commiseratione, pertraxerunt, & XXVI. eiusdem mensis die, ex opposito arcis antennæ alligatum, sursum atque deorsum incredibili quadam tyrannide trahentes atque retrahentes, suffocârunt.

Schonhouia obsidetur, & capitur à Lumæo.

Martyria Canonicorum Regularium in Schonhouia.

Alij verò Fratres in eodem periculo positi, crudelissi- 1572
morum carnificum istorum manus, non tam illorum in inquirendo socordia, quàm diuina protectione, euaserunt: qui varijs in locis nunc exulantes, cum regio Propheta Dauide cantant: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Albanus repurgata nunc & restituta Hannonia atque Brabantia, de cæteris Belgicis prouincijs Septemtrionalibus cœpit cogitare. Vniuersas igitur copias versus Leodium mouet, hinc secundo flumine per ciuitatem Ruremundensem, hostili tunc præsidio desertam, circa initia Octobris vsque in Gelriam properauit. Quo in itinere plerosque equites à se dimisit: tum quia ijs in locis, ad quæ contendebat, nullo ipsi vel exiguo vsui esse poterant, tum etiam vt parceret subditis Regijs: cùm maiora incommoda equites, quàm pedites populo inferre consueuerint. In eodem itinere multarum ad illum venêre ciuitatum legati, purgaturi se apud illum, & veniam deprecaturi. Tandem XXVI. Octobris Nouiomagum venit, illic hybernaturus. Hîc Adolphum Holsatiæ Ducem cum suis copijs, Ericum etiam Brunsvvicensem cum equitatu suo à se dimisit. Mox lectissimas aliquot equitum peditumque copias Nouiomago Zutphaniam ire mandauit, vt eam nuper ab exulibus captam obsiderent. Est autem vrbs ea ad maximè Septentrionale Rheni brachium, quod nunc Isalam, quidam etiam fossam Drusianam vocãt, ædificata, loco paludoso, ideoque munitissima: vbi paucos etiam ante dies Geusij suam crudelitatem in familiæ Franciscanæ Guardianum, & sex eius fratres dissectis ventribus, & tandem ex infelici arbore suspensis exercuerant. Propter paludes vrbs videbatur expugnatu, imò accessu difficilis: sed cùm intensum esset frigus, & paludes, fossæque omnes glacie concretæ, aditum ad ipsa mœnia Regio militi præberent, XIIII. & XV. Nouembris cœpta est oppugnatio: & post duos tresúe assultus vrbs est expugnata. Scio hîc scriptores variare, nonnullis dicentibus, oppidanos se non expectata oppugnatione, aut facta defensione vlla, potestati Regis reddidisse: quibusdam verò affirmantibus, cùm mœnia tormentis toto penè biduo magna contentione essent verberata, multos inde certatim profugisse, è quibus multi à Germanis occisi, multi spoliati, multi compre-

Zutphania obsidetur.

Zutphaniæ crudelitas in Franciscanos.

Nouē. 16. alij 2.

1572 hensi, & in castra Regia sunt adducti. Interim Hispanos & Sequanos in vrbem irruisse. Sequatur Lector quod velit. Vt vt est, vrbs prædæ data est. Sæuitum in obuios primùm, inque promiscuam turbam: mox etiam proditionis auctores diris supplicijs sublati, in exemplum forsitan & horrorē finitimæ regionis. Tantā per Trāsiselaniā & Frisiā hæc alieni periculi contemplatio trepidationē fecit, vt Schouvvenburgensi & Montensi Comitibus, qui plurimas ciuitates antea ad deditionem compulerant, mox fugientibus celerius quàm pedes ferrent, Suollenses, Campenses, & Harderuiceni præsidiarij oppida deseruerint, & in tutum sese receperint. Oppidani regium militem petunt, regique reconcilantur. Amorfortij iam oppidani quàm præsidiarij Geusij, accepta hac fama, intempesta nocte, asperrimaque hyeme, per brachium Oceani gelu constrictum, tanta cum trepidatione discedunt, vt in itinere, cùm ad syluulam quandam venissent, ventoque in illam ingruente arida folia strepitum edidissent, timore ingeminato, hostes adesse existimantes, in effusam fugam sese coniecerint: impletumque est illud Scripturæ de impijs: Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Catholici media nocte Vltraiectum proficiscuntur, claues gubernatori Comiti Bossutio adferunt, opemque eius implorant: qui conuocatis copijs Amorfortiam contendit, inque illam præsidium deducit. Contigit hoc ipso Præsentationis Mariæ festo, die Amorfortijs auspicato, vt quo iam bis aut ter ex hostium tyrannide diuersis temporibus, atque vltimò ex Rossemij faucibus, vrbs est erepta. Quare Catholici hunc diē oppido solennem dixerunt, & annuas in gratiarum actionem Deo reddendam publicas supplicationes instituerunt.

Paulo pòst totus penè exercitus Albani Amorfortiam venit, atque inde XVIII. & XIX. Nouemb. Nardam, oppidulum ad brachium Oceani situm, contendit. Erat oppidulum hoc iam à multis annis varijs hæresibus ac præcipuè Catabaptistarum furoribus infectum: ciues aut lanificio, aut cereuisiæ coctioni studebant. Fredericus itaque Albani filius cùm ad mœnia castra posuisset, oppidani multa initiò conuicia in regios contorserunt: sed cùm vim experirentur, sese dediderunt. Ciues, & quotquot in oppido erant, in forum inermes conuenire iussi, omnes exitio maximè miserando

Nardensiū excidiū.

rando

rando sontes atque insontes trucidati sunt. Parcitum 1572
est, idque studio Comitis de Bossu, in hac cæde Lamberto Hortensio, insigni historiographo, viro iam decrepito. Seruati sunt & nonnulli Monachi, quorum nunc quidam concionatores hæretici, alij aut vxores duxerunt, aut saltem relicta fide Catholica, ad Caluinismum, paucis exceptis, defecerunt. Non omnium eadem erat de hoc facto opinio, non idem iudicium. Alij volunt crudeliter cæsos ciues contra fidem semel datam; alij vi occupatam vrbem, cùm aliquandiu à præsidiarijs defensa esset; alij denique post vnum aut alterum assultum ad arbitrium victoris vrbem deditam. Vt vt est, hoc certò constat, natam ex hac crudelitate maximam diffidentiam desperationi coniunctam. Hollandi enim omnes, qui iam in veniæ spem erecti, ad deditionem illicò à capta Zutphania propendebant, audita hac Nardensium cæde, aucta diffidentia, obduratisque pectoribus ad resistendum pertinacius inflammati sunt. Hinc tanti bellorum turbines, tot cædes & funera, tot captiuitates, direptiones, torturæ & cruces secuta, vt sola eorum cogitatio scribenti meritò calamum excutiat. Hi scilicet fructus, hæc bellorum ciuilium emolumenta, *proscriptiones innoxiorum ob diuitias, cruciatus virorum illustrium, vastæ vrbes fugâ & cædibus ciuium miserorum, bona quasi hostilis præda venum aut dono data. Non ætas, non dignitas quenquam protegit, quò minus stupra cædibus, & cædes stupris misceantur.* Sed ad rem. Direptis iam penè omnibus, & ex oppido exportatis, quod oppidi reliquum erat incendio durus miles consumpsit.

Salust. Orat. Lepid.
Tacit. lib. III. Hist.

Post Nardensium cladem D. Fredericus (cui tunc rei bellicæ summã cõmiserat parens) Regia castra mouit, inoffensoque pede Amstelredamum perduxit. Quę ciuitas toto hoc belli tempore in fide Regis constanter perstitit, & hactenus multis modis, impensis, periculis, atq; molestijs suam erga Regem Catholicum fidem, & studium declarauit: contemptis etiam damnis & incommodis, quæ quotidie ab hostibus patiebatur, qui nauale ciuium, suburbia, Monasteria, Collegiaque vicina iniecto igne incomparabili ciuium & incolarum damno exusserunt, pecus omne abegerunt, quodque abigere non potuerunt, aquis suffocârunt. Ad hanc vrbem cùm Regius exercitus venisset, deliberatum est, quò eundum esset. Auditæ sunt multorum

1572 rum sententiæ, tandem determinatum, Harlemum
Consiliū Amstelredamo vicinum deditione, vel expugnati-
de obsi- one tentandum esse. Vt autem ad deditionem fa-
dēdo Har ciendam Harlemenses facilius inducerentur, consul-
lemo. tissimum visum fuit, vti opera Theodorici de Vrie-
se, qui & à multis annis Consul fuerat, magnæ
auctoritatis, à quo multi Senatores stabant, &
qui fidei Catholicæ, Regique quàm maximè dice-
retur studiosus. Suboluit hoc consilium Magistro
Iacobo VVie, Baguinarum (vt vocant) Harlemen-
sium Pastori, tunc Amstelredami exulanti, qui mox,
vt fertur, totum negotium fratri per literas detexit,
& vt sibi à crudelitate Albani ciues cauerent admo-
nuit. Quæ literæ cùm in Senatu tertio die Decem-
bris lectæ essent, nec Senatores inter sese de deditio-
ne Albano facienda consentirent, Theodorus Vrie-
sius, Christophorus Schagius, & Pensionarius ab
Assendelft relicta vrbe Amstelredamum sese recepe-
runt. Pomeridiano tempore Senatus iuratos ciues,
Tribunos & communem populum conuocauit, vt
lectis Pastoris literis, sententiam illarum audirent.
Tacit. lib. Imprudens sanè factum, si non explorandi magis,
1. Hist. quàm parendi consilio id factum quis dixerit. Plebs
enim non iudicio, vt ille, non veritate, non delectu
Vulgi na- aut sapientia ducitur ad iudicandum, sed impetu &
tura. quadam etiam temeritate. Vulgus ex opinione mul-
ta, ex veritate pauca iudicat: pronum est ad suspici-
ones, ad credenda, accipiendaque omnia facile: mo-
bile etiam, seditiosum, & nouarum rerum cupidum,
præcipuè si Dux adsit, qui isto tempore Harlemensibus
non defuit. Congregatis enim ciuibus, VViboldus
Ripperda Ripperda Centurio, qui negotium hoc proprio quæ-
incitat ci- stu magis, quàm vrbis salute metiebatur, turbida sua
ues ad re- oratione populum adeò in odium Albani concitauit,
sistendum & in amorem Auraici incendit, adeò illius tyranni-
Albano. dem auxit, & huius mansuetudinem amplificauit, vt
mox ciues omnes, qui aderāt, ne horæ vnius ad delibe-
randū postulatis inducijs, sublatis vocibus clamârint,
se cum fortunis omnibus, vitam etiam & sanguinem
contra Albanum pro Auraico libenter profusuros.
Confestim ad Auraicum missæ sunt literæ, quibus
eum de statu vrbis certiorem fecerunt, & ab eo vi-
cissim auxilia ad defensionem vrbis petierunt. Clam
etiam nuntium ad Lazarum Mullerum Chiliarcham
aman-

amandârunt, qui tunc in VVaterlandia decem peditum signis imperabat: ab eo obnixè flagitantes, vt cum parte legionis Harlemum aduolet. Nec mora IIII. Decembris circa meridiem cum omnibus signis adfuit. Oppidani quatuor in vrbem receperunt, quibus Steinbachius Mulleri vicarius, Christophorus Vadetus, Lambertus VVittenbergius, & Martinus Prusius præerant: reliqua signa in Hollandiam Australem miserunt. Eodem die Harlemi prophanata sunt templa, euersa altaria, fractæ & exustæ Dei & Sanctorum imagines, imperium Christi abolitum, & Caluini denuò erectum. Postridie Christophorus Schagenus, & Adrianus ab Ascendelft Pensionarius Harlemum reuersi, mox apprehensi, & Delphos ad Auraicum missi sunt, dicturi causam, cur Amstelredamum fuerant profecti. Captus & eodem die tabellarius, qui paulo post, quòd literas Vriesij ad Consulem habebat, suspensus est. Sexto die Decembris Regius exercitus Sparevvoudæ castrametatus est. Harlemenses munitioni Sparedamensi metuentes, præsidium illius trecentis peditibus, duce Martino Prusio auxerunt, & missis aliquot ciuibus aggerem inter Sparendamum & Sparevvoudam medium perforare, vt immissis in agrum aquis Regios ab oppugnatione Sparedamensi prohiberent, frustra conati sunt. Nō ignorabāt enim ab huius munitionis conseruatione vrbis salutem dependere. Sed nihil suis inuentionibus & studijs effecerunt. Decimo enim die mensis Decembris tam intensum erat frigus, vt aquis omnibus densa glacie constrictis, Regiis liberum ad ipsum munimenti vallum accessus daretur. Quam occasionem non negligendam rati, munitionem corona cinxerunt, totisque viribus tam acriter oppugnârunt, vti tandem superato vallo, victores munitione capta, præsidiarios omnes aut trucidauerint, aut in fugam coniecerint: qua in pugna Prusius ipse concidit. Superioris anni, vti & præsentis Senatus Auraico erat suspectus. Quare Philippum Mernexium, Dominum Sant Aldegundium Harlemum, vt Magistratum mutaret, legauit. Is conuocata plebe, magna, qua pollet eloquentia, causam aduentûs sui in eam sententiam exposuit, vti flagitaret, vt Magistratûs alterationem non inuiti admitterent: eam fieri, non quòd præsens Magistratus malè Rempublicam admini-

1572

Iconomachia Harlemi.

Sparendamum occupant Regij.

1572 administrasset, sed vt quorundam hominum animis diffidentia eriperetur. Non audirent aliquorum cauillationes, dicentium, factum hoc nouitatem redolere, in præiudicium immunitatum & priuilegiorum Reipub. fieri, ciuibusque noxium futurum, sed potius cogitarent prudenti hoc Principis, & suorum consilio agi, vt ciuitatis, ciuiumq; saluti magis consulatur. Huic Aldegũdi petitioni cùm populus annuisset, dimissa est concio. Vndecimo die Regius exercitus propius ad vrbem promotus, mœnia circumquaque lustrauit. Oppidani conspecto hoste eruptionem fecerunt, & iuxta Nosocomium diu leuibus prælijs pugnatum est. Sed cùm Hispani aliquot, qui turrim præoccupârant, nullo intermisso studio continuè in hostes eiacularentur, tantam stragem ediderunt, vt oppidani desideratis multis, vulneratis pluribus, trepidi in vrbem redire compulsi sint. Hac clade exacerbata plebs, quosdam ex præsentis anni Senatoribus suis ædibus incluserunt, cum denuntiatione mortis prohibentes, ne in publicum prodirent. Eodem quasi momento Aldegundus Nicolaum à Laen, Ioannem Vlietium, Gerardum Stuijuerum, & Petrum Kiesium Consules renuntiauit. His nouos etiam Scabinos addidit. A duodecimo die vsque ad decimum octauum, cùm iam Regij ad ipsas penè vrbis fossas suos perduxissent, magna celeritate vallis & prætenturis castra munierunt, locisque varijs & commodioribus propugnacula ædificârunt: ea loricis & gerris munierunt. Quibus omnibus paratis, nebularum beneficio totum exercitum in has munitiones introduxerunt, & tormenta bellica suis locis disposuerunt. Nec segniores erant in reparandis mœnibus ac vallis oppidani, omnia ad diuturnam obsidionem tolerandam, suique defensionem faciendam necessaria conficientes. Per hos dies clamoribus, conuitijs, minis, ac diris vtrinque magis, quàm armis aut telis certatum est.

Magistratus mutatur.

Harlemũ obsidetur.

Prælium.

Dum hæc ad vrbem Harlemensem fiunt, alijs Hollandiæ locis iterũ in Ecclesiasticos, virosq; Catholicos sęuitũ est. Hoc enim mense Decẽbri nõ procul à Scerẽberch Pastorẽ ad lentum ignẽ circumactũ, & tandẽ laqueo strangulatum asserunt. Paulo antea iuxta Goudã duo venerandi Patres Ioannes à Rixtel, & Adrianus Lamberti à Geussijs ceu feræ agitati, (pice enim pri-

Horrenda tyrannidis exempla.

mò illitos, deinde plumis inuolutos aiunt) gladijs & 1572
pugionibus ſtimulati, multis confoſſi vulneribus, per ſpineta raptati, ac demum ſuſpenſi & exenterati ſunt. Non prætereundus mihi hìc eſt laicus quidam Amorfordienſis, nomine Arnoldus, quem Cnappardũ vulgus nominabat, homuncionem innocentem, & iam ſenem, qui fratribus in vicinis pagis concionantibus ſtipem ſolet colligere, mihi in pueritia notiſſimus. Hunc latrunculi illi ruri deprehenſum, ad lumbos vſque terræ infodiunt, deinde propoſito præmio ei, qui illum ſclopeti ictu primò omnium feriret: poſt victoriam multis vulneribus traiectum, mortuũ reliquerunt. At omnium celeberrima & illuſtriſſima eſt mors Cornelij Muſij, Poëtæ Laureati, ſacrarum virginum apud S. Agatham Delphenſem præfecti vigilantiſſimi, hominis & doctrina & virtute clariſſimi, & iam grandæui, quippe qui duos & ſeptuaginta ætatis haberet annos. Is hoc anno, medio ferè Decembri menſe, cùm ſibi ob aduentum Geuſiorum parum tutum exiſtimaret Delphis hærere, amicis præſertim vrgentibus, cum paucis Hagam Comitis ſe conferre voluit: ſed in ipſo itinere captus à Geuſio quodam, Hagã abductus eſt. Inde Delphos reuocatus, medio fermè itinere à quodã nobili Geuſio intercipitur, & Leidam cum cognato ſuo adoleſcente viginti plus minus annorum perducitur, ibique mox in eculeum agitur, acerbiſſimè torquetur & excruciatur, cognato iuuene inſpectante, & ſimilia de ſe expectante, infandis exagitatur verborum contumelijs, digiti pedum, & quod dicere pudor eſt, virilia præcidũtur. Paulò poſt ſub horam decimam veſpertinam ducitur ad patibulum: ſed cùm præ defectu viriũ ſcalas ſcandere non poſſet, fune ligatur medius, & ita iniecto in collũ laqueo præfocatur. Eius ſanè mors ſimulatq; Delphis nunciata eſt, incredibili ciues pleroſq; omnes dolore affecit. Corpus eius Leidæ humatum eſt. Huiuſmodi immanis crudelitatis exẽpla referimus, non quòd doctos & pios iſtos viros ſtatim inter Diuos collocare volumus: maioris enim indaginis ea res eſt, maiorisq; auctoritatis & poteſtatis examinationi reſeruata: neque vt ea ſtatim Principibus & ducibus belli exprobremus: ſcio enim ciuilibus bellis plus militibus, quàm Ducibus licere, quos illorum ſcelera ſæpe diſſimulare oportet: ſed vt nouorum noſtrorum Euangelicorum agninam manſuetu-

Cnappardi Amorfortij mors.

Cornelij Muſij Martyrium.

1572 ſuetudinem oſtēdam, imò potius talpinam cœcitatem manifeſtam faciam, vt qui non vident ſe in Catholicos reprehendere id, quod ipſi multo maiori immanitate & barbarie committunt. Si legem allegauerint talionis, ſe ad legem, non ad Euangelium pertinere fateantur neceſſe eſt. Ad Harlemenſes reuertor.

Omnibus ad oppugnationem præparatis, decimo octauo Decembris cœptū eſt mœnia, & præcipuè portam Crucis magna violentia, multisque tormētis verberari, tantumque effecerunt, vt oppidanos vicinum propugnaculum deſerere oportuerit. Cæterum communibus viribus vallum deiectum reparârunt, & ruinam iam ſtratam ſaccis lana refertis, trabibus, ſaxis, ſimilique materia oppleuerunt, tanta cum dexteritate & celeritate, vt nocte inſequenti acceſſum ſibi ad propugnaculum deſertum antea denuò confecerint. Poſtridie eadem contentione Regij ad portam D. Ioannis fulminârunt, nec propugnaculum prædictum diſturbare ſine maximo obſeſſorum damno & metu ceſſârunt. Sed quicquid ab obſidentibus deijceretur, confeſtim ab obſeſſis erectum eſt. Sed & ciues eodē tempore nouum vallum auſpicati ſunt, quod à porta D. Ioannis ad pontem vſque D. Catharinæ perduxerunt. Viceſimo die Decembris, hora circiter prima pomeridiana Regij omnibus ad oppugnationem neceſſarijs comportatis, foſſas vrbis tumultuario ponte ſtrauerunt: mox Hiſpani, quibus ob frigoris acerbitatem ea obſidio maximè fuit moleſta, non expectatis Germanis aut Burgundis, primam in vrbem impreſſionem fecerunt, & propugnaculum, depulſis inde propugnatoribus, obtinuerunt: ſed ponte fracto, & oppidanis ex reliquis munitionibus omne telorum genus in hoſtem retorquentibus, Hiſpani cedere, & in caſtra re infecta ſe referre compulſi ſunt. Perierunt ex Regijs in hac oppugnatione circiter ducenti, quorum exuuiæ oppidanis prædæ fuerunt: quas dum colligūt, inuentus eſt vnus adhuc viuus & integer, quem captum & examinatum paulo poſt in crucem egerunt. Mirum in modum hæc victoria obſeſſorum animos erexit, & obſidentium deiecit: qui per dies aliquot ſequentes nihil dignum memoria fecerunt, niſi quòd cuniculis agendis totum illud propugnaculum, cuius antea mentionem fecimus, funditus euertere conarentur. M. Adrianū Iacobi Aſcendelfenſem, vrbis Harlemenſis Syn-

fis Syn-

1572

sis Syndicum, cum Christophoro à Schagen, viro nobili, captiuum Delphos ad Auraicum missum diximus antea. Syndicus examinatus, & post confessionem magna animi linguæque libertate, quæ pro Religione & Rege gesserat, defendens, Delphis in publico foro suspensus est. Scagenius verò post multa tormenta & carceris squalores mente captus in vinculis diem suum obijt. Similiter & Harlemenses quoscunque ex hostibus erumpentes captiuos faciebant confestim in furcas egerunt. Tanta acerbitate res agebatur. Vicesimo septimo Decembris Auraicus obsessos per literas consolatus est, eisque noua præsidia promisit. Paulo post T'Seratius tres peditum centurias noctis beneficio in vrbem introduxit. Et hæc quidem sunt fatalis huius anni funesta in Belgio bellorũ initia, quorum catastrophen nondum vidimus.

Syndicus Harlemẽsis suspenditur. 24. Decẽbris.

Hoc anno die Nouembris IX. prodigiosum sydus, & stella peregrina omnibus hominibus miraculũ & stupor apparuit. Quamuis Cornelius Gemma nulli mortalium certũ aut cognitum putet diem aut mensem, quo primùm cælo affulserit, cùm alij tertium aut quartum Nouembris pro initio ponant, alij ante Octobris finem obseruatam asserant. Eius locus erat inter Cephei sydus, & Cassiopææ. Stabat in recta propemodum linea cum insigniore in lumbis Cassiopeę, cum clara Medusæ, & Pleiadibus. Sed hæc non tam ad amussim Geometricam, quàm ad oculi sensum. Exactissimè verò in eandem rectam lineam incidebant cum sydere nouo Cauda cygni, & superior in capite Cephei intra circulũ Galaxiæ. Item versus Austrum sinistri cruris Andromedæ lucidior stella, & trianguli stella in angulo Boreali. Initio Iouem magnitudine & fulgore æquabat, sed paulatim attenuata est. Coloris hæc erat mutatio. Cœpit ex rufa paulatim in fuluam & auream permutari, donec ad summam magnitudinem peruenisset. hinc rursus ex flaua argentea, & postremò quasi penitus elanguescẽs pallidior terris illuxit. Tempus apparitionis fuit annus & triens, aut circiter. Hic tam magnus, tam clarus, tam diuturnæ apparitionis admirandus Phosphorus, multos multa scribere, & quasi de futuris cõtingentibus fecit vaticinari.

Nouũ sydus hoc tempore exortum.

Floruerunt hoc anno viri docti, qui scriptis suis Ecclesiam & fidem Catholicam illustrârunt: Iacobus Billius

Viri docti & scriptores il-

1572 *Illustres huius temporis.* Billius Prunæus, S. Michaelis in Eremo Cœnobiarcha, Laurentius Surius Carthusianus, Martinus Cromerus, Iacobus Pamelius, Benedictus Arias Montanus, Martinus Isengreinius, Petrus Canisius, Franciscus Turrianus, Ioannes à S. Andrea, Ioann. Maumontius, Gentianus Heruetus, Stanislaus Hosius, Carolus Borromæus, Guilhelmus Serletus Cardinales, VVilhel. Lindanus, Iacob. Amiotus Altisiodorensis, Petrus Epinacus Lugdunensis, VVilhel. Rusæus Andegauensis, Claudius Sanctius Ebroicensis, Arnoldus Pontacus Bazatensis, Aimarus Ennequinus Redonensis, Arnoldus Sorbinus Niuernēsis Episcopi, viri pietate & eruditione illustres. Ioannes Baptista Ficlerus, qui ius ciuile Theologicum, siue Theologiam iuridicam condidit, è iure ciuili docens fidem nostram Catholicam illam ipsam esse, quæ ante annos M.CC. & eo amplius floruit, & Iurisconsultos, si qui aliter credant, contra suam artem, libros, leges, principia errare. Inter sectarios solus ferè Beza, inquit Genebrardus, scribit: quanquam ab aliquot annis rarius, siue quòd ad eruditionis suæ fundum peruenit, siue quòd delictis iuuentutis fractus est.

Annus hic vt multorum Principum, qui tam in bellis, quàm in popularibus tumultibus perierunt, cædibus est famosus, ita paucorum, qui in pace obierunt, abitu est celebris. Præter tamen Pium V. Pontif. Max. *Sigismūdi Regis Poloniæ mors.* etiam Sigismundus Augustus Poloniæ Rex, è stirpe Iagellonica vltimus, cùm annos XLIX. Regno Poloniæ magna cum laude præfuisset, Calend. Iunij è Polonia in polum migrauit. Patre Sigismundo, matre Bona Sfortia, Ioan. Galeatij Ducis Mediolanensis filia anno M. D.XX. natus. Qui cùm mense Maio ægrotare cœpisset, medicis de ipsius salute desperantibus, in Lituaniam concessit, nequicquam eum Regni Proceribus subsequentibus, vt in præsentia viui de nouo Rege deliberarent. Tres habuit vxores: Elizabetham Ferdinandi Cæsaris filiam, Barbaram Radziuillam Lituanicā, quā inuitis Regni Proceribus duxit, & alteram Cæsaris filiam Catharinam, quod matrimonium plus molestiarum quàm iucunditatis coniugalis habuit. Ex his cùm nullum hæredem reliquisset, exteris compluribus, vt Regnum ambirent, occasionem mortuus præbuit. Huic adde Elizabethā Henrici Ducis Luneburgensis filiam, Ernesti sororem, Carolo

rolo

rolo Gelriæ Duci vltimo quondam nuptam, quæ cùm XXXIIII. annos marito superuixisset, tandem hoc anno octogenaria vitam cum morte commutauit. 1573

ANNI M.D.LXXIII. initia fuêre turbulentissima: nam præter Dalmatiam, Galliam, & Belgium, quæ funestissimis bellis feruebant, etiam malum hoc in Liuonia recruduit. Ioannes enim Basilides Magnus Moscouię Dux & Tyrānus, cùm priora bella per Legatos in Liuonia gessisset, nūc ipse cum duobus filijs arcem VVitgensteiniam sexto ab obsidionis die ipsis Calend. Ianuarijs expugnauit, & inaudita crudelitate ita in captiuos grassatus est, vt Ioannem Boy præfectum arcis cum nobilibus aliquot Suecis ac Liuonibus veru alligatum ad ignem assarit. Postea Nouogardiam cum parte exercitûs rediit, vbi sobrinam suam Mariam Andreæ filiam Magno Holsatiæ Duci in matrimonium dedit. Interea reliquæ in Liuonia sedecim millium Moscorum copiæ ad Lodā omnia populātes, virtute Nicolai Achazij Suecorum Ducis partim cæsæ, partim dissipatæ sunt.

Arx Vuitgenstein à Mosco occupatur

Tyrannis Mosci.

In Gallia Rupellas adhuc obsidebat, & quotidie oppugnabat Andius. Obsessi classem Mongommerianam in horas expectabant. Spes erat vtrique parti maxima, huic vrbem expugnandi, illi defendendi. Interea classem, quam in Anglia instruxerat, Mongommerius in altum subuehit, & ad Santonum portum dirigit. Cumque mille circiter passibus à portu abesset, latè alis extensis in conspectu classis regiæ consedit, sperans metu tātæ classis Regios præcisis anchoris fugam arrepturos. At illi Montgommerium despicientes, alacres sese ad pugnam parabant. Tormentis maioribus res aliquādiu gnauiter acta est: sed cùm Mongommerius Regiorum vires expertus esset, seseque his imparē intelligeret, sublatis anchoris, expansisq; velis re infecta, magno Rupellensium mœrore, hostiumq; admiratione in Anglia reuersus est. Inde per aliquot dies vrbs iterum oppugnata, cuniculi ad vrbem vsque producti, immisso igne mœnium & aggeris magna strages facta. Sed ruinas oppugnaturi, semper ab oppidanis cum damno reiecti sunt. Transfugia ex vrbe in castra erant penè quotidiana: videbant enim oppidani obsessionem fore diuturnam, & obsessorum fortunam quotidie fieri deteriorem. Ciues enim nonnulli

Continuatio obsidionis Rupellensis.

Mongommeriana classis re infecta in Angliam redit.

1573 nulli de vrbe tradenda inter se conuenerunt. Sed capitis quibusdam, illud consilium turbatum est Andius iterum in vrbem misit, qui plura offerrent, quam ipsi petere auderent: sed malè conscientiæ testimonio diffidentiam prætexebant. Ne tamen Andij oblationem omnino reijcere viderentur, sequentibus aliquot diebus ab eruptionibus abstinuerunt. Interea Andius maximum vitæ periculum adijt. Cùm enim ad explorādum cuniculū quendam iuxta veterem fontē se contulisset, miles quidam oppidanus eum è muris conspexit, sclopetumq; in eum collimans, displosit: cuius glande procul dubio traiectus esset, nisi nobilis aulicus, qui lateri eius adhærebat, spiraculi flammā conspiciens medium sese interposuisset. Is lethalem ictū proprio corpore excipiens, domini vitam sua morte redemit. Rupellani nullum sibi expectandum subsidium, & consumi ea, quæ in vrbe ad diuturniorem obsidionem ferendam erant necessaria, considerantes, ad saniora consilia mentem adijcientes, de pace cogitare cœperunt. Quod eorum studium Polonorum legatorum ad Andium aduentus auxit, de quo plura in sequentibus dicetur.

Andij periculum.

Nemausū & Mōtalbanū Regi rebellant.

Cùm Rupellani primùm Regis præfectis, præsidijsque portas clauserant, quæ causa fuit obsidionis, plures aliæ ciuitates hoc eorum exemplum secuti sunt: inter alias Nemausum, & Montalbanum. Neque his contenti Montalbanenses, apertum bellum cōtra Regem gesserunt. Dum enim Rupellam Rex obsidet, illi Teridense castellum & Buzetum oppidulum occupârunt. Comitia varia indixerunt, prouinciarum præfectos constituerunt. Sed eorum conatibus Villarsius egregiè obstitit. Nemausenses dum Damuilla Sommieram à Sangremiano captam obsidet, quam & post longam obsidionem deditione recuperauit, auctis viribus varias arces & oppida suæ potestatis fecerunt: inter quæ præcipua fuêre Florensacum, Pusinū, Cursolium, Chelaris, & Villa noua: ad quod oppidum multi Prælati, Pastores & Sacerdotes Catholici ad celebrandam Synodum conuenerant, quos omnes Reformati illi scilicet Euangelici in spiritu suæ lenitatis mactârunt. Obstupuerunt primùm ad hunc prosperum Caluinianorum successum Catholici. Cæterū Sanuidalius & Berga, hic Viuaresij, ille Vellæi præfectus, tam secundum fortunæ cursum breui retardârunt. Spalim,

Ecclesiastici occiduntur.

Catholi-

San-

Sanquintinum, Chatueilcam, & Tensam Hugonottis 1573
ademerunt. Castellum Montiũ, situ munitissimũ, & corum vi-
quod diu obsidionem toleraturũ credebatur, recuperâ ctoriæ.
runt, & Sannoyanos in ordinẽ redegerunt. Monbrunius interim in Delphinatu multa pro Hugonottis. sed frustra machinabatur. In vnam Sansarram omnium oculi erant cõiecti. Nulla enim vrbs tam dirã calamitatẽ pertulit, quã Sanserra, & ager circumiectus. Cùm Sanserra-
enim oppidani profugos quoscunq; in vrbem recipe- norum ob-
rent, Rex in ea regione tumultũ nouum metuens, mi- sidium.
litare præsidiũ cõmisit cum mandatis, vt ciues in vrbem reciperent. At Sanserrani spretis Regijs mandatis, præsidium in vrbem admittere noluerunt In vicinis igitur agris tam equestres, quàm pedestres copiæ oberrantes, multa probra in ciues iaciebãt: quibus lacessiti oppidani, eruptione facta in pago Cheueniolensi ducibus Floræo & Mõtalbano quadraginta ex Regijs occiderũt, septem captiuos in vrbem traxerũt. Missi sunt Lutetiam, qui factũ excusarẽt. Sed cùm illi preter mandata quædã pepigissent, responsum eorũ reiectũ, decretumq; est, ne Fontanæus, quẽ Rex cum pacis conditionibus miserat, in vrbẽ reciperetur. Fontanæus amicorũ opera arcem occupat, ea spe, vt per illã vrbem suę potestatis faceret. Sed oppidanorũ diligẽtia, imperterritaq; fortitudine arce denuò eiectus est, priusquam auxilia, quę expectabat, aduenirẽt, Sanserrani grauissimũ bellũ sibi imminere prospicientes, quæ ad defensionẽ necessaria videbantur cõparârunt. Cæterùm cùm nonnulli
sibi persuaderent, Regem in Rupellanos & Occitanos Sanserra-
vires omnes conuersurũ, tantasq; copias non habere, norum er-
vt vno & eodẽ tẽpore in tot locis bellũ gerere posset, ror.
rei frumẽtariæ, cùm maximè possent, non prouiderũt. Vnde durissima fames, & maxima inopia secuta, quæ ciuitatẽ per tres menses miserrimè afflixit. Paulò post Chastręus cum vniuersis copijs ad vrbẽ obsidendã aduenit. Sanserrani cùm se hostibus vndiq; cinctos viderent, malè se de Regijs viribus iudicasse, & multa ad tolerandam obsidionem necessaria prætermisisse serò didicerunt: quocirca attoniti, tristi, vultu & tacito murmure alij alios incusabant: nihilominus quocunque periculo defensionem parare statuerunt. Crebrę eruptiones ab oppidanis factæ, tumultuariæ pugnę multæ, sed nullo memorabili euentu consertæ sunt. Obsidentes fossas, aggeres, & propugnacula ad castrorũ defen-

1573 defensionẽ parârũt,ac tandem vineis, pluteisq; erectis tormenta ad mœnia verberanda promouerũt:è quibus septẽ mensibus & dimidio ad sex pilarũ millia in mœnia & domos,exigua hominum strage,missa sunt.Regij vt faciliorem oppugnationem redderent, cuniculos pluribus in locis subtus mœnia egerunt, & quò ad eorum radices tutò permeare possent, pontem super fossam fabricârunt, vimineis clatris & terra constratum. Sed oppidani igne Græco supernè deiecto, pontem incenderunt, cuniculosque omnes puteis multis excauatis, quibus spiracula ad vaporem ex incendio conceptum emittendum præberentur, inutiles reddiderunt. Regij quòd in minutis illis rebus tempus frustra tererent, vniuersam oppugnationem instituunt: sed propugnatorum fortitudine vbique repulsi, receptui cecinerunt, & in castra redierunt. E propugnatoribus septendecim partim occisi, partim vulnerati, ex oppugnatoribus sexaginta periêre, plures sauciati sunt. Chastræus videns obsessos se obstinatis animis defendere, & suos in oppugnationibus multos desiderari, omisso oppugnandi consilio fame & inedia oppidanos ad deditionem compellere decreuit. Tormẽta igitur à mœnibus abducere, mapalia destruere & incendere suos iussit. Obsessi id è mœnibus conspicati, Chastræum obsidionem soluere existimãtes, ingenti lætitia affecti sunt: sed ipsorum gaudium breui in luctum conuersum est. Nam fossores & agricolæ è varijs Regni locis euocati, in extruendis nouis munitionibus ita desudârunt, vt præter ingentem fossam, quæ totam vrbem circundabat, ambitu quatuor millium & trecentorum decem passuum septem propugnacula iustæ magnitudinis extruxerint, æquis ferè interuallis à se inuicem distantia, ad quæ milites per fossam tutò commeare possent. Eo pacto Sanserrani quasi indagine cincti, clausique sunt, vt nemo ad eos neque noctu, neque interdiu accedere, nec ipsi exire sine manifesto vitæ periculo possent: belli tamen consilia obsessi non omittunt, quin ad vltimum vitæ spiritum, quocunque fors euadat, pro sua Religione pugnare statuerunt. Sed obsidentes amplius mœnia non tentârunt, quòd rem sibi cum desperatis esse cognoscerent, quos fame domare, quàm vi subigere facilius esse iudicabant. Exploratum namq; habebant, tanta obsessos commeatus inopia laborare, vt nisi citò pertina-

Sanserra frustra oppugnatur.

Sanserra clauditur, ne cõmeatus aduehatur.

ciæ finem imponerent, extremam famem paterentur: 1573
quod & accidit. Tanta enim in vrbe fuit fames, vt dimidiam fermè plebis partē absumpserit, & non modò ad inusitata cibaria deuentū sit, sed etiam ad paleam, nucum putamina, atque hominum excrementa. Carnibus enim bubulis, ouillis, & suillis deficiētibus, equi atque asini mactati sunt. Deinde feles, sorices, talpæ, canes, & mures comesti. Ijs consumptis, boum tergora, ouium, atq; vaccarū vorari cœpta, quę postquam defecêre, rabida vrgente fame, cingula coriacea, capistra, frena, & ephippia, ligularum & crumenarū resegmenta, cum vestimētis coriaceis, in delicijs habita sunt. Dein ad vngulas boum, equorū, aliarumq; bestiarū confugerūt. Cùm frumēti atq; leguminis omne genus deficeret, panis ex paleis minutim concisis & in mortarijs contusis, atque ex tegulis natiuis (lapidis genus est nigri & friabilis) confectus est. Deficiētibus omnibus cibarijs, homines ad bestiarum & sua quoq; excrementa deuenêre: in sterquilinijs quoq; ossa putrida, & cornua animaliū diligenter perquisita sunt, & auidissimè comesta. Fuerūt qui defunctorū cadaueribus vesci voluerunt, sed in facto deprehensi pœnas luerunt. At ne in hac extrema necessitate constituti, quicquā de sua pertinacia remittere voluerunt: donec rebus omnibus desperatis & Rupellensibus domitis, ad pacis consilia confugerunt, vt suo loco dicetur.

Incredibilis Sanserranorū fames.

Dum hæc in Gallia gerūtur, classis Turcica Ascruuium, siue Rhiziuiū in Dalmatia obsedit. Sed quia illud expugnari posse diffiderent, comportata vndique materia summa cum celeritate propugnaculum iuxta portum, seu sinus ingressum, excitârunt. Veneti, quorum imperio vrbs hæc parebat, re intellecta, Iacobo Superantio Prouisori Generali, qui tum in Corcyra erat, iubent, vt cum parte classis periclitanti vrbi succurrat. Is accepto hoc mandato XV. Ianuarij cum viginti triremibus Ascruuiū nauigat, tantaq; celeritate appulit, vt Turcæ prius aduenisse viderint, quàm aduenire audierint. Mox suos in propugnaculum duxit Superantius, oppugnatur simul, & expugnatur, igneq; subiecto exustum & euersum est. Turcæ pleriq; trucidati, præda non exigua Veneti potiti sunt. Inuenta sunt in munitione septendecim maiora tormenta, septem triremes instructissimæ, alteriusq; apparatûs necessarij ingens copia. Sed & portā ferreā nacti sunt, cui Ascru-

Turcæ Ascruuium frustra obsident.

1573 uium allatæ, à quo, quando, & quomodo capta est, inscripserunt.

Cùm Pontifex Romanus intellexisset classem superioris anni exiguo cū fructu rediisse, ingemuit Lætum, inquiens, nimis & gloriosum Pontificatus nostri habuisset initiū, si classis nostra manū cū hoste cōserere potuisset, Turcicamq; expugnasset, aut aliud singulare damnū Barbaro intulisset. At nos exhortando Principes, vt fœderi contra illum inito sese iungant, continuisque precibus Deum obsecrando, vt populo Christiano virtutem & fortitudinem largiatur, nostro officio satisfaciemus, vt Deus pro sua misericordia (si nobis expediat) futura æstate insignem aliquam & lætam victoriam concedat. Paulo post misit ad Regem Hispaniarum Archiepiscopū Lanzanum, vt eius Maiestatem hortaretur, id curet, vt naues, & quæ ad expeditionem Turcicam sunt necessaria, maturius quàm præcedenti anno præparentur. Ad Franciæ quoq; Regem misit Cardinalem Vrsinum Fuluium, omnibus, iisque optimis modis & rationibus vsus, vt Regem hunc in sacrum fœdus pertraheret. Non esse scilicet Regē in toto terrarū orbe, cui magis ex officio incumbit, Christianū nomen defendere & diffundere, quàm Regi Franciæ: vt qui inde nomē Christianissimi consecutus est. Ad hoc illius Maiestatem incitare maiorū suorū exēpla. Magnā hinc gloriā & vtilitatē in Regem redundaturam. Gloriam, quæ ex hoc bello sequetur, esse manifestam: Nil enim fideli & Christiano Principi gloriosius esse posse, quàm inimicos Christi & fidei bello persequi. Vtilitatē non esse minorem. Deuicto enim semel Turca, opulentissimas eius regiones facilè posse occupari: magnum emolumentum ex iis confici, magnas opes corradi. Adduxit Cardinalis & multas alias rationes, quæ omnes commemorare longum nimis esset. In fine promittit Pontifex, si quid in fœderis conditionibus sit, quod Regi minus placeret, se omnia sic moderaturum, vt Regi satisfiat. Quòd si omnem diffidentiam tolli, & per omnia Rex securus esse velit, non videri Pontifici cōmodiorem viam, ad omnes suspiciones, omniaq; impedimenta auferenda, quā si inter Suam Maiest. & Regē Catholicum firma constituatur amicitia: fieri autē hoc posse, si noua inter ipsos cōtrahatur affinitas, fratri suo alteram filiarum Regis Hispaniarū spondendo. Respondit Rex; Se non

Pontifex Gallū ad sacrū fœdus hortatur.

aliam

aliam ob causam, quàm ad defendendam Religionem 1573
Catholicã, & conseruandam S Sedis obedientiam tot *Excusat*
hactenus pericula, tam vitæ, quàm fortunarũ adijsse. *se Gallus.*
Huius rei præter alia argumentum esse cædem Admiralij, & tot insigniũ hæreticorũ. Promptissimũ quidem se esse, nihilq; magis optare, quàm vt omnes vires suas aduersus Turcam explicare posset, sed habere se in Regno suo subditos adhuc quàm plurimos rebelles, Narbonenses præsertim & Xantones: & vereri se, ne ijdem in sua rebellione ab Anglis & Germanis, quibus ista de hæreticis sumpta supplicia displicebãt, armis & pecunia adiuuentur. Matrimoniũ propositum sibi maximopere placere, si Rex Catholicus velit aliquod Regnũ, aut prouinciã fratri despondere: sed videri sibi negotiũ illud effectũ non habiturum. Cumque Legatus Pontificius iterum atque iterum Regẽ de fœdere hoc interpellasset, aliud responsum nõ tulit, quàm: Neutiquam Suæ Maiestati consultũ videri, hoc rerum statu exercitũ in Regno suo conscribere, & in Turcam mittere. Huic enim militiæ nomen hos tantummodò daturos, qui verè Catholici sunt: Hæreticos in Regno permansuros, qui tanto potentiores essent futuri, ad nouos motus concitandos: quanto imbecilliores viderẽt Catholicorũ vires, ad suos furores cõprimendos. Legatus, cùm videret se nihil impetrare posse, Romam re infecta reuersus est.

Veneti interea considerantes negotiationes suas bello Turcico impediri, ærariũ exhauriri, & parũ proficii, intercessione Legati Francici inducias victores à victo Selymo magno ære, & integra Cypri cessione turpiter promercantur, pertæsi (vt quidã scribit) hostes Dei vincere, nisi interim per totius maris Mediterranei emporia quæstuosam suam mercaturam exerceãt; immemores illius Græcorũ: *Cum hostibus Crucis bellũ geratur, vbi & victoria laudabilis, & vinci salutare.* Et iterũ: *Pax colenda, vbi Dei iacturã non facimus: rursus bellum gerendum, vbi Religio periclitatur.* Displicuerũt istæ induciæ Pontifici & Regi Philippo, vel eo potissimũ nomine, quòd sine suo consilio aut consensu, imò se planè inscijs essent impetratæ. Pontifex Oratorem Venetum ad colloquiũ suum admittere noluit, sed & Vrbe exire præcepit. Quare Veneti confestim Nicolaum Pontium, octuaginta annorum senem Romam miserunt, qui Pontificis animũ sua eloquentia emolliuit,

Veneti inscijs fœderatis pacẽ à Selymo impetrãt.

Pachymerus lib 5. Histor.

1573 Missi etiam legati sunt ad Regem Hispaniarum, qui necessitatem huius pacis demonstrarent.

Pontifex cùm ab omnibus Principibus, & ab ipsis etiam confœderatis desereretur, ad labantem Ecclesiam fulciendam, vulpeculasque vineam Domini demolientes profligandas, animũ conuertit. Seminaria itaq; & Collegia studiosorum adolescentum instituit, dotauitque, pro ijs præsertim Regnis, quæ hæreticorum peruersis dogmatibus erãt obnoxia. In quibus seminarijs adolescentes literis & vera pietate solidè instituti, patrijs suis sana doctrina, sanctisque exemplis aliquando possent prælucere, & cõciues suos ab erroribus ad veram fidem reducere. Eum in finem hoc anno Romæ Collegiũ Germanorũ tantis auxit prouẽtibus, vt in eo centũ adolescentes Germani perpetuis tẽporibus alantur. O Germania venerare Sedẽ, quæ tanto te amore complectitur.

Collegiũ Germanorum Romæ dotatur liberalius.

De longa Sanserrę in Gallia obsidione, de oppugnationibus frustra tentatis, de incredibili obsessorũ fame diximus obiter, & quidẽ copiosius de ijs scripsissemus, nisi vno eodemq; tẽpore Harlemi Hollãdiæ per omnia similis, ac penè eadem fortuna & calamitas fuisset. Huius vrbis obsidionem paulo copiosius referemus, tum quòd memorabilis est, tum etiam, quia in ea quasi in speculo Sansarranorũ obsidium conspiciatur. Harlemum itaque Hollandiæ nobile oppidũ, xj. die Nouemb. anni præcedentis ab Albani filio Frederico obsessum, & quid inde ad finem anni actũ commemorauimus. Initio Ianuarij Regij omnibus ad oppugnationem præparatis, octauo die quatuordecim maioribus tormentis vrbem disturbare cœperunt, quod per aliquot sequẽtes septimanas cõtinuârũt, magno furore turres, mœnia, ædiumq; priuatarũ & publicarũ tecta perforantes, atque deijcientes. At ciuiũ, militumq; diligentia mox omnia reparata sunt. Sub idem tempus Auraicus aliquot copias auxiliares ex Anglis, Scotis, Aquitanis, & Germanis conflatas Harlemũ misit, quę noctis obscuritate à via aberrantes, partim in manus hostium inciderunt, partim elapsi ad suos reuersi sunt: pauci in vrbem, ignis, qui in turri lucebat, indicio peruenerunt. Quotidianæ erant excursiones, quotidianæ velitationes, nunc his, nũc illis victoribus. Obsessi captiuos, si quos adducerent, prius examinatos mox è locis eminentioribus suspenderunt. Qua truculentia Regij

Continuatio obsidionis Harlemensis.

gij ad similem lanienam irritati sunt. Decimo sexto 1573 itaque Ianuarij Hispani caput humanũ è castris in vrbem proiecerunt,cum inscriptione: Caput Centurionis Philippi Coninx. Oppidani vt talionem redderẽt, xij captiuos,iij. Amstelredamenses,reliquos Gallos & Germanos suspenderunt,deinde resecta capita,Geusiorum more rasa,vndecim in vase consarcinata è mœnibus nocturno tempore in Regiorum castra deuoluerunt,cum huiusmodi inscriptione: Deferantur hæc ad Albanũ, decimũ denariũ bonorũ nostrorũ exigẽtem, quem nondũ persoluimus, quare & hãc obsidionẽ patimur. Nũc illi satisfacimus. Ne quã autem cõquerendi habeat rationem,non tantùm decem capita mittimus, sed vnũ insuper pro dilatæ solutionis vsura superaddimus. Hispani interim magna contentione cuniculos agendo, & tormentis omnia disturbando, propugnaculũ quod extra vrbem erat, suæ potestatis fecerunt: at oppidani oppositam illi portam, cui à Cruce nomen,ita munierũt,vt propugnaculũ illud hostibus exiguo potuerit esse vsui. Vltimo Ianuarij Regij collectis omnibus viribus oppugnationem instituerunt. Cùm autem Germani, qui in porta D Ioannis, & S. Crucis excubabãt,in vigilijs essent negligentiores, Regij sub auroram portam S. Ioannis occupârũt,in eaque signa sua fixerũt, antequam oppidanis periculũ innotuisset:ab altera parte iuxta portã S. Crucis multi quoque Hispani ad mœnia penetrârant, totũque tractũ illum, qui inter vtramque portam est,occupârant,cõpositis ordinibus stantes, & pugnæ signũ expectantes. In castris etiam, omnibusque circa vrbẽ stationibus pedites,equitesq; in armis erant,ad pugnã parati: & certè,si impetum in vrbem fecissent,eodẽ momento eam capere potuissent. Sed dum cunctantius agunt, dies illuxit, & oppidani periculũ, in quo erant, palam cõspexerunt, & cum parua manu inter vtramque portam in hostem irruerunt, & fortissimè cum eo pugnârunt. Interea fama huius periculi totã vrbẽ peruagatur: signũ è turri datur,trepidi accurrunt vnà cum præsidiarijs ciues: atrox pugna committitur. Regij passim sternũtur, cæduntur, vulnerantur. Præcipuus pugnæ locus erat iuxta propugnaculũ vetus, cuius iam aliquoties mentionem fecimus,quod & Hispani occuparãt. Quia verò oppidani nouum huic oppositũ excitârant, firmissimeque munierant, obsidentes illud cuniculis actis suffode-

Crudelitas militaris.

Cruenta oppugnatio.

1573 foderant, vt immisso igne, tempore pugnæ euerterēt. Sed obsessi aduersos cuniculos duxerant, immissísque aliquot vasis puluere sulfureo plenis, dum explicatis signis in illo Hispani magno numero pugnār, puluerē incendūt, propugnaculumq; ab imo subruunt, Hispanis passim huc illuc per aëra disiectis, capitibusq;, brachijs, & cruribus diuersas in partes volitantibus. Qua clade consternati Regij, pedē retrò retraxerūt, & trepidi in castra sese, quàm plurimis è suis amissis, receperunt. Nec incruenta fuit ista victoria oppidanis, quorū etiā non pauci desiderati sunt Hoc modo Regij optimā occasionem vrbis expugnandæ cunctādo amiserūt. Mare seu lacus est, quē Harlemicū vocāt, latè ac longè sese in Hollandiā Australē extendēs, qui hyemis asperitate, frigorisq; intensi sæuitia, adeò congelatus erat, vt glacies quæuis onera sustineret. Per hunc lacū oppidanis iter vltro citroque cōmeandi erat liberū Quo b. nescio quotidie noua præsidia, apparatus bellicus, frumētum, omnisque generis commeatus obsessis mittebatur: adeò vt hoc vno mēse Ianuario CCCCLXXVII. trahę puluere tormentario, pilis & omni annonæ genere oneratæ à socijs aduectæ sint.

Omnia obsessis aduebuntur.

Ingēs exundatio Louanij.

Dum hæc ad vrbē Harlemensem fiūt, Louanium (vt hoc obiter interseramus) ingens diluuiū maxima clade & terrore affecit. Auctæ erant hybernis niuibus vicini fluminis ripæ. ac degelatione facta, post gelu diuturnum mensis Decembris, sic repentè intumuit vnda VIII. Ianuar. die, vt neque traduci primò laxatis ostijs per solitam regionem potuerit, neq; deinde murorum obicibus vllis oppositisue repagulis coërceri, quin omnē industriam & consiliū anteuertens, super mœniū pinnas excreuit, tandēque hora ante meridiē decima perruptis aggeribus stragem latissimam dedit: ita repente inuoluens mediū ciuitatis, vt casas humiles & cariosas, etiā plerasq; firmiores obiectas vortici violenter erueret. Quibus præterlabenti flumini sedes proxima fuit, his ferè ad duodecim cubitorū altitudinem demersa ædificia vix rapidi fluctus aduersos impetus sustinebant Omnes passim pauidi vsque ad suprema tectorum vestigia properare, muros perfodere, tabulata perfringere, scalas, celoces atque carinas ardēter expetere, toto cælo audiri gemitus, quiritatus, ædificiorum ruitantiū fragor, horrēdo murmure ab vtriusque sexûs & ætatis hominibus in vnā tragicā vocē,

& lu-

& luctuoſam ſpeciẽ vndecunq; cõfuſus vlulatus. Videre hic erat auulſas arbores, ſimulachra diuorũ altarib⁹ eruta: illic domorũ cõtignationes abreptas, tecta, lateres, ſpondas, culcitras, capſas, ſubſellia, omnisq; generis auectã ſupellectilẽ fluitare: quin & ingẽtes fornices cũ obuijs muris luctatæ paululum, tremendo ſpectaculo mortisq; cogitatione acerba, ſecũ & firmiores domos ſæpe in præcipitiũ auferebant: quæ ſanè belli ciuilis delineatio longè certiſſima videbatur. Sternũtur ſepes, anterides, molę, pontes, & periſtilia: diſſiliũt portæ cum catharactis: cauantur ſtrata viarũ, templorum aditus & pauimenta. Ipſa etiã mortuorũ oſſa cũ ſepulchris ſubruta, ad formidabilẽ extremæ reſurrectionis typũ alludere videbantur, hîc terra in tumulũ exurgẽte, illic depreſſa eadẽ atq; amplius dehiſcẽte. Ad ſingula ferè momenta moles aquarũ in palmæ altitudinem excreſcebat, multis in humili cõſtitutis menſurã vitæ ſuperſtitis, ipſa propemodũ incrementi proportione ſignificans. Sed diuina prouidẽtia huic malo remedium inuenit, cùm fortior vnda ſtrepitu magno & violẽtia portã alterã ciuitatis, cui à S. Iobo nomẽ, qua nimirum fluminis egreſſus patet, cum mœnium oppoſita parte conuoluẽs, ciues vitæ ſummo & fortunarũ omnium periculo liberauit. Nam protinus vt foras effuſus Dilia, velut è carcere liber in planitiem latè diuagatur, ipſa quæ antea congeſta fuerat intra murorũ ambitus aquarũ copia, repente defluxit, plus quàm humanæ ſtaturæ ꝓfunditas capit: multis tamen ruẽtibus ædificijs, poſtquã ab inundationis tyrannide iam tuta atq; ſecura putabantur. Dici non poteſt, quanta clades priuatim & publicè tũ alijs rebus, tũ ipſi Muſarũ ſupellectili, vaſtatis bibliothecis, tabulis, annalibus, alijsq; ꝑclaris ingenij monimẽtis ſit inuecta. Mirandũ interim maximopere, inter tot caſus acerbiſſimos, tã paucos homines (aiebant circiter octo aut nouẽ) è medio eſſe ſublatos: cùm ſi noctu obueniſſet hæc inundatio, vel multorum millium vitam cum ſpiritu elidere potuiſſet. Sed ad obſidionem Harlemenſem reuertamur. 1573

Harlemẽſibus aduectio per lacũ impeditur.

Initio menſis Februarij Regij milites tumultuarias aliquot munitiones in ripa Sparæ fluminis ædificârunt, quibus impedire ſe poſſe arbitrabantur, ne quid per lacum obſeſſis aduceheretur. Neque eos fefellit euentus: multas enim trahas commeatum aduehentes breui tempore vel in fugam verterunt, vel in-

1573 terceperunt. Eruptiones erant quotidianæ, sed nullo euentu memorabili. Fodinæ quoq; hoc mense Februario ab oppidanis quinq;, & duæ aut tres ab Hispanis incensæ sunt, non sine exiguo vtriusque partis detrimento. Cùm iam Regij portæ S. Crucis pinnas, loricas, totamque partem superiorem disiecissent, visum est magistratui inferiorem partem terra, lapidibus, ligno, aliaque materia implere, gerrasque in ea disponere, vt propugnaculi vicem suppleret, vnde hosti possent quàm commodissimè nocere. Hispani contra in munitione opposita ingentem & præaltam molem è terra, fascibus, alijsque materijs excitârũt, & in ea machinas aliquot bellicas collocârunt, quarum continuis excussionibus non leuem cladem vrbi intulerũt. Cùm autem Regij non cessarent cuniculos subtus mœnia & portas agere, oppidani nouo suo propugnaculo timere cœperũt, ne illud supposito igne subrueretur, qua commoditate hosti facillimus ad vrbem aditus pateret: & si eodem impetu impressionem facerent, fieri posset, vt vrbem simul occuparẽt. Collatis itaq; consilijs decretum fuit, intra mœnia nouam fossam, nouumque vallum instar dimidiæ lunæ, aut hemicycli propugnaculo circumducere, vt irruentibus obex poneretur, eorumq; impetus retardaretur: quo in labore ab omnibus cuiuscunq; sexûs, ætatis aut conditionis ciuibus, militibusq; magna cum contentione desudatũ est. Interea remittẽte se frigore, cùm accedẽs calor induratã tot septimanis glaciẽ resolueret, Hollandi multis nauigijs commeatũ, puluerem tormentarium, machinas bellicas, aliaq; ad tolerandã obsidionẽ necessaria varijs vicibus submiserũt: & decimo octauo die obsessi primam triremem, octoginta pedes longam, in lacũ eduxerunt. Paulo post Amstelredamenses sua parua triremi, & quatuor aut quinque alijs nauigijs aduecti, aggerem iuxta traiectum obolarem (*penninx veer*) appellãt) perforare conati sunt: sed à triremibus, alijsq; Harlemensium nauibus labor ille impeditus est. Reductis igitur nauibus, vicesimo primo Februarij idem tentârunt: sed à triremibus & equitatu hostili denuò repulsi sunt, qua in velitatione nauis oneraria ab oppidanis capta, & qui in ea inuenti, omnes aut occisi, aut suspensi sunt. Amstelredamenses tamen non destiterunt ab incœpto: sed tandem actuarias aliquot naues felici euentu in lacum subduxerunt.

Pro lacu diu certatur.

Has

Has omniū primus conſpexit Gerardus Iunius, vni- 1573
uſ triremis præfectus, qui non expectato aliarum naui-
um aduentu, cum ſua rectà in hoſtium claſſem con-
tendit: à quibus cinctus, cùm aliquamdiu pugnâſſet,
nauem & claſſiarios penè omnes amiſit: ipſe verò gra-
uiter vulneratus in tutum ſcapha quadam enatauit.
Cùm rumor iſtius cladis ad aliarum nauium præfectos
eſſet perlatus, confeſtim tota claſſis inſtructa, & in ho-
ſtium naues delata eſt. hìc pugna recruduit. ſuperiores
Harlemenſes ſuam triremim, & aliam dromonem,
occiſis partim, partim à malo & antennis ſuſpen-
ſis, qui in eis erant, recuperârunt. Perijt in hoc cer-
tamine nobilis quidam Louanienſis Rauenſchoti-
us, qui Regia caſtra ſequebatur, Marte magis & Bello-
na, quàm Muſis & Apolline delectatus.

Calendis Martij caſtra Regia aduentu quinque ſi-
gnorum ſelectiſſimorum Hiſpanorum toto gratulan-
te exercitu aucta ſunt. Poſt biduum oppidani induſtria
Cuninchamij Scoti molem illam terream, propu-
gnaculo nuper ſuperſtructam, tormentis ſuis ita di-
ſturbârunt, vt defendi à Regijs iam diutius non po-
tuerit: quam tamen paulo poſt indefeſſo labore re-
ſtaurârunt. Interim eruptiones non ceſſârunt, nec à
Regijs impediri potuit, quò minus quotidie nouus mi-
les & commeatus in vrbem mitteretur. Decimo ſepti-
mo Martij Hiſpani fodinam ab oppidanis excauatam
interceperunt, cuius beneficio ſibi vrbis expugnatio-
nem pollicebantur: ſed aſſiduo ciuium & præſidiario-
rum labore, ſtudio, & inuicta fortitudine circa veſpe-
rem pulſis inde Regijs, cum maximo ciuium gaudio
recuperata eſt. Alij deinde cuniculi ſubruti ſunt, ſed ſi-
ne ſingulari vtriuſque partis incommodo. Geuſij, quos
Aquaticos vocant, circa idem tempus iterum conati
ſunt non procul Amſtelredamo aggerem perrumpere,
vt ſocijs obſeſſis ſuppetias ferrent. At Comes Boſſuti- *Boſſutij*
us Hollandiæ Gubernator Regius cum Amſtelreda- *de Geuſi-*
menſibus, poſtquam decimo octauo die Martij ad eo- *js aquati-*
rum claſſem perueniſſet, quaſdam eorum naues de- *cis victo-*
preſſit, & duas triremes illis ademit. Sequenti die o- *ria.*
mnes in VVaterlandia, & quæ circum Amſtelreda-
mum erant naues hoſtiles profligauit, cæſis circiter
mille viris, captis plurimis, & viginti tribus maioribus
minoribuſque nauibus hoſti ereptis. Viceſimo ſecun-
do Martij D. Fredericus totum exercitum in armis eſſe

1573 iussit Oppidani quia oppugnationem hostes meditari verebantur, signum è turri dari præceperunt: ad quod omnes exciti, mœnia & turres impleruut, omnes ad defensionem parati· sed nulla pugna subsecuta est. Pomeridiano tempore Galli aliquot vrbe clam egressi, vicinam syluam ingressi sunt, vt explorarent, quis illic hostium numerus, & quæ castrorum esset constitutio: sed ab Hispanis malè excepti, desideratis nonnullis in vrbem reiecti sunt. Biduo post duo Hispani capti, & proximè vrbem suspensi sunt. Paulo ante ducti equites Germani, cum aliquot peditibus in aggerem Geusiorum, quem prope Leidam erexerant, impetum fecerũt: quo capto, & hostibus inde pulsis, magnam equorum, boum, ouiumque prædam secum in castra abegerunt. Die vigesimo quinto Martij magna inter oppidanos & Regios pugna commissa est. Primo namque diluculo Galli aliquot erumpentes, vt cum hoste, qui in proxima sylua, loco cui *voorhout* nomen est, castra fixerant, velitarent, primo impetu exterius munimentum occupârunt: sed quia viribus erant inferiores, numerusque minor, quàm vt victoriam prosequi possent, quibusdam è suis amissis, in vrbem trepidi reuersi sunt, magistratui significantes, quæ hostium illic esset constitutio. Magistratus conuocatis tribunis de communi consilio decreuerunt, post meridiem eò nouem aut decem peditum centurias, cum aliquot equitibus mittendas, qui ex eo loco hostem expellerent. Circa horam itaque pomeridianam quartam nonnulli pedites præmissi, pugnæ præludium cœperunt. Interea terra marique maiores copiæ submissæ sunt, quę vndiq; hostem adoriebantur. Germani periculum, in quo erant, animaduertentes, maiora tormenta in confertissimos hostium cuneos excusserunt, quo facto mox in fugam se coniecerunt: quos insecuti Harlemenses passim occiderunt: nec finis fugæ fuit, priusquam alteram fluminis ripam tenuerunt. Cæsi dicuntur eo prælio Germani circiter mille, occupata castra, tormenta, apparatus bellicus, & nouem signa militaria, quæ sub vesperem inspectante, & nequicquam fremente toto exercitu, cum tympanis & tibijs in nouum vallum intulerunt, & circum munitionem nuper factam fixerunt. Ingens quoque armorum, annulorum, aliorumque cimeliorum, boum quoque & ouium præda in vrbem illata, abactaque est. Sed non omnino incruenta fuit hæc oppidanis

Victoria Harlemensium.

pidanis

pidanis victoria: nam præter alios, qui in hac pugna 1573
cæsi sunt, etiam Capitaneus quidam Gallus, Derdeindius nomine, qui maxima ciuitati in fabricis nouisque operibus extruendis præstiterat beneficia, cecidit, cuius mors omnibus fuit luctuosa. Postridie ab Hispanis ex propugnaculo glande traiectus est Theodoricus Brassemannus. Lanceloti Bredenrodij Vicarius. Hactenus obsessi Hispanis maximis verborum, factorumque contumeliis, comminationibus ac diris insultauerant, & ne quid extremæ insolentiæ ac proteruiæ deesset, aras editioribus locis extruxerunt, statuas illis imposuerunt, supplicationes cum cymbalis & tintinnabulis instituerunt, cantica Ecclesiastica in ludibrium Religionis alta voce cecinerunt: imagines, cruces, ornamenta Ecclesiastica, è stramine & fœno factas effigies, sacerdotum, Monachorum, Monialium & Hispanorum habitu indutas flagellârunt, lapidârunt, confoderunt, è palis suspenderunt, amputatis tandem capitibus, è muris in Hispanos deuoluerunt. At cùm vindex Deus hanc impietatem & petulantiam diutius tolerare nollet, ab obsessis ad obsidentes victoriam auertit. Vigesimo namque nono Martij Bossutius cum triginta tribus nauibus præsidiarijs, & septem triremibus, lacū seu mare Harlemicum, aggere nō procul à diuersorio, cui à ceruo nomen est, perrupto intrauit, totiusque maris illius nauigationem oppidanis ademit. Tunc consternati tam ciues quàm milites modestius agere, & ab omni insolentia abstinere didicerunt, soli nunc defensioni intenti. Tertiam mox triremem nauarcho Binckhorstio, & aliā nauim sub imperio Mauregnaldi, cum aliquot ciuibus ad reliquam classem suam dimiserunt. Regij vt tutam nauibus suis stationem haberent, postridie in loco, quem *Fuijck* indigitant, firmissimam munitionem excitare cœperunt.

Ludibriū Harlemensium in Religionem.

Præsagiū quid de ipsis futurum esset.

Regij lacum occupant.

Ineunte Aprili oppidani collegium Ioannitarum, quod hactenus inuiolatum permanserat, diruerūt. Postridie Calendarum Comes de Bossu cum quadraginta triremibus & nauibus militaribus, Amstelredami instructis, ad nouam munitionem velificauit, ibique iactis anchoris tota die maioribus tormentis vrbem infestauit: quam iniuriam vt vindicarent ciues, vndecim milites pridem captos in crucem præ mœnibus egerunt, & fœminam aquis suffocârunt. Nono huius mensis classis Auraici, quæ centum circiter nauibus

con-

1573 conſtabat,è ſua ſtatione in claſſem Regiam inuecta eſt.
Nauale prælium. Harlemenſes etiam duodecim nauigia ſubmiſerunt, quæ cùm ob pontem, qui ſtationi regiæ prætendebatur, ad ſocias naues penetrare non poſſent, amiſſis duabus ex præcipuis, reliquæ in vrbem reuerſæ ſunt. Claſſiarij partim in poteſtatem hoſtium venerunt, partim in aquis perierunt: pauci quidam enatârunt. Auraici claſſis cum Regia eminùs pugnans, cùm non leue damnum à tormentis bellicis, quæ in munitione erant, & ſine intermiſſione pilas in claſſem hoſtilem eiaculabantur, acciperet, vela vertit, & in tutum ſe recepit. Paulo poſt eadem claſſis ad arcem Heemſtede appulſa eſt. Oppidani exiſtimantes ſocios aliquot copias in terram expoſituros, quoſdam è ſuis illis obuiam miſerunt: ſed cùm ſe falli viderent, in vrbem vulneratis duobus Centurionibus, Steenbachio & Chriſtophoro Vaddero redierunt. Paulò poſt per varias ambages & deuia in vrbem venerunt Hieronymus Tſeratius, Roſinius, Bordellius, Dorhemius, & Maligauius, homines quoſdam puluere ſulfureo oneratos ſecum adducentes. Auraica etiam claſſis duo millia peditum in terram expoſuit, ſpe alicuius magnæ victoriæ incitata. Sed cùm Harlemenſes ſe non mouerent, nec vllam eruptionem facerent, nihil memorabile geſtum eſt. At Balfurius cum ſuis Scotis, & aliquot ciuibus noctu vrbe egreſſus, munitionem Ruſtenburgenſem, fugatis inde, occiſiſque nonnullis Regijs, ex improuiſo occupauit: quam Hiſpani poſtea aliquoties, ſed fruſtra recuperare conati ſunt. Balfurius cum quatuor ſignis militaribus hoſtibus ademptis in vrbem rediit. Qui autem in hac expeditione capti erant, paulo poſt in altum ſtipitem ſublati ſunt. Aliæ quoque eruptiones hoc menſe factæ ſunt, in quibus tamen memoratu dignum nihil actum eſt. Varij nuntij vltro citroque miſſi, ſed præter puluerem tormentarium nihil in vrbem illatum eſt. Per eoſdem dies Magiſtratus nouam cudi iuſſit argenteam monetam, in cuius vno latere
Moneta Harlemenſium. inſignia vrbis Harlemenſis, in altero inſcriptio: VINCIT VIM VIRTVS, expreſſa conſpiciebantur.

Calendis Maij Regij duas nauiculas tormentario puluere oneratas interceperunt: nautæ elapſi in vrbem huius infortunij nuntij venerunt. Cùm iam pridem omnis commeatus, aliarumque rerum neceſſariarum

aduehendi per canalem aditus esset præclusus, annona cœpit obsessis deficere. Quare Magistratus ciuium omnium tam pauperum, quàm diuitum ædes visitauit; omniaque vsibus humanis necessaria in tabulas suas retulit. Per eosdem dies magnus in vrbe tumultus ob Gallum quendam, de quo Vemius supplicium sumpserat, excitatus est. Octauo Maij vrbe tam arcta obsidione cincta, vt vix vlli egressus aut ingressus pateret, nouum stratagematis genus inuentum est, literas vltro citroque per columbas mittendi. Nocte quatuor tabellarii cum xxx. militibus vrbe emissi sunt. Oppidani iuxta hostium stationes, qua nuntijs transeundū erat, tumultum concitârunt. Dū velitantur inter sese, nūtij securè transeūt, & ad clasſē Auraici perueniūt. Portabāt autē singuli columbas nōnullas domesticas, & columbarijs suis in vrbe assuetas. Harum prima duodecimo Maij in vrbem reuersa, literas Principis Auraici pede alligatas attulit. Hoc tabellariorum genere deinceps ad finem vsque obsidionis vsi sunt. Profesto Pentecostes oppidani M. Quirinum, & M. Lambertum, olim Consules, viros integerrimos, & de ciuitate multis modis benemeritos, sed Catholicos, Quirini quoque filiam Vrsulam sanctimonialem, Virginem religiosam, ob solam suspitionem proditionis, quam instituere possent, in vincula coniecerunt. Sequentibus diebus pro defensione vaccarum, quæ in agro suburbano adhuc pascebant, leuibus prælijs sæpe decertatum est. Quo tempore publico etiam mandato cautum est, vt viris quotidie panis vnius libræ, mulieribus & pueris dimidiæ, meretricibus lixis & calonibus libum ex polenta coctum daretur. Modus quoque in coquenda cereuisia constitutus est, quia frumentum iam penè omne consumptum erat. Hispani per hos dies multos vtriusque sexûs & ætatis homines in munienda vrbe, terraque comportanda occupatos, è suis propugnaculis densis glandium nymbis strauerunt, pyrobolisque in vrbem missis incendium in vrbe excitârunt: quod tamen concurrentibus oppidanis mox restinctum est. Vicesimo tertio Maij Regij munitionem in Rustenburch magna contentione adorti oppugnârunt: sed re infecta, multis è suis desideratis, receptui cecinerunt. Illis in castra redeuntibus, superuenit Ioannes Scatterus, vt inter præsidiarios Rustenburgenses puluerem sulfureum distribueret. Sed antequam eò peruenisset, igne

1573
Annona deficit.
Per columbas mittūtur literæ.
Consules duo & Virgo Sāctimoniales capiuntur.

1573 igne in puluerem incidente, flamma tam ipse Scatterus, quàm Tseratius, & alij quidam miserè ambusti sunt. Post biduum missi quidam sunt ab Aumaico, qui puluerem obsessis apportarent: sed qui illis obuiam irent, incondito tumultu, & clamore suo aduenientes, socios ita terruerunt, vt hostes adesse rati, puluere in vicinas fossas abiecto, in fugam sese coniecerint. Qua in fuga viginti circiter aquis absorpti sunt, reliqui viui in potestatem hostium venerunt. Quia verò obsessi non cessabant captiuos quoscunque, prius malè habitos, tandem in erectis locis eminentioribus furcis strangulare, Hispani sub finem Maij patibulum in suo propugnaculo, mœnibus maximè vicino, erexerunt, è quo ciues & præsidiarios aliquot ante biduum captos suspenderunt. Quod factum adeò ciuium animos vrebat, vt & ipsi loco excelso & oculis Regiorum obiecto, similem supplicij arborem extruxerint, raptumque è custodia M. Lambertum Consulem, Iuris vtriusque Licentiatum, senem octogenarium, M. Quirinum similiter Consulem, Franciscum quendam sacerdotem, Adrianum Groenentugium virum nobilem, & alios quinque milites in hanc crucem egerint: Vrsulam verò Consulis Quirini filiam in aquas præcipitatam, lapidibus oppresserint. Quod crudele facinus cùm nulli probatum iri scirent, famæ datum est, hos omnes inscijs, inuitisque Senatoribus & militum tribunis supplicio affectos esse. Eadem insuper nocte D. Casparus, D. Reinerus Roothoost, Doctor Elsenus, & Pastor Nosocomij in carcerem detrusi sunt. Tanta acerbitate vtrinque res gerebatur, vt nulla aut sexûs, aut ordinis, aut conditionis, aut ætatis, aut denique vitæ innocentiæ ratio haberetur: sed pro cuiusque libidine eculei, ferrum, laquei in quoscunque sæuirent. At Regij XXVIII. Maij cum LXIII. nauibus lacum ingressi, classem Geusiorum adoriuntur, tantoque cum impetu oppugnant, vt in ipso pugnæ præludio viginti duas naues hostiles ceperint: classiarijs omnibus aut captis, aut trucidatis. Deinde in reliquas naues inuecti, occisis quàm plurimis in fugam omnes egerunt. Qua parta victoria eodem quoque die propugnaculum, quod oppidani ad lacum extruxerant, à Regijs deditione occupatũ est. Sub vesperem multa lætitiæ signa, magni triumphi indicia, in castris exhibita sunt, quæ obsessi frẽdentes, frementesque tristibus oculis, & luridis vultibus intue-

Crudelitas militaris.

Harlemenses proprios Consules & ciues sine causa suspendunt.

Ingens Regiorum victoria.

intuebantur. Post biduum Regij cuniculum quendam 1573
non sine obsessorum damno subruerunt: in cuius eruptione Vemius & Couchinius Centuriones de vita periclitabantur, terra & ruderibus sic obruti, vt non nisi fossorum opera erui potuerint. Obsessi tamen animos tantis malis non abiecere, sed desperatio diligentiam acuit, & pertinaciam roborauit. Atque hæc primis quinque huius anni mensibus in obsidione Harlemensi acta sunt. Nunc quæ interea alijs in locis acta sunt obiter referamus.

Mortuo Sigismundo Poloniæ rege, multi particulares conuentus habiti sunt, tam de pacificandis finibus Podoliæ, Lituaniæ, & Russiæ, quàm de noui Regis electione. Varij quoque legati à Summo Pontifice, Romanorum Imperatore, Galliæ rege, & eius fratre Duce Andio, à Rege Sueciæ, alijsque Monarchis adueniebāt. Tandem hoc anno in Sabbatho magno Paschæ, Tartarorum mille octingenti, cum ducibus Bica & Sieoza in Podoliam irruentes, & ad Baram arcem vsque omnia diripientes, in reditu à Buczacij capitanei Camienecensis militibus ex inopinato trucidantur. *Tartari trucidantur.*

Septimo deinde Aprilis electio extra Vistulam, Orientem versus, apud Varsouiam, in tentorio magno cœpta est celebrari. Sub initio Comitiorum, Machmet Bassa supremus Constantinop. literas intercessorias, nomine Selymi, ad Senatum & Ordines Poloniæ misit. Is XII. Maij Varsouiam venit, auditus XVII. & XXI dimissus est. Summa legationis erat: Selymum petere, vt Henricum Ducem Andium (antea Alexandrum Eduardum dictum) Caroli IX. Regis Galliæ fratrem, Poloniæ regem eligant. Postea Selymus ipse Achmetum Czaum ad Polonos legauit, qui propositis aliquot Polonorum Proceribus petijt, ex ijs regem nominarent: quòd si tamen externum eligere omninò decreuissent, ne Turcico aut Tartarico nomini infensum creent, postulauit. Itaque post multas consultationes tandem Henricum Ducem Andium, reclamantibus initiò Cracouiæ, Sendomiriæ, & Podoliæ Palatinatibus, Gnesnensis Archiepiscopus, non sine murmure Mareschalcorum, qui officium hoc ad se pertinere dicebant, Regem XIII. Maij denuntiauit. Statu deinde religionis, & priuilegiorum negotio, cum legatis Francicis tractato, Proceres tredecim Oratores, cum insigni comitatu, per Germaniam in Galliam legârunt, *Electio Poloniæ Regis.* *Henricus Dux Andius Rex Poloniæ eligitur.*

1573 runt, qui nouo Regi gratularentur.

Mense Iunio in obsidione Harlemensi nihil memorabile actum est: castra enim regia varijs excursionibus, oppugnationibus, morbis & hyemis incommoditatibus valde iam erant debilitata, quàm plurimis militibus & capitaneis istis malis absumptis. Oppidani quoque longa inedia domiti, ferociam paulatim exuerant, nec tam frequentes, quàm solent, eruptiones faciebant. Omnis spes eorum erat in subsidio, quod ab Auraico expectabant. Ille ne nihil agere videretur, per varias columbas obsessos consolabatur, mox se adfuturum promittens. Quare ciues & præsidiarij mutatis laneis vestibus in lineas, siue camisijs superinduti, bis noctu eruperunt, vt aduentantes auxiliares Principis copias exciperent: sed cùm se ab Auraico ludificari viderent, tristes in vrbem reuersi sunt. Per eos dies Hispani fabricam quandam ligneam inter quatuor malos ædificârunt, quam funibus in altum extollere, & iterum demittere potuerunt: hanc sclopetarijs impleuerunt, qui desuper in vrbem eiaculantes, non leue damnum oppidanis intulerunt, antequam animaduertere potuerunt, ex quo pharmacopolio ista mitterentur catapotia. Quod cùm resciuissent, destinatis ictibus funes, quibus ista machina leuabatur, perruperunt, machinamque inutilem reddiderunt: cui tamen Hispani paulo post pro funibus ductorijs vectes ferreos, quibus attolleretur, subiecerunt, in quā oppidani multos irritos ictus direxerunt, donec post aliquot dies magna ventorum tempestate tota fabrica dissolueretur. Deficiente quotidie magis magisque frumento, ciuibus nil datum est præter liba, è polenta, vnde iam cereuisia cocta erat, confecta: milites interim præsidiarij panem consuetum retinuerunt. Variæ quoque fodinæ hoc mense incensæ sunt: sed exiguo vtriusque partis damno, præterquam quòd in eruptione illius, quam Hispani decimo quinto Iunij incenderunt, plus quàm quadraginta præsidiarij in altum proiecti perierunt. Eodem tēpore Tseratius & Goutinius ex vrbe in classem Auraici incolumes venerunt, vt Principi summam obsessorum miseriam exponerent, & subsidium vrgerent. Per eos dies Batenburgius inter Vltraiectum & Amstelredamum aggerem occupârat, quem multis propugnaculis muniebat: eo consilio, vt impediret, ne quis commeatus ex istis oris ad regia castra subuehere-

Nouum instrumētum militare.

Fortè Diemerdijc.

tur.

tur. Huius rei Goutinius per volucrem tabellariũ Harlemenses certiores fecit: sed isto nuntio parum sunt refocillati. Porrò Auraicus collecto ex tota Hollandia non contemnendo exercitu, imperatoque graui censu omnibus incolis, qui ipsi ad bellum non proficiscebantur, famam fecit, se Harlemensibus totis viribus opem laturum, hostesque ab vrbe profligaturum. Et regius quidem exercitus vt id faceret, cupidè expectabat. Sed ille ex eo exercitu quatuordecim signa reliquit in prædicto aggere, cum reliquis copijs in interiorem Hollandiam reuersus est. Albani filius Fredericus cùm intellexisset quantopere suis castris incommodaret, hostes insessis itineribus commeatûs subuectionem impedire, septem Burgundionum signa, & trecentos Hispanos ad occupatum aggerem misit: quos vbi conspexerunt Geusij, relictis omnibus in fugam consternati sunt: licet numero multo essent superiores, vt qui XXIII. signa in castris habere dicebantur. Consumpto hoc tempore omni, qui in vrbe fuerat, commeatu, equos, canes, feles, mures, sorices mactare, & auidè comedere cœperunt. Tergoribus quoque boum sale conditis, & aqua calce immissa maceratis vesci didicerũt: nec alium panem, quàm ex seminibus rapi syluestris, & cannabis confectum habebant. Interea non destitit Princeps Auraicus plumeis tabellarijs obsessos consolari, eisque auxilium volatilibus literis polliceri. Sed cùm illis thus aulicum suboluisset, & sibi fumos vendi cernerent, primo die Iulij vndecima hora ante meridiem Pellicanus & Cornelius Matthæus cum vno aut altero præsidiario, in patenti campo cum nonnullis Hispanis collocuti sunt. Cumque Hispani dixissent, Chiliarchã suũ oppidanorum colloquiũ expetere. Data acceptaque fide publica, hora pomeridiana quinta duo Capitanei conuenerunt, & de vrbis deditione inter se agere cœperunt. His accessit nomine Regis Comes Obersteinius, & quatuor alij non infimi nominis: ex parte ciuium, Consul Ioannes Vlietius, Steenbachius, Rosinus, & Pellicanus militum Tribuni. Qui cùm diutius hora sermonem habuissent, & bis terue seorsim inter sese consuluissent, tandem mutuis honorum significationibus digressi sunt. Interea Hispanorum & Italorum nouæ copiæ in castra cum maxima totius exercitûs gratulatione venerunt, quos paulo post multa signa Germanorum, qui nuper conscripti erant,

1573

Regij Geusios occupato aggere expellũt.

Inusitati cibi Harlemensiũ.

Initium transactionis.

Nouus miles in castra venit.

1573 subsecuta sunt. Tunc Regij omnia tormenta, quæ in castris habebant, proferentes, sine intermissione in mœnia & propugnacula fulminârunt: turres aliquot strauerunt, & mœnia magno hiatu aperuerunt. Oppidani hanc animosam hostium contentionem videntes, per aliquot dies pullis aplustris in turri explicatis, indicium summi periculi, in quo versabantur, socijs dederunt. Eodem tempore denuò in congressum, colloquiumque venerunt ex parte Regis Bossutius & Oberfteinius Comites, cum alijs quatuor militum Tribunis: ex parte obsessorum Steinbachius, Vlietius, Rosinus, Pellicanus, cum duobus alijs: sed quia milites sine armis abire nollent, quod Regij magnoperè vrgebant; re infecta discessum est. Quinto Iulij classis Auraici se oppidanis ostentauit: qui læti magno numero eruperunt, opem socijs allaturi. At cùm Hispani desertam iam penè vrbem oppugnare cœpissent, qui eruperant, dato ex vrbe signo reuocati sunt. Cùm milites sese ab Auraico deseri viderent, & tanto iam tempore subsidium frustra expectarent, collatis inter se consilijs, decreuerunt vrbem relinquere. Dum sese præparant ad iter milites, Princeps Auraicus per columbas significauit oppidanis, se insequenti nocte cum toto exercitu ad syluam venturum. Vt autem aduentum suum hostes celaret, præcepit classiarijs, vt concitato tumultu ad arma hostem excirent: interea se per media castra perrupturum, & vrbem ab obsidione liberaturum. Ciues & præsidiarij hoc nuntio quasi à somno excitati, resumptis animis media circiter nocte lineis vestibus induti, qua Principem venturum arbitrabantur, obuiam ei processerunt: sed cùm se iterum ludificari cernerent, tristes in vrbem reuersi sunt. Tandem cùm Zelandi & Hollandi hanc Principis in succurrendis obsessis cunctationem indignè ferrent, præsertim cùm ipsi iam pecuniam, commeatum, & alia necessaria ad hanc expeditionem contulissent, Auraicus nona Iulij cum omni suo terra marique instructo exercitu, quingentos circiter currus, cũ armis, commeatu & omni apparatu bellico secum adducens, belli fortunam tentauit, primumque impetum in castra Germanorum, quæ ad syluam erant, fecit, eorum excubijs interfectis. Sed Germanis mox & Burgundis ad tumultum hunc exciti, arma corripiunt, & hosti occurrunt. Pugnatum est vtrinque fortiter: sed alijs atque alijs superuenientibus, in-

Iterum de deditione agitur.

Auraicus promittit obsessis auxilia.

Cæditur Auraicus.

inclinari cœpit Auraici acies, regijsque victoria ceſſit. 1573 In hoc conflictu ex Geuſiis mille ſexcenti ceciderunt. Inter quos precipui Dynaſta Barenburgius, Cloetingius, & Carlous, cum flore iuuentutis Hollandicæ: quatuordecim ſigna etiam militaria, decem tormenta, & trecenti currus in poteſtatem Regiorum venerunt. Eodem die columba in vrbem rediit, cum literis, quibus oppidanis clades præteritæ noctis ſignificabatur. Tunc omnium animi cōciderunt, & vrbs tota in luctū conuerſa eſt. Decretum ſtatim, vt viri omnes, relictis liberis & vxoribus vrbe excederent, viamque ſibi ferro, quacunque poſſent, aperirent: ſed hoc propoſitum lachrymis & lamentationibus fœminarum impeditum eſt. Poſtridie idipſum iterum tentatum eſt, ſed ſpes veniæ impetrãdæ illos ab hoc propoſito reuocauit. Cùm autem vndecimo Iulij tertiò fugam adornarent, & iam itineri accincti eſſent, terror periculi, quod ab hoſtibus imminebat, eos in vrbe detinuit, communique conſilio & conſenſu decretum, vt legati in caſtra mitterentur, qui conditiones pacis acciperent. Quæ dum conſtituuntur, M. Quirini Conſulis altera filia à deſperatis iſtis hominibus occiſa eſt. Duodecimo itaque Iulij in caſtra miſſi ſunt duo Conſules, Steinbachius, Roſinius, & Chriſtophorus Vadderus: qui cum Frederico Albæ Principe deditionem pacti ſunt, non alijs conditionibus, quàm quòd omnium ciuium & præſidiariorum vitæ neciſque poteſtas in victoris eſſet arbitrio: mobilium direptionem ciues ducentis florenorum millibus redimerent, quorum centum millia intra duodecimum diem numerarent, ad reliquam pactæ pecuniæ ſummam longius ſpatium conceſſum eſt. Ab hac conditione LVII. ciues, quorum nomina expreſſa ſunt, vt qui primarijs hoc obſidio officijs functi erant, tumultuumque fuerant auctores exciperentur, & arbitrio victoris traderentur. Diſplicuit hoc pactum Roſinio, & iam oppidanis ferè perſuaſerat, ne ad tam iniquas conditiones deſcenderent: ſed neceſſitati manus tandem dare coacti ſunt: aut enim fame moriendum erat, aut victoris miſericordiæ confidendum. Conuocatis igitur omnibus centurijs, rogatum eſt, vtrùm ſine armis exire, an potius arbitrio Albani ſeſe vellent permittere: quod poſterius eo lubentius amplexi ſunt, quòd fama ſpargeretur, Germanis & Scotis vitam donatum iri. At Dominus Bordettius, cùm conditiones

Deſperata crudelitas.

Conditiones deditionis.

1573 deditionis intellexisset, rogauit quendam ex suis militibus, vti se interficeret. Quod cùm miles diu recusasset, ille tamen à precibus non desisteret, tandem excusso sclopeto vitam ei ademit, cuius desperationis causam fuisse aiunt, quòd Albano decretum erat, nulli ex ijs, qui Montibus Hannoniæ militârant, parcere. Deditionis igitur leges Præfectorum & ducum tam præsidiariorum, quàm ciuium manu subscriptæ sunt, vt nullus in posterum querelis, si durius cum illis ageretur, vel calumnijs locus relinqueretur.

Desperatio.

Vrbs Harlemensis dedita.

His igitur conditionibus vrbe Albani potestati tradita, ciues, mulieres, & præsidiarij à se inuicem separati, in varia templa missi sunt. Germanis & Scotis exceptis, quibus excubiæ in mœnibus concreditæ sunt, omnibus arma adempta. His peractis, Philippus Martinius, quondam Consul, ad ciues, qui in Monasterium Zijlense erant relegati, missus est, vt eos admoneret, vti quàm primùm pactam pecuniam colligerent, ne furens, & fortunis ciuium inhians miles, obuia quæque diriperet. Paulò post idem ad ciues reuersus est, cum Iuliano Romero, eosque bono animo esse iubet: omnibus enim vitam donatam esse. Decimo quarto die Iulij mandatum est Germanis & Scotis, vt arma sua in domo ciuica deponerent, quo facto, in Monasterium D. Catharinæ & Vrsulæ deducti, & ab Hispanis custoditi sunt. Deinde Fredericus Albani filius, Comes Bossutius, cum omni nobilitate vrbem ingrediuntur. Confestim omnes Tribuni militum, Centuriones, & Vexilliferi capti, & in arcem Cliuensem ducti. Decimo quinto eiusdem mensis quingenti circiter Aquitani, laqueo, gladio, & suspendio necati sunt: quo die Dux Albanus Amstelredamo Harlemum veniens, vrbem extrinsecus lustrauit, & confestim, non ingressus, Amstelredamum reuersus est. Postridie vrbis præfectus Ripperda auctor & impulsor expectandæ obsidionis, vnà cum Vicario suo capite mulctatus est. & pseudo-Ecclesiastes Steinbachij laqueo in foro è furca suspensus, omnibus per eum diem fuit spectaculo. Decimo septimo die promissa centum florenorum millia numerata sunt. Eodem die ducenti quadraginta septem, omnibus vestibus vsque ad camisiam exuti, in lacum præcipitati sunt, & postridie alij trecenti milites, inter quos nonnulli ciues, qui cum illis fugam instituerãt, vnà cum hæretico cõcionatore Simone Simonio

Clementia victoris.

Imagines antea in muris decollatæ mira operantur.

nio capite truncantur. Deinde Lancelotus Bredenrodius è latebris extractus, Rosinius, & quæstor Brielensis in castrum Scotense ducti, ibidem capitali supplicio perierunt. Legio verò Germanorum, quæ sub imperio Lazari Mulleri merebat, septimo Augusti cum insigni comitatu abducta est. Quæ cùm in pagum, cui Neoclesia nomen, venisset à subornatis Broeckhusij militibus capta, & in Hollandiam reducta, Auraico denuò militare compellitur. Triduo post omnes Angli & Scoti capitali sententia damnati sunt, & tandem XXI. eiusdem mensis generali edicto ciues omnem in fidem & gratiam Regis recepti. Hæc est catastrophe celebris illius obsidionis Harlemensis, hic infelix iconoclastarum exitus, nulli quàm ipsis auctoribus magis exitiosus. 1573

Hispani victoriā non prosequuntur.

Harlemo itaque post tricesimam primam obsidionis septimanam occupato, Hispani tumultuari cœperunt, nec loco sese mouere, nisi persoluto prius stipendio voluerunt. Sed & cùm Scipione Vitellio intercedēte pacati essent, etiamnum cunctanter egerunt, nec victoriam, qua celeritate debuerant, prosecuti sunt. Quæ mora cæteris ciuitatibus maximè fuit oportuna. Dum enim miles otio diffluit, aut deambulationibus sese oblectat, aut supinus recumbens apricatur, poculis certat, aut ludit alea, hostis oblatum temporis spatiū amplectitur, respirat, consilia defensionis captat, præsidia in vrbes & oppida inducit, annonam, quæ sufficiat in multos menses, importat, puluere tormentario, tormētis bellicis, alijsque ad obsidionem tolerandam necessarijs, omnia loca munitiora instruit.

Legati Poloni in Galliam veniunt.

Decimo nono die Augusti Oratores Poloni in Galliam missi Lutetiam venerunt: inde ad ipsum Ducem Andium, tum adhuc in obsidione Rupellana hærentem, profecti, magnificentissimo apparatu excepti sunt, causaque legationis suæ exposita, Ducem Regem suum salutârunt. Quia verò hoc vnicè contendebant, vt Rex aduentum in Poloniam acceleraret, horum legatorum aduentus maximum ad conficiendam pacem cum Rupellanis momentum attulit, quæ post varias disceptationes, tandem in hanc formam definita est. Vt memoria præteritarum offensionum, quæ à XXIIII. die Augusti acciderant, aboleretur. Vt Religio Catholica Romana instauraretur omnibus iis in locis, in quibus exercitiū illius propter bellicos mo-

Rupellēsibus quibus legibus pax sit reddita.

 tus

1573 tus intermissum fuerat. Rupellam, Montalbanum, & Nemausum liberum & integrum suæ Religionis exercitium haberent, non pro incolis tantùm, sed & pro omnibus, qui aliundè venirent: at in priuatis ædibus, non in locis publicis. Nobilibus, qui cum incolis illarum vrbium arma tulerant, permissum in suis ædibus Baptismos & matrimonia ex vsu nouitiæ Religionis celebrare, modò cœtus decem hominum numerū non excederet. Omnibus alterius, quàm Catholicæ Religionis, licitum fore suas facultates vendere, & quò luberet cum pecunia & supellectile se siue intra, siue extra Regni fines transferre. Quibus natale solum esset gratius, his in proprijs fundis habitare, & in conscientiæ libertate viuere cōcessum. Rex omnes qui arma sumpserant fideliū subditorū loco haberet: si omnibus fœderibus in Regno vel extra illud initis renuntiauerint: Nullos militum delectus, nullas pecuniariū exactiones, sine Regis permissione se in posterum facturos iurauerint Indultum illis, qui fructus, seu prouentus Ecclesiasticos interceperant, & varia Catholicis detrimenta intulerant. Rupellanis, Montalbanensibus, & Nemausensibus omnia priuilegia integrè concessa. Interim qui nuperam Religionem profitebantur omnes Regni politicas leges obseruarent, quæque aliquo modo ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, in diebus scilicet festis non operarentur, merces non distraherent, aut tabernis apertis vænum quicquam exponerent: diebus, quibus carnium esus interdictus est, macella non aperirentur. Hoc pacis edictum cùm à Rege esset confirmatum, Bironius per portam Cogneam ingressus, quatuor tubicinibus & vno feciali comitatus, per omnes plateas iussit publicari.

De inaudita ac penè incredibili Sanserranorum fame dicebamus antea: inueteratum tamen illud in Religionem Catholicam & Regem suum, quod encausti modo inscriptum erat illorum animis odium, tam altis innixum radicibus, quas nulli ligones, nulli cunei, nulla rutra reuellere aut eruere poterant, obstitit, quò minus etiam in tanta calamitate constituti Regi se dedere voluerunt. Quare in Occitaniam ad petendum auxilium Floræum, Miræum, Petram & Crossium tribunos miserant: sed priusquam eò peruenirent, à persequentibus hostibus Crossius & Floræus retracti

tracti sunt, & paulo post vltimo supplicio affecti: alij duo cùm cœptum iter perficere non possent, in Heluetiam vsque profugerunt. Tandem verò cùm nullum remedium, nulla spes, nullum solatium esset reliquũ, & Rupellani iam pacem cum Regè fecissent, ipsi quoque Sanserrani cum Chastræo de pace loqui cœperunt, quæ tandem his conditionibus conciliata est. Vt omnes, qui in vrbe erant, tum ciues, tum profugi Caluinianæ religionis exercitium haberent. Præteritarum offensarum venia ipsis à Rege tribueretur, virginibus & fœminis pudicitia inuiolata seruaretur. Libera omnium bonorum possessio ciuibus relinqueretur. Pro redemptione supellectilis, ne præda militibus foret, quadraginta Francicarum librarum millia persoluerent: Rex quæ Chastræus promittebat rata haberet. Induciæ pactæ sunt, donec à Rege responsum haberēt, quo accepto Chastræus cum maxima equitatûs parte & duabus peditum cohortibus vrbē ingressus est. Paucis post diebus portæ ciuitatis Rege ita iubente combustæ sunt, fossæ mœnium impletæ, ipsa mœnia cum turribus ab imo excisa, & tota vrbs in formam pagi redacta est.

1573

Sanserrani se dedunt.

Sanserra in formã pagi redigitur.

Hoc modo Harlemum in Hollandia, & Sanserra in Gallia, quæ vnam, eandemque causam tuebantur, domitæ sunt, non armis, sed inedia. Tuebantur Harlemenses Caluinianam Religionem, tuebantur eandem Sanserrani: rebellabant Regi suo Harlemenses, rebellabant & suo Sanserrani. Acerrimè sua mœnia defendebant Harlemenses, defendebant & sua Sanserrani. Vtrique ad eam venerunt inopiam, vt canes, feles, mures, glires & sorices in delitijs habuerint. Vtriq; post septem mensium obsidionem in gratiam recepti. Harlemi tamen quàm Sanserræ durius cum quibusdam actum est.

Delitiæ Sanserranorum & Harlemensium.

Cùm post captum Harlemum Regius miles totas sex septimanas tumultuatus esset, pacatis post animis Albanus post longam deliberationem, Lugdunumne Batauorum, an verò Alcmariam eundum esset, cùm posterius hoc placuisset, exercitus partem Alcmariam præmisit. Hîc statim compertum est, quàm ista mora fuerit Regi perniciosa. Etsi enim Catholici Regium militem libenter admisissent, & multi ciues metu consternati nauigio elapsi fugissent, aliorum tamen, qui in vrbe manserant, Auraici amicorum diligentia procu-

1573 ratum est, vt Geusij milites in oppidum, exclusis Regijs reciperentur. Præuenti itaque Regij Harlemum reuersi sunt. Alcmarienses primo metu hoc liberati, confestim missis ad Auraicum legatis obtinuerunt, vti omnia oppida & pagi Hollandiæ Septentrionalis cõmuni collatione facta Alcmariam frumento & alijs necessarijs instruerent. Magistratus quoque ciuibus & præsidiarijs in classes distributis, vrbẽ nouis aggeribus munire imperauit: ad portam, qua Hornam iter est, agricolæ fortissimum propugnaculum breui temporis spatio excitârunt. Quod tamen priusquam perfici potuit, Regij maioribus copijs reuersi, primo impetu omnia itinera occupârunt, ciuibusque omnem exitum & aditũ terra marique ademerunt, erumpentibus quidem illis, & diu cum hoste dimicantibus, sed tandem re infectain vrbem reiectis. Vicesimo tertio Augusti oppidani instructis aliquot nauibus erumpunt, quos aliæ nonnullæ copiæ terra sequebantur, spe hostem à nauigatione depellendi: sed cùm hostes signum oppugnationis dedissent, oppidani mox in vrbem, quibusdam è suis desideratis, redierunt. Postridie Regij fœcialẽ mittunt, qui colloquium cum oppidanis peteret: sed oppidani cõuocatis tam ciuibus, quàm præsidiarijs constituerunt, vrbẽ aduersum vim omnem hostilem defendere, non dedere, nec hostẽ ad vllũ colloquiũ admittere. Regij accepto hoc respõso, mox tormẽtis suis in vrbẽ detonare, & ciuiũ ædes disturbare cœperũt: illi interim mœnia & valla reparabant. Primo Septembris tabellarius à magistratu ad D. Theodorum Snoy, qui tunc Hollandiæ Septentrionali præerat, atque ad Ordines istius tractûs ablegatus, cum literis in oppidum reuersus est, qui maxima spe omnium obsessorum animos impleuit. Promittebat enim Theodorus nullam se intermissurum diligentiam, priusquam oppidum hac dira obsidione liberâsset, etiamsi perruptis aggeribus, si necessitas postularet, ipsum Oceanum in subsidium vocaret, totamque regionem illam, quod petitum erat, inundaret. Proinde se viros præberent, & pro aris & focis fortiter decertarent. Eiusdem penè argumenti erant & Ordinum literæ, qui insuper addebant: se propediem puluerem tormentarium, aliaque ad obsidionem sustinendam necessaria missuros. Spem quoque obsessis faciebant, Comitem Ludoicum Nassouium breui cum ingenti exercitu in auxilium fratris ventu-

Alcmaria obsidetur.

venturum, imò (vt quidam addebant) eius ſocios, inter quos Chriſtophorus Palatinus Rheni, iam cum nō contemnendo peditatu & equitatu fines Gelriæ attigiſſe. Dici nō poteſt quātopere hęc cōſternatos obſeſſorum animos erexerūt. Regij in cœpta obſidione perſiſtentes, ſub ipſam portam Friſiam munitionem nouam erexerunt. Ciues metuentes, ne ex ea cuniculis ſubterraneis ductis, ſuum propugnaculum euerterent, portam atque adeò ipſam ciuitatem vno, eodemque impetu occuparent, ædificia quędam iuxta portam demolientes, eam vrbis regionem aggere ſemicirculari munierunt. Per dies aliquot ſubſequētes Regij caſtra ſua propius ad vrbē mouerūt, diſpoſitiſque varijs locis machinis bellicis, mœnia verberârunt: quæ tam externa vi, quàm interno aggeris noui pōdere ſubſidentia, varijs locis corruerunt: ſed oppidanorum indefeſſo labore ac ſtudio ruinæ reparatæ ſunt. Interea ciues eruptione facta captiuum quendam nomine Ioānem Hieronymum in vrbem adduxerunt, qui ipſis omnia Albani conſilia detexit. Decimo octauo tandem Septembris cùm Regij manè vix orto ſole viginti tormentis vrbem quatuor locis verberare cœpiſſent, totum diem vſque ad quartam horam pomeridianam hunc impetum continuaſſent, & iam mœnia bis mille circiter ictibus magnis hiatibus aperuiſſent, ſub veſperem duobus locis, ad portam ſcilicet Friſiam, & rubram, vt vocant, turrim, magna cōtentione ſummiſq; viribus oppugnârunt: quæ oppugnatio cùm per horas aliquot eſſet continuata, ſubmiſſis ter in locum defeſſorum recentibus militibus, tandem nocte ſuperueniente dirempta eſt. Qua in oppugnatione præclara ciuium & præſidiariorū virtus atque fortitudo ab ipſis etiam hoſtibus eſt commendata. Perierunt in hac pugna ex obſeſſis quinquaginta quatuor, plures vulnerati poſtea obierunt: ex obſidentibus circiter quingenti ſaucij, ferè omnes breui conualuerunt: quia namq; oppidanorum puluis humidior eſſet, minorem penetrādi vim habebat. Viceſimo Septembris Regij denuò ad vallum iuxta portam Friſiam fulminârunt, ſed maiora damna ciuium ædibus, quàm ipſi vallo intulerunt. Erat eo die noua oppugnatio decreta, ſed quòd pontes commodè ſterni nō poſſent, quòd ventus ſubitò mutaretur, quòd oppugnatores nec verbis nec verberibus ad officium cogi poſſent, oppugnationis conſiliū

Alcmaria oppugnatur. 1573

1573 mutatum est. Oppidani tamen non pauci eo die vulnerati & cęsi sunt. Sub vesperem in Oriente & Septentrione ignes aliquot confœderatorũ iussu accensi, obsessis eminùs subsidiũ pollicebantur. Sed & per medios hostes agricolæ duo in vrbem irrepserunt, literis à socijs adferentes, quibus magnæ victoriæ Christophori Palatini in Gelria, aduentus Comitis Nassouij cum incredibili exercitu, expectatio multarum copiarũ Augusti Ducis Saxoniæ, & Ludoici Palatini Rheni nunciabatur. Hæc iterũ trepidos vulgi animos confirmârunt: sed qui prudentiores erant, facile animaduerterunt, hæc, vt obsessos erectiores animo efficerent, ficta atque excogitata esse. Cùm autem continuæ pluuiæ, & aquarũ copia, quæ apertis omnibus vallis, nilis, septis & emissarijs in agros immittebantur, terrã natura ipsa vuidam & paludosam inundaret, actus & semitas omnes imperuia redderent, obsidio autem in longum protrahi posse videretur, hyems instaret, nec oppidum tanti momenti esset, vti totus exercitus in eius obsidione tempus tereret, etiam ob iniquitatem loci fortè periclitaretur, XXII. Septemb. Albanus obsidionem paulatim cœpit soluere, & subsequẽtibus aliquot diebus reparatis nonnihil itineribus, magnis molestijs tormenta, apparatumque omnem bellicum, cum militum impedimentis, in tutum comportata sunt: oppidanis intra muros se continentibus, nec quicquam memorabile, in tanta Regiorum perturbatione tentare audentibus, nisi quòd miserum illum Hispanum, qui omnia Albani consilia ipsis reuelauerat, Galli cuiusdam transfugæ vestibus indutum, è mœnibus suspenderunt: cui Hispani per eosdem dies quorundam præsidiariorum & ciuium, atque inter hos Petri Buseri apparitoris morte parentârunt. Ablatis & transportatis omnibus machinis bellicis, incensisque castris, totum exercitum ab oppido Alcmariano abduxerunt, obsidionemque tandem post septimam hebdomadam soluerunt.

Alcmaria obsidione liberatur.

Zelandi, & præcipuè Vlissingenses adhuc in obsidione Middelburgensi perseuerabant, & oppidanos, quos nullis viribus vincere poterant, fame ad deditionem compellere studebant. Ab altera parte Albanus omnem mouebat lapidem, vt eam ciuitatem in fide Regis conseruaret. Sperabat enim ea salua to-

tam

tam se tandem recuperaturum Zelandiam. Ad vicina itaque Regna Galliam, Daniam, Sueciam, ad vrbes etiam maritimas Septentrionales, quas Oostlādicas vocant, literas, nuntiosque misit, nautas & rerum maritimarū expertos vndique magnis præmijs ad classem, quam Antuerpiæ, Montibus ad Zomam, & alijs locis instruebat, inuitans. Magnum quoq; machinarū numerum, magnam apparatûs bellici, ex varijs vrbibus comportari, & in naues inferri iussit. Paratis omnibus Zancium Dauilam classi præfecit. Qui primò exiguis nauibus fallens hostes arte quadam sæpe commeatum in vrbem immisit: ipse postea aliquoties cum maiori classe Middelburgensibus (quamuis non semper absq; iactura & summo discrimine) per aduersariorū medias turmas subsidium tulit, cōmeatumque necessarium aduexit. Cùm autem vicesimo Aprilis huius anni id denuò tentasset Dauila, instructissimam habens classem, vento vehementiore iactatus, Middelburgū tenere non potuit: sed Vlissingam pulsus in hostium classem incidit: vbi tam diu & quidem crudeliter pugnatum est, vti vtrinque multi caderent. Sed cùm Dauila videret suos esse inferiores, amissis quinque nauibus, cum reliqua classe Middelburgensem portum feliciter ingressus est. Quam classem postea circa initium mensis Iunij Dominus de Beannoijs, è Lanoyorū familia fortunas & vitā suam periclitatus, per conflictus acerrimos, per medias classes hostiū, Antuerpiam reduxit: relicto obsessis præsidio, & cōmeatu, quanto fortassis ad multum temporis indigerent. Beannoyus Neomagum ad Albanum profectus, honorificè ac liberaliter acceptus, totius belli naualis Archithalassus creatus est. Quam dignitatem vt tueretur, Antuerpiam reuersus, nouā classem octoginta maiorū, minorumq; nauium denuò instruxit, & cum ea quinto Augusti in Zelandiam secundo vēto nauigauit. Sed eo ipso die à Vlissingensibus, eorumque complicibus occupatum erat castellum proximum Middelburgo, vulgato idiomate Rammekens appellatū. Cùm enim illud ex improuiso, & præter expectationem præsidiariorū, Geusij terra mariq; obsedissent, nec cuniculis agēdis, nec è galeis aut maiorum nauium corbibus in arcem telis & glandibus mittendis tempus vllum amitterēt, subita in arce orta est animorum consternatio: quam auxit præfecti & chirurgi arcis absentia, qui eodem etiā die

1573 *Albanus classem instruit.*

Dauila Middelburgensibus succurrit.

Beannoyus Archithalassus Regius cōstituitur.

1573 die Middelburgum erant profecti. Cùm igitur fortè fortuna præfecti vicarius in brachio, nullo lethali vulnere sauciaretur, arcem Zelandis dedidit, quod eius factum quidam perfidiã, alij timiditatem metumque, ne absente chirurgo ex leuissimo vulnere moreretur, interpretantur. Beannoyus audito hoc infortunio institutum iter mutauit, præteruectusque Vlissingã, & mare ingressus, totam VValachriam circum nauigãs, per angustias quasdam, Rompottanas vocant, classem ad pagum quendam, cui à B. Virgine nomen est, appulit: vbi iactis anchoris, nauiculis & lembis commeatũ è classe exportatum, curribusque impositum, terrestri itinere præter omnium Geusiorum expectationem, Middelburgum importârunt. Qua expeditione peracta, Antuerpiam rediens, minora nauigia Montibus ad Zomam reliquit eo consilio, vti breui quædam ex illis Armuidam mitteret. Sed Geusij hanc nauigationem impedierunt, qui & eodem tempore Montes ad Zomam per insidias, seu frustra tẽtârunt. Augusti vigesimo octauo Poyetus Auraici per Hollandiam Vicarius (Lũmæus enim criminis læsæ maiestatis accusatus, eò ꝙ se Gubernatorẽ Hollandiæ appellârat, captus, tandem exilio mulctatus, pro fideli sua opera indignã referens mercedẽ, iam discesserat) Montes D. Gertrudis insidijs atq; astu occupauit. Dum enim regius miles, qui in vrbe erat, noctu securè dormit, nec hostiũ obseruat studia, Poyetus admotis ad mœnia scalis clam oppidum inuadit: præsidiarios omnes aut occidit, aut in carceres abreptos postea suspendit. Ecclesiasticos quoque viros partim primo impetu crudeliter trucidauit, partim captos, & diris cruciatibus excarnificatos, tandem nefanda morte sustulit. Inter hos primarij fuêre Guilielmus Galenus, Canonicus, Ioãnes Vogelsanc, & VVilhelmus à Gouda vir pietate rara & maxima eruditione cuius fides cùm ab Adriano Gockio Dordraceno Apostata, ad id misso, labefactari nõ posset, à Præfecto Marliandt, orans & patiẽtiam à Christo Domino suppliciter petens, è vinculis rapitur, & ad supplicij locum trahitur. Quò cùm venisset, alacri animo scalas ascendit, laqueum induit, oransque pro inimicis, dum populũ ad Catholicæ Religionis obseruantiam hortatur, è scalis deiectus spiritum Deo reddidit. Oppidi huius S Gertrudis administratio data est Hieronymo Tseratio infelici militi, etsi Geusijs fideli:

Mons Gertrudis occupatur.

fideli: cuius iam antea sæpe mentio facta est: qui pau-lo post à proprijs militibus occisus est. At Hollandi mortis illius vindices, cædis huius auctores vltimo supplicio post affecerũt, totamque centuriam, quæ sub imperio Trilli militabat, exauctorârunt.

1573

T'Seratius occiditur à suis.

Vt fide & opera Antuerpiensium Albanus Zelandiam se domiturũ sperabat, ita nihil non sibi ab Amstelredamensibus in recuperanda Hollandia pollicebatur. Hi namque præter fidem & Religionem Catholicam, quam Deo & Regi Hispaniarũ egregiè seruabant, Enchusianis, totiusque Aquilonaris Hollãdiæ populis erant offensissimi, nõ aliam ob causam, quàm quòd varijs damnis & cladibus ab illis irritarentur: maximè autem, quia nuper antiqua quædam nauigia inter ostium maris & portûs, in sinu, quẽ Thyum vocant, perforatis carinis depresserant, vt accessum & exitum nauium præcluderent, & negotiationem, qua omnibus Belgicis vrbs hæc præstabat, ciuibus eriperẽt. Quem etiam in finem munitissimum propugnaculũ in faucibus prædicti sinus ædificârant, & valido præsidio defendebant. In hac itaque vrbe Albanus classem triginta circiter maximarum nauium instruxit, cui Bossutium Comitem præfecit. Prætoria nauis, Amstelredamensium sumptibus ædificata, tantæ erat magnitudinis, vt in mari isto nunquam eius molis antea esset conspecta. Erant in ea XXXII. maxima ex ære fusili tormenta, præter nobiles & nautas ducenti milites exercitatissimi Hispani, sub Duce Corquera: Comes ipse & Dominus Groeningus cum suis aulicis. Omnibus iam paratis ventus expectabatur propitius, & æstus maris vehementior, quos nacti oram soluunt, & feliciter inter depressas naues & hostium machinationes in mare delati sunt. Hîc statim Enchusianos, aliosq; Hollandos habuerunt obuios, quibuscum per aliquot dies leuibus prælijs certârunt, donec tandem XI. Octobris Bossutius, nõ expectato Bosshusij Vicarij cum cætera classe aduentu, in medios hostes irruens, statim ab hostium nauibus circumseptus est. Cùm enim prætoria ipsius nauis harpagonibus, & vncinis, manibusque ferreis à prætoria Enchusianorum, in qua erat Ruichauerus, alijsque nauibus teneretur, pugnatum est acriter, viginti quatuor circiter horas, tanta vehementia & contentione, vt nõ tantùm carinæ, fori & pergulæ humano sanguine exunda-

Geusij portũ Amstelredamensem obstruere conantur.

Albanus classem instruit in Hollandia.

Prælium nauale.

1573 undarent, sed effusi etiam, ac per columbaria decurrentis sanguinis copia glaucum illum maris colorem in sanguineum mutaret. Defendebat se suosq; Comes acriter: sed cùm classem suã minui videret (vna enim nauis deprimebatur, duæ in potestatem hostium venerunt, & duæ aliæ in breuia & syrtes impactæ ab hostibus circumuentæ sunt) nec Boshusius cum reliqua parte classis vsquam conspiceretur, hostium autem classis in horas recẽtibus nauibus augeretur, amissis è suis pluribus, se, prætoriamq; nauim, quam Inquisitionem appellabant, dedidit, captusque cum alijs, qui bello erant superstites, Hornam abductus, ibique ad pacem vsque Gandauensem detentus est.

Comes Boshutius capitur.

Soluta, vt diximus, obsidione Alcmariensi, Albanus summam belli gerendi administrationem tradidit Valdezio, qui exercitum omnem in Hagam Comitis duxit, indeque vlterius in regionem Mosanam contendens, propugnaculum ad emissorium Mosanum dictum, è regione oppidi Brielensis, à Geusiis excitatum, expugnauit: in quo Philippum Marnixium, Dominum d'S. Aldegundo, frustra se in arũdineto occultare gestientem, & Centurionem Ioannem Pettinium cepit, & captiuos Vltraiectum misit. Deinde Regij ciuitatem Leidensem, pessimè tunc rebus ad obsidionem ferendam necessarijs instructam, ex improuiso aggressi sunt: itineribusque omnibus ita insederunt, vti nemo vrbem intrare, nemo ea exire posset. Omnes quoque pagos Australis Hollandiæ occupantes, ad mœnia vsque Delphensia, Roterodamensia, & Schiedamensia excurrerunt. Cùm verò Albæ Dux animaduerteret se Belgis odiosum esse, fortunam suam mutatam, omniaque sua consilia & acta infelicem habere exitum, iam pridem ad Regem Hispaniarum scripserat, cupiens administratione, qua fungebatur, exonerari, in Hispanias reuocari, & suo loco alium Gubernatorem in Belgium mitti. Ad cuius petitionem cùm Medinæ Cæli Dux primò esset missus, & ille veniens gubernaculum rebus adeò turbatis recusaret acceptare, Ludoicus Requesenius, ex familia Ducum Sessiæ, Magnus Regni Castiliæ Commendator, Princeps clemens, benignus, prudens, pacis quàm belli amantior, communibus totius Aulæ Regiæ suffragijs, Belgij Gubernator renuntiatus, XVII. Nouemb. Bruxellas ve-

Aldegundus capitur.

Lugdunũ Batauorũ obsidetur.

Ludoicus Requesenius Gubernator in Belgio.

las ve-

las venit: quò per eosdem dies Albanus etiam cum filio Frederico appulsus, Requesenio omnem potestatem in Belgas, quam à Rege acceperat, resignauit, & secundo die Decembris Bruxella cum filio discedens, in Italiam primò, atque inde in Hispaniam profectus est, vbi à Rege honorificè exceptus, & summus Regis consiliarius constitutus, post redactam ope & consilio suo in potestatem Regis Philippi Lusitaniam, ibidem placida morte anno Domini M.D. LXXXII. die mensis Decemb. XII. extinctus est. 1573

Albanus in Hispaniam reuertitur.

Hugonottis modis, quos diximus, in ordinem redactis, aliquamdiu in Gallia belli consilia omissa sunt. Deinde homines nonnulli inter eos inquietiores, partim quæstu, partim odio incitati, nouis denuò rebus studere cœperūt, causantes præcipuos cædium auctores in honore apud Regē esse, Ecclesias suas omni publico exercitio priuatas, plures edicti articulos verbis captiosis conceptos, & similia. Iccirco edictum illud secundæ stragis prænuntiū esse, nisi maturè suis rebus prouideant, populo persuadent. Confestim noua Comitia inter se Milialdi, Montalbani, & alijs in locis habita, in quibus sese mutuò ad noua bella exhortati sunt. Occitaniam in nouas præfecturas diuiserunt, singulis suos præfectos dederūt, præfectis stipendia decreuerunt, certas militū copias assignârunt, sacerdotiorum reditus in milites distribuerunt, arces & oppida munierunt, & nouam Rempub. è re sua instituerunt. His peractis legatos ad Regem miserunt, Montalbanenses primò, deinde & Delphinates, qui ea petebant, quæ nec ipsis petere cōueniebat, nec Regē concedere oportebat. Erāt enim huiusmodi, quæ victores à victo flagitare minimè fas esset, ita vt non obscurū fuerit intelligere, has legationes nihil aliud esse, quàm nouorū bellorum denuntiationes, ad quæ felicius gerenda, omnes, qui nouæ factionis Politicæ erant, & Malecontenti dicebantur, ad sua cōsilia & auxilia admittebant: de qua factione sequenti anno latius dicturi quædam sumus

Noui tumultus in Gallia.

Ciuitatē Hāburgensem multos iam annos in Albi ius restringēdi, seu prohibēdi frumēti exportationem, omnibus ad vtramq; ripam fluminis infra vrbem, vsq; ad fluminis ostiū, per octodecim milliaria incolentibus sibi vendicasse dictū est in superioribus. Quod ius, vt defenderent, nauim, militum & tormētorum apparatu

Cōtrouersia Hamburgensiū cum Rege Daniæ.

1573 ratu instructam, in Albi collocârunt, quæ omnes Albis accolas cum frumēto enauigaturos sursum Hamburgū cogeret. Cùm igitur hoc anno aliquot VVilstriorum & Crempensium Marsorum, Regi Daniæ subditorum, naues, per Storam fluuium in Albim mare versus frumentum vehētes intercepissent, & Hamburgum duxissent, Rex Daniæ vicissim omnes Hamburgensium naues in Hellesponto Danico, Bergæ in Norvvegia, & in alijs Regiorum suorum portubus inuentas, totum sexcennium detinuit, omniaque ciuium Hamburgensium commercia & negotiationes in suis Regnis & prouincijs interdixit. Neque Hamburgenses offensum Regis animum, omnibus etiam vijs & rationibus tentatis, placare potuerunt, priusquam Augusto Saxone sororio, & Vlrico Megapolitano Regis socero intercedentibus, Flensburgi tādem promissis Regi cētum dalerorum millibus, & libera subditis Regijs exportandi frumenti facultate relicta, donec primaria de iure restringendi in Albi causa iure vel amicè componeretur, Regi reconciliarentur.

Lis inter Duces Megapolitanos & Rostochienses composita.

Gustrouij quoque hoc anno lis inter Ioannem & Vlricum Duces Megapolitanos, & inter Rostochienses, ob mœnia versus meridiem, ad hortum Rosarum adhuc patentia, & arcem, fossis, aggeribusque munitam, à Principibus Megapolitanis ædificatam, ante multos annos exorta, Nobilibus & cæteris prouincialibus procurantibus composita est. Qua in transactione Duces Rostochiensibus, terra, marique alioquin obsessis, ea priuilegia concesserunt, quæ ipsi nec expectare, nec optare ausi fuissent: imò totum vrbis dominium, reseruato sibi tantùm inani titulo, vrbi reliquerunt.

In Saxonia nouæ in causa Religionis iterum exortæ sunt controuersiæ. Ioanne enim VVilhelmo Saxoniæ Duce, Ioannis Frederici Lutheri protectoris filio mortuo, Elector Saxoniæ, vt proximus illius agnatus, tutelam pupillorum, & totius ditionis administrationem hoc anno susceperat. Theologi itaq; nonnulli, professoresque alij, malè sibi metuentes, eò quòd corpori doctrinæ Misnico subscribere nollent, discesserunt. Conatus est enim Elector distractos cœtus Thuringiæ & Misniæ cum VVittenbergensi & Lipsiensi Academijs in concordiam reducere. Sed ea non annum integrum durauit, cùm sequente statim anno

Elector

Elector ſuos præcipuos Theologos, quorum cauſa po-tiſſimũ hac in Thuringicos miniſtros ſeueritate vſus erat, ex Academia VVittenbergenſi dimitteret, ac exules multos in Thuringiam ire cõcederet. *Adeò nunquam Aegyptij inter ſe omnes conſpirare poſſunt*, vt ille ait. Quod magna ſanè Dei prouidentia, magnoq; eius beneficio fieri exiſtimo. Si enim ſectarij noſtri temporis inter ſe concordes fuiſſent, iamdudum veram Dei Eccleſiam ita cõculcaſſent, protriuiſſent, exſcidiſſent, vt ne veſtigium fortaſſis illius poſſet reperiri. Sed ad probationem, ad exercitium, ad pœnam illius ſectis vtitur ſumma illa Maieſtas, non ad interitum. *1573* *Diodorus Siculus lib. 2.*

Inter multas, easque magnificas & liberales promiſſiones, quas Legati Gallici in Comitijs VVarſauienſibus Andij Ducis nomine fecerant, ſi ipſum Poloni Regem eligerent, erant & hæ. Quòd Henricus Rex declaratus breui diſſolueret omne æs alienum, quod regio nomine, & ab ipſo Regno Poloniæ publico nomine cõtractum erat. Quòd proprijs ſumptibus bellum Moſcouiæ Duci indictum gereret, omniaque loca ſuperioribus bellis Poloniæ Regno ablata recuperaret. Quòd omnes prouentus, vectigalia, & pecuniã, quæ ex Gallicis ſuis ditionibus annuè colligeretur, ad ornandam, excolendamque Poloniam cõferret. Quòd ingentem claſſem inſtrueret, ad impedienda Germanorum cum Moſcis commercia. Quòd cẽtum iuuenes nobiles Polonos ſuis ſumptibus in aula Gallica quotannis aleret, quinquaginta præterea in publicis Academijs ſuſtentaret. His omnibus vt ſatisfaceret, magna opus erat pecuniæ vi, quæ vt colligeretur, omnes artes ſunt adhibitæ: diuendita ſunt paſſim officia, & publicæ adminiſtrationes, indictæ populo graues contributiones, Eccleſiaſticis etiam & ſacris parcitum nõ eſt: cùm tamen honores, magiſtratus, & adminiſtrationes ſubditarum gentium rectius prudentiæ, quàm auaritiæ ſint committendæ. Collecta ſunt itaque vicies centena millia nummûm. Quibus comparatis, & rebus omnibus inter Andiũ, & Poloniæ legatos cõpoſitis, cùm iuramentũ præſtitiſſet Dux, IV. Calẽd. Octobris Pariſijs diſceſſit. Carolus Rex fratrẽ ad fines Regni comitari cum vniuerſa nobilitate decreuerat, ſed medio itinere morbo correptus, dimiſſo à ſe fratre in ſua redire coactus eſt. Henricus Nanſiũ peruenit, vbi à Duce Lotharingiæ, ſororio ſuo, magnificentiſſimè exce- *Conditiones, quib. Andius Regnum Poloniæ ſuſceperat.*

1573 ptus est. Peropportunè tunc accidit, vt Claudia Ducis coniunx filiam recens enixa esset: in sacro enim Baptismo Posnaniensem Episcopũ & collegas filiæ sponsores vterque parens postulauit. Hẽricus deinceps Blamonti matrẽ, Alenconiumq; fratrem, & Margaritam sororem vltimò amplexus, citatis equis per Nemetes, Vangionesque Francofortum venit, vlteriusque profectus, Hassiæ Lantgrauiũ salutauit. Inde per Turingię & Saxoniæ fines ad Marchionem Bandenburgensem deductus, tandem Miedzirzecam oppidum, in finibus Poloniæ situm, incolumis peruenit. Episcopus Montisregalis, Sedis Apostolicæ Nuntius, totius itineris fuit socius, omnibusque in locis incredibili pompa est exceptus. Quare Imperatori, Principibusque Germaniæ & ipse, & Oratores eius immensas egerũt gratias.

Horrendum & Scythicũ suppliciũ.

Magistrum Ioannem Hieronymum in obsidione Alemariana captum antea obiter commemorauimus. Is cum alijs quibusdam Catholicis Hornanis in pagũ Schagen, qui in Hollandia Septẽtrionali est, ducitur. Hic octies horrendis quæstionibus subiecti, quidam mortui sunt. Superstites supini religantur, nudis ventribus pelues inuersæ superponuntur, sub peluibus glires viui mittuntur, & super pelues ignis extruitur, quo excitati glires dentibus ventres arrodunt, perforant, & in viscera prorepũt: quibus tormentis innocentes isti interempti, animas suas Deo dedicârunt. Vnde quidã:

Non Scytha, Caucaseas nec qui colit incola rupes,
Efferagens, tantum feritatis pectore gestat:
Quantum Caluini nuper finxêre ministri.

Cusco vrbs magnificẽtissima.

Ea noui orbis pars (vt hoc obiter addam) quæ Meridiem magis respicit, ab Hispanis terra firma appellatur, Bresiliam, Peruuiamque comprehẽdit. Huius Metropolis est Cusco, ea amplitudine fortitudine ac magnificentia, vt cum pulcherrimis etiam Galliæ, Hispaniæque vrbibus, inuicta arcis munitione, hominum frequentia, ædificiorum dispositione ac serie, situsque amœnitate queat contendere. Nulla in eam multitudo plebeia admittitur: sed nobilium Procerũ & maximorum Principum inclyta sedes est: qui partim intra vrbis mœnia, partim in villis suburbanis ruri magno numero degunt. In hac vrbe Philippus Hispaniarum Rex hoc anno primũ Societati Iesu Collegiũ erexit, vt eius Patres ac Theologi sub Rectore inclytę nobilitatis viro, Reuerendo D. Bracamonte iuuentutem

In Cusco Collegiũ Societati Iesu construxit Rex Philippus.

Religio-

Religione vera & ſapientia imbuerent. Sciebat enim 1573
Princeps Catholiciſſimus hæc duo eſſe Regni ſolidiſſima fulcra. Omnia namq; Regna, ciuitates, nationes vſq; eò proſperũ imperium habuerunt, dum apud eos Religio & ſapientia valuerunt: vbicunque gratia, timor, voluptas eas corruperunt, paulo poſt imminutæ opes, deinde ademptum imperium, poſtremò ſeruitus impoſita eſt. Norunt hoc etiam Ethnici, quapropter auſus eſt gloriari Tullius, Romanos non calliditate aut robore, ſed pietate ac Religione omnes gentes, nationesque ſuperaſſe. Hac Regis Philippi in Cuſcanos liberalitate & pietate effectum eſt, vt homines feri & agreſtes antea, ad maximam breui peruenerint humanitatẽ: qui varijs ſeruiebant dæmonibus, vni Chriſto nomen dederint, & ſingulis annis multa animarum millia baptizentur, Chriſtianæque militiæ adſcribantur, quæ poſt Deum, Regi Hiſpaniarum, & huic Sanctæ Societati ſuam ſalutem acceptam referũt. Singularis profectò diuina prouidentia, vt Eccleſia in Europa per ſectarum multitudinẽ decreſcente, in Aſia & America per vnitatem fidei tot nouellis examinibus, tot ſanctitatis germinibus accreſcat.

Cic. Orat. de Aruſp. reſpon.

TVRCICA.

Turcarũ multa nauigia, quæ in mari, quod eſt inter Byzantiũ & Mitylenen, nauigabãt, vnà cũ mercimonijs atq; hominibus exorta repentina tẽpeſtas demerſit. Sed & Scythæ, collectis copijs, Polonorũ fines infeſtabãt, quos tamen Poloni, cõtracto exercitu, cum inſigni clade repreſſerũt. Selymus Turcarũ Imperator Cypri regnũ bellorũ immanitate penitus deuaſtatum, atq; deſolatũ, nouis incolis reſtaurare, coloniasq; in illud deducere ſtatuit. Edictũ itaq; pmulgari iuſſit, quo libera facultas omnibus Cyprijs profugis ad ſua redeundi proponebatur. Inſulani itaq; paulatim redeũtes, agros colere, munitiones diſturbatas reædificare, domosq; extruere cœperũt, ita vt inſula, quæ paulò ante quaſi ſolitudo erat, iam nouã regni faciem oſtentaret. Multi quoq; ex Cilicia, Pãphylia, & Cappadocia iſtuc cõfluxerũt. Cõceſſum eſt etiã Cyprijs colonis, vt ad arbitriũ pro ſuis legibus, auitisq; ritibus viuerent, atq; Reip. penè formam haberẽt, imperatorios tantũ præfectos agnoſcerent, & tributa fideliter penderent. Idem Chijs ciuibus Gallorũ interceſſione, Selymus indulſit.

Regnum Cypri reſtaurat Selymus.

Octob die VII. illuſtriſſimus Princeps Ioannes Auſtriacus, cũ claſſe Regis Catholici Philippi ſoluit Iaua-

1573 gnana, & sub meridiem sequentis diei Guletam appulit, vbi ex Gubernatore istius loci, atque etiam ex ipso Tunetano Rege statū Regni & vrbis cognouit. Turcæ namque & Mauritani, terrore aduentûs classis Christianæ consternati, iam fugam meditabantur. Austriacus igitur postridie circunspecta loci opportunitate, militem in terram exponendum curat, quarto à Tuneto lapide, mittitq; bis mille quingentos pedites Tunetum, qui reipsa cōpererunt, oppidanos omnes ex vrbe profugisse, partim Carauanā, partim Bisertā: atq; ita nullo resistēte in oppidū ingressi, ad arcem contendūt, ducentos illic Mauros inueniūt, qui se dicerent regis Amidæ nomine arcē custodire, nec tamen difficulter illos admitterent in arcem. Indicatur hoc Principi Austriaco: sed quòd iam nox esset, nihil se tum mouit ille. Alterius diei summo manè cum Paulo Giordano, Antonio Auria, totoque exercitu Tunetum proficiscitur, & in arcem veniens, nihil ferè præter magnam olei, lanæ, butyri copiam reperit.

Tunetum ab eius milite occupatur.

XI. Octob. Guletam appulit Dux de Sessia, vbi etiā Marcellus Auria expectabatur. Tuneti rex, ita iubente Austriaco Principe, interim apud Guletā māsit, ibidem apud classem manente Iohāne Cardona. Dum autem Austriacus Tuneti est, xiij. Octob. nuntiatur ei, è Turcis Tuneti præsidiarijs, qui ad tria millia fuêre, quadringentos, & cum ijs aliquot Mauros, Bisertam venisse, conatosq; in oppidū ingredi, sed à ciuibus & alijs, qui intus erant, nō admissos. Cumq; Turcæ ferro sibi aditū patefacere vellent, acriter certatū esse, Maurosq; Bisertanos quosdam captiuos Christianos è triremi & galeone in portu illo hærētibus soluisse atque armâsse, & cū ijs pariter aduersus Turcas dimicâsse, Turcas partim fudisse, partim cum triremi & galeone cepisse.

Turcæ à Bisertanis repelluntur.

Atq; hæc quidem XIII. Octobris facta sunt, missiq; è Biserta legati supplices ad Illustriss. Austriacum Principem, quos ille clementer excepit, Guletæq; Gubernatorē cum milite misit occupatū Bisertam. Inde porrò regi Tunetano, qui adhuc apud Guletam erat, hanc denuntiauit sententiam: Quandoquidem ipse antehac discordiæ & perturbationis regni Tunetani auctor fuisset, regios hæredes spoliatos profligâsset, semperque erga legitimos successores secus atque par erat, se gessisset, vnde id consecutum sit, vt Turca regnum illud inuaserit & occupârit; regiæ Catholicæ maie-

Bisertam occupat Austriacus.

maiestatis hoc esse mandatũ, vt captiuus in Siciliam 1573
cõmigret. Quod cùm ille grauiter acciperet, clementiamq́; implorare instituerer, cum vxore & liberis in triremẽ cõiectus, in Siciliã captiuus abductus est. In eius locũ subrogatus est verus hæres iunior Muleasses, rege Catholico iubente, isq́; magna tormentorũ fulminũ gratulatione è Guleta profectus, tanquã rex Tunetum venit, & ita quoq; exceptus est, iurauitque Catholicæ regię Maiestati, vti cliens fidutiarius siue vasallus, pręstiturum se quicquid ei tum propositũ fuit. E Tuneto ante excesserant Maurorũ quadraginta millia. Ij supplices libellos obtulêre Austriaco Principi, vt eius possent clementiam promereri. Quã cùm humanissimus Princeps illis non negasset, singulis diebus plurimi in vrbem Tunetanam reuertebantur. Austriacus verò reliquam anni partem in muniendo Regno Tunetano consumpsit, arcemq; nouã inter Tunetum & Guletam loco palustri, duce & auspice Gabriele Serbellono Mediolanensi, Ordinis S. Ioannis in Vngaria Priore, ad arcis Antuerpianę imitationem & formam ædificauit, cui eundẽ fundatorẽ, Guletæ verò fortiss. virũ Petrum Carrerã Hispanũ, nomine Philippi Regis pesse iussit.

Hactenus bella, seditiones, cædes, incẽdia, rerũ mutationes, plus quàm Gibellinę factiões huius anni prosecuti sumus. Quæ mala portẽta, monstra, & prodigia quoq; cęlestia & terrestria minabantur. Lucebat adhuc toto anno stella ista peregrina, quã sub finẽ anni pręcedentis descripsimus, magnũ mũdi miraculũ, in cuius significatione inuestigãda multa pręclara sese torserũt ingenia. Præter hãc stellã mense Ianuario die XXVII. chasma etiam in aëre visum, instar ciuitatis incensæ, frequentes fortassis hostiũ externorũ irruptiones, ruinas & incendia, vrbiũ ac populorũ proditiones, conflictus & clades vndecunq; significãs. Multis etiã incerta de causa tormentorũ sonitus, sereno cælo, cum cœco murmure exauditi, x. xj. & xij. Ianuar. ad multa millia-ria ferebantur. Aprilis die xxix. ab hora duodecima ad secũdam ferè post meridiẽ Sol admodũ pallens cælo sereno stetit, admirando quodã circulo circunseptus, quẽ planè insolitũ, & supra halones frequentius apparentes quidã Mathematici & Astrologi obseruârunt, ad instar iridis florẽtissimæ, trium colorum specie, expressaq; varietate distinctum. Processêre tãdem à sole nigricãtes radij, qui suspẽso diu ad hoc spectaculũ vul-

1573 go, sensim externã peripheriã dissoluerũt. XI. die Maij hora octaua matutina rursus paulo obscurior halo apparuit, ad cuius extremã circũferentiã duo parilia consistebant, sic tamen, vt versus Orientalẽ plagã euidentior appareret, tanquã è lebete repercussa Solis imago, euanescente prius altera, quã Occidentalis regerebat. Repertũ est idẽ spectaculũ vesperi circa quartã: sed alterata paululũ imagine. Tot cæli prænũtij malorum imminentium misère nobis indicia. Sed & terra sua produxit mõstra, nobis diuinã irã minitans. Sexta nãq; Octob. in Brabantia Geminorũ se cõplectentiũ prodigiosa species nata, fœminei sexûs quatuor brachijs, pedibus quatuor. Erant connatæ pectoribus & inferiore maxilla, vt prorsus os vnicũ videretur. Vixit ad spatium dimidiæ horæ, Dissecto cadaueri cor cuique suũ, sua sede discretũ. XVIII. Augusti papilionũ ingẽs exercitus, qualis & anno M.D LI. & LX. supra millesimũ quingentesimũ ijsdẽ anni tẽporib. & cõstitutione cõsimili visus est, rursus apparuit. Durant hęc animalcula, tinearũ instar, vt plurimum dies continuos tres. Tanta verò frequẽtia propter aquas volitabãt, vt cursum fluminis obscurarent: potissimũ post occasum solis. Hinc sese sub noctem referentes, per vicos & lares sese dispergebant, morientesq; aërẽ & terrã inficiebãt. Aquæ similiter elementũ sese aduersus hominũ impietatẽ armauit, & irati numinis vindictã prenuntiauit. Præter enim incredibilẽ illũ & funestum in Brabantia cataclysmum, cuius mentionem antea fecimus, diuersis etiam alijs in locis fluminum & mariũ indomita vis aggeres, septa, & obices perrupit, prædia vastauit, ædes demersit, armenta & homines interemit. Talis fuit inũdatio, quæ initio Iulij inaudita clade Hollandiam, Frisiam Occidentalem, regionesque finitimas infestauit: & illa, quæ vertẽte anno subsecuta est in eadem Frisia Occidentali, dũ contra alluuionis pericula deficiẽtibus neruis, maris turbulẽti vis omnẽ artis industriã anteuertit. Addatur & his libellus de tẽpestate grãdinis memorãda, quę Pessulano monti cõterminis agris cadens, pagos, homines, & armẽta longo terrarũ tractu absorpsit. Diẽ huius tẽpestatis cõstituũt V. Maij: addũt cælitus auditã vocẽ, conspectũ puerũ flãmis circundatum, qui orbem immensum humeris sustineret. Quid inter hęc aër? solus ille hoc anno cõticuit? nequiquam: admonuit & ille nos cælestẽ indignationem.

Horren-

Horrendũ frigus, ac præter naturã tẽporis fuit Aprilis die XXV. vt etiam vnda ad pollicis crassitudinem vna nocte cõcresceret: quo factu, vt vitis germina sydera ta spem de vino alijsque frugibus ante conceptam planè extinxerit. XXI Augusti iterũ frigus insolens, & præter tẽporis rationẽ. Ver cum æstate proxima in Autũnum vsque austris humidioribus madens, subinde meteoribus igneis ardescebat, quam constitutionem excepit hyems, ventorum & pluuiarũ copia, nulli præteritorum temporum cõparanda. Hinc febres admodum pestilentes, cum delirijs populabundo incendij cursu vniuersam Galliam, Hollandiam, Frisiam, Germaniam peruagari cœperunt: quæ cum tempore inualescebant. Regnabant per idem tempus & alij congeneres morbi, præsertim vere atque æstate, cùm dysenteriæ, papulæ, morbilli, vermes supra numerũ infestarent. Sola stomacacce etiam integri pagi sunt absumpti. Non diu durabãt ea Symptomata, quin accedente febre maligna, vel morbo comitiali, vel ventris profluuio morerentur. Qui morbi sub sequentis anni initiũ in manifestã pestẽ aut lenticulas degenerârunt. 1578

De prodigijs, portentis, miraculis, & diuinæ in homines iræ signis prænuntijs, quæ hoc anno visa sunt, hactenus, & copiosius fortassis, quàm institutũ nostrũ requirit. Sed cùm similia in sequentibus sæpe occurrent, solidum semel huius materiæ fundamentum erat iaciendum. Inueniuntur enim homines, qui pleraque monstra, spectra & prodigia rident omnino, quasi ea Deus aut non velit, aut non possit producere. Inueniuntur alij, Epicureo dogmate temulenti, qui ad ἀπαθείαν quandam mortalium animos redigere conantes, duos orbis tyrannos, spem & metum constituunt, & excusso omni numinis metu (cui dum alligantur, putant quietos esse non posse) student rerum omnium, quæ quotidie spectantur, naturales rationes reddere: ignorantes Deum penes se peculiarem quendam prouidentiæ suæ, nobis occultum, ordinem habere, cuius causa ad nostram sæpe vtilitatem signa, prodigiaque operatur. Ea enim mortalibus apparere nonnunquam conducit, vt circa res prosperas obiecta formidine animorum insolentiam frangerent, & priusquam id, quod minantur, expleuerint, occurrẽte pœnitentia, precibus, alijsq; operibus bonis molliri, vel auerti penitus, rupta causarũ fatali necessitudine, pos-

De prodigijs, spectris, & portentis quid sentiendum.

1574 ſint, vt Scripturæ ſacræ exēplis pluribus manifeſtū eſt. Operatur autē huiuſmodi Deus per Angelos, aut Genium malum, vbi figura inſignis aut ordo concurrit. Etenim quia Deus vtriſq; vtitur manuū vice, ſicut per illos bona dare, aut mala infligere ſolet, ita nunc hæc, nunc illa portendere vult, priuſquam fiant, quod boni patris ac Domini miſericordis officiū eſt. Suſcipiunt hoc negotiū libēter Spiritus boni, qui cognatione quadam generis noſtri nobis precantur nil niſi bonum, & ſi quando à Dei monitis genus mortale exorbitet, miſerti protinus imagines hauſtas à Mente ſuperna, ideaſque rerum futurarū pingunt in rebus naturæ, vt his admoniti, ſtatim de anteactæ vitæ criminibus cogitemus, periculi magnitudinem cogitatione priùs quàm ſenſu experiamur: admonitiones & conſolationes in ſacris obuias in memoriā redigamus, malorū denique tela prius quàm opprimant, cōuerſione ad preces, operibus charitatis ac pœnitentiæ mitigemus, vel, ſi fieri poſſit, auertamus penitus: ſin minus, omne flagellum, diuinamq; correptionē magno animo cum ipſo Deo, vel patientia ſuperemus. De portentis, prodigijſque hactenus, ad hiſtoricam narrationem reuertamur.

Præfectura Requeſenij.

ANNO M. D. LXXIIII. ineunte Ludoicus Requeſenius Magnus Caſtiliæ Commēdator adminiſtrationē prouinciarū Belgicarum nomine Regis Philippi ſuſcepit. Is magnā ſibi auctoritatem in bello nauali Turcico, quo Ioannes Auſtriacus cum reliquis Confœderatis in ſinu Corinthiaco formidabilem illā Sultani Selymi claſſem deuicit, conciliauerat. A nauali itaq; prælio ſuā etiā nunc adminiſtrationem volens auſpicari, omnia conſilia ſua ad Middelburgū, quod adhuc arctiſſima obſidione premebāt Zelandi, liberandū conuertit. Inſignem itaq; maiorum, minorumque nauiū claſſem menſe Ianuario Antuerpiæ, Montibusq; ad Zomā inſtruxit. Maioribus nauibus Sanciū Dauilam, minoribus Iulianū Romerum præfecit. Beannoyus enim iam obierat. Sub finem Ianuarij, antequā oram ſoluerēt, expeditionemque ſuſciperent, inter ſe Dauila & Romerus cōuenerūt, vti Dauila cū ſua claſſe per Hontā verſus Vualachriā velificaret: Romerus verò Svvitbeuelandiā peteret, ibiq; claſſes denuò iūgerent. At Auraicus, qui paulo ante in Zelandiā venerat, cū Archithalaſſo conſtituerat, vt alterā

Requeſenius claſſem mittit in auxilium Middelburgenſium.

ex duabus classibus inuaderēt, antequā coniungerētur. 1574
Diuisa igitur & ipsi classe, maiora nauigia sub VValachriā fixerūt. Cum reliqua classe, cui præerat Ludoicus Boisotius, aduerso flumine Schaldi, æstu tamen maris secundo, Montes ad Zomam nauigârunt, vbi classem hostilem in anchoris stantem repererūt. Regij viso hoste, mox se ad pugnam parant, ad quam eò erant alacriores, quia in conspectu Gubernatoris, qui Montibus erat, vt cum aulica sua familia rebus esset propinquior, decertarent. Zelandi confestim impressionem in naues regias fecerunt. Primo impetu Architalassi Geusiorum nauis è regia classe immensi ponderis globum excepit, qui nauim à prora ad puppim perforauit, multosque classiarios strauit, vulnerauitque, inter alios Scottus summus Nauarchus altero pede mutilatur: ex quo vulnere paulò post obijt. Boisotius quoque Architalassus ipse altero oculo priuatur, qui sclopeti ictu excussus est. Interea multi ex Regijs in prætoriā hanc nauim prosiliunt, ita vt summo versaretur in periculo. Sed alia naui ei succurrente, periculo exempta est. Singulæ iam naues cum singulis pugnabant, cum ardore incredibili, dubiaque diu victoria: tandem insignis audaciæ ephibata quidam iuuenis Zelandus è galea, seu corbe nauis prætoriæ Geusiacæ, in corbem prætoriæ Regiæ transcendit, hostes expellit, & vexillum detrahens, seseque illi inuoluens, descendit: inuenitque multos è socijs iam in prætoria regis pugnare. Qui in alijs nauibus erant, videntes vexillum prætorium detractum, ipsam etiam nauim victam existimârunt, & trepidare cœperunt. Geusij mox aucti animis decem naues occupârunt, & quasdam exusserunt: cæteræ fugerunt. Ceciderunt in hac pugna vtrinque mille ducenti circiter classiarij. Cæsus est Dominus de Glymes Architalassi Regij vicarius, & Octauius Perenottus: Iulianus Romerus scapha elapsus est. Tantus erat Geusiorum furor, vt quoscunque caperent, nulla ordinis, aut conditionis habita ratione, in fluuium præcipites disturbarent, & submergerent. Dum hæc fiunt, Sancius Dauila cum sua classe Breskinam iuxta VValachriam appulsus, anchoras iecit, & Romeri classem expectauit. Sed cùm eam deuictam intellexisset, Zelandorum metuens impetum, Antuerpiam reuersus est. Interea Middelburgenses, omni commeatu & annona consumpta, extrema fame laborabant: equis, canibus, felibus &

Forte factum.

Geusij victores.

Fames Middelburgi.

1574 muribus vescebantur: ijs etiam absumptis, liba & panes ex lini, aliarumque herbarum seminibus conficiebāt, alijsque inusitatis edulijs se sustentabant. Nummos etiam quadratos ponderis & valoris thaleri, & dimidij thaleri, cum hac inscriptione: DEO, REGI, PATRIÆ FIDELES MIDDELBVRGENSES, cudebant, quibus militibus satisfieret. Dragonius autem intellecta Regiorum clade, cùm iam spem nullam subsidij reliquam esse intelligeret, vrbem certis conditionibus dedidit, vt scilicet præsidiarij omnes cum armis & impedimentis, omnes etiam Ecclesiastici, nautæ, & quicunque vellent tutò discederent, quos omnes Zelandi suis nauibus & sufficienti comitatu in Flandriam transportarent. At Mondragonius iureiurando constrictus est, quòd duorum mensium spatio in custodiam rediret, nisi interea Philippi Marnixij Aldegondi, Iacobi Simonis, Citadellæ Fabricensis Itali, Ioannis Pettini, quorum plerique in arce Vltraiectensi captiui tenebantur, libertatem à Commendatore impetraret. Acta sunt hæc XVIII. Februarij. Mondragonius Antuerpiam ad Requesenium proficiscitur, honorificeque exceptus, captiuorum permutationem obtinuit. Dedita est & eodem tempore Principi Armuida, quæ postea munita, oppidi formam & nomen consecuta est. Auraicus iam tota VValachria potitus, imperio suo maximum addidit incrementum, & iam sedem firmam sibi fixerat, vnde facile exturbari non poterat. Maiora verò spe concipiens, cum quibusdam Hispanis in arce Antuerpiana clam transigit, vt accepta ingenti pecuniæ vi, sibi arcem traderent. Sed proditio hæc ante constitutum tempus detecta est. Similes proditiones in Traiectenses, Valencenas, Gandauensesque erant institutæ. Sed spei magnitudo angustis pectorum claustris contineri non poterat, ac immodica lætitia producente per ora populi tempestiuè nimis sese diffudit. Qui in arce Antuerpiana erant proditores capti, & extremo supplicio affecti sunt. Rex quoque Galliarum Carolus intermissa diu consilia de Belgio Auraici opera & studio occupanda resumpsit. Ducenta ergo millia nummûm Ludoico Nassouio per Mariscallum Regium numerauit, quibus copias conscriberet militares. Ipse Galeazo Fregoso quoque in mandatis dedit, vt equitatum colligeret, & duo peditum millia è præsidijs Metensi, Tullensi, & Verdunensi in eun-

Conditiones, quib⁹ Middelburgum deditum.

Armuida deditur.

Proditione tentata arx Antuerpiensis.

Galliarū Rex clam molitur bellū aduersus Regem Hispan.

dem vſum Naſſouijs miſit, quibus Traiectum, & alia loca occuparent. Sed de his latius ſuo loco dicetur. 1574

Ad Regis fratrem Henricum Andium, & res Polonicas reuertitur nunc ordo & tempus. Electo itaque in Regem Poloniæ Henrico Andium Duce, funus Sigiſmundi in eius aduentum reſeruatum eſt. Kayſinia enim, vbi defunctus eſt, corpus eius Tikocinam arcem, atque inde Varſouiam vno quaſi anno exacto deductum eſt. Varſouia tandem Cracouiam cum magna ſenatorum pompa, regia ſorore ſequente, ad ſepulturam, cùm iam felix aduentus noui Regis Miedzirzeciam nuntiaretur, aduehitur: omnibuſque pro iuſtis exoluendis tanto Principe dignis præparatis, XV. Februarij omnes Senatores, Epiſcopi, & Equites, qui ad id funus cohoneſtandum, & expectationem futuri Regis vndique erant exciti, lugubri veſtiti habitu adfuerunt. Funus plumbeo loculo depoſitum, ſerico villoſo nigro obductum, ſtemmatibus & inſignijs regni ornatum, octo equis miræ nigredinis deducitur, aulicis circumquaque ſerici villoſi tegumenta, longè per terram errantia, tenentibus. Sequebatur honeſtiſſimus illuſtrium & ornatiſſimorum virorum comitatus, quibus omnibus vnus habitus atratus & lugubris erat. In his nobiliſſimi, grauiſſimique viri legati externorũ Principum, Archiepiſcopus & Epiſcopi cum Abbatibus conſpiciebantur. Infans ſereniſſima Anna, Regis ſoror mœſtiſſima, à Legato Summi Pontificis, & Oratore Veneto pedetentim deducebatur. Hinc XXXII. feretra ſerico villoſo, & pannis aureis, holoſericoque pretioſè tecta præferuntur, cum inſignijs regijs. Equi XXXIII. ſimiliter omnis generis ſericei coloris tecti velamine, vtrumque latus armis Regni ornati incedunt: demum ſingularum prouinciarum vexilliferi, triginta vexilla terreſtria armati, equis inſidentes generoſis, circumferebant. Ante funus regium D. Maczieiovvski integra armatura tam affabrè facta argento, coloribuſque tam artificioſè diſtincta, vt omnium oculos in ſe conuerteret, indutus, gladium auratum cuſpide ad latus conuerſo geſtabat. Hunc ſequebatur armiger, ferens haſtam, cuſpide in terram demiſſo, cum vexillo: ſcutum etiam, in quo Regis depicta erant inſignia. Enſifer Regni gladium præferebat. Tandem pomum aureum, ſceptrum, corona aurea ab his, quorum illud munus eſt, portabantur. Legati ſingularum prouinciarum an-

Funus Sigiſmundi Regis Poloniæ.

1574 tecedebant. Nobilitas & vrbis Senatus succedebat. Omnis clerus, literarum studiosi, phonasci, cantores, epicedia, nænias, & threnos decantabant. Hinc plusquam quatuor hominum millia, obscuro & tristi habitu vestita, cum funalibus & candelis vndique collucentibus ibant. Vbi iam in arcem ventum est, in æde cathedrali, quæ vndequaque defixis cereis lucebat, funus honorificentissimè deponitur, regalibus supra impositis. Finitis monodijs & consuetis canticis, orationem funebrem habuit Abbas Magilensis, pietate & doctrina venerabilis. Deinde Sacrum piaculare inceptum, sub quo eques ad funeris feretrum cataphractus, cassidem habens vndique pro plumis cereis ardentibus radiantem, equo delabitur, confractaque hasta gladium abijcit. Cùm Agnus Dei caneretur, Cancellarius, eiusque Vicarius sigilla Regis mortui confregerunt; cæteri autem Senatores sua sceptra altari imposuerunt.

Nouus Rex Henricus quomodo exceptus.

Peracto Regis Sigismundi funere, Henricus Gallus electus Rex cum ingenti equitatu & peditatu, biduo post, ad Balicias sesquimilliari à Cracouia distantem villam, Palatini Cracouiensis hæreditariam aduenit: vbi omnes Regni Ordines, Magni etiam Ducatûs Lituaniæ, Russiæ, Massouiæ, ac cæterarum Sarmatiæ regionum magnificentissimis sumptibus inter se concertabant. Hi aureis, isti argenteis, illi holosericis, alij polymitis, hi planis, alij villosis, hi infectis purpura, alij tinctis murice & cocco, hi Attalica textura, illi Phrygio elaboratis, insertisque cum vnionibus variarum gemmarum lapillis, resplendebant. Si ex habitu nationem & gentem iudicasses, vidisses hîc Vngaros, Italos, Gallos, Germanos, Moscos, Tartaros, & Scythas. Tanta erat hîc hominum bene armatorum multitudo, vt qui erant vsu rerum bellicarum periti, eandem etiam validissimo hosti opponi posse iudicarent. Cùm autem Rex Lobzovvium & Bronouicē vicos ciuitatis Gallis, Guasconibus, & Polonis comitatus aduenisset, ab Episcopo Plocensi Miscouio facundissima & Ciceronis eloquentiam redolente oratione, omnium Ordinum nomine salutatus est. Bibracus regio nomine gratias Ordinibus egit, & ad omnia respondit. Tandem Rex circa primam noctis horam vrbem Cracouiensem ardentibus facibus vbique resplendentem, D. Floriani portâ ingreditur, equo candore niueo & sublimi regijs phaleris ornato insidens, ita vt omnibus

bus altior eminens, à nullo non conspiceretur. Consu- 1574
les vrbis vmbella aurea eum exceptum, vsque in arcem deduxerunt. Regem proximi sequebantur Niuernensis, Guisius, & Dumeneius Duces, cū Marchione Elbensi, alijsque Galliæ Proceribus: quorum singuli à duobus Palatinis honoris causa deducebantur. Tantus erat buccinarum, tubarum, fistularum & tympanorum fragor & strepitus, tot tormentorum maiorum & minorum tonitrua & fulmina, vt cælum corrui, terra tremere, noctē in diem verti crederetur: tam magnifici, tā artificiosi arcus triumphales, tanto ingenio & industria varijs locis erant erecti, vt ipsum Dædalum ab inferis resurrexisse dixisses. Arcem ingressus Rex, in Ecclesia cathedrali D. Stanislai à Canonicis salutatur, & dum canticum D. Ambrosij & Augustini suaui melodia decantatur, Rex ad thronum, seu subsellium deducitur: vbi vltro citroque faustis acclamationibus factis, post faustas precationes & omina in palatium auro splendidum, cœnaturus, quieturusque pergit. Postridie in Senatûs consessum veniens, per Bibracū Cancellarium priuatum omnibus Ordinibus Regni gratias egit, quòd sibi integrum atque floridum tantum Regnum administrandum dedissent, Deumque omnipotentem precatus est, vt hæc inauguratio sibi, Regno, atque adeo toti Reipub. Christianæ sit felix & salutaris. Pollicitus etiam est, se sedulò daturum operam, vt conceptæ de se apud illos opinioni cumulatè satisfaciat, & vt coronatio acceleretur obsecrauit. Ad hæc sequenti die Sandiuoius Carncouius Regni Orator Maiestatém Regiam nobilitatis nomine salutauit, quid Regiæ dignitatis sit, & quid ad incolumitatem Regni pertineat, prolixa oratione ita exposuit, vti omnibus satisfactum videretur. Responsum à Rege est: Omnia se facturum, & quidquid sibi concreditum esset obseruaturum, idque se non tantùm literis approbare, verùm etiam sanguine obsignare paratum esse. Eadem die sole iam ad occasum vergente, cum Legato Pontificis, & magno Episcoporum comitatu in Sancti Stanislai, Polonorum Diui tutelaris ædem, quæ in rupecula est, vbi Sanctus hic occisus, animam Deo reddidit, deducitur: vbi Deo deuotissimè supplicauit, & sacra de more exosculatus est: quod omnes Reges Poloniæ ante coronationem facere veteri consuetudine tenentur. Die deinde Matthiæ Apostolo sacro, qui tunc in ipsa Baccha-

1574 *Henricus coronatur.* nalia incidebat, solenni ritu ab Archiepiscopo de Catholica fide retinenda, conseruanda, & defendenda, deque Regno sibi à Deo commisso secundùm iustitiam patrum tenendo, regendo, administrando & protegendo interrogatus, cùm in hæc omnia iurasset, solennibus ceremoniis inunctus & coronatus est, Regnumque tres menses & viginti sex dies pacificè administrauit: ad mortem scilicet Caroli fratris, à quo successor electus, & à matre Regina in Regnum Gallicum reuocatus est.

Ludoicus Nassouius &c. cum exercitu in Belgiū redeunt. Dum hæc geruntur in Polonia, in Belgio & Germania delectus militum habetur, ducibus Ludoico & Henrico Nassouio, Auraici fratribus, & Christophoro Comitis Palatini filio. Post lustratum exercitum Ludoicus copias aliquot misit Traiectum ad Mosam, vt ope quorundam proditorum, quos in vrbe illa sibi deuinctos habebat, eam suæ potestatis facerent, *Traiectū proditio detentatur.* sed à præsidiarijs, quorum ingens erat numerus, tam ipsi Nassouiani, quàm ciues proditores non sine clade suorum eiecti sunt. Nassouius in pago Vlpen, qui inter Aquisgranum & Traiectum est, castrametabatur: noua quotidie mandata è Gallia expectans. Interea cum præsidiarijs Traiectensibus crebris velitationibus concurrens, nunc victor, nunc victus in castra reuertitur. Cæterùm dum cunctanter agunt Galli, & tempus labitur, Requesenius magnas copias colligit, ex obsidione Leidensi, præsidijs Vltraiectensibus, Hollandicis, Gelricis, Frisicis quantas potuit vires euocat, & Traiectum sub Sancio Dauila, Iuliano Romero, Dragonio, & Hirgio mittit: qui etsi de multorum mensium stipendio sibi debito conquerebantur, tamen expeditionem hanc recusare noluerunt, cùm duces promitterent ea facta solutionem certò subsecuturam. Cùm autem Nassouius spe de Gallo concepta frustraretur, & commeatûs ipsi deficeret, statuit suas vires cum fratris Auraici in Gelria coniungere, aut Mosam alicubi traijcere, & in Brabantiam mouere, quem vt exciperet Auraicus, aliquot peditum centurias, & naues quasdam bellicas aduerso Mosa flumine ad insulam Bommelensem misit. Ludoicus cum suis, Regis vires metuens, postquam bina eruptione sexcentos circiter pedites amisisset, retrocessit, & in territorio Falkenburgensi castra posuit. Hic nouo

Dauila

Dauila vsus stratagemate, quingentos iterum lectissimos Nassouiorum pedites trucidauit. Cùm itaque Nassouij animaduerterent, se istic diutius sine summo periculo subsistere non posse, nec viam, modumque inueniri, quo commodè suum exercitum Mosam transportarent, vndecimo die Aprilis collectis, conuasatisque omnibus, reditum in Germaniam simulabant: cùm interim magnis itineribus Nouiomagum Gelriæ contendunt. Regij eos obseruantes, omnes copias suas, tormenta quædam campestria, omnemque apparatum suum nauibus imponunt, & secundo flumine, ventoque descendentes, hostem anteuertunt. Cùm autem Neomagum venissent, maiores copias paratas inuenerunt, quibus etiam se iunxit Scenckius à Tautenburg, cum suo equitatu. Ludoicus veniens, se in ericeto Moukensi tumultuario aggere, inter duo flumina, VVahalim & Mosam muniuit. Decimo tertio Aprilis Regij quosdam leuis armaturæ equites mittunt, qui hostium exercitum explorarent. Ludoicus similiter cum quibusdam equitum alis castris excessit, vt Regium exercitum lustraret. Qui cùm sibi mutuò occurrerent, acriter pugnârunt, ita vt Regij in fugam verterentur. Postridie in conuentu Tribunorum & ducum Regiorum decretum est, omnes vires in hostem ducere, & de summa rei decertare. Nec mora instruuntur ordines, classicum datur, & explicatis signis in hostes tenditur. Nassouij nihil minùs quàm prælium vniuersum cogitantes, huc illuc palantes cursitabant, nec vllus erat in castris ordo cùm Regij aduenirent. Oritur confestim clamor ingens, mugitus tormentorum, & crepitantium sclopetorum fragor Nassouianos conuocat. Sed antequam omnes conuenire, antequam ordines instrui possent, à Regijs inuaduntur, sternuntur, trucidantur, adeò vt ex quatuor millibus equitum, & octo circiter peditum, pauci prælio superfuerint. Ipsi etiam Duces Ludoicus & Henricus Nassouij cum Christophoro Palatino in hoc prælio aut cæsi sunt, aut in paludibus demersi. Eorum enim cadauera nunquam inuenta sunt. Quæ causa fuit, cur diu post pugnā viuere dicerentur: sed aliud docuit euetus. Cōmendabatur in hoc certamine Hirgij & Schenckij à Tautēburch virtus, & imperterrita, indefessaque fortitudo, quibus factum est, vt nutans primùm victo-

1574

In Gelriam contendit.

Prælium Moukense.

14. April.

Nassouij cæsi.

1574 victoria sese ad Regios conuerterit. In Diœcesi Treuirensi centuriæ Gallorum sedecim conuenerant, qui ad Nassouiorum castra tenderent. Sed cùm eorum cladem audiuissent, Argentoratum profecti, Hannibalis legionem, quæ in Alsatia colligebatur, ita dissipârunt, vt breui recolligi non potuerit. Qua de causa Hannibal serius in Belgium venit, quam à Requesenio expectabatur.

Hispani tumultuantur. Post memorabilem illam in ericeto Moukensi victoriam Hispani, quibus iam multorum mensium stipendia debebantur, cùm secundùm promissiones etiā post hāc expeditionē nulla offerretur pecunia, tumultuari cœperūt, cū ducibus & Ordinibus patriæ grauiter expostulantes. Pulsis itaque ducibus & Tribunis suis, numero circiter quatuor millia, Antuerpiam infestis signis profecti sunt. Erat tunc eius vrbis præfectus Fredericus Perenottus, Champignij & Renaixij Dominus, Cardinalis Granuellani frater. Is de consilio Hispanorum tumultuantium admonitus, tribus & centurias vrbis conuocauit, instansque periculum illis exposuit. Sed & Requesenio scripsit, quid Hispani machinarentur, petijtque vt vel præsidium arcis mutaretur, vel vt sibi potestas fieret, propugnaculum inter arcem & vrbem excitandi. At Requesenius sperans se sua præsentia Hispanorum conatus impediturum, ipse Antuerpiam venit, Sanciumque Dauilam ad rebelles misit, qui eos ad tranquillitatem hortaretur. Sed Dauilam audire noluerunt, imò cogere voluerunt, vt ipsos in arcem admitteret. *Hispani tumultuantes Antuerpiam occupant.* Vicesimo itaque septimo Aprilis Antuerpiam venerunt, & iuxta arcem in vrbem perruperunt. Indignissimè facinus hoc ferebat Requesenius: qui cùm illis obuiam procedere vellet, prohibitus est, ne vltra cœmiterium S. Georgij progrederetur. Ipsi verò contemptis omnibus sanis consilijs, nihil præter *Dineros & VValones fuora* vociferabantur: pecuniam, & abitum Champignij cum suis VValonibus postulantes. Cùm autem è colloquio cum Requesenio intellexissent, pecuniam in promptu non esse, instructis ordinibus in meditullium ciuitatis progrediuntur, & forum, quod incolæ Meerpontem vocant, occupant. Champignius cum suis VValonibus in nouam ciuitatem se recepit, eodem & supellectilis partem transtulit, partem Hispani diripuerunt. Sub vesperem rebelles forum deserunt, vicinas mercatorum ædes occupant,

cupant, & Electum creant. Interea non desinunt incla- 1574
mare, *Dineros, VValones, fuora Vielliacos*, neque enim Champignium cum suis VValonibus in vrbe ferebāt. Requesenius peiora metuens, mandauit Champignio vt cum suis vrbe exiret, furorique ad tempus locum daret, quod & factum est. Postridie conuocantur in curiam mercatores quidam opulentiores, à quibus certa pecuniæ summa petita est, qua noui isti hospites placati dimitterentur. Ea concessa, Electo iubetur, vt è singulis centurijs quosdam eligat, qui oblationem audiant. His decem mensium stipendia in parata pecunia, & quinque in panno laneo, serico, holoserico &c. offeruntur. Non placet Hispanis oblatio pānorum, sed nudam pecuniam exigunt. Intercessione tamen Scipionis Vitellij, & ipsius Electi id tandem impetratum est, vt huic oblationi assensi sint: cum ea tamen protestatione, se pannis istis non indigere, sed vt Regi gratificentur, sibi istam solutionem placere. Octauo Maij Requesenius conuocatis Hispanis, qui iam modestiores erant, proposuit, promissam solutionem necessariò debere moderari, & paululum minui. Regem enim multa adhuc debere equitatui Germanico, duobus legionibus Heluetiorum, & copijs Italicis. Hic iterum Hispani in furorem versi, denuò, & quidem atrocius quàm antea, tumultuati sunt. Eorum exemplum imitari voluerunt & hi, qui in arce erant: sed tumultus iste in ipso initio compressus est. Duodecimo Maij altare ante curiam erexerunt, in quo Sacrificium Missæ celebrabatur. Quo peracto, omnes iurârunt, se Electo obtemperaturos, ad obedientiam ducum suorum non reuersuros, priusquam solidum solueretur, quod promissum erat: excubias fideliter seruaturos, & ne dolo circumuenirentur diligenter aduigilaturos. Hæc omnia solenni iuramento & multis cæremonijs confirmata & descripta valuis Curię affixerunt, patibulumque erexerunt, in quod agerentur omnes, qui ciuibus clam aut palam quicquam surriperent. Quo in crimine quidam inuenti, pro furti qualitate grauiter puniti sunt, magno ciuium commodo & solatio, qui ab eo die quieti & securi in suis ędibus habitârunt: donec tandem Respub Antuerpiana publico indicto censu quadraginta florenorum millia Requesenio in solutionem rebellantium numeraret; cui summæ reliqua ipse partim ex ærario

Componitur tumultus.

1574 Regio, partim è proprio peculio (omnem enim ſupellectilem auream, argenteamque, omnia ſua cimelia Bruxellis allata oppignorauit) ſuppleuit. Triceſimo itaque Maij omnibus poſt ſolutionem factam impunitate iſtius ſeditionis conceſſa. Antuerpiēſes tanto metu, militumque petulantia liberati ſunt. Eo enim die, in quem feſtum Pentecoſtes incidebat, ſolenne Sacrum in æde D. Virginis celebratum eſt, & inſignis triūphus in foro habitus, quibus ea condonatio, & omnium factorum obliuio confirmata eſt, decretumque vt Hiſpani omnes in obſidionem Leidenſem proficiſcerentur.

Zelandi naues Regias expugnant. Quæ dum fiunt, Zelandica claſſis vento ſecundo & æſtu maris acta, ad munitionem Lilloenſem velificauit. Stabant hîc in anchoris quędā naues regiæ, quas Commendator omnibus rebus neceſſarijs inſtruxerat, vt ſub imperio Adolphi Hamſtedij Moſę oſtium occuparent, Hollandiamque Auſtralem à Boreali ſepararent. Zelandi in hanc claſſem impetum facientes, acriter cum Regijs pugnârunt. Etſi multi è munitione tormentis maioribus diſcerperentur, multi etiam in primo impetu à claſſiarijs Regijs cederentur, contempto tamen omni periculo & damno, maiori cum ardore in ipſam claſſem inuecti, naues quaſdam ceperunt, quaſdam depreſſerunt, tres exuſſerunt, victoresque in Zelandiam reuerſi ſunt, Hamſtedium captiuum ſecum aducentes.

Regiorū in VVaterlandia expeditio. Eodem tempore Requeſenius expeditionem in Hollandiam Borealem ſuſcepit. Duo namque millia Germanorum peditum Egmondam miſit, qui per aggeres in eam Hollandiæ partem profecti, in Aſcendelft & VVormter incolumes peruenerunt. Hîc copijs diuiſis vicinos pagos occupârunt, vt concurſum agricolarum prohiberent. Quidam eorum Purmurendam & Vlpendamum excurrerunt: ſed cincti vndique ruricolis & prædatoribus Geuſijs, plurimi occidebantur. Habebant & Hollandi ijs in partibus multas exiguas triremes, quibus per mediterraneas foſſas vehebantur, & tranſeuntium per aggeres (quibus tantùm in eam regionem patet aditus, cùm ſolum ipſum ſit depreſſum & vliginoſum) latera impetebant. Ab his non exiguam etiam cladem Regij acceperunt. Maiore itaque numero Germanorum amiſſo, reliqui re omni infecta ad ſuos reuerſi ſunt.

Dum

Dum hæc fiunt in Belgio, noua Erynnis res Galli- 1574
cas denuò perturbauit. Quidam enim Proceres, etsi *Malecontentorum seu Politicorum factio in Gallia.*
Catholici haberi vellent, politicam tamen Regni ad-
ministrationem improbabant. Iccirco literas ad Prin-
cipes, Regulos, supremasque Regni curias dederũt, eos
admonentes, vt considerarent, quàm præposterè Reg-
num administraretur. Primarios Principes nullam
eorum, quæ ad publicum statum pertinent, habere co-
gnitionem: Plebem immodicis exactionibus expilari: *Querelæ.*
artifices & mercatores extra spem quæstûs esse, & ad
extremam inopiam redigi: Nobilitatem, facultatibus
in ciuilibus bellis consumptis, quæ sui sunt officij, fa-
cere non posse: viros doctos omni expectatione hono-
ris frustrari: munera publica vendi, & plus offerenti
addici: Regium fiscum inutiliter consumi: officia &
præfecturas non Principibus regio sanguine natis, aut
alijs nobilibus bene meritis, sed exteris & alijs indignis
commendari: Sacerdotia sub prætextu œconomiæ pos-
sideri, à quibusdam etiam titulo dotis retineri. Omnia
hæc mala aboleri, & totam Reipub. administrationem
melius cõstitui indictis Ordinũ Comitijs flagitârunt.
Hi vt à cæteris factionibus discernerêtur, Malecõtenti
appellari voluerũt, & Hugonottas, qui iam ad arma de-
nuò prosilierãt, in societatẽ adsciuerũt. Horum causæ *Malecontentorum duces.*
Frãciscus Alẽconius natu minimus Regis frater, Hẽri-
cus Nauarræ Rex, Memorãtius, & Cossæus, cũ alijs nõ-
nullis fauere putabantur. Quã suspicionẽ auxit rumor,
qui paucis post diebus in aulã peruasit, trecẽtos equites
nõ longè abesse, qui Alenconiũ & Nauarræum ex aula
abducere decreuerãt. Qui huius rei cõscij erãt, statim in
carceres cõiecti sunt, Memorãtius, Cossæus, Mola, Cõ-
conassius, Sãmartinus, Tortæus Grãdryus. Postea Alẽ-
conio & Nauarræo custodia data: nulli tamẽ ex his, nisi
Mola & Conconassius, capitali supplicio affecti sunt.
Interea magni tumultus in diuersis Regni partibus cõ-
citati sunt. Dominus arcis Paraldię (ea ad Rhodanũ op-
pidũ est) Andancẽsũ, & castellũ Maleuallũ in Delphi-
natu occupauit. Ex quibus locis irritati multis excursi- *Victoriæ Malecontentorum & Hugonottarum.*
onibus Lugdunẽses, Paraldiã arcẽ obsederũt, expugnâ-
rũt, & in vltionẽ iniuriarũ, à Domino eius locis accepta-
rũ, funditùs euerterũt. Mõbrunius ignobiliora quoq; a-
liquot loca in Delphinatu intercepit, in quibus fuere
Lauolũ, Libero, Aletũ, Grana, Roynacũ. In Pictonibus
Malecõtenti cũ Nogo Hugonottarũ duce cõiunctis co-

1574 pijs Fanũ Mexantij, Mellã, Fontenæũ, & Lusignanũ in potestatẽ suã redegerunt. In Normãdia Mongomerius Fanũ Landi & Carentam intercepit. Hæc tam prospera initia magnos progressus, & felicẽ Hugonottis & Politicis seu Malecõtentis euentũ pollicebãtur. Sed ad tãtæ victoriæ cursum impediendũ, misso à Rege Mattigno-nio, omnia in irritũ reciderũt. Danfrontũ recuperatur, Mongomerius capitur, Fanũ Landi expugnatur, Colũbierus occiditur, Carẽta deditur, Lorgius in Angliam fugit. Mongomerius Lutetiã ducitur, vbi perduellionis reus factus, vltimo supplicio afficitur. Talẽ exitum habuit Normandicus tumultus, qui à principio terribilis multis visus est, & qui magnas turbas per totũ Regnũ excitaturus credebatur, quòd in eum multi, qui extra Regni fines profugerant, oculos coniectos haberẽt.

Fortunæ belli mutatio.

Magna Hugonottarum infortunia.

Mongomerius vltimo supplicio afficitur.

Carolum Regem Henricum Andium fratrem in Poloniã proficiscentẽ ad Regni fines deducturũ in itinere ægrotare cœpisse tũc dicebamus. Morbo causam dedit pulmonis inflãmatio, è violẽtis exercitationibus nata, quæ cõtinuæ febris maximã intemperiẽ induxit: qua quotidie ingrauescẽte, tandem XXIX. Maij defunctus est. Cùm autẽ iam animã ageret, & vltimam vitæ periodum in horas expectaret, Regnum Henrico fratri suo, Poloniæ Regi reliquit. Vt autem Regni saluti caueret, Biragius Cancellarius Insuber Regi demonstrat, ex Regni vsu esse, summam Interregni auctoritatem matri Reginæ tribui, quo illa incertos rerum casus ad fratris vsque aduentum sua potentia & prudentia cohiberet. Rex confestim quatuor Sanctioris consilij notarios, & Prætorianæ custodiæ præfectum ad se accersi iubet, & vt matri obtemperetur edicit: matremque rogat, vt rebellium reliquias omnibus modis persequatur. Conditur euestigiò regium Rescriptum, quo significatur, penes matrem esse summam rerum auctoritatem, donec Henricus frater è Polonia redierit. Additur disertis verbis regij mandati formula: Omnes vti Principes Regij stemmatis, Parlamenta omnia, Marescalli, Prouinciarum Præfecti, Prætorianæ cohortis præfectus, Sanctioris consilij senatores, à secretis, ærarij quæstores, & cæteri Regis administri matri omnem obedientiam præstent, eiusque literis ac rescriptis perinde vt mandatis Regis obtemperent. Vti Antistites & Sacrorũ administri omnes in officio & reuerentia, quam sibi & maioribus suis præstiterint, sanctè perse-

Moritur Carolus IX. Rex.

Matri summum imperium tempore interregni commendat.

perseuerent. Causam cur matri tantam auctoritatem, potestatemque tribueret, Rex ipse addit. Quòd scilicet materna charitate de filiorum Regno conseruando singularem curam ipsa gereret, quod longa experientia maximã rerum cognitionem, prudentiamq; sibi comparâsset, quòd deniq; ad illã dignitatẽ Comitiorũ decreto euecta esset olim post Francisci II. fratris obitũ. Rescriptũ illud Alenconius, Nauarræus, & Borbonius confirmârunt, sancijt Senatus Parisinus, & promulgauit. Reginã excusantẽ muneris illius periculũ & difficultatẽ, omnes illi & eximij è Senatu Parisiensi Senatores orãt, vt filijs & Regno in tã necessario tẽpore operã, industriamq; suã nõ deneget. Annuit tandẽ Regina mater, & postridie ad omnes prouinciarum præfectos datæ sunt literæ, quibus vltima Regis volũtas de Regni administratione exponebatur. Addidit etiã suas Alenconius, & Nauarræus, orantes omnes & singulos Reginæ obediant, auctoritatemq; illi à Rege defuncto collatam agnoscant, vt Rex Henricus è Polonia rediens, omnia pacata inueniat. Se suo officio non defuturos, & Regi & matri obtemperaturos pollicentur. Deinde Regis Caroli funus magnificè, regio & splendido apparatu procuratum est. Nec mora, repetitis nuntijs, literisque Regina Henricum Polonorum Regem monet, vt quàm celerrimè sese è Polonia proripiat, Regnum auitum illustrius, liberiusque repetat, omnia se diligenter interea curaturam: tantùm caueat, ne occasiones rerum præclarè gerendarum prætermittat. Pomponio Bellecuræo, viro aulicorum negotiorum cum primis perito & industrio, olim apud Heluetios Legato regio, tunc à secretis Henrici consilijs, mandat, vt rem omnem summa accuratione & celeritate administret. 1574

Henricus è Polonia reuocatur.

Pacatis Hispanorum in Belgio tumultuantiũ animis, de Leidensium obsidione Requesenius denuò cogitare cœpit. Est autem Leida vna è sex primarijs Hollandiæ ciuitatibus, Lugdunum Batauorum à Ptolemæo, ab Antonino Imperatore caput Batauorũ, vt quidam arbitrantur, vocitata, ad veteris Rheni ripam à primis conditoribus, non procul ab arce Britannorum ædificata. Hanc vrbem Hispani anno præcedente mensis Octobris die vltimo obsederant, omni diligentiã prohibentes, ne quid oppidanis aduceheretur. Sciebant enim exiguam in vrbe esse annonam, magnam-

Leidensis seu Lugdunensis obsidio.

1574 que rerum ad defensionem necessariarum inopiam. Continuata hæc obsidio est ad vicesimum primum diem Martij, quo tempore Ludoicus Nassouius cum suo exercitu in Belgium veniret. Quo appropinquante maior obsidentium numerus è castris euocatus, Nassouio obuiam ire iubetur. Pauci in munitionibus quibusdam relinquebantur. Post cædem itaque Nassouiorum, & tumultum Hispanorum, Requesenius collectis viribus, Longobardorum, VValonum, & Germanorum legiones, in quibus ad septem aut octo millia capitum numerabantur, sub imperio Francisci Valdezij Lugdunum misit. Qui cùm XXVI. Maij ad vrbem venissent, castra eodem modo, quo prius, locârunt, & communierunt. Viginti insuper propugnacula opportunioribus locis ad fluuiorum confluentias & traiectus ædificârunt. Quia verò nec præsidium, nec magnam commeatûs copiam in vrbe haberent, Auraicus eos admonuit, vt decem signa Anglorum, quibus præerat Centurio Eduardus Chestrius, in vrbem admitterent, & diligentissimam commeatûs, quem habebant, rationem haberent, omnemque sexum imbellem & mendicos vrbe eijcerent, vt saltem trimestri spatio obsidionem sustinere possint: interea se ipsis suppetias venturum. Angli in emissario Goudano & pago Alpheno stationes habebant. Hi à milite Regio partim cæsi, partim fugati sunt. Qui supererant, Lugdunum venerunt. Sed cùm ciues eos recipere nollent, nisi certis quibusdam conditionibus, quæ ipsi improbabant, ad Regios defecerunt. Qui cùm huic hominum generi non fiderent, spoliatos quosdam abegerunt, alijs in cuniculis suffodiendis vsi sunt. Triginta circiter, inter quos Cromvvellius, & alij præfecti, in vrbem recipiuntur. Obsessi hoc præsidio frustrati, è ciuibus quasdam centurias sub ducibus Ioanne Duuenuordio, Ioanne Douza à Nortvvick, Andrea Scotto, & alijs conscripserunt. Magistratus curam muniendæ vrbis & distribuendæ annonæ suscepit. Inquisitione facta, bis mille & quingenti circiter modij frumenti, hominum verò quatuordecim millia reperta sunt. Deficiente pecunia, nummos è papyro cuderunt, cum hac inscriptione: *Nummus obsessæ vrbis Lugdunensis, sub gubernatione Principis Auraici cusus.* Ab altero latere: *Hæc libertatis ergô.* Valebat hic nummus viginti octo stuferis, cuius dimidius pro quatuordecim

Angli malè excipiuntur.

Centuriones Lugdunenses.

Nummus papyraceus.

stuferis

ſtuferis expendebatur. Interea Ordines Hollandiæ decreuerunt, vt omnes nili, omniaque emiſſaria aperirentur: omnes aggeres Moſæ & Iſelæ perrumperentur, vt vndique mare & flumina in agros immitterētur: vt vbi hactenus Flora, iam Neptunus dominaretur: qua vna re ſubditis ſexcentorum nummûm millium damna intulerunt. E Zelandia quoq; Archithalaſſum Vliſſingenſem Ludoicum Boyſotium & Zirickzeenſem Adrianum VVilhelmi euocârunt, qui octingentos nautas & claſſiarios, cum centum æneis, ferreiſque tormētis ſecum adduxerunt. Roterodami quoq;, & vicinis in locis ducentæ circiter triremes paruæ, quarū quædam duodecim, quædā quatuordecim, quædā etiam ſedecim remis agebātur, ædificatæ ſunt. Habebant triremes iſtæ duo maiora tormenta bellica, vnū in prora, alterum in puppi, & ab vtroq; latere minora tria. His imponebantur octingenti iſti claſſiarij, hominū genus barbarū & immane, vibicibus, cicatricibusq; ſulcatū, quorū quidam vnū tantùm crus, alij vnū habebant brachiū, nauali tamen bello apti omnes, omnis licentiæ amatores, hoſtes crucis Chriſti, qui lunulas in pileis gerebant, cū hac inſcriptione: *Turca magis, quàm Papa placet.* Cum hoc apparatu copiiſq; militaribus Archithalaſſus Delphis nauigauit. Erant in eius comitatu Noyellus, Corneſſus, Bochartus, Cardæus, Durandus, Catauillæus, Ladriçreus, Creitius, Grenuyus, Buttamius, & alij cum ſuis centurijs. Regij nihil adhuc hoſtile in vrbē tentauerant: eorū enim propoſitū erat, obſeſſos fame & inedia, ſi nō vltro ſe dederent, ad deditionē cōpellere. Occupata igitur Haga Comitis, omnibusq; pagis vicinis, & munitionibus varijs excitatis, cùm iam vrbs arctiſſima obſidione clauſa eſſet, variæ literæ è caſtris in vrbē miſſæ ſunt, quibus ipſis omnium ante actorum venia & obliuio promittebatur: ipſi conditionis pacis conciperent, ad Valdezium certos homines, acceptis prius obſidibus mitterent, nihil ipſis negatum iri, quod honeſtè peti poſſit: ab omni tributo & cenſu eſſent liberi, nullū aut exiguum, idque Germanorum præſidium in vrbem reciperent. Regem enim nihil à ſuis, quàm obedientiam & Catholicæ Religionis obſeruantiam poſtulare. Aut ſi malint, portas vtrique factioni clauderent, donec conditiones, quas peterent, ipſius Regis manu ſubſignatas acciperent. At illi in ſuo propoſito obdurati, ad hæc omnia nihil reſponderunt, ſed char-

1574 Aggeres perrumpuntur.

Quibus conditionibus Lugdunenſibus pax offertur.

1574 tam tantummodò virginem ſeu mundam, cum hoc verſiculo: *Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps*, in caſtra remiſerunt. Huiuſmodi literæ multæ diuerſis temporibus vltro citroque miſſæ ſunt, vti & Senatus ad Auraicum, & Auraici ad Senatum populumque Lugdunenſem. Interea multæ fiunt velitationes, multa leuia prælia varia fortuna conſeruntur, varijque modi commeatum in vrbem importandi tentantur, quæ omnia pro ſuo affectu Ellerdus de Veer ad nauſeam vſque menſe Iunio, Iulio, & Augusto commemorat, cuius Belgicum commentarium legat, qui iſtis particularibus delectatur.

Ellerdus van der Veer obſidionem hanc prolixè deſcribit.

Philippus Hiſpaniarum Rex, intelligens deſperatos Hollandorum, Zelandorumque animos, extrema quæq; experiri, quã ſibi cedere malle, ne prouincias ſuas in vltimũ exitium præcipitaret, nouã, præter illam, quæ ſub Albano proclamata erat, delictorum remiſſionem & ἀμνησίαν, octauo Martij Madriti conceptã, Requeſenio miſit. In ea Rex omnibus prouincijs, vrbibus, tribubus, collegijs, & priuatis hominibus omnem apoſtaſiam, rebellionem, ſacrilegia, vim in Deum, eius Eccleſiam, & Suam Maieſtatem, ab anno M. D. LXVI. ad diem vſque publicationis commiſſa, pro ſuo in ſubditos amore condonauit, eosque priſtino honori & exiſtimationi reſtituit. Ea tamen lege, vt qui à Religione Catholica defecerant, ad eam reuerterentur, peccata ſua Sacerdoti idoneo confiterentur, & iniunctam pœnitentiam agerent: deinceps etiam in Catholica Eccleſia conſtantes permanerent. Huius indulgentiæ participes eſſent non tantùm ij, qui in locis Regi obedientibus habitabant, ſed & qui inter hoſtes illius vel arma gerebant, vel aliud agentes commorabantur: ſi modò infra duorum menſium ſpatium ad obedientiam Suæ Maieſtatis reuerterentur. Poſtea nullam gratiam inuenirent. Huius indulti beneficio omnes captiui dimitterentur, etiam ſi à iudicibus damnati eſſent. Bona tamen fiſco addicta, & in vſum Regis expenſa, non reſtituerentur, niſi certis teſtibus probarent, ſe à primo delicto deinceps Catholicè, locisque Catholicis vixiſſe. Omnes etiam ciuitates, tribus, ciuiles congregationes, ſocietates & confraternitates antiquis ſuis priuilegijs, iuribus, conſuetudinibus, honore etiam & exiſtimatione fruerentur. Huius edicti promulgationem cùm aliquam-

Noua remiſſio omniũ anteactorũ criminũ.

quamdiu tumultus Hiſpanorum diſtuliſſet, tandem 1574.
ſexto Iunij Bruxellis primò, deinde Antuerpiæ, theatris in eum finem extructis, publicatio facta eſt: multique priuati homines eius beneficio moti, ad Religionem Catholicam & Regis obedientiā reuerſi ſunt: ciuitas verò nulla earum, quæ in Geuſiorum poteſtate erant, Regis indulgentiam acceptauit. Iam enim ſpem certam conceperant, vt per vim & arma ipſi Regem ad eas, quas vellent, conditiones accipiēdas compellerent.

Nondum inter Regem Hiſpaniarum & Reginam Angliæ controuerſia, ob pecuniam Regiam anno M.D.LXVIII. à Regina interceptam orta, erat plenè compoſita. Nam etſi anno ſuperiore menſe Aprili tranſactum eſſet, vt negotiationes inter Belgas & Anglos proximo biennio eſſent liberæ, litis tamen caput, & primaria cauſa nondum erat determinata. Miſſi ſunt itaque hoc tempore in Angliam Regis nomine Dominus à Svveuigem, Ioannes Boyſcetus Conſiliarius & Aduocatus Fiſcalis, qui omnem controuerſiam tollerent. Auditæ ſunt vtrinque rationes, magna pecuniarum vis in computationem venit; minori tandem ſumma à maiori ſubtracta, inuenta ſunt ducenta florenorum millia & amplius ſupereſſe, quæ Angli ex rapinis mercium Belgicarum & Hiſpanicarum cōfecerant, præter omnium damnorū, quæ ipſi à Belgis & Hiſpanis acceperant, reſtitutionē. Hæc ducenta millia decretum eſt, vt Angli Legatis, ad vſum ſui Regis reſtituerent. Quam rem indigniſſimè ferebant mercatores Belgæ, præſertim Regi rebelles, quibus nil grauius accidere potuit, quàm eam pecuniam non ſolùm ſibi non reſtitui, ſed inſuper hoſtibus ſuis ad ſuam perniciem decerni. Nonnullis tamen mercatoribus, qui Regis ſuberant imperio, aliquid in damni accepti compenſationem reſtitutum eſt. Acta ſunt hæc Briſtouiæ in Anglia, quo tempore ingens claſſis, cui præerat Petrus Merendas, ex Hiſpanijs in Belgium ventura credebatur. Vt autem claſſem hanc bonis auſpicijs in Belgium appelleret, Merendas Regis nomine expertiſſimos quoſque naucleros & gubernatores è Belgio euocauit, alios inſuper magno ſtipendio in Anglia conduxit. Rex etiam legatis, qui iam in Anglia erant, in mandatis dedit, vt à Regina publicam fidem peterent, li-

Trāſactio cōtrouerſiæ inter Hiſpanū & Anglū.

Claßis ex Hiſpania expectatur.

1574 centiamq; classem hanc præter omnes Angliæ portus orasque maritimas securè traducendi fl.gitarent, quã & à Regina obtinuerunt. Svveuigemus itaque in Occidentales Angliæ partes profectus, classem diu expectauit, vt ei omnia necessaria prospiceret. Sed cùm diu frustra expectasset, tandem fit certior Merendam obiisse, aliasque difficultates ortas, quæ classis huius egressum hoc anno impediebant.

Bommelium & Gorcomium frustra obsidentur.

Dum Lugdunum Batauorum obsidet Regij præcipuæ vires Requesenij è Brabantia veniunt, & Bommelium, Gelriæ oppidum, Gorcomium, & arcem Louensteiniam obsederunt. Sed cùm ista loca omnibus rebus necessariis essent instructa, & à Balfurio Scoto, qui cum septem vexillis peditum Scotorum, & aliquot Hollandis nobilibus ea defendenda susceperat, egregiè munirentur, nihil præclari à Regijs actum est: nisi q̃ quotidianis velitationibus, & diuturno obsidio fatigati, Geusij tãdem coacti sunt aggeres perforare, & incredibili ciuium, agricolarumque damno agros omnes inundare. Interea Regij VVorcomium in altera Mosæ ripa Gorcomio oppositum obsederunt, tormentis concusserunt, & oppugnârunt. Erant in eo oppido quinque militum centuriæ, qui cùm hostiũ vim, impetumque viderent, & oppidum se defendere non posse prospicerent, clam nauibus in eum finem paratis fugerunt. Quod cùm ea, quam optârant, celeritate fieri non posset, multi ex iis capti, plures occisi sunt, oppido Regiorum potestati relicto.

VVorcomium capitur.

Lerdamũ à Regijs recuperatur.

Inde profecti imperatore Scipione Vitellio Lerdamum oppidum inter VVahalim & Leccam, iunioris Comitis Burani dominio subiectum, cum quindecim Heluetiorũ signis, & aliquot Hispanis obsederũt. Attractis duodecim tormentis, circa tertiam horam nocturnam mœnia verberare cœperunt, latissimamque ruinam strauerunt. Præsidiarij, qui oppidum tuebantur, cùm vim diutius sustinere non possent, nec oppugnationem expectare auderent, vitam & arma pacti, initio Iulij oppidum Regi reddiderunt. Victoriæ cursum prosecutus Scipio, Hueckelum & Asperam vicina Lerdamo oppida in fidem recepit. Sed & Liesfeltia Erici Brunsvvicensis Ducis arx vltro se Regis imperio tradidit. Duo quoq; propugnacula ad Mosam construxerunt Regij, vnum VVorkendami, alterum in opposita ripa, fluuium tensis catenis clauserunt. Sed

Hueckelũ & Aspera se Regi dedunt.

Geusij

Geusijs post superuenientibus, & propugnaculis occupatis, omnes istæ operæ disturbatæ sunt. Eodem ferè tempore miles Regius insidias struxit Delphensium ciuitati, sed detectis insidijs speratum res euentum non habuit. 1574

In Gallia quotidie Rex Henricus expectabatur. Interea rebelles suis rebus diligenter prouident, noua Politicorum factione nouorum consiliorum occasiones subministrante. Danuilla cum ipsis inducias pactus, eas subinde prorogabat, spe pacis iniecta, volens interim vtriusque partis amicus videri. Sed nimia illius cum Hugonottis familiaritas Catholicis, & quidem maximè Tholosatibus suspicionem injiciebat. Augebat suspicionem, quòd Hugonottæ vniuersæ prouinciæ Occitaniæ cõuentum Monpessulum indixissent, in qua vrbe Danuilla frequentes clientes habebat, & in qua ipse libenter habitabat. Quam suspicionem Danuilla scriptis ad Senatum Tholosanum & Capitolinos officiosis literis à se conatus est amoliri. At Senatus veritus id quod res erat, inducias à Danuilla imperatas, vt iniussu Regis, & præter officium factas, seuerè interdicit, & ne quis ad Monpessulanum conuentum proficiscatur, additis pœnis, vetat. Hugonottæ interim Danuilla familiarius vtebãtur, & per Sanromanium & Clausonium illum sibi amicum reddere conabantur. Non deerant tamen inter eos, qui totam illam societatem, vt maximè periculosam damnârunt.

Danuilla in suspicionem malæ fidei incidit.

Condæus paulo ante in Germaniam se receperat, Thoræo Danuillæ fratre, & alijs quibusdam Malecõtentis comitatus: qui eum legitimum ducem & vindicem libertatis, quamdiu Alenconius & Nauarræus in aula manerent, agnoscere sese aiebant. Condæum Argentorati conuenit quidam Gasquius, statumque Occitanarum Ecclesiarum docet, simul & eius opem implorat. Cui Condæus suam de defendendis socijs voluntatem exponit, omnia liberaliter pollicetur, literasque dat ad Occitanos, quibus eos consolatur, & omne studium suum ad defendendam eorum religionem ipsis promittit, dummodò ipsi quoque operam dent, vt ea pecunia, quam promiserant, celeriter ad se deferatur, vt equitum, peditumque delectus primo quoque tempore habeatur: periculũ enim & incommodum in mora esse. Thoræus quoque fratrem Dan-

Condæus se defensorẽ Hugonottarũ offert.

1574 uillam hortatur literis, vt in partes Condæi transeat. Hac liberali Condæi oblatione & spe de Danuilla concepta moti Hugonottæ, cōuentum Milialdū Rhutenorum ad X. Iulij diem indixerunt.

Mombrunius Diā frustra tentat.

Dum hæc in Occitania geruntur, in Delphinatu vario euentu pugnatur. Mombrunius, rebellium dux, Diam nobilem vrbem & rebus gerendis oportunam obsedit, scalisque noctis silentio admotis capere instituit. Sed Glandagius eius machinationis conscius, Mombrunianos in vrbe expectās, deturbatis scalis tantam tormētorum tempestatem è mœnibus eiaculatur, vt non modò Mombrunianos mœnibus depulerit, sed & complures necauerit, vulneratorum ingens numerus esset. Ab altera parte Dalphinius, Mompenserij filius, Alesium oppidum oppugnat, & per arcem clam ingressus occupat, præsidiarijs ferè omnibus aut igni, aut præcipitio è medio sublatis. Inde Ostiam ad Dromam fluuium obsidet, stratisque ruinis, cùm postridie ad manus veniendum esset, oppidum à præsidiarijs relictum suæ potestatis fecit. Hinc exercitum in Liberonem ducit, quam cum maximo impetu aliquamdiu frustra oppugnasset, defendente eam Roëssio, tandem collectis vasis oppidum reliquit, & exercitum in vicinas vrbes traduxit. In Occitania Vticensis & Ioysius bellum quocunque poterant haud segniter importabant. Hugonottæ interim in Viuariatis agro grassantur, Vessalium occupat Santhomæus, Petrogordius Calanconium, & Nouæum ciuium proditione capit Sanromanius.

Alesiū occupat Dalphinius.

Iunij 22.

Condæus libello æquitatē causæ suæ ostendit.

Per eosdem dies Condæus libellum edit, quo suam de bello suscipiendo voluntatem declarat, causis additis, quæ illum ad hoc moueant: in Guisios omnium miseriarum & calamitatum culpam reijciens: illos nefandorum criminum insimulans, vt populo reddat odiosos, & Hugonottarum causam fuco pietatis in Deum & patriam reddat iustiorem. Nunc Deum ipsum, nūc Angelos, nunc Magistratus, Reges & Principes, nunc ipsum Henricum testatur, se, sociosque nihil nisi salutem incolarum, & incolumitatem Regni quærere. Regi deinde leges præscribit, quibus eum vult Regnum administrare. Regum & Principum omnium auxilium inuocat. Gallos tandem omnes orat, vt si propter metum à patria communi omnium parente exitium depellere vereantur, saltem quiescant, & hostibus

ſtibus patriæ non auxilientur. Aderat iam dies conuentui Milialdenſi conſtitutus. Eò conuenerant Occitani, Delphinates, & Aquitani. De duabus rebus in hoc conuentu erat agendum: primò de Danuilla & Politicorum factione in ſocietatem recipiendis: ſecundò quid Condæi literis & mandatis eſſet reſpondendum: ſeu de Condæo belli gerẽdi Imperatore conſtituendo. De priori capite maior erat difficultas. Quibuſdam enim hoc fœdus magnopere placebat: alijs diſplicebat, & magnum ei ſubeſſe periculum multis rationibus oſtendebant. Vicit tamen priorum ſententia, & certis conditionibus in ſocietatem Danuilla receptus eſt: quarum nonnullas placuit ſubijcere, vt conſtet quàm egregiè, & ſuæ, & Regni incolumitati, quam vnicam prætendebant Politici, conſuluerunt. Ne quid Danuilla iniuſſu cõſiliariorum, qui ei à Caluinianis tribuerentur, ageret. Aerarij adminiſtratio penes Senatum eſſet, Danuilla manu ſua illius decreta confirmante. Senatûs notarius ab illo eligeretur, ſuos notarios ex Hugonottarum numero acciperet: vrbes, quas in poteſtate habebat, Hugonottis cuſtodiendas traderet: Tormenta bellica Nemauſum comportaret, eaque in Hugonottarum poteſtate eſſent. Hugonottis auctoritas eſſet eligendi conſilij. Publico ſcripto Danuilla exponeret, quæ cauſæ illum ad hanc ſocietatem, cum diuerſæ Religionis hominibus ineundam, impulerint. Ipſi ampla merces (quod forte huius fœderis fundamentum fuit) aſſignaretur, habita non tantùm muneris ſui, ſed etiam familiæ ratione. His tam indignis & ſeruilibus conditionibus, quas nec victor à victo poſtulare auderet, Danuilla & Politici in fœdus cum ijs, quos hactenus perſecuti erant, recepti ſunt. Poſtquam de Danuillano fœdere actum eſſet, prælecti ſunt Condæi literæ: probatum eſt eius conſilium, laudata in defendenda Religione eius voluntas. Tandem concluſum: Eum belli ducẽ, ſummumque Regis legatum conſtituendum, cui omnes obſequium præſtarent: certis tamen legibus, quibus eius auctoritas, non minus quàm Danuillæ circumſcribebatur: ita vt non quod ipſe vellet, ageret, ſed à Miniſtrorum & quorundam rebellium è terra natorum hominum conſilio penderet. Decretum huius conuentûs ad Condæum, in Germania tunc agentem miſſum eſt. Qui ſtatim in Occitaniam miſit, qui pecuniam

1574

Conuentus Milialdenſis.

Danuilla & Politici quibus conditionibus in ſocietatẽ Hugonottarum recepti.

1574. cuniam cogeret: sed non eam summam, cuius spes illi facta fuerat, accepit: quòd alijs in rebus vectigalis pecunia impenderetur.

Henricus Poloniam deserit, & in Galliam redit.

Dum sic in Gallia tumultuantur, Henricus in Polonia de morte fratris iam factus certior, de auito regno repetendo consilia captauit: non enim minimæ res hæc erat difficultatis, eò quòd non nesciret, Polonos in abitum eius non consensuros. Primùm itaque ad XV. Iunij Cracouiæ Optimates conuocat, quibus fratris obitum exponit, causasque addit cur sua in Gallia præsentia sit necessaria: interea nihil se sine Procerum & regni consensu agere velle simulans, Comitia mense Augusto indici cupit, in quibus ea de re ageretur. Respondet Senatus, dolere sibi fratris obitum, cæterùm se, sine regni totius approbatione, de abitu Regis nihil statuere posse: orare igitur se Regem, vt Comitiorum sententiam benignus expectet, nec interea noui quid moliatur. Interim Rex clanculum mittit, qui fidem publicam à Maximiliano Imp. flagitaret, quam haud grauatè obtinuit. Paulo post Belleræus, cui omnis de abitu cura erat à matre demandata, Senatui valedicit, sibi in Galliam necessariam ob causam eundum asserens: is magnam regiæ supellectilis partem secum absportâsse dicebatur. Postridie Rex, specie malæ valetudinis, solito maturius se somno componit, & nocte intempesta mandato Regis porta arcis aperitur, ipseque peregrino habitu tanquam nobilis egressus, paucis comitatus, citatis equis magnis itineribus Plezinam primum Austriæ Poloniam exeuntibus oppidum peruenit. Manè summus in vrbe tumultus erat: vndiq; Poloni conuolabant, vt Regem insequerentur: & quanuis ab vna turma, quam Tanchius regiæ custodiæ præfectus ducebat, anteuerteretur, tamen quia Austriæ fines ingressus erat, ex itinere retrahi non potuit. Plezina itaque statim, post siceræ atque aquæ haustum, celerrimo equorum cursu, Vescouium defertur, atque inde Viennam, vbi perhumaniter à Maximiliano excipiebatur. Ex Austria statim literas dat ad Senatum Venetum, Ferrariensem, Sabaudum, aliosque Italiæ Principes, quibus significat: se in Galliam proficiscentem, cupere per ipsorum ditiones iter instituere. Placuit Principibus, paraturque statim ad eum excipiēdum certatim vniuersa Italia, ad omnem

magni-

magnificentiam effusa. Primùm Pontebæ à Venetis 1574
excipitur, inde deductus per omnia Venetorum oppida, Mergaræ à Ferrariensi & Niuernico salutatur: mox conscensis nauibus, byssino, sericato, & omne genus phrygionico opere contectis, Muranum venit, vbi à Duce Senatuque Veneto magnificentissimè exceptus, celebri illa Bucentauro seu Talamago, nouo opere deaurato, Venetiam transportatur. Magnifica verò pompa, tum in littore Murano, tum in vrbe ipsa illi exhibita, multò maior est, quàm vt nostræ conueniat breuitati. Hoc tãtùm addam: Regem cum Emanuele Duce Allobrogum, qui etiam eò Regem salutatum venerat, post multas tragœdias, ludos, conuiuia, saltationes, variaque acroamata, concilium accessisse: in quo ad beneuolentiæ signũ creatus est nobilis, Venetaque vrbe donatus, & ipse, & Dux Allobrogum. Totos decem dies Venetijs commoratur: tandem Patauium proficiscitur, quem Dux & Senatus ad tria passuum millia comitabantur.

Consule inter alios Natalẽ Comitem. lib. 24.

Paulò ante quàm Henricus Poloniam relinqueret, Carolo Danzæo ad se vocato exponit itineris sui consilium: opus esse celeritate ob periclitantem Galliã, Condæique ceruicibus celeberrimi regni incumbẽtis machinationes: literas ei diuersas, tam ad Episcopum Ciuaniẽsem, quàm ad alios Regni Proceres tradit, in quibus rogabat eos, in fide & veteri in illum beneuolentia perseuerarent. has post abitum literas singulis vt traderet, Danzæo iussit: addens insuper, velle se, vt coram senatu & omnibus regni Proceribus suum discessum declarata vera causa excusaret. Acta sunt hęc decimooctauo Iunij, cùm Danzæus ea in Senatum referret vigesimosecundo. Ad Senatum similes literas Rex ipse post abitum tradendas reliquit, in quibus Polonis ob summã eorum in se fidem gratias agit, dolore summo deserere eos debere, excusâsse & distulisse abitum quamdiu potuit, matri mandatum (quod Regentiam Galli vocant) misisse: Alenconiũ & Nauarræum monuisse, vt sui desiderium æquo animo ferrent, nec aduentũ frustra expectarent. Cæterùm nouas literas superuenisse, nuntiãtes actum esse de regno Galliæ, nisi ipse intra viginti dies in finibus Galliæ præsens adesset. Inde rationes adducebat, cur clanculum abiuisset. Postea Procerũ fidei in sua absentia regnum committit. Tandem petit, ex omnibus Ordini-

bus

1574 bus ad se in Galliam Legatos mitti, quibuscum de statu regni Polonici transigere possit.

Polonorũ ad Henricum legatio. Poloni itaque, vt Regi suo satisfacerent, postquam datis ad eum Viennæ agentem literis, quibus eum perbenignè reuocabant, nō rediisset, petitam legationem mittunt. Venêre Legati Ferrariam, vbi Henricum inter spectacula & ludicra inuenerunt: cui exponunt Polonorum in Regem fidem & beneuolentiam, cōqueruntùrque inopinatum Regis discessum. Inde humaniter petunt, vt ad regnum redeat, docentes pericula, quæ Rege absente suis, à Moscouitis, Scythis, & Turcis incumbebant. Tandem obnuntiant: nisi ad statū diem redeat, abdicatum iri ab illo regno, & Comitia creandi regis noua esse indicenda.

Henrici responsio. Henricus lupum auribus tenens, (necdum enim Francici regni pacatum habebat imperium) timensq́; ne fortè vtroque regno excluderetur, callidè legatis respondet: Se breui in Poloniam rediturum: non ideo Poloniam reliquisse, vt opulentissimum illud regnum penitus desereret, sed ad componendas res Gallicas profectum, quibus pacatis, mox rediturum. quod etiam factū fuisset, si tutus pateret ad Gallos accessus: animos verò quorundam exacerbatiores esse, qui per amicos erāt mitigandi. Hanc causam esse, cur tam diu in Italia hæreret.

Postquam Legati discessissent, Rex Ferraria Augustam Taurinorum cum Emanuele Duce Sabaudiæ profectus est. Hinc literas iterum ad Polonos mittit, eosque, vt priorem electionem ratam habeant, nec ad secundam transeant, nihilve in Comitijs contra suam Maiest. statuant, hortatur. Cæterùm quia literæ istæ minaciores videbantur, animos Polonorum non leuiter exulcerârunt.

Danuilla cum Rege negotiatur. Danuilla ad Regem Henricū adhuc Ferrariæ morantem literas dedit, quibus eum ad pacem hortatur, oratque vt familiæ suæ rationem habeat. Et quoniā cōnflatum ei esset apud Regē odium, petit vt diluendorum criminū sibi facultas tribuatur. Rex ei perhumaniter respondet, propensum suum ad Danuillam, totamque illius familiam animum significans, quem vt coram exhibeat, petit ad se in ditionem auunculi sui, Sabaudiæ Ducis veniat: querelas seu defensiones eius se æquo animo auditurum, & talem se erga illum præstiturum, qualem omnino optet. Accedebant his

literis

literis literę quoq; Sabaudi, q̄bus suā illi fidē interponebat. Acceptis his literis Danuilla confestim ad Regē Pedemontiū ꝓficiscitur, tradita prouincię Occitaniæ cura non Loysio (vti Rex mandauerat) sed Crozettio equitū suorū magistro. Suspecta erat Hugonottis hæc Danuillæ profectio, qui inesse fraudem, incerta, ancipitiq; fide illum aliquid moliri, vt sibi, suæque familiæ in omnem euentum, deuotis suorum capitibus, caueret, apertè (vt omnia apud istos homines suspicionum sunt plena) dicebant. Regem Taurini comperit Danuilla, à quo peramanter excipitur, in tantam familiaritatem admissus, vt eodem in cubiculo cum illo pernoctaret, quò familiarius cum illo colloqui posset. Hîc Danuilla Regem ad certam & stabilem pacem hortatus est, ostenditque necessarium esse ad eam obtinendam, vt Rex partis vtriusque homines æquo iure contineat, & geminæ Religionis tribuat libertatem. Respondit Rex: Nihil sibi prius aut antiquius esse, quàm vt Regnum auitum cum pace adeat. Religionis controuersijs se facilè prouisurum, dummodò æquis conditionibus hi, qui se Reformatos nomināt, sibi satisfieri patiantur: non verò audeant sibi dictare pacis conditiones alias, præter æquum & honestum. Hæc erat colloquij summa, quæ dum in longum sermonem protraherentur, tandē negat Danuilla, se à suis, vel à nouæ Religionis hominibus habere certa cōtrahendi mandata: sed & Rex iniquum esse dicebat, se veluti parem pacisci cum suis subditis, quorum erat conditiones pacis à se præscriptas accipere, non dare. Re igitur infecta Danuilla in Occitaniam reuersus est. Sabaudus, cùm per Regem, per se, per vxorem Margaretam, cuius ob placidum & quietum ingenium magna erat apud Hugonottas auctoritas, pacifica omnia frustra tentâsset, & ad vim iam armaq; necessariò veniendum esset, Henrico quatuor millia peditū, & aliquot equitum turmas colligit: maiora etiam aliquot tormenta commodatò dat, mutuæq; pecuniæ grandē summā: cui soluēdæ cessit Rex Emanueli Sabaudo Pignerolū nobilem vrbem, quæ præter Salussianū Marchionatū Gallici nominis in Trāsalpinis remanserat.

Rex eodem Sabaudiæ Duce comitatus, ad VI. Septembris diem Lugdunum peruenit. Ditionis Sabaudicæ fines egrediēs, cùm admoneretur se Regnum ingredi, sublatis in cælum oculis: Ingredior, inquit,

1574

Rex in Galliam venit.

1574 Regnū, quo maiores mei feliciter potiti sunt: at quàm infelix tempus? Animus est certam vbique pacem firmare atque stabilire, maximisque calamitatibus tandem finem imponere. Qui meum illud consilium impedierit, eum Deus optimus maximus malè perdat. Lugdunum ingressus à Regina matre, Alenconio fratre, Nauarræo, Cardinale Lothareno, & Guisijs fratribus honorificè exceptus est. Hîc conuocato Concilio toto triduo deliberatum est, bellúmne gerendum, an pax esset faciēda. In pacem plurium animi inclinabāt: eam prius tentandam esse, quæ si à rebellibus respueretur, armis eos ad officium cogendos plerique cōsulebant. Vt autem ad pacē via sterneretur, placuit vt Rex præteritorum obliuionem incolis offerret, atque leges, conditionesque pacis certas præscriberet, quod ad X. Septembris hoc Regis Rescripto factum est: *Quòd ego (ait Rex) post patris obitum, duorum fratrum meorum Francisci & Caroli regna ciuilibus discordijs concussa viderim: quòd huius mei etiam Regni auspicium ijsdem tumultibus plenum comperiam, mihi molestißimum est, qui pacem amo & colo, subiectosque meos cumprimis paterno amore complector. Et certè quamdiu fratrem meum felic. mem. Deus superstitem voluit, & ego in rerum administratione versatus sum, omnem dedi operam, vt pacem promouerem, subiectorumque vtilitati consulerem: cuius meæ voluntatis illustria extant monumenta. Nunc verò quum Deo Opt. Max. visum est fratrem meum ex hoc regno in cæleste regnum euocare, & me regni huius possessionem adire, hoc vnum in animo mihi esse testor, vt pacem regno meo restituam, subiectosque meos quietè contineam sub præsidio & tutela Edictorum meorum. Itaque hoc notum esse volo omnibus subiectis meis, qui vel contra fratris mei voluntatem auctoritatemque arma hactenus gesserint, vel etiamnum in regni mei finibus arma gerunt: vel qui illius iniussu excesserunt hoc regno, & in peregrinas regiones abierunt: si vrbes, quas occupant, mihi restituerint, arma deposuerint, absque omnibus belli consilijs discesserint, & in patriam redierint, vti eis domi pacatè manendi fas sit, nec superiorum bellorum peccata eis noxæ fraudive sint, quæ à me illis paternè condonari intelligant. Hoc autem rescripto ipsis satis caueri norint, vt nullo periculo incommodóve suo domum repetant. Quòd si meam hanc gratiam abnuerint, norint mihi ratum fixumque esse omnes meas vires conferre ad illorum insolentiam coercendam. Spero autem Deum,*

qui animum meum perspicit, prosperum euentum meis hisce 1574
conatibus tributurum. Hactenus verba Rescripti; sed nihil aut parum hac tanta Regis clementia actum est. Ad belli ergo consilia vtraque factio reuertitur.

Lugdunenses in Batauia incredibili fame laborabant; consumptis enim omnibus alimentis, plerique inedia moriebantur, ita vt pauci iam bello apti, muros, si hostis eos oppugnâsset, defendere potuissent. Lamentabiles itaque & luctu plenas quotidie literas ad Auraicum mittunt, subsidium flagitantes. Auraicus animaduertens rem in celeritate positam, Archithalassum Boysotium cum omnibus triremibus, nauiculis, scaphis, omniique alio apparatu Lugdunum nauigare iussit. Adducebat secum magna quædā nauigia frumēto & commeatu plena, & machinā quandam ligneam, arcam Delphensem dictam, è duabus nauibus compactam, rotundam, crassis asseribus in altum assurgentem, multis tormentis bellicis instructam, qua viri quinquaginta vehebantur. Cum hac classe vndecimo Septemb. Rotta flumine egressi, per aggeres perforatos Soetermeram nauigârūt. Hic cum hoste leui prælio certantes, eos in fugam coniecerūt. Sed cùm ad pontem ventum esset, inuenerunt eum à triginta Hispanorum cohortibus custodiri, qui eo loco castra sua locârant. Hic atrox commissum est prælium: initio quidē Hispani maioribus tormentis prostrati sunt. Sed cæteri magno impetu in hostes irruentes, multos trucidârunt: inter quos duo etiam centuriones Catauillæus & Ginlercssæus perierunt: è frumentarijs nauibus etiam vna vi tormentorum dissoluta est. Hic quidam ephibata homo barbarus, Hispano adhuc palpitanti cor extraxit, & rabie quadam canina dentibus suis discerpsit, quod cor postea Delphos allatum, in memoriam Euangelicæ fortitudinis diu seruatum, & omnibus videre cupientibus exhibitum est. Quin etiam, ne tam Reformati viri facinus temporis diuturnitate obliteraretur, Ianus Douza insigni illud epigrammate condecorauit, atque ab hominum obliuione vindicauit. Septimus iam dies agebatur, ex quo nullas ab Auraico literas obsessi acceperāt, crescebatq; fames in horas, nec iam alius erat in vrbe cibus, nisi equorum & vaccarum caro, si modò caro, & non potius cutis & ossa, quam sine pane vorabant. Huiusmodi carnis dimidia libra quo-

Continuatio obsidionis Leidensis.
Fames.
Prælium in Soetermeer.
Barbarum factum.

1574 tidie in singula capita distribuebatur. Multi erant, qui in septem hebdomadibus panem non gustauerant. Canes, feles, mures, & glires pro delicijs habebantur. Pampinis cum sale vescebantur, è folijs pyrorum varia fercula conficiebant. Dici aut scribi non possent inusitata, quibus vtebantur, edulia. Ex ea fame tanta secuta est pestis, vt plura quàm sex hominum millia extincta sint. Viri tam imbecilles erant, vt excubijs agendis essent inutiles: domum reuersi, coniuges & proles mortuos inueniebant. Cadauera multa in plateis reperta sunt. Horum vnum ad fores ædium cuiusdam consulis allatum est, quasi consulem admonere voluissent, vt huic malo remedium quæreret. Sed & varij tumultus in curia, in foro, in Consulum ædibus concitati sunt ab his, qui huius calamitatis pertæsi, pacem cum Rege faciendam suadebant. Sed eorum consilia, liberæque linguæ seueritate Magistratûs refrænatæ sunt.

Delitiæ Lugdunensium.

Ingens miseria.

Interea flante Coro, & aqua in agris intumescente, archithalassus minora quædam nauigia inter Soetermeram & Benthusam, ad semitam Segvvertensem misit: legatum verò cum maioribus nauigijs ad pontem prædictum reliquit. Dum hæc fiunt, Auraicus in classem venit, cui omnia quæ acta erant placuerunt. Sed aqua multis locis deficiebat, minuebaturque quotidie Coro in Euronotum conuerso, qui aquam per aggerum rupturas in mare & flumina repellebat. Stetit is ventus immobilis ad XXVIII. vsque Septembris. Accedente tandem duplici æstu, quod in nouilunio & plenilunio fieri solet, & Coro denuò flante, aqua mirum in modum intumuit: ita vt secundo Octobris cum triremibus, alijsque nauibus iter versus instituerint, easque partim trahentes, partim humeris penè portantes, per viam, camposque eminentiores, & loca vadosa Soutervvoudam promouerint. Hispani, qui ibidem varijs in munitionibus erant, metuentes ne triremibus vndique cingerentur, crescente adhuc aqua, tormentis, impedimentisque omnibus relictis, fugerunt. Omne robur & præsidium Regiorum erat in munitione Lammena, quam nisi prius suæ potestatis facerent Geusij, omnis eorum conatus futurus erat irritus. Eam autem expugnare difficillimum, imò impossibile videbatur, Hispanis tum ex hac, tum

Hispanorum fuga

ex vicina munitione hostium latera maioribus tormentis ita percutientibus, vt nemo appropinquare auderet. Geusij tamen magno labore & damno suorum duo tormenta ad alueum fluminis Delphensis, cui hæc munitio imposita erat, disposuerunt eo fine, vt postridie propugnaculum hoc tentarent: licet ipsi de expugnatione diffiderent. Nocte insequente Regij panico terrore correpti, conuasatis omnibus, nulla necessitate coacti fugerunt, & munitionem turpiter deseruerunt. Horum fugæ certiores facti, qui in munitionibus Leierdorpensibus erant, fugerunt & ipsi, quorum exemplum cæteri omnes secuti sunt, obsidionem soluentes, & vrbem, quam penè in manibus habebant, magna cum ignominia relinquentes. Mox ciuitas penè omnis effusa socijs nauibus obuiam processit, & commeatum cum maxima lætitia in vrbem inuexit. Hoc modo Lugdunum sub imperio Principis Auraici conseruatũ, & paulò post Academiâ nobilitatũ est. 1574

Lugduni obsidione liberatur.

Hispani, qui in Maeslandia, Leitsedamo, Valkenburgo, quiq; in Voorschoten, & alijs locis vicinis adhuc erant, numero circiter sex aut septem millia, tam equites quàm pedites coeuntes, tumultuari cœperunt, eò quòd multis iam mensibus nulla stipendia acceperant. Valdezium multis calumnijs & conuitijs onerabant, Centuriones suos omnes à se reiecerunt, qui Amorfortiæ tutum refugium inuenerunt. Creato inter sese Electo, iusserunt vt Requesenio scriberet, nisi infra decem dies stipendia mitteret, se vndecunque possent, exemplo sociorum nuper Antuerpiæ tumultuantium, petituros. Deinde ex Hollandia Australi Haerlemum primò, deinde Amstelredamum profecti sunt. Quibus vrbibus cùm excluderentur, in Diœcesin Vltraiectensem sese receperunt, & in Eembrug, Baren, Emenes consederunt. Interea à Valdezio, Hitgio, & alijs belli præfectis hostes publici proclamãtur.

Hispani tumultuantur.

Ante obsidionem Lugdunensem, & sub obsidione cœpit de pace inter Regem & rebelles sibi subditos tractari. Huius negotij primus auctor erat Noircarmius, qui dum æger adhuc Vltraiecti commoraretur, cum Aldegundo ibidem capto egit, vt hac de re ad Auraicum scriberet. Cùm autem lentè in hac causa procederetur, Champignius ad Ludoicum Boysotiũ maris præfectum XIIII. Iunij literas dedit, petens, vt pro veteri amicitia hoc pacis negotiũ secum promoueat,

De pace agitur in Belgio.

1574 Impetrauit inſuper à Requeſenio, vt Aldegundus in Hollandiā mitteretur, ibique de captiuorum permutatione cum Auraico tranſigeret, paciſq; conſilium Ordinibus proponeret: quod & fecit, ſcriptumque ab Ordinibus Hollandię & Zelandiæ ad Champignium obtinuit. At ſcriptum hoc Champignio non probabatur. Quare Aldegundus monet eoſdem Ordines, vt petitiones ſuas in modum & formam libelli ſupplicis referrent: idque nomine maioris, minoriſq; nobilitatis, vrbiumque earum prouinciarum, ſuppreſſo Ordinū nomine: ſingularē Religionis mentionē non facerent; miſſionem tantummodò exterarum nationum flagitarent; Albanum Ducem omnis mali auctorem oſtenderent: & congregationem omniū prouinciarum Ordinum peterent, quorum conſilio & prudētia inteſtinum hoc bellum componeretur, & tota Reſpublica reformaretur. Champignius acceptum hunc libellum ſupplicem XIII. Auguſti ad Iunium Teruerae præfectum miſit, addens, eum in aula minus gratum fore: primò quòd peteretur, vt Rex ſeſe dearmaret: ſecundò, quòd Regi præſcriberetur, è qua gente ſuos miniſtros eligere deberet: tertiò, quia vellent Ordinum cōgregationem pro ſuo arbitrio fieri. Reſpondet Champignio Iunius ſcripto ſatis prolixo, quod cū alijs typis excuſum extat, ad hoc Lectorem remittimus. Interea menſe Octobri Aldegundus toto iam anno captiuus libertati reſtituitur: cuius diligentia actum eſt, vt Albertus Leoninus, quem Longolium ob corporis proceritatem vocant, publica fide in Hollandiam ad Principem proficiſceretur: vbi de loco, tempore & perſonis ad huius pacis negotium idoneis tranſactum eſt. Sed de his latius initio anni ſequentis dicetur.

Hugonottæ in Germania & Heluetia nouas copias colligebant; in Viuariatibus & Occitania ſe quoq; muniebant. Huc enim Regius exercitus inclinari videbatur. A Puſino namque belli initium ſumendum viſum fuit. Antequam tamen vis admoueretur, Rex reſcriptum illud ſuum ad Puſinates mittit, nouumq; mandatum addit: vti arma quamprimùm deponant, vrbemq; ſibi reſtituāt. Puſinates nihil reſpondēt: nuntio tantūmodò dicūt, vt Regi ſignificet, ſe ad defenſionem paratos eſſe. Copiæ itaq; Regiæ, quæ ex Germanis, Heluetijs, Gallis & Pedemontanis ad octodecim

Puſinum à Rege obſidetur, & capitur.

millia

millia cōstabant, sub imperio Dalphinij Pusinū ductę, 1574
vrbs maioribus tormentis concussa, mœnia strata, & primò frustra oppugnata, tandem ab oppidanis, metu cōsternatis, vrbs deserta, & à Regijs occupata est. Magna ibi inuēta est cōmeatûs & pulueris sulfurei copia. Mœnia solo sunt æquata, arx tantùm conseruata, cui præsidiū imponitur: vt opportuna Rhodani ora commeantibus nauibus vsui esse posset. Hic successus vt Regijs addidit animos, ita vniuersæ regioni immensum incussit pauorem, primaque & sola causa fuit, cur vicina oppida, Cameracū, Sanuincentium, & Albinacum sese Regis potestati dederint. Solū Priuacū tenuit Sanromanius. Et quamuis res ex animi sentētia succederēt, tamē sanguini suorū parcere volēs Rex, edictum suū, seu indulgentiā, de qua paulo ante diximus, nouo beneficio auctā ad XIIII. Octobris secundò promulgauit: adiecerat enim, Futurū, vt omnibus iis, qui depositis armis domū redirēt, fas esset domi manere, libera cōscientia & religione. Sed ne sic quidē aliquid profecit. Traducto igitur exercitu è Viuariatib. in Delphinatū, Loriolū occupatur, muniturq́;, collocato ibi propter pabuli opportunitatē equitū Germanorū præsidio. Summum deinde exercitûs imperiū à Dalphinio Principe, cuius tyrocinia in Delphinatu parū erāt prospera, in Bellegardiū trāsfertur, vt veterano Mombrunio veteranus opponeretur. Is Granā ingenio & antiquissimo opere loci istius arcem quā Blanconius Poyetius, & Compsius defendendā susceperāt, obsidet, oppugnat, & tandē desertā occupat. Roynacū etiā oppidum, munitissima arce firmū, indignāte Mombrunio, Sanferreolius in fratris regij & Catholici manus condonat. Bellegardius iam Liberonē vrbē semidirutā nuper, & neglectā, sed paulò post à Mombrunio occupatam, & egregiè munitā obsidere decreuerat. Ad hoc preces Lugdunensiū & Delphinatiū illū permouebāt, qui liberū cōmerciū, quod à Liberonensibus impediebatur, sibi reddi flagitabant. Sed priusquā arma admouerentur, Rex Mombruniū per literas monet, vt arma deponat, loca Suæ Maiest. per vim erepta restituat, & trāquillè deinceps domi viuat. Ad quas literas Mombrunius procaciter satis respondit, vti Rex non obscurè intelligeret, Mombruniū nequaquam sibi obtemperaturum. nisi armis ad id compelleretur. Interea Hugonottæ Cruacum nobilem Abbatiam, arce

Alia oppida sese Regi dedūt.

Loriolum capitur.

Grana occupatur.

& vico munitam, intercipiunt. Sanuincentium quoque & Castra Albiensium Occitaniæ oppidum recipiunt. Celebrem deinde & frequentem conuentum ad VI. Nouemb. Monpessulum indicunt, in quo de nouo exercitu conflando actum est, præfectus est ei Danuilla, qui edito in hoc conuentu libello, causam reddidit, cur se Hugonottis coniunxisset. Libellus iste, etsi prolixus, vnum tamen habet solummodò argumentum: se scilicet nō alia causa fœdus inijsse cum aduersæ Religionis hominibus, quàm quòd videret in officijs & sacerdotijs conferendis peregrinos incolis præferri: tacitè Guisios, & expresso nomine Biragium notans, hominem Italum, tunc Cancellarium. Interea Rex Auenionem venit. Regina de noua conspiratione, deque animo Danuillę certior facta, Belloium Monpessulum ad Danuillam mittit cum literis, illum ad pacem inuitans: res vltrò citroque acta est aliquandiu. Danuilla non inuitus de pace audire videbatur, cæterùm Hugonottarum animi: nimium exulcerati, nimiumque ad tumultū ac rebellionem propensi, nihil minus quàm pacem meditabātur: id quod ex solis Sanromanij ad Belloium verbis liquere potuit. Tamen vt maleuolum animum fuco tegerent, miserunt aliquos, qui cum Rege de pace loquerentur: interim ea peterent, quæ Regi non placitura sciebant, liberam scilicet per regnum religionem, & conuentū Nemausij publica fide approbatum, in quo ipsi ipsorumque socij omnes inter se negotium pacis ventilare possent, aut verius (vt Regina interpretabatur) arctiora fœdera, & firmiora belli consilia captare possent. Hæc cùm à Rege negarentur, legati ad suos reuersi sunt.

Conuentus Monpessuli.

Rex cùm videret rebelles non nisi iniquis & Regno exitiosis conditionibus pacem accepturos, Bellegardum Mareschallum Liberonis obsidionem iubet accelerare. Præerat huic vrbi Roëssius Delphinas, qui regiorum consiliorum conscius, vrbem magna celeritate muniuit: arcem, quæ in ea erat, diruit, ne spe istius refugij oppidani in defendenda vrbe essent negligentiores, & animos tam ciuium, quàm præsidiariorum, de quorum fide dubitabat, suo exemplo ad strenuam defensionem accendit. Bellegardus coactas omnes copias Liberonem duxit, & vrbem XVIII. Decembris obsidione cinxit. Constitutis viginti duobus tor-

Liberonis obsidio.

mentis bellicis, idqúe diuersis in locis, omnibusqúe pa- 1574
ratis, vicesimo primo die in Fontanam & Geneuensem portam cœptum est effulminari: eaqúe tempestas aliquot dies subsequentes continuata est. Tandem patefacto ad mœnia plus quàm sexcentos passus aditu, vi- *Libero*
neisqúe opportunè actis, primus oppugnationis im *oppugna-*
petus ad XXVI. diem fit, eo in loco, quem impetitum *tur.*
iri haudquaquam suspicati fuissent. Incredibili vtriusque partis ardore pugnatum est: sed oppidani tandem fortiter se vrbemqúe defendentes, hostem à mœnibus repulerunt. Sub ipsum pugnæ æstum Roëssius vrbis præfectus tormentuli globo ad caput ictus cadit: cuius mortem miles quidam tecto sago eius cadauere occultauit. Fiancæus quoque & Bouuerius viri strenuissimi, & magna militum oppidanorum copia ad eam partem interfecti sunt. Reuersis in castra Regijs, oppidani mortem Roëssij deflèrunt, eiusqúe loco Hayum consobrinum Roëssij, iuuenem annorum viginti trium, rei tamen militaris non inexpertem elegerunt: cuius iussu ruinæ statim magna contentione sunt reparatæ. Interea Regij extimam collis partem, in qua mœnia sita erant, occupant, ibiqúe stationem locant præsenti vrbis periculo: neque inde facile poterant deturbari. Reliquis huius mensis & anni diebus in mœnibus diruendis Regij, & in reparandis oppidani occupantur. Quem autem hæc obsidio, in vigesimum vsque Ianuarij subsequentis continuatà, habuerit exitum, suo loco dicemus.

Hispani, Lugduno Batauorum (vt diximus) præter *Hispani*
omnium expectationem liberato, cùm spes prædę esset *Vltraie-*
erepta, & stipendia tardè soluerentur, tumultuaban- *ctum oc-*
tur, occasionemqúe prædiuitis alicuius vrbis inuaden- *cupare co-*
dæ captabant. Fugato itaque Valdezio, cæterisqúe præ- *nantur.*
fectis suis, qui Amorfortium conuolàrunt, nouos præfectos creant, & XX. Decemb. intempesta nocte in suburbia Vltraiectensia venientes, cratem ante portam, arci vicinam, vi effringunt: admotisqúe scalis, in ipsa aurora mœnia conscendunt, & aliquot in vrbem præmittunt. Ciues nouitate rei perterriti, in fugam vertuntur. Sed arcis præfectus, Hispanus natione, quem metuebant ciues, atque huic oppugnationi fauere existimabant, ciuium misertus, displosis aliquot tormentis, scalas disturbauit. Tunc ciues ad arma læti concurrunt, & Hispanos, qui in vrbe erant, cum ductore suo

1574 Blanco occidunt. Hiſpani acriter ſe defendunt. Pugnatur vtrinque fortiter, cadunt Hiſpani, cadunt ciues: illorum tamen maior, quàm horum numerus. Electus eorum Blancus, qui ſe aut viuum, aut mortuum in vrbem peruenturum iurârat, in ipſa S. Catharinæ porta ſtans occiditur. Poſt receptui canitur, & paucos poſt dies aduecto ſtipendio tumultuanti militi ſatisfactum eſt.

In dijudicanda veræ Eccleſiæ doctrina magni ſemper momenti Patribus fuit legitima Epiſcoporum ſucceſſio. *Multa,* inquit B. Auguſtinus, *ſunt, quæ me iuſtiſsimè in Eccleſiæ gremio tenent. Tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa Sede Apoſtoli Petri, cui paſcendas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopum ſacerdotum ſucceſsio.* Et alibi, enumeratis omnibus Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, ſibi inuicem ſuccedentibus, à Petro ad Anaſtaſium, tunc in ea cathedra ſedentem: *In hoc ordine,* inquit, *ſucceſsionis nullus Donatiſta inuenitur.* Vt idē faciant Donatiſtæ inſtat Optatus Mileuitanus: *Veſtræ,* inquit, *Cathedræ originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.* Simili enumeratione ſucceſſionis Pontificum Romanorū vſus eſt antiquiſſimus Irenæus. Idem ijs ſolis Epiſcopis obedire iubet, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis. Reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, ſuſpectos haberi vult, vel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes. Hac ſucceſſione cùm ſe vehementer premi viderent in Germania Lutherani, nouum quid commenti ſunt. Sciebant magnam eſſe auctoritatem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quæ velut riuulus quidam à flumine, ita ab Romana Eccleſia eſſet deducta, etſi propter errores quoſdam poſtea fuerit præciſa; ſucceſſionis tamen Epiſcopalis quandam ſpeciem cum vetuſtate retinuit. Sedebat nunc in ea Eccleſia Ieremias Patriarcha centeſimus quadrageſimus ſecundus, qui anno abhinc tertio Metrophani ſucceſſerat. Magnam itaque auctoritatem ſuis Eccleſijs acceſſuram exiſtimabant Lutherani, ſi Patriarcham eò inducere poſſent, vt ſe tāquam oues ſuas agnoſceret, doctrinamque ſuam approbaret. Futurum enim hoc modo, vt legitimam ſucceſſionem, antiquitatem, & ſub vno capite vnitatem (quibus maximopere laborant) poſ-

Auguſt. contra Epiſtolam Manich. cap. 4.

Optat. lib. 2. contra Donat.

Lib. 3 c. 3. Iren. lib. 4. cap. 43.

Lutherani antiquitatem ſuæ Eccleſiæ ab Eccleſia Cōſtantinopolitana venātur.

sent ostendere. Nec hoc difficile fore arbitrabātur: tum 1574
propter antiquam inter Romanos Pontifices & Constantinopolitanos Patriarchas simultatem, tum etiam quòd in ritibus quibusdam, vt in coniugio Sacerdotum, & in vtriusque speciei communione inter se conuenirent. Peropportuna quoque ad hoc tentandum obtulit sese occasio Stephanus quidam Gerlacus, Græcæ linguæ non indoctus, cum quibusdam Nobilibus in Turciam & Græciam sub fide publica proficiscebatur. Per hunc igitur cum Patriarcha de concordia Religionis agere constituerunt. Magno itaque studio Augustanam confessionem in Græcam linguam per Martinum Crusium transtulerunt, eamque multis additis literis (quibus Patriarcham, vt in suam iret sententiam, Augustanamque Confessionem approbaret, & cum sua conuenire declararet, inducere conabantur) Constantinopolim perferendam, & Patriarchæ exhibendam Gerlaco tradiderunt. Is munus sibi demandatum fideliter obiuit. Sed tantum abfuit, vt hanc Confessionem approbaret Ieremias, quòd integro libello eam falsam luculentis rationibus ostenderit, & errores ipsos in singulis capitibus demonstrauerit. Quæ nundinatio etsi in aliquot annos protracta sit, nunquam tamen eò induci potuit, vt Augustanæ Confessioni subscriberet, sed vnam Catholicam semper defendit: de quo plura suo loco dicemus.

Patriarcha Constantinopolitanus Lutheranam Religionē erroneam ostendit.

Maximilianus Imperator, cùm quotidie suo, totiusque Imperij malo disceret, Turcam nullius iuramēti, fœderis, aut induciarum habita ratione Imperij fines carpere, ac depopulari, Inutrium in Vindelicia Comitia indixit, omnesque Germaniæ Principes eò euocauit, vt de certa pace constituenda, aut de bello persequendo certi aliquid definirent. Sed nihil hîc, aut parum propter sententiarum diuersitatem potuit determinari.

Comitia Inutrij.

Magnus Dux Saxoniæ Lauvvenburgensis, adiunctis sibi aliquot equitum & peditum è Belgio redeuntibus copijs, Francisco fratri, cui pater viuens prouinciæ administrationem cesserat, bellum hoc anno intulit, vicinisque magnum terrorem incussit. Sed cùm arcem Raceburgensem frustra tentasset, nec haberet vnde famelico militi stipendia solueret, Circuli quoque Saxonici Tribunus militaris cum auxiliaribus copijs in procinctu esset, castra, direpto oppido & collegio

Magnus Lauvvēburgij Dux fratri bellū mouet.

Cano-

1574 Canonicorum Raceburgensi, à Duce Magno deserta, iterum dissipata sunt. Magnus ipse è Germania in Sueciam aufugit, neque ibi etiam diu substitit.

VVilhelmus Dux Iuliacensis & Cliuensis superiori Autumno filiam Mariam Leonoram per Poloniam ad sponsum Borussiæ Ducem Albertum Fridericum, Alberti primi Borussiæ Ducis filium, deduxerat, & initio huius anni in patriam reuersus est. Albertus hic vicesimum primum annum agens, in ipso nuptiarum apparatu in mentis ægritudinem incidit. Qui morbus cùm aliquot annos duraret, Curator ipsi à Rege Poloniæ post triennium datus est patruelis Georgius Fridericus, Marchio Brandenburgicus, Ansbachiæ in Franconia iuxta Norimbergam sedem habens.

Sueci VVesenburgum frustra obsident. In Liuonia Nicolaus Achazius, & Pontus de la Gardia Suecorum Regis duces, cum Germanis & Scotis circiter 5000. qui superiori anno Reualiam appulerant, ad recuperandum VVesenburgum, medio inter Reualiam & Neruam itinere situm, profecti sunt: vbi cùm tres mẽses desedissent, & aliquoties oppidum frustra oppugnâssent, tandem orto in castris Suecorum inter Germanos & Scotos intestino prælio, in quo mille quingenti Scoti perierunt, reliquis cum suis vexillis ad Russos VVesenbergam tenentes transfugientibus, re infecta Reualiam redierunt. Russi tota æstate & hyeme totam Harigiam, vsque ad portas Reualiæ assidue peruagati, omnem exeundi & introeũdi oppidanis facultatem ademerunt, ferentes, agentesque omnia. Nec minor fuit equitum Liuonum inhumanitas, quibus pro stipendijs debitis Suecus arces Habsel, Lode, & Leal tradiderat.

Bellum Iuonicum seu VVachicũ. Henricus Andius Dux importuno suo è Polonia discessu Scythas hoc anno mense Octobri in Russiam pertraxit, & Iuonia inique parti dominatûs, Valachique perfidiæ pœnas dederunt. Quod quo modo acciderit, præmissis nonnullis obiter commemorabimus. Valachia, quæ olim Mysia & Dacia dicta fuit, in duas partes diuiditur, in Valachiam Transalpinam & Moldauiam. Vtraque regio, à quo tempore Constantinopolis à Turcis capta fuit, Turcarum imperio facta est tributaria. Tributum autem initio illis impositum est modicum, solum scilicet duorum aureorum nũmûm millium. Post Imperatoribus Turcicis Asiatico, Persico, Is-

co, Ismaëlitico & Aegyptiaco bello distentis, Valachi 1574
partim Vngarico, partim Polonico Regno subiecti fuerunt. Sed negligentia Regum Polonorum Despota Iacobo ipsorum opera Valachiæ restituto, ab ipsis Valachis occiso, imperium ad Alexandrum rediji, cui filius Bogdanus successit. Bogdano Iuonia, quæ vox Ioannem significat. Is armis Turcicis adiutus, exercitu Bogdani profligato, aliquamdiu Valachis præfuit, solitumque tributum Selymo quotannis persoluit. Erat eo tempore Palatinus quidam Transalpinæ Valachiæ, qui fratrem quendam Petrum habebat, quem promotum ad maiorem dignitatem cupiebat. Purpuratos igitur in regia Selymi prēsabat, vt quomodo Bogdanum Iuonia fultus auxilio Selymi Moldauia eiecerat, sic Petrus adiutus auxilio eiusdem, posset Iuoniam eijcere. Quòd si Palatinatum Moldauiæ apud Selymum fratri Petro impetret, se duplo maius tributum, centum scilicet viginti millia nummûm aureorum daturum pollicetur: simul & multa crimina in Iuoniam congerit. Selymus ingenti cupiditate pecuniæ flagrans (profusum enim erat eius ærarium in classem, quæ in Corinthiaco mari post captum Cyprum à Ioanne Austriaco & confœderatis erat depressa) ad id se facile pertrahi patitur. Legatum igitur ad Iuoniam mittit, qui vicesima prima die Februarij, cùm Henrico Gallo Cracouiæ corona imponeretur, ad Iuoniam veniens, ab eo tributum non quale olim, sed duplo maius è vestigio Selymo penderi postulauit: tantum enim ab alio offerri. Neganti imperat vt statim secum Constantinopolim ad dicendam causam proficiscatur. Si detrectet, bellum denuntiat. Hæc legatio in animum Iuoniæ altius, quàm quisquam existimare posset, ascendit. Re sedulò secum deliberata, Ordinum Senatum conuocat, ei verba legati proponit, sententiam omnium inquirit, ad honestum bellum potius, quàm ad tam indigna tributa soluenda excitat. Senatorum omnium vna eademque erat sententia. Mori se malle, quàm tantam seruitutem summa cum turpitudine coniunctam pati. Proinde vxores, liberos, & quicquid pretiosi supellectilis habeant, in arcem Cochimensem, cuius munitioni fidant, se importaturos, seque Iuoniç proprijs sumptibus militaturos, hosti ad Danubium occursuros, & cum eo ad vltimum spiritum dimicaturos pollicentur. Quibus inter se & Iuoniam iurisiurandi fide confirma-

Ambitio & auaritia huius belli causæ.

1574 firmatis, Iuonia legatum Selymi ad se accire iussit, audiente Senatu sese initio purgauit. cur quod Selymus imperaret facere non posset, consiliumque denegati tributi in subditos reiecit, qui acerbissima quæque, quã tam indecoram seruitutem ferre malient. Orare igitur se Selymum, ne hæc in malam partem accipiat, cuius amicitiam sibi ornamento, non detrimento fore sperauerat. Quibus dictis Legatum nulla interposita mora è finibus Valachiæ excedere, eumque nullis muneribus, vti alios legatos solitus erat, ornatum, equites Valachicos ad ripam Danubij deducere iubet. Iuonia ad comparandum exercitum animum continuò adiecit. Omnes pedites stipendio militari inauctorati sunt: equites ad Iuoniam conueniunt, qui iuramento se iterum atque iterum obstringunt, se contra Selymum ad internecionem dimicaturos: omnia potius, patriam, vitam, vxores, & liberos amissuros, quàm Palatinum suum deserturos. Tributum se statim exacturos, in idque collocaturos, vt Iuonia equitibus Polonicis, quibus tunc maxima erat virtutis opinio, conductis, expedita eorum opera in hoc bello vtatur. Iuonia suos sibi fideles fore existimans, extemplò legatum Cracouiam ad Regem Henricum & Senatum Polonicum mittit, statum rerum Valachicarum eis exponit: imminens à Selymo bellum significat, auxilium petit, quanti Poloniæ intersit, ne Valachia à Turcis occupetur, ostendit. Orat saltem, vt Rex Camienieciæ, Leopoli, & reliquis oppidis proclamari iubeat, quicunque in Valachia ad militiam proficisci velit, huic Palatinum tantum stipendium numeraturum, quantũ ipse poscat. Sed Henricus se Iuoniam nullo auxilio iuuare posse, nec cuiquam vt ad promerendum stipendium in Valachiam proficiscatur permissurum respondit. Causam addens, antiqua fœdera inter Reges Poloniæ & Turcicos Imperatores, seu potius (quod verisimilius est) fœdus, quod Gallis est cum Turcis, quorum intercessione Hẽricus ad Regnum Poloniæ peruenerat. Tristis hoc nũtio Iuonia, nondum tamen animum abiecit, sed Polonicos aliquot equites leuis armaturæ, qui ad Borysthenem & Ponti ostia prædæ agendæ causa degebant, gentem bellis induratam, stipendio liberali conduxit; qui nihil de Henrico Rege cogitantes, rectà in Moldauiam profecti, honorificè sunt à Palatino, ipsis obuiam progrediente, excepti. Erant numero mille ducenti equites fortis-

Henricus Poloniæ Rex negat Iuoniæ auxilium.

fortissimi, qui de more gloriæ ac prædæ tam sibi, quàm Dominis suis acquirendæ in illos vastissimós campos excurrunt. Regio conuiuio eos Iuonia excepit, argenteas patinas, nummis aureis onustas iubet afferri, & ex ijs tantum ductoribus equitum horum, quos alio nomine Velites & Kosacos nominant, eorumque ministris apponi, quantum satis esset: quam eius liberalitatem ad stuporem vsque illi admirati sunt. Assignato deinde ipsis castrorum loco sex grãdia vasa vini generosissimi, sexcentosque thaleros illis mittit, vt in memoriam nominis sui ea consumant. Manè omnibus conuocatis insigni oratione eorum virtutem, fortitudinem, & erga se fidelitatem commendauit: necessitatem belli suscepti exponit, Turcarum vires quantum potuit eleuat, præsentissimum diuinæ prouidentiæ auxilium pollicetur, liberalique stipendio & magnis pręmijs eorum animos accendit: qui per ductorem suum Suierceuium vicissim Palatino omnem obedientiam, fidem & fortitudinem promiserunt. Acta sunt hæc vicesima die Martij.

1574. Magnificentia & liberalitas Iuoniæ.

Selymus audito responso Iuoniæ, ita, indignatione que accensus, sine mora Transalpinæ Valachiæ Palatino triginta millia Turcarum, & duo millia Vngarorum mittit, vt Moldauiam occupet, & Iuoniam captum ad se mittat: Petrum fratrem suum eius loco Palatinum constituat. His Palatinus è suis maximum numerum addidit: ita vt totus eius exercitus cẽtum duobus millibus equitum & peditum constaret. Aduentûs hostium certior factus Iuonia, cùm intellexisset per exploratores, exercitum Moldauam fluuium traiecisse, nocturno, diurnoq; itinere fatigatos, tam sua, quàm equorũ corpora reficere, in loca herbida, quæ supra flumen latè patent, equos effusè euagari, nihil de hostis aduentu solicitos esse, statim suos in armis esse iussit, ad castra inimica magna celeritate, summoque silentio contendit, & ex improuiso adortus, dum neque fugere hostes, neque arma capere, neque omnino facere ac prouidere quicquam poterant, omnes nudos, inermesque trucidauit. Ex tanto numero hostium nemo, præter Palatinum Valachiæ, & fratrem eius Petrum, effugit, omnes ad vnum cæsi, alij busquis obiecti. In castris multum opulentiæ repertum est, quam militibus Iuonia, & in primis Kosacis, donauit. Refectis nonnihil suorum viribus, totum deinde exercitum in Transalpinam

Selymus exercitũ in Iuoniã mittit.

Iuoniæ insignis victoria.

1574 alpinam Valachiam trahit,castella, oppidaque passim obuia aggreditur,obuios quosque nulla aut sexûs aut ætatis habita ratione interficit, villas & vicos pariter cum oppidis igne succendere imperat. Tandem Brailouiam oppidum ad Danubium situm, arceque firmissima munitum,in qua Palatinus cum fratre Petro erant, obsedit,& præfectum ad deditionem solicitauit. Præfectus pro respōso globos tormentarios, telaque & sagittas misit,cum denuntiatione, nisi exercitum abducat,se exercitui eius talia fercula appositurum. Respōsum hoc quatuor Turcici sanguinis referebant,quos Iuonia tali responso irritatus,nouo crudelitatis genere mactauit,nullaque mora interposita pedites scalis admotis vrbis mœnia clamore sublato conscendere iubet. Nec consilio euentus defuit. Murum enim superant, & vrbem primo impetu occupant. Mirum quantum hîc auri,argenti,pecuniæ signatæ,vnionum, margaritarum inuentum est, quæ omnia prædæ militum cesserunt. Erat enim ciuitas in illis locis omnium opulentissima,eò quòd post occupatam Græciam diu in pace floruerat. Quatriduum ibi in cædibus perseueratum est: nemini parcitum, ne cane quidem inter incendia & ruinas relicto. Arcem verò propter firmum præsidium tentare Iuonia noluit. Sed & Turcæ non ignorantes, quanto in periculo arx versaretur, quindecim Turcarum millia subsidio miserunt. Quibus Iuonia Kosacos cum octo millibus equitum obuiam misit,commissoque prælio, Turcæ omnes, præter mille equites,quos fuga subtraxit,occisi sunt. Qui cædi supererant,fuga ad arcem Teinensem, quæ ditionis Turcarum erat,delati sunt. Erant in proximo non procul ab ea arce Turcarum copiæ,quibus agmina Scytharum erant intermixta. Has Suierceuius accepta ab Iuonia facultate aggressus, iterum ad internecionem deleuit, Teinenseque oppidum sine vllo oppugnationis labore intercepit. Tertiò deinde nouas copias Turcarum & Scytharum mittit Selymus, qui ad oppidum Bialogrodense confidentes,à Kosacis iterum trucidati sunt. Capti ducenti, qui omnes falcibus maioribus, quibus fœnum secari solet,in frusta conciduntur. Dux illius victi exercitûs in potestatem Polonorum venit, homo tantæ opulentiæ,vt sexies se redimere,modò,ne Palatino viuus traderetur, voluerit: bis auro in altera statera posito,ter argento, semel vnionibus & marga-

Iuonia Brailouiam occupat.

Turcæ cæduntur tribus locis.

Magnifica promissa.

ritis.

titis. Sed apud Polonos fides, quam Iuoniæ dederant, plus valuit, quàm omnes Ducis huius promiſſiones. Viuus itaque Iuoniæ traditus eſt, qui eum peditibus membratim diſſecandum obiecit. Hinc ad Vſſam oppidum ſuum copias duxit, vbi tot prælijs fracti exercitûs vires refocillauit. Hactenus ſecunda in Turcas vſus eſt fortuna Iuonia, rebusque ſupra vota fluentibus tot, tamque inclitas de Turcis reportauit victorias, vt iam Selymus vtraque Valachia exuendus videretur: ſed fortuna eadem poſt verſa, velut in oſtentationem rerum humanarum inconſtantiæ, deſtruxit quidquid cumulauerat, exitum miſerabilem, horrendam ruinam, fœdamque mortem Iuoniæ adiecit. Ad hoc vſa eſt Czarnieuiecij arcis Cochimẽſis præfecti, quem illi Barcabalum vocant, perfidia. Huic exercitum Valachorum tradidit Iuonia, ipſe cum Polonis & alijs Proceribus corpora tot laboribus defatigata aliquamdiu quiete & otio reparaturus. Mandauit autem præfecto, vt cum exercitu ad Danubij ripam proficiſceretur, trãſituque (ſi eum Turcæ tentare velint) arceret: Iuoniamque de aduentu hoſtium quàm primùm certiorem faceret. Præfectus poplite flexo, fidem operamque ſuam ei pollicetur, & ſtatim, vt iuſſus erat, cum validiſſimo exercitu verſus Danubium contendit. Adfuit Turcarum infinitus numerus, qui cùm Danubium tranare non auderent, Baſſæ per internuntios Czarnieuiecium præfectum triginta millibus nummûm aureorum Vngaricorum in ſuum & Petri colloquium pellexerunt: qui accepta pecunia ſuis inſcijs clam ad hoſtem profectus eſt. Hîc Baſſæ & Petrus minis, precibus, lachrymis, promiſſis, & largitionibus animum Præfecti oppugnârunt, vt quaſi aliud acturus exercitum paululũ à Danubio abducat, Turcisque tranſitum liberum permittat. Ille Petri promiſſis ineſcatus, ad ſuos reuertitur, exercitum abducit, Turcas abſque vllo impedimento Danubium traijcere permittit. Erant Turcarum tunc ducenta millia, qui cum tormentis muralibus, omnique apparatu oppugnandarum arcium citeriorem nunc fluminis ripam tenebant. Præfectus mox ad Iuoniam proficiſcitur, narrat Turcas multitudine ſuorum ſubnixos Danubium tranſijſſe: quibus ille nulla ratione obſiſtere potuerit. Iuonia hæc non ſine lætitia audiuit, præfectumque quis & quantus hoſtium numerus ſit percontatur. Hîc proditor: Sunt, in-

1574

Mutatio fortunæ.

Perfidia Czarnieuiecij.

Turcæ Danubiũ traijciũt.

1574 quit, decem, nec amplius duodecim millia: sed antequam tu cum copijs aderis, in horas numerus eorum augebitur, & ad quindecim millia excrescet. Iuonia confestim de communi Senatûs consensu cum omnibus copijs, quas apud se in obsidione arcis Teinicensis habebat, in hostem proficiscitur. At Kosacis Czarnieuiecij fides erat suspecta, Iuoniamque adeuntes, eum admonuerunt, vt sibi ab insidijs & proditione caueret. Caeterùm Iuonia nimium fidelitate praefecti sui, quem comitem omnium peregrinationum suarum, ac penè exilij sui nominabat, confisus, Kosacos forti animo esse iubet & hostium paucitate consolatur. Suierceuius vt Iuonia subsistat precatur, donec quid certi de numero & ordine exercitûs hostilis haberet. Nec mora, assumpto secum Veremia, magistro equitum Valachicorum & sex millibus equitum, in speculatores Turcicos, quorum agmen sex millium fuit, contendit, cum illis dimicat, eos vincit, caedit, in fugam conuertit: vnum tantùm capit, lethaliter vulneratum; qui cùm se breui moriturum persentisceret, simulanter narrat, paucos Turcas in armis esse. At Kosaci ex tanto speculatorum numero multitudinem maiorem iudicabant, Praefectique fidem accusabant, quam Iuonia suspectam habere non potuit. Obequitantes itaque diu Kosaci, nihil certi de hostium numero cognoscere potuerunt: illis se intra castrorum septa continentibus. Tandem ipse Iuonia collem eminentiorem, qui prope hostium castra erat, conscendens, ipsa castra contemplatur: quorum visa multitudine, se à Czarnieuiecio in fraudem inductum cognoscit: qui cùm vocaretur, venire noluit. Habebat ille fortissimorum equitum, quibus praeerat, tredecim millia, cum quibus dato signo primus praelium inijt. Sed mox vt ad manus ventum fuit, proditor, vti cum Turcis constituerat, iubet suos vexilla demittere, pileos hastis, ensibusque impositos eleuare, & ad hostem transire. Hac suorum defectione consternatus exercitus Iuoniae, omnes properè ad Iuoniam recurrunt, rem perditam esse narrant. Ille nequaquam perterritus in Turcas irruit. Turcae vt tutiores essent, proditores omnes in prima acie constituunt, propellunt, & tergiuersantes caedunt. Quibus Iuonia visis ira percitus in eos vim tormentorum iubet exonerare. Sic proditores illi partim à suis, partim à Turcis in medio caesi sunt. Turcae proditorum terga

Proditor ad Turcas deficit.

Proditores sui sceleris poenas dant.

terga secuti, per stragem cadauerum ad exercitum Iuoniæ peruenerunt. Hic statim prælium ortum: pugnatum est diu & vtrinque fortiter, ancipiti planè victoria: donec retro cedentibus Valachis primò, deinde etiam Turcis, quasi ex composito ab armis discessum fuit. Mox ingentibus procellis fusus imber maximo detrimento Valachica tormenta, in quibus vnica spes erat Iuoniæ, (habebat enim in castris octoginta, quibus maximas clades hosti inferebat) affecit. Ea enim cælesti aqua perfusa ignem admotum concipere noluerunt. Redintegratur paulo post prælium: sed Valachi Turcarum, Scytharumque vim cum sustinere non possent, & tormentorum beneficio destituerentur, in fugam se primi coniecerunt: qui per campos palantes à Turcis instar pecudum cædebantur. Nec iam plures, quàm ducenti quinquaginta Kosaci, seu Poloni supererant. Vna igitur adhuc non infelici impressione facta, Iuonia iam & animo & corpore deficiens, cum peditum copijs, quorum adhuc erant viginti millia, & paucis equitibus retrocessit: nec vna die ob ingentem stragem, cumulumque cadauerum plus quàm mille passus progredi potuit. Veniens itaque ad locum, vbi villa antea fuerat incensa, & quædam adhuc extabant rudera, castra ibidem sua communit, eaque fossa, ne subitò à Turcis occupari possent, cinxit. Hoc consilium Iuoniæ dignum reprehensione fuit, quòd ibi castra posuisset, vbi nulla commoda fuit aquatio. Nam siti homines enecti moriebantur, omnesque mortui fuissent, nisi Turcæ, videntes expugnationem castrorum Iuoniæ fore difficilem, per internuntios de deditione cum illo egissent. Erat iam dies decimus quartus Iunij. Iuonia videns in quam aduersam necessitatem esset adductus, omnes ad se pariter Polonos & Valachos vocat, petens vt in medium consulerent, vtrum se hosti dedere, an patefactis castrorum portis in non indubitatã mortẽ ruere, ac nõ sine cæde hostium gloriosè mallent cadere. Polonis placuit posterior sententia, ita tamen, vt optionem Iuoniæ relinquerent: Valachis prior, si Iuonia sciret, Turcisque fidere, quòd ipsum incolumem conseruaturi essent, posset. Si de fide illorum dubitet, se cum Polonis ad vltimam internecionem contra Turcas malle dimicare, quàm per fraudem illorum omnibus esset pereundum. Iuo-

1574

Iuoniæ tormentorum vsu destituitur.

Iuoniæ exercitus fugatur.

Consilium Iuoniæ malum.

Consulitur de deditione.

1574 nia huc illuc animo fluctuans, quid sibi faciendum esset animi dubius, in diuersum curis trahebatur. Tandem è re consilium capians, legatos Turcarum, qui extra munimenta castrorum responsum expectabant, acciri iubet, eosque ita affatur: Ite, vestrisque imperatoribus hæc nuntiate: Quamuis firmissimas copias, quas ipsi cernitis, habeam, quorum fideli subsidio fretus, hasce vestras vires sustinere possim, tamen necessitati hoc tempore cedendum arbitror. Quare si omnes imperatores & præfecti vestri singuli septies in has conditiones mihi iurauerint, tum primùm me dedam. Primò, vt vniuersum equitatum Polonicum, vnà cum suis equis & impedimentis, sine vllo impedimento saluum reuerti patiantur, liberumque ei transitum per Nestrum fluuium permittant. Secundò, vt me ad Selymum Turcarum Imperatorem Dominum meum viuum & incolumem perducant. De Valachis nihil dico, cùm Imperatoris dedititij sint, eos æquum est conseruare. Quos si violaueritis, vel trucidaueritis, ingens detrimentum Selymo Imperatori, vel ei, quem ille post Valachiæ præficiet, estis allaturi. Hæc legati vbi Purpuratis & arcium præfectis exposuissent, omnes pedibus in eas conditiones iuerunt, septiesque omnia postulata singuli iuramento militari, etiam suorum militum nomine, confirmant. His factis Iuonia omni metu deposito, impendentisque periculi nescius è castris egreditur, & pro Polonis coram Purpuratis iterum deprecatus est. Demum suis paulisper à castris remotis Polonos vltimò alloquitur; summas illis agens gratias, & collaudata eorum fortitudine, singulis dexteram porrexit, quam illi non sine flebili vlulatu amplexi exosculabantur. Qui cùm iam ad tertium teli iactum à castris abessent, Valachos quoque pari ratione è castris educit, quibus non sine lachrymis valedicit. Recordatus auri & vnionum, quos penes se habebat, ad Polonos reuersus, omnia eis largitur, addens nolle se, vt hæc in immanissimorum hostium manus peruenirent. Tandem armis à se abiectis, more supplicis ad castra Turcarum, sumpto secum Polono Osmolio peruenit, quibuscum integras quatuor horas collocutus est. Hîc Bassa Capucius, fortassis eius oratione offensus, immemor fidei sacramento militari confirmatæ, quam Iuoniæ dederat, stricto gladio ventrem, faciemque

Perfidia Turcarũ. Iuonia occiditur.

emq́ue eius discidit. Ita vulneratum Genizari corripiunt, & semiuiuo caput amputant: deinde truncum pedibus duorum camelorum alligatum discerpendum obijciunt, quod belluæ in diuersum concitatæ discerpunt. Caput hastę infixum, cadauer discerptum, & in frusta minutissima concisum: cuius ossibus inter se partitis, cruore cadaueris recentis gladios perungebant, sanguinem equis bibendum porrigebant, Deo supplicantes, quò in ipsis quoque idem virilis animus, eademq́ue belligerandi insit ratio. Eum exitum habuit Iuonia, vir memorabilis, perfidia Turcarum è medio sublatus: quod illi fortè non accidisset, si in Religione Christiana fuisset constantior, quam ille suscepta circuncisione Mahumetanis ritibus permutauerat, vt Palatinatum Valachiæ Bogdano ereptum consequeretur: licet postea voti compos factus, Christianam fidem iterum amplecti videretur. Turcæ occiso Iuonia subitò in Valachos, quos ille è castris eduxerat, impetum faciunt, eosque instar pecudum crudeliter interficiunt. Poloni visa Turcarum perfidia, se mutuo cohortati, in agmina densa Turcarum, pleni animi, speiq́ue summa vi incurrunt: quibus disruptis, disiectisq́ue omnes fortiter occubuêre, paucis exceptis, inter quos Suierceuius, qui vulnerati & capti à Turcis, post ab heris suis grandi lytro redempti sunt. Post tam ignobilem cædem Iuoniæ Selymus totam Moldauiam occupat, omnes ferè stirpis Valachicæ tam summos, quàm infimos crudeliter occidit, totamq́ue Valachiam huc illuc nouis deductis colonijs arcibus & valido præsidio muniuit.

Iuonia in Religione Christiana inconstans.

AFRICANA.

Selymus Turcarũ Imperator Tunetano regno bellum parat.

Dum sic in Valachia pugnatur, alijs etiam in locis periclitabatur Respublica Christiana. Selymus enim Turcarum Imperator indignum sua maiestate arbitratus, adolescentem Ioannem Austriacum, aut Regem Philippum reges sibi confœderatos bello premere, sibiq́ue subijcere: per hyemem instructissimam classem apparari iussit, scripsitq́ue ad omnes Africæ proceres, vt funditùs euerterent, quidquid Hispaniarum Rex in Africa possideret: suam classem, ad Tunetanam expeditionem constructam, breui affore pollicebatur. Huic classi Sinanem virum militarem præfecit: constabat autem CLX. longis nauibus rostratis, XXX onerarijs, multisq́ue alijs nauigijs. Hæc per Æ-

1574 gæum & Iônium nauigans, Cyprumque, Rhodum, Peloponnesum, Corcyram & Hydruntum prætereuecta, tandem in mare Punicum peruenit: & primùm Iulio mense à nostris est conspecta. Quòd autem non citiùs appulsa esset, in causa erat grauissima pestis, quæ eam depopulabatur, plurimis quotidie morientibus, & in mare proiectis. Eadem quoque lues Cyprum insulam paulò ante inuaserat, eamque nunc penè præteriti belli calamitatum oblitam, iterum Cilicibus, Pamphylijs, Cappodocibus, alijsque colonis, qui in eam transfretarant, desertam reddidit & deformatam.

Antequam classis Turcica in conspectu esset, terrestres copiæ conuenire visæ sunt, quæ ex Tripoli, Carpano, Iulia Cæsarea, Meninga insula & Constantina confluxerunt: his se Numidæ, Mauri, Alerbi, cum duobus Genizarorum, & quatuor Hebræorum millibus adiunxerunt: ita vt exercitus ille 40000. armatorum constaret, qui ad Guletæ, Tunetique expeditionem concurrebant. Non latuere vires Turcicæ Serbellonum Tuneti præfectum, qui Petrum Carreram Hispanum, cui Guletæ cura erat demandata, accessit, vt de Guleta munienda consilium simul inirent. Reparatis itaque fossis, aggeribus & muris, nouisque propugnaculis (quod iamdudum ante fieri debuisset) tumultuario opere pro temporis breuitate excitatis, vterque se ad defensionem parat; Serbellonus Italus ad Tunetanam & arcis nouæ, Carrera Hispanus ad Guletanam. Sinanes itaque terrestres copias omnes summis viribus Tunetum aggredi iubet: expeditioni huic præficit Aydarum purpuratum Caruanum: ille statim XVI. tormentis muro admotis eum disturbauit. Serbellonus hostium cognito consilio & viribus, vrbe cedit, & suos in arcem nouam ducit. Turcæ deinde Guletam, ea parte, qua Carthaginem respicit, incredibili tormentorum tempestate verberare cœperunt: ita vt Carrera sibi metuens, noua à Serbellono auxilia petere cogeretur. Serbellonus ægrè tandem 650. milites sub duce Petro Manuellio submisit: ipse verò Serbellonus munitioni perficiendæ gnauiter insistebat. Turcæ Guletæ partem, quæ mare prospectat, haud segniùs diuerberarunt, pontibusque ex antennis factis oppugnârunt. cadunt vtrinque multi. Iterum à Serbellono subsidia pe-

Tunetum capitur.

dia petit Carrera. interea literæ Cardinalis Granuella- 1574
ni adferuntur de nouis copijs mittendis. Martinus itaque Cagneus & Maldonatus cũ suis Hispanorũ cohortibus, & Hercules Pisanus iterum Guletam intrãt. Hostis impressiones geminans, munitionẽ quandam intrauit: sed præsidiariorũ virtute iterũ in fugã reijcitur, & occupatã munitionẽ multo vtriusq; partis sanguine deserere coactus est. Cæterùm cùm quotidie præsidiariorum numerus decresceret, iterũ à Serbellono petuntur auxilia: mittuntur aliquot Italorum manipuli, qui lintribus impositi, noctis beneficio, salui in arcẽ venerunt. Turca obsidionis diuturnitatẽ pertæsus, metuens etiã, ne forte hyemis (quæ accelerabat) tempestate impediretur, quò minus Guleta expugnata, arcem nouam occupare posset: summa vi & celeritate agendum ratus, innumerabiles copias Iulia Cæsarea iterum in castra vocat, tantaque contentione arcem oppugnauit, vt tandem ea, cæsis penè omnibus Christianis, potiretur. Non desunt qui Carreram proditionis insimulãt: alij in simultatem, æmulationem & inuidiam vtriusq; gentis, Hispanicæ atq; Italicæ, tantæ cladis causam reijciunt. Turcæ mox expugnata quoq; turri aquæ, omnes vires in Serbellonum, nouamq; arcem conuertunt, eamque tanta tormentorum multitudine & violentia verberauerunt, tot impressionibus oppugnauerunt, vt præsidiarijs penè omnibus occisis, tãdem expugnârint: abductisq; omnibus munitionibus, Guletam, vnà cum noua arce, funditus euerterunt. Serbellonum autem, Carreram, & duodecim alios duces, rasis barbis, catenis ad transtra alligatos, Byzantium adduxerunt. Quo in itinere partẽ victricis classis in hyberna mittit Sinanes, partem ad insulam Corcyram appellit, tanquam omnes Venetorum naues vnà cum insula vi occupaturus. Veneti iam paulo ante præsidium insulæ (200. tantùm militibus relictis) exauctorârant: fidei enim & societati à Selymo acceptæ nitebantur. Turcæ scaphis in terram expositi, agros vastare, rapere queq; obuia, multaq; hostilia exercere. Corcyræi cùm Turcarũ petulantiam diutius ferre non possent, erumpentes armati in Turcas, eos passim vulnerârunt & occiderunt. Nihilominus Sinanem & reliquos Proceres amicè salutabant, & in vrbẽ recipiebant, muneraq; qualia ab amicis accipi solent mittebãt: at Sinanes spretis muneribus Corcyræis grauiter minitabatur, quòd homines Selymi

Guleta capitur à Turcis.

Arx noua Tunetana capitur.

Corcyræorum cum Turcis contentio.

1574 tam crudeliter occiderant. Illi amicos se Selymi esse, defendi à suo milite debere, non offendi; se lacessitos & graui damno accepto ad arma proruisse, &c. Sinanes eorum causæ ęquitate, iustisque rationibus spretis, irato stomacho. hyemis iniuriam metuens, vela ventis dat, & magno cum triumpho Byzantium ingressus est. Veneti tyranni arrogantiam, implacabilemque iracundiam veriti, in præteritorum temporum fœdifragas Turcarum factiones, præcipuè verò in Iaderensis agri inuasionem, prospicientes, indictionibus per ditiones suas imperatis, de munienda Corcyra consilium captare cœperunt.

Mussitabatur etiam eodem ferè tempore de expeditione noua, vere nouo, in Cretensem insulam suscipienda: omniaque ad eam necessaria per omnes Turcarum ditiones inquiri, emi & comportari. Magna enim Selymus, hac victoria elatus, sibi in futurum annum pollicebatur: sed dissipauit Dominus consilium eius, & repentino morbo percussum, è viuis migrare iussit. Antequam moreretur, Cæsareæ Maiestatis Oratori dilatum diutius anno responsum, de prorogatione induciarum, tandem dedit: & octo annorum pacem promisit: nec diu post Seraglium Portæ Imperatoris Constantinopol. vicinum incendio perijt: quod intra biduum vix potuit restingui. Damnum, quod Selymus eò passus est incendio, decies centenis aureorum millibus, multi pluris æstimabant. Papa quoque seu sacerdos Turcarum summus, quem Mufftì appellant, circa idem tempus mortuus, ipsorum more, inter eiulatus, choreas, cantus, & lamentationes est elatus. Hæc lætitiam è victoria conceptam nonnihil moderârunt.

Byzantinæ vrbis status.

Portenta huius anni.

Hi sunt præteriti anni prodigiorum, portentorumque effectus, qualia etiam hoc anno quædam conspecta commemorat doctissimus Cornelius Gemma. Decimo nono namque Februarij, circa deditionem oppidi Middelburgensis, multa, inquit, è prodigiorum numero, tum nostro Belgio, tum Franciæ atque Germaniæ contigerunt. XVII. Ianuarij naues ardentes non procul à Lunæ corpore conspectę sunt, cum paraselinis aureis colore sanguinis interfuso. Magis horrenda, quæ Purificationis profesto obseruata à varijs memorantur, ceu bella & cædes in nubibus exaratæ, cum fremitu & stridore pugnantium inter se. Cit-

ſe. Circa eadem tempora tanto ſplendore & magnitudine Venus effulſit, circa Occaſum, vt multis plebeios inter & imperitos pro nouo ſydere ſit conſpecta: nonnulli & Cometam crediderint, cùm inter nebulas rariores effuſa coma inſtar ardentis lampadis rutilaret. Menſibus Ianuarij & Februarij nouum ſydus, de quo anno M.D.LXXII. dicebamus, adhuc vtcunq; conſpectum eſt: ſenſim tamen ita diſparuit, vt veſpertino tempore, præſertim Luna præſente, minimè cerneretur: manè commodius: ſed inſtar puncti primùm, poſtremò vt nebula & ſtellæ veſtigiū appareret. Menſe Martio ſæpe nunc obliteſceret, nunc rurſum ac velut momento viſum ſuo fulgore perſtringeret. Tandem circa medium Aprilis omnino diſparuit. 1574

Nouum ſydus diſparet.

Annus hic multorum Principū obitu eſt celeberrimus. Nam præter Carolum IX. Galliarum Regem, de quo in Gallicis dictū eſt, obijt etiam decima quinta die Decemb. ſummus Turcarū Imperator Selymus, in cuius locum Sultanus Murates, ſeu Amuratha filius natu maximus, XXVII. annorum iuuenis, tanto ſilentio à Baſſis ad occupandum imperium accitus, ſucceſſit, vt non prius Conſtantinopolim vēturus, quàm adeſſe, ab omnibus ſuſpicaretur. Qui imperium ſuum à cæde quinq; fratrum, duarumque nouercarum, quarum vna grauida erat, & multorū Procerum, pro more veterum Imperatorum Turcicorum auſpicatus, omnibus terrori ac formidini eſſe voluit. Hic Genizaris indignantibus, eò quòd ſe inſcijs imperium inuaſiſſet, (vt eos placaret) multa priuilegia conceſſit, ſtipendia auxit, mutilatos in prælio immunes à bello fecit, victumque illis ad vitam tranſigendam dari iuſſit: ſingulis à ſummo ad minimū quinquaginta thaleros largitus eſt: numerum eorum duobus millibus auxit, ita vt iam ſedecim ſint millia: filios illorum, vbi adoleſcerent, Genizaris adſcribendos conſtituit. Quamuis pater, à Sinane Baſſa perſuaſus, magnos belli apparatus comportari iuſſerat, tamen priuſquam imperium domi ſtabiliuiſſet, nihil ſibi tentandum eſſe foris exiſtimauit.

Mors Selymi.

Eodem menſe Decembri die viceſimo ſexto Carolus Lotharingus, iſtius ætatis lumen, fulcrumq; ſanctæ Eccleſiæ, Princeps nunquā ſatis laudandus, Cardinalis & Archiepiſcopus Rhemenſis, Auenione vitam auſpicatò initam, feliciter actam, fine beato clau-

Mors Cardinalis Lotharéni.

1574 sit: idque summo Caluinistarum voto, siue quia prudentia, consilio, & auctoritate sua conatus & conspirationes illorum semper interturbaret, siue quòd in conuentu Possiaco Petrum Martyrem, Bezam, aliosque Ministros decem luculenta oratione lethaliter vicerat, & vniuerso (vt Genebrardus loquitur) conuentui piaculares reddiderat. Exequiȩ magna cum solennitate in æde Carthusianorum celebratæ sunt. Inde paulo post cadauer translatum est Rhemos, ibiq; honorificentissimè sepultum est.

Vitæ quoque pensum hoc anno absoluerunt Guidobaldus Dux Vrbini, & Cosmus Medices, Magnus Hetruriæ Dux, qui Franciscum filium hæreditarijs prouincijs successorem reliquit: Guilibaldo Vrbinati successit Franciscus Maria, qui initio principatûs sui omnia vectigalia ab auo imposita subditis remisit, exules reuocauit, bona fisco subsignata legitimis dominis restituit, nouam Reipub. faciem instituit, multaque peregit optimo Principe digna.

Episcopo etiam Monasteriensi, Osnaburgẽsi, & Padelbornensi Ioanni Comiti ab Hoia, Ioannis in Suecia olim militantis, & Margaritæ sororis Gostaui Regis Sueciæ, viduæ Ioachimi à B ae filio, hic annus fuit lethalis. Huius Principis cùm infinita in Ecclesiam Catholicam, & in tres suas Diœceses extent beneficia, ipseque Præsul fuerit excellenti ingenio ac eloquentia, & multarum linguarum cognitione ornatus, meritò quidam eius vitam elegãtissimo Epitaphio complexus est, quod & nos in gratiam amicorum Monasteriensium hoc loco ponere voluimus.

VViburgũ vrbs est in finibus Finnoniæ & Russiæ.

Patria VViburgum gelido sub Finnonis axe
Dat regio, matrem Sueda dat, Hoya patrem.
Exulo Reualiæ: nam clauserat vltima vitæ
Marte pater, curis mater, vterque foris.
Vnica principium transmittit Olympias æui,
Sumptibus exilij mancipor inde scholæ.
Patria non minimo mihi iure requiritur Hoya,
Causa me studij Gallica vidit humus.
Assequor Italiam, linguas mihi comparo septem:
Sors mihi sæpe fuit candida, sæpe nocens.
Crescit honor: Spiram veniens Assessor agebam,
Osnaburga mihi Præsule cassa datur.
Ad Cameram Iudex repetor, Suedana reuiso
Oppida, Gustauum viso, nec æquus erat.

Sceptra

Sceptra Monasteri tandem mytrata capessio: 1574
Vrbs quoque postremò contigit alma Padæ. Episcopatum Padelbornẽsem intelligit.
Plura mihi correcta statu mutantur vtroque,
Siue fidem spectent talia, siue forum.
Me Papa, Cæsar, Rex coluit, Dux, Marchio, Princeps:
Res mihi si qua fuit, Principe digna fuit.
Naturæ dotes sicut Pandora ferebam.
Sum mihi, non alijs, si feror esse, nocens.
Noctem Luna dedit morti, Sol addidit horam,
Vix ego lustra nouem, mortuus ante diem.
Quid sim, quid fuerim, mors exprimit, omnia feci:
Sum nihil, illud ero, quod mihi Christus erit.

In Monasteriensi VVestphaliæ principatu amplissimo, Ioannis Hoyensis morte vacante, electus est Ioannes VVilhelmus, VVilhelmi Cliuẽsis & Iuliacensis Ducis filius, annos natus XII. Qui cùm ob ætatem immaturam nõdum gubernationi esset idoneus, dati sunt ei Rectores auctoritate & vsu rerum excellentes, & in his Conradus de VVesterholt summus Episcopi vicarius est designatus. Sed cùm sequenti anno maior natu Ducis Iuliacẽsis filius Carolus Fredericus in Italiam, vt obseruantiam & studiũ ergа Pontificẽ & Catholicam Romanã Religionẽ suũ ostẽderet, ꝓfectus, anno Iubileo Romę, anno ætatis XX. obijsset, & in solo Ioanne omnis spes familiæ Iuliacensis &c. propagandæ recumberet, Episcopatum resignauit, hac conditione, vt consobrino suo Ernesto Duci Bauariæ traderetur. Sed orto inter Canonicos dissidio, Pontifex Romanus Gregorius decretũ editis literis interponit, quo resignationẽ Ioannis VVilhelmi se nõ cõsentiente factã irritã pronũtiauit. Quamobrẽ Ioannes VVilhelmus amplius decennio adhuc Monasteriẽsem Diœcesin gubernauit. Osnaburgẽses, quibus Ioannes ab Hoya XXI. annos præfuerat, Henricũ Ducem Saxonię, Louvvenburgensem, Archiepiscopũ Bremensem sibi Antistitem postularũt. Padelbornẽses verò Archiepiscopo Coloniensi Salentino Comiti ab Isenburg, heroica animi & corporis maiestate, suam Diœcesin administrandam tradiderunt. Is etsi breui tempore præfuit, arcem tamen Beueringam ad Visurgim, & reditus aliquot Episcopi oppigneratos redemit, Scholãque templi Cathedralis erexit, eius redditus auxit, & inspectores perpetuos ex Collegio præfecit.

Denique præter alios quàm plurimos, etiam Margarita

1575 garita Emanuelis Sabaudiæ Ducis vxor, Francisci I. Regis Galliarum filia, Henrici II. soror, ex calamitoso hoc sæculo ad vitæ æternæ libertatem emigrauit: de qua nescio quid nugentur Hugonottæ, tanquam isti sectæ, dum vixit, fauerit, cùm semper Catholicè vixerit, & in eadem Religione sanctè obierit. At Angronia, cæteríque conuallenses Sabaudi, Caluinianæ Religionis, eius gratiam & fauorem sæpenumerò sunt experti: Esto, id pro placido suo ingenio, Christianaque fecit misericordia, non vt eos in erroribus corroboraret, sed vt eos sua bonitate & lenitate ab erroribus reuocaret, ne linum fumigans extinguere, & calamum conquassatum confringere videretur.

Annus Iubilæus. ANNVS M. D.LXXV. erat in Italia tum alias ob causas, tum potissimum ob Iubilæum celebris, ad cuius gratiam participandā tanta hominū frequentia Romā venit, quanta ne à multis quidem seculis visa est. Pontifex nullis pepercit sumptibus, vt populo ad sacra loca visitanda confluenti obsecundaretur. Vt autem cum minori molestia Ecclesiam S. Ioannis ad Lateranum adire possent, magnis *Pontificis fabricæ.* impensis & laboribus viam commodissimam ab Ecclesia B. Mariæ Maioris ad Lateranum vsque aperuit, & ad peregrinorum vsum strauit. In eodem quoque templo B Mariæ porticum magnificentissimè restaurauit, cum hac inscriptione:

Gregorius XIII. Pont. Max. Eugenij labantem porticū deiecit, & magnificentius restituit. Viam rectam ad Lateranum aperuit, Anno Iubilæi M. D. LXXV.

Magna pestis in Italia. In multis Italiæ ciuitatibus hoc tempore dira & contagiosa pestis grassabatur: quæ Tridentum, Mediolanum, & Venetias grauius, quàm alias ciuitates depopulata est. Mediolanensibus refrigerio fuit sanctissimus ille Cardinalis, cuius laus æternùm viuet, Carolus Borromæus, vrbis illius Archiepiscopus: qui nec opibus, nec facultatibus, nec propriæ personæ pepercit, vt miserrimo populo opitularetur: nō veritus pro salute suorum quotidie, imò singulis momentis eos visitando, ijsque proprijs manibus ministrando vitam suam grauissimo, manifestissimoque periculo exponere. Venetijs infinitam hominū multitudinem lues ista cōsumpsit, adeò vt Sacerdotes & Religiosi ad morientes Sacramentis procurandos non sufficerent. Ludoicus

doicus Mozenigus ea tempestate Venetorum Dux omnia humana diuinaque remedia adhibuit, vt pestiferum hunc morbum fugaret. Votum etiã Deo nuncupauit, se templum in honorem Seruatoris ædificaturum, si diuina eius Maiestas vrbem hanc à tam horribili cõtagione liberaret. Non multos post dies morbus hic cœpit minui, & paulò post omnino conquieuit. Tridenti maior pars hominũ obijt. Multæ interim ciuitates Italiæ singulari beneficio Dei immunes ab hac lue fuerunt, & quidem potissimum Roma, vbi tanta tunc hominum vndique venientium erat frequentia. 1575

Roma immunis à peste.

Pontifex Romanus Murati Sultano, etsi foris nihil moliri hoc tempore velle videretur, non confidẽs, sed veritus ne vt imperij paterni, sic & cõsiliorum, cupiditatisque patris futurus hæres esset, finesque Italiæ bello lacesseret, Latinum Vrsinum, virum rerum bellicarum peritum mittit, vt omnes munitiones, quæ sunt imperij Ecclesiastici, recognosceret, Anconamq; vrbem maritimam Piceni multa diligentia muniret. Paciotus itaque Vrbinas iussu Pontificis & Vrsini eò profectus, præualidum in vrbe propugnaculum excitauit, quo portus in formam hemicycli perductus defenderetur, & classes hostiles maioribus tormentis facilè repelli possent: mœnia quoq; vetustate penè collapsa restaurauit, aliaque ad defensionem necessaria instruxit. Summũ imperium Iacobo Boncompagno Pontificis filio datum est. Magister quoque militiæ Melitensis viros munitionum peritissimos omnia insulæ loca iussit explorare, & sicubi opus esset, munire. Insulani in omnem rem erant intenti, & speculatoribus suis nauibus classem Turcicam diligẽter obseruabant. Idem fecêre Veneti, Ferdinando Vitellio mandãtes, vt Corcyram nouis propugnaculis quibus locis insula infirmior erat, muniret. Metus huius causa erat classis, quam Murates instruebat, de qua suo loco dicetur.

Pontifex munit Anconã.

Melitẽses insulam.

Veneti Corcyrã.

In Gallia Regius exercitus longam illam adhuc Liberonis obsidionem trahebat: quam vrbem cùm initio mensis Ianuarij per dies aliquot maioribus tormentis iterum disturbâssent, octauo tãdem die secundam oppugnationem Bellegardius instituit, & quidẽ maiori quàm priorem furore & contentione: sed tanta fuit propugnantium fortitudo, vt quoties Regij in

Liberonis obsidij continuatio.

1575 vrbē irrumpere conarentur, toties nō sine suorū clade sint reiecti, donec receptui caneretur, & pedem referre oppugnantes cogerentur. In hac pugna mulierū non minus quàm virorum virtus emicuit, quæ cominus cum hostibus pugnantes, quàm plurimos ex illis interfecerunt, & vulnerârūt, sociarum strage nullo modo exterritæ, quin intrepido animo per aceruos morientium (ingens enim oppidanorū in hac oppugnatione numerus perijt) vnà cum viris ad hostes accedebant, acerrimumque eorum impetum egregiè sustinebant. Infaustus hic secundæ oppugnationis exitus obsidioni visus est finē imposuisse. Multis enim postea diebus à tormentis & pugna oppidanis quies fuit: qui indefatigabili tamen labore ad instaurandas munitiones interea incumbebant, licet superioris pugnę laboribus fatigati. Sub XI. diei noctem Blaconius, Vilarius, Villædiæus, & nonnulli alij tribuni LII. milites subsidio in oppidum introduxerunt. Dum tam infeliciter ad Liberonem pugnant Regij, Danuilliani, ope quorundam exulum, Aquas mortuas astu insignī occupârunt. Est ea vrbs maritima, non parui momenti, tum propter maris & ditissimi oppidi opportunitatem, tum propter salis æstuaria, quæ ibi sunt ad Peycaium nobilem salinam. Vrbem occupatam Hugonottæ & Politici miseris modis spoliârūt. Præter militarem licentiam, barbaramque in vtriusque sexûs homines insolentiam, prædam ex pacto totos septem dies abegerunt. Quò factum, vt complurium bona direpta sint, quæ illò, tanquam in tutissimum locū vicinorum oppidulorum incolæ transportauerant. Erat tunc Danuilla Nemausi conuentui habendo, quē varijs de causis indixerat, fœderi plenè sanciendo occupatus. Nouis etiam Regis & Condæi (cuius legati Bellouezius & Chelarius iam venerāt) literis solicitatus, vt de postulationibus, quas Regi essent propositurí, deliberaret. Concluditur fœdus, Danuilla nouis his rerum successibus exultante: & ad XII. Ianuar. hac de re scriptum Danuillæ titulo editur.

Danuilla Aquas mortuas occupat.

Mompēserius ex aduersa parte, Regiæ stirpis Princeps, in agro Pictauino nō minus feliciter, quàm strenuè pro causa Regis contra factiosos bellum gerebat, non leui hostium incommodo. Fontenæū enim vrbem frequentem & copiosam expugnat: Lusignanū, cui arx est & loci natura, & admirabili opere munitissima,

Regiorum victoriæ.

tissima, deditione cepit, vnde Rupellenses maxima 1575
detrimenta acceperunt. Ita anceps belli alea hîc fauet, illic aduersatur. In exercitu Regis ad Liberonem res lentius & frigidius gerebantur indies, quòd duces tũc de expugnatione oppidi desperarent, quoniam præter militum iacturam, qui in oppugnationibus perierant, grauis quoque morbus cohortes, maximè Pedemontanas inuaserat. Rex, qui Auenione erat, cùm audisset infelicem in oppugnatione Liberonensi suorũ successum, perpendens secum quanti interesset, se pro more vngi & coronari, XIII. die Ianuarij Auenione discedit, & in castra venit. Cuius aduentum cùm oppidani resciuissent, multas in eum machinas excusserunt, nullaque habita Regiæ Maiestatis reuerentia, è mœnibus stentoris vocibus, quas in castris Rex facile audire potuit, in Regem & Reginam omnem contumeliam, probrum, calumniam & ignominiam euomuerunt: mimicis etiam gestibus & scurrilibus actionibus vtrumque omni pudore deposito insectantes. Sub noctem eius diei, quo Rex in castra venit, Liberonenses eruptione facta Heluetiorum complures trucidârunt, & stationem, quæ ad mœnia erat, euerterunt. Tandem cùm aduersa videret omnia Bellegardius, sub XX. cùm nebula totam planiciem tegeret, maiora tormenta ad Rhodanum transuectat, nauibusque imponit, copias à Liberone abductas in vicina oppida & circumiacentes pagos distribuit.

Regij Liberonensem obsidionẽ soluunt.

Soluta Liberonis obsidione Henricus Rex partem copiarum abducit, partem Vticensi (qui & Acierus dictus, infensissimus quondam Catholicorum hostis, nunc deserta Hugonottarum causa, ad Religionem Catholicam & Regem transierat) reliquit. Cui mandatum à Rege est, vt bello Occitanico daret operam. Hostibus vbicunque posset incommodaret, ac Danuillæ sese opponeret, in cuius etiam munus & administrationem Regijs literis iam erat suffectus. Interea pacis consilia non sunt postposita vel neglecta. Inter Danuillam verò Politicosque & inter Hugonottas nuper confœderatos querelæ & simultates exortæ sunt, de Religione, de moribus, de vrbium restitutione, traditione, & custodia: de vectigalium exactionibus, alijsque non leuis momenti causis: quæ contentiones adeò partium animos exacerbârunt, vt deficientibus multis ab Hugonottis ad Politicos, vtramque iam partem

Acierus bellũ administrat in Occitania.

Contentiones inter Politicos & Hugonottas.

1575 tem initi fœderis pœniteret. Danuilla nihilominus fœderis nomine exercitu in Bliteratem agrum inducto, Bliteris nobili & copiosa Occitaniæ vrbe spe potiundi, multa ignobilia, nulliusque vsui oppidula occupauit. Vticensis contra cum suis copijs suæ ditionis agrum ingreditur, Vtica nobili & frequenti vrbe potiundi consilio. Castella nonnulla cepit, & Sanferreolium oppidum, Vticæ proximum, suo imperio subiecit: quod egregiè ab Vticensi munitum, grauissima Vticensibus damna importauit, ita vt egredi vrbe nemo, nisi cum summo periculo posset.

Henricus III. sexagesimus-primus Galliæ Rex inungitur.

Henricus interim Galliarum Rex ad XV. Februarij pro more atque instituto Gallorũ inauguratur & vngitur Rhemis: Elizabetham verò Caroli IX fratris viduam, mox ad Cæsarem Maximilianum, Cardinale Estense eam comitante, remisit. Nec diu post ipse Claudiam, Vaudemontij Principis Lothareni filiam, ducit vxorem, magna cum subditorum admiratione, quòd tantus Rex, tam humili natam prosapia puellam, matrimonio sibi copularet: sed quia ad miraculum vsque erat formosa, iamque nubilem erat ingressa ætatem, certa ex ea proles expectabatur: quæ tamen necdum est subsecuta.

Nuptiæ Regis Henrici.

Dum Vticensis in suis palatur ditionibus, Hugonottæ, ducibus Geydano & Brochio, Alezium in agro Seuenatum vrbem primùm, deinde etiam castrũ adiunctum occupârunt: & paulo post arcem Pusini (oppidum iam ante inuaserant) nouo stratagemate & proditione rusticorũ superârunt. Turingianus quoq; Comes, qui partes Danuillæ sequebatur, Periguriam, Briuam & Vzerchium Catholicis extorsit: mox etiam Bessum, Pusino vicinum oppidũ, sceleratissima proditione (hæc enim omnis eorum est Achilles) Hugonottæ sibi subiugârunt. Melssæus quoque Andanziam ad Rhodanum arte simili prehendit: sed Lugdunenses, summa vsi celeritate, oppidũ recuperârunt, captumq; Melssæum cum suis Lugdunum adduxerunt.

Bellum Gallicũ.

Ad Condæum interea, Basileæ tunc inter aulicos suos luxuriantẽ, Rupellenses, Delphinates, Prouinciales, Occitani Hugonottæ legatos suos miserunt. Quos subsecuti sunt Danuillę & Politicorũ, qui se Catholicos vnitos nominabant, legati, Maria Danuillæ à secretis, & Sozius Monpessulanus: omnes, vt maturè cum Rege paciscãtur Cõdæus & Danuilla, obsecrãtes.

Catholici vniti.

Cessabant

Cessabant enim commercia, indictionibus & tributis 1575
populariuth opes exhauriebantur, exercitus re pecuniaria laborabat, varia quotidie oriebantur incommoda. Interim Rex in futurũ ver incredibiles copias colligebat, quæ omnia non immeritò populo metum & formidinẽ pariebant. Condæus auditis eorum postulationibus, Legatos suos Lutetiam misit, ipse interim à Duce Sabaudiæ, Tigurinis, Bernatibus, Basileẽsibus, & Schafhusianis, vt apud Regem pro se intercederent, impetrauit.

Condæus intercessores petit.

Murates Turcarum Imperator maximam classem tum Constantinopoli, tum alijs in locis instrui, ædificarique iussit, cui Vlizaliũ præfecit. Hæc est illa classis, qua totã Italiam territasse diximus. Inter alias triremes vnũ nauigiũ fieri curârat inusitatæ magnitudinis & pulchritudinis, quod habebat xxxvj. transtra, & singulis remis quinque homines propter molis magnitudinẽ adiungebantur: quã vt videret Murates profectus est, multóq; bombardarũ strepitu salutatus, parũ abfuit, quin ipse cum xxx. Turcarũ Proceribus, qui laniati occubuerũt, rupta quadam machina, interfectus fuisset. Dumq; Murates magna secũ meditatur, & ardua bellorũ initia, Deus tantam pestem, tantamq; famem in castra & totũ ipsius Imperiũ immittit, vt nihil tunc minus, quàm de bello cogitaretur. Murates agnoscens iram diuinam, numen morũ emendatione placandũ censuit. Vetuit igitur, ne quis in imperio abominanda (Turcis familiari) Venere vteretur, ne quis Deũ blasphemaret, ne quis plures vxores simul haberet: ipse aperto septo imperatorio, 500. mulieres formosas, prostitutasque puellas dimisit. Ipse priuato mercatoris habitu obambulans, cùm ad forum venisset, & prostare pauca videret, plurima verò in officinis, tabernis & penuarijs recondita sciret, monopolarum fraudem animaduertit. Multos itaque apprehendi, & suspẽdio necari iussit: quo facto cõfestim omniũ rerũ, potissimum annonæ, ingens copia vænum exposita est.

Sultanus classẽ instruit.

Pestis in Turcia.

Germania hoc anno tranquilla fuit, nec vllis motibus obnoxia. Maximilianus Principes ad Comitia Ratisbonæ instituta cõuocauit. Ad ea profecti Electores & Principes, Rudolphũ Maximiliani filiũ, paulò ante Casurgij Boemiæ Regem designatũ, Romanorum Regem creârũt. Ad hæc Comitia Hẽricus Borbonius,

In Comitijs Ratisbon. Rudolphus Roman. Rex eligitur.

1575 Princeps Cōdæus Argentorato Legatos suo, & Alenconij nomine mittit, ab Imperatore Maximiliano petitū, vt ipsius intercessione Regi conciliarentur, & pax Caluinianæ Religioni, cæterisq; Galliç Principibus sibi confœderatis restitueretur. In Liuonia maiores motus fuere. Nobiles enim Liuones, & Germani Regis Sueciæ equites arces & oppida Habsel, Lode, Leal à Sueco Ipsis stipendiorū non solutorum nomine ante sesquiannum oppignerata, Daniæ Regi vendunt, & vicario Regis in Osilia Nicolao ab Vngern tradunt: qui vicissim octoginta milliū aureorum solutionem ipsis ad Ioannis Baptistæ natiuitatem pollicetur, securitatemque à Russis, cum quibus pax & fœdus Dano erat, promittit. Sed paulo post agrū istius tractûs omnē Moscis crudeliter deuastantibus, & Metropoli Habsel occupato, Danus hac possessione deiectus est. De qua re sequenti anno latius dicturi sumus.

Liuonici tumultus.

Poloni Rege destituti, quotidie literas ad Hēricum Galliæ Regem mittunt, eius reditum in Poloniā flagitantes. Sed cùm ille inani spe Polonorū animos distinere videretur, tandem Comitijs VVarsauiam indictis, vt orbitati patriæ, paci & securitati publicæ consulerent, certum diem Henrico constituerūt: quo, si non adesset, se ad alterius Regis electionem progressuros nuntiant. Omnes te hîc, inquiūt, Regem optabamus, & requirebamus. Sed quē intueri, quem alloqui, quo cum agere potuissemus, habuimus neminem. Est certè verum quod scribimus, Serenissime Rex, non defuisse nobis animos, non occasiones, non commoditates, non etiam causas, vt patriam seruaremus, liberas voces ad eligendum nobis Regem alium conuertere, & spretæ patriæ ignominiam, periculaq; imminentia noua Regis electione detergere: sed natura, constantiaque nostra vincit necessitatem eam: nec id quidem sine periculo, ne sequamur prius, donec à te sciremus, an ad nos redire, nobis semper imperare, sceptraque Poloniæ gestare velis. Voluntatem tibi esse quidem quis dubitet? Regia virtus & natura tua, non Septentrionis fortasse modò, sed Regnorū etiam aliorū imperiū cogitat. Sed voluntatē istā multis fortasse cogitationibus occupatā, aut temporū necessitate distractam, non vult Polonia magno suo cum malo expectari, te longū tēpus expectando. Vis igitur Rex noster esse: venias quàm primùm in Regnū, hoc cape, sceptra

Polonorū literæ ad Regem Henricū.

ptra

ptra semel tibi data accipe, gladium regalem, quo nos defendas à vicinis hostibus, quorum arma iam personant in auribus, micant in oculis, ex VValachia, Scythia & Moscouia. Veniendũ est autem maturè, ne cõsilia & machinationes hostium longa tua expectatione maturescant, & nos, Regnumque hoc perfundent. Rege diu carere non possumus, propter grauissima pericula in quibus tanquam in lubrico versamur, quæ talia sunt etiam, vt nequeant à nobis, nisi præsente Rege tolli. Propter enim discessum tuum multis domi incommodis affecti sumus: bona regalia à militibus occupata, stipendia promissa, & non soluta, priuatorum in publica bona immissiones, direptiones, occupationes. Non commemoramus licentiam, iniuriã, cædes, audaciam quorundam quidlibet faciendi. Nec vindicari absente Rege, silente lege, conuersis omnium ad extrema pericula oculis vix facile possunt. Ne igitur longa irritaue tui aduentûs expectatione nos suspensos teneas, & cunctatione tua Regnum maioribus periculis inuoluas: non ægrè feres quod pro salute patriæ facimus, & tibi tẽpus in Poloniã redeũdi assignamus. Hoc autẽ est, Sereniss. Rex, quatenus adhuc humeris nostris pondus periculi huius sustinere posse nos arbitramur, & te ad nos cõmode ex Gallia in Poloniã peruenire, nobiscũq; esse posse iudicamus, duodecimam diem mensis Maij proximè venturã: pro quo etiam tẽpore Comitia magna decreta & instituta esse scito, ad quod quidẽ tempus assignatũ, ad ea quoq; Comitia te vniuersa Polonia expectat: vt venias in Regnũ hoc, in Comitia illa, quæ sunt instituta, vt deliberationes cum senatu & ordinibus Regni iuxta morem & consuetudinẽ præscriptarũ legũ absoluas, & pericula imminentia vna nobiscũ amoueas: tum etiam cõditiones ab Oratoribus tuis in conuentu electionis receptas, & iuramento firmatas, atque conditiones & articulos per Legatos tibi oblatos, ac hos per te ipsum Parisijs, illas verò per Serenissimũ Carolũ, olim Galliæ Regem, fratrem tuum desideratissimũ sacramento roboratas, cõfirmes, expleas, & reipsa præsties, ac in posterum Rempub nostrã præsens semper gubernes. Hæc & alia plura in eã sententiã Ordines Poloniç ad Regẽ. 1575

Cæsar in pace Belgica laborat. 1569.

Maximilianus Imperator, vt ingentia bellorum in inferiori Germania incendia extingueret, nihil intentatum reliquit: fratrem, vt dicebamus, ad Regem in

1575 Hispanias hanc ob causam legauit, eò Regis animum inflexit, vt Auraicus honori, dignitati, & fortunis restitueretur. Quod quò minus fieret, fœdus Auraici cū
1572. Gallo impediuit. Non destitit Imperator secundò pacem inter partes iam magis exacerbatas vrgere, promittens Auraico omniū dominiorū, bonorumq; restitutionem: aut si minus ea, quæ in Belgio possederat, Rex vellet reddere, Comitatū Charoloensem, seu alia bona feudalia in alijs prouincijs, non minus quæstuosa, quàm illa Belgica pollicebatur. Sed Auraico rebus iam magis ex voto succedentibus, irritus fuit & iste Cæsaris conatus. Cùm igitur sub finem anni precedentis inaudisset, Belgas iam bello fatigatos, vltro in pacem propendere, & iam locum de pace transigendi, tempusque decretum esse, tertiò curam eam in se suscepit, vt negotium hoc promoueret. Misit itaq; in Belgium Guntherū Comitem Scvvartzenburgēsem, vt pacem, quocūque modo posset, inter Regem & subditos conciliaret. Is ad XX. diem Ianuar. in Belgium veniens, Dordracū profectus est. vbi Auraicū cōuenit, cui legationis causam explicauit, vltro citroque proficiscendo id effecit, vt initio Martij Bredæ legati cōparuerint; ex parte Regis, Comes *de la Roche*, è familia Laleiniorum, Rassingemius, Arnoldus Sasboltius, Carolus Suysius, & Elbertus Leoninus: ex parte Auraici & Ordinū Hollandiæ, Zelandiæ, & cōfœderatorum Iacobus Doestius, Aldegondus, Carolus Boysetius, Arnoldus Dorpius, Ioannes Iunius iunior, Paulus Busius, & Niueltius. Qui cùm secundo die Martij conuenissent, Hollandi & confœderati responsum ad libellum suum supplicem postulârunt, quo petebatur, vt Rex omnes exteras nationes è Belgio euocaret, & consilio Ordinū Patriæ Belgium deinceps administraret. Rogati quos pro exteris haberent, & quos Ordines generales nominarent, responderūt: eos omnes exteros sibi esse, qui in aliqua septendecim prouinciarum nati non essent. Ordines verò generales se nominare, talem conuentum Ordinū, qualis tempore Caroli V. quando filio Philippo has prouincias tradidit, in vsu fuerat. Ad hæc responsum est XIIII. eiusdem mensis die à Regijs: Immeritò Hispanos inter exteros haberi, cùm non minus Regis sint subditi, quàm ipsi Belgæ, & cuius gētis à Maximiliano primo ad hæc vsq; tempora tam præclara in Belgas rerum gestarum exstant monu-

Cæsar Gūtherum Scvvartzenburgium in Belgium mittit.

Colloquiū Bredanū de pace.

monumenta: Regem nihilominus decreuisse, rebus compositis, & pace cõstituta, Hispanum militem, vti & omnes exteros è Belgio reuocare. Quod ad congregationem Ordinum attinet: Suæ Maiestati placere, vt pace facta, Ordinum conuentus, si petatur, fiat. Regem eorum consilio omnia velle agere, quæ ad illorum cognitionem pertinent, & in rebus, in quibus pro more & consuetudine patriæ Ordines Rex consulere solet: non autem in ijs, quæ ad cognitionem & arbitriũ solius Regis pertinẽt: in huiusmodi enim & Regem, & eius Legatum seu Gubernatorem peculiare suum habere Conciliũ. Porrò quia huiusmodi generaliũ Ordinum congregatio difficilis & incerta sit, temporis quoque diuturnitatem exigat, nec commodè fieri possit, priusquam arma vtrinque ponantur, Regem Hollandis, Zelandis, eorumque socijs offerre. I. Restitutionem omnium priuilegiorum, constitutionum, iurium, & consuetudinum, qualiacunque & quomodocunque ea ante bellum exortum fuerũt. II. Ἀμνηστίαν, seu obliuionem omnium, quæ tempore tumultûs huius acta sunt. III. Iudiciorum, sententiarumque seueriorum, exilij, bonorum confiscationis, & similiũ abolitionem. IIII. Bona & fortunæ vtrinque ablatæ veris dominis restituuntor, tales quales nunc sunt, & inueniuntur: vsum fructum seu redditus earum ab vna vel alia parte accepti non redduntor. V. Captiui vtrinque absque vllo lytro dimittuntor, tam Comes Bossutius, quàm alius quicunque & cuiuscũque conditionis aut ordinis ille sit: data verò lytra nõ reddũtor. VI. Princeps Auraicus, Nobiles & Optimates vrbium Hollandiæ, Zelandiæ, & confœderatorum, Regi prouincias, vrbes, oppida, castra & munitiones; naues etiam, tormenta, apparatum bellicũ Regi ablata, interuersa, aut ad se translata restituuntor. VII. Quicunque ædificia, bona, redditus ad Ecclesiasticos aut alios homines pertinentia in suum vsum conuerterint, ea veris possessoribus, si adhuc integra sint, absq; vllo dolo malo cedunto. In causa verò Religionis ostenderunt Legati Regem nihil immutare posse: sed vnam Catholicam Romanam in omnibus suis prouincijs liberè & pacificè velle obseruari: ea enim cõditione Suam Maiestatem harum prouinciarum administrationi initiatam esse, eamq; solenni iuramento defendendam suscepisse, quomodo & Ordinibus

1575

Conditiones pacis à Rege Geusijs oblatæ.

1575 tunc temporis, & non adeò nuper, diserta protestatione declarauerit: se in ea Religione viuere & mori decreuisse. Velle tamen Regem cum suis subditis, Catholicè viuere nolentibus, benignè agere, & pro hac vice ipsis concedere, vt Belgio exeant, ad loca suæ Religionis transmigrent, & certum temporis spatium de communi consilio ad hoc præscribendum ipsis permittere, hac tamen conditione, vt interea pacificè viuant, nullum Religionis suæ exercitium vsurpent, aut cuiquam offendiculum præbeant. Quamuis denique Regis promissio, eiusque literæ, quas ad confirmationem omnium prædictorum missurus est, aduersæ parti satisfacere meritò debeant, tamen ipsorum arbitrio relinqui, vt si maiorem securitatem, firmioremque satisfactionem postulent, ipsi inter se cõsulant, & qualem velint, significent: Regem ipsis satisfacturum esse.

Ad has pacis oblatas conditiones Legati Hollandorum &c. XXII. Martij scriptum ab Auraico, Culenburgano, Ottone Egmundano, suo & Confœderatorum nomine subsignatum tradiderunt, quo significãt, se in exterorũ dimissione perseuerare: si quæ eorũ in Belgas extent merita, ea nunc abundè compensata esse, cùm plerique iam opulenti facti sint. Eos quidem Regis esse subditos, sed non Ducis Brabantiæ, Comitis Hollandiæ, &c. Deinde eorum insolentiam, & in Belgas iniuriã prolixo sermone referũt, & artificiosè exaggerant: inter alia obijciunt Requesenio, quòd in literis ad Regem omnes Belgas, nullo excepto, hæreseos accusâsset. Hos si Rex in Belgio retinere velit, futurũ, vt qui iam omnia penè oppida & pagos emunt, aut sibi oppigneratos habent, animos subditorũ (sine quibus nullus Princeps securè possit dominari) à Rege omninò reddant alienos. Hispanorum merita, si quæ in Regem, eiusque maiores extent, multo esse minora, quàm Belgarum: id multis diuersorum bellorum exẽplis ostendere conantur. Hispanos anno MDXXII. minimè tolerare voluisse in suis patrijs Belgarũ Principum administrationem, licet hac sua multo æquiorem & humaniorem. Hollandos, Zelandos, eorumq; confœderatos, vt se à vi & iniuria Hispanorũ tuerentur, Gallos, Anglos, Scotos & Germanos inuocasse, nullam eos auctoritatem, aut iurisdictionẽ sibi vsurpasse. Quamuis Germani inter exteros censeri non debeant,

cum

cùm prouinciæ Belgicæ inter Comitatus & dominia 1575
Imperij quouis tempore soleant recenseri. Se tamen promptos, paratosque omnes has nationes dimittere, cùm eorum amplius opus non erit auxilio. Quoad Ordinū congregationē, aiūt, sibi videri patriæ Ordines, quādiu Hispani in Belgio sunt, non cōuenturos esse: sibi etiam persuasum esse, Regem velle auctoritatem & potestatem Ordinum certis limitibus circumscribere, imò occultè diminuere & accidere: eorumque consilio non nisi in inopia argentaria, tributis & indictionibus vti decreuisse: arma autē tamdiu reseruari, vt si imperata facere noluerint, vi cōpellantur, iuxta consiliū Francisci Alauæ, olim è Gallia ad Regentem Parmensem transmissum. Eos autē, qui nunc prouincijs præsunt, Ordinū congregationem odisse, ne illorum ambitio atque auaritia publica fiant, debitisque supplicijs coerceantur. Cęteras conditiones à Rege oblatas tolerari posse, certis tamē additis correctionibus. Nam si Hollandi, &c. Regi oppida, arces, classes, & reliqua bellica traderent, eos decipi posse, vt in apologijs de lupis & ouibus fabulantur: cùm lupi suadere ouibus conarentur, vt abactis, seu traditis canibus, pacificè viuerēt. Auraicū & Ordines publicos Regis hostes haberi, cùm nihil vnquam in eius præiudicium aut detrimentum egerint: sed se, vxoresq; & liberos suos tantummodò à tyrannide Ducis Albani defenderint: quodq; illis obijcitur, bona siue Ecclesiasticorū, siue aliorū hominū vnquā interuertere voluisse, quod ipsis nunquam in mentem venerit, sibi omnino displicere, & mali alicuius suspicionem parere, præsertim cùm ex alio articulo de obseruanda Religione Catholica Romana, & Reformatorum è Belgio excessu, palam fiat, suam Reformatam Religionem pro hæretica, & Reformatos omnes pro hæreticis censeri: cùm tamen nullam aliam Religionem, quàm *Catholicam*, Apostolicam, & Euangelio consentaneam exercuerint, se nihil nisi abusus detestari: in cæteris Deo, quæ Dei sunt; & Regi, quæ Regis reddere. Se itaque cum venia palam profiteri, minimè sibi consultum esse, oblatas conditiones acceptare. In promptu esse Egmundani, Hornani, & aliorum exempla, qui magnificis promissionibus decepti sunt. Fieri tandem non posse, vt tanta Reformatorum multitudo patriam deserat, & solum vertat. Durius esse *Nota.*

1575 tot fideles Regis subditos, cum tanta bonorum iactura, quæ iusto pretio vendi non possent, quàm duo aut tria millia Hispanorum Belgio eijci, & hoc modo industriam opificum, opera & artes è Belgio cum magno prouinciarum detrimento ad exteras nationes transferri. Sed & conditionem huic de exilio Reformatorum articulo additam, *pro hac vice*, non exiguam animis ipsorum suspicionem mouere: fore aliquando, vt Rex ad antiqua de rigidis edictis, & inquisitione renouandis consilia reuertatur: quam inquisitionem adeò Belgæ oderunt, vt etiam residui in Belgio incolæ nouos motus citius concitaturi, quàm eam admissuri sint.

Respondent Regij. Ad hoc scriptum Auraici & confœderatorum Legati regij primo Aprilis contrario scripto responderunt, & illud scriptum, tanquã nimis iniquũ & amarum in eos, quibus cum de pace agendum erat, reprehenderunt. Addunt Regi constitutum esse, rebus quę controuertuntur compositis, omnes exteras nationes ad Hollandorum &c. petitionem dimittere, & vt Belgio excedant, mandare, si idem facere cõfœderati promiserint. Refutabant autem plurimis rationibus opinionem Auraici, & aliorum, dicentium Prouincias Belgicas, Comitatus & Dominia esse Imperij. Commendatorem maiorem purgabant, quòd huiusmodi literas nunquam ad Regem dedisset. Generalium quoque Ordinum cõgregationem statim rebus transactis nomine Regis pollicebantur. Hos esse duos cardines, in quibus omnis ipsorum petitio vertebatur. In his igitur ipsos voti fore compotes. Quod in restitutione vrbium, munitionum, classium & armorum allegarent fabulam de lupis & ouibus, quàm absurdum sit ostendunt, cùm Rex id ab ipsis non postulet, priusquam eam securitatem & satisfactionem ab eo acceperint, quam ipsi aut excogitare aut velle poterunt. In Religionis negotio nolle Regem vel iota vel punctum vnum mutari. Qui è Belgio discedere velint, his Regem permittere mẽses sex, quibus sua disponant: interea sine offendiculo viuentes: ad venditionem verò bonorum suorum ipsis offerri octo aut decem annos: fructus etiam eorum bonorum interea concedi, si à Catholicis administrentur. Regi quidem permolestum & graue esse, tot subditorum transmigrationem: quòd verò verbo diuino, sa-

cris Canonibus,& patriæ legibus,consuetudinibusque 1575
consentaneè viuere nollent,id non Regi, sed ipsis imputandum esse. Conditionem autē, *pro hac vice*, interseri, ne quis in posterum occasionem habeat Religionem denuò mutandi,scandala conciuibus prębendi,& nouos motus concitandi, quod sine contemptu Iustitiæ fieri nequaquam posset. Regem non dubitare, si peregrini concionatores, consistoriales, & alij homines inquieti,qui sub prætextu defendendorum priuilegiorum omnem nouitatem introducunt, aut resipiscerent,aut Belgio excederent, communem populum sanioribus consilijs admonitum, in omnibus contentum fore,& Regis voluntati obtemperaturum, cùm illius mens nūquam alia fuerit,quàm Belgas suos ab omni infortunio,præsertim autem ab Inquisitione Hispanica tueri; quam vt in Belgium inferret nunquam in animum induxerat.

Fœderati spatium deliberādi petunt.

Ad hanc Regiorum legatorum responsionē cùm matura exigeretur deliberatio,nec tutum esset extempore quid admittere,quid negare velint, ob communem plebem pacis studiosam pronuntiare, tandem IIII. Aprilis mensis spatium ad deliberandum postulârunt. Velle enim se,aiebant, responsum debito modo subsignatum interea adferre,ne quis existimaret pacis huius negotium quorundam peregrinorum & priuatorum hominum consilio ventilari. Publicæ quoque fidei literas, pro quibusdam suis legatis, quos cum Schvvartzenburgensi ad Imperatorem mittere decreuerant, & obsidum restitutionem petierunt. Hæc legatorum Principis & confœderatorum postulata Regij partim admiserunt: publicæ verò fidei literæ palam negatæ sunt: verebantur enim, ne isti legati in abitu & reditu quidquam in Regis perniciem molirentur.

Sexto Aprilis Schvvartzenburgius potestatem abeundi petijt,magnis præmissis querelis, quòd tot sumptibus & impensis,tot molestijs & laboribus suis tam parum effectum esset: suasit inducias sex mensium faciendas,interea arma ponenda,confœderatis Religionem Caluinianam permittendam esse; neque enim causa Religionis pacis negotium omittendum,aut inducias negandas.Hæc ille: sed aliter Musarum ille pater,cuius hoc ad Augustum monitum exstat: *Diuinum illud numen omni modo, omni tempore,ipse cole iuxta patri-* *Mecænas apud Di-*

1575 *as leges, & alij vt colant effice. Eos verò, qui in diuinis aliquid innouant, odio habe, & coerce. Non Deorum solùm causa, sed quia noua quædam numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. Vnde coniurationes, seditiones, conciliabula existunt, res profectò minimè conducibiles Principatui.* O verba, inquit quidam, impij ad impium nimis pia. Hoc suum consilium Schvvartzenburgius ad Commendatorem perscripsit, responsum ad illud bidui spatio flagitans. Commendator Octauo Apr. l, Comiti rescripsit, maximas illi agens gratias, pro molestijs & laboribus exanthlatis, quæ Regi suo gratissima fore pollicebatur. Quia verò tam induciæ, quàm securitatis publicæ literæ Commendatori erant suspectæ, respondit; rationes, cur induciæ & armorum positio Regi minus expediat, iam antea redditas esse, nec videre adhuc vel minimam causam, cur Rex ab illo suo proposito debeat recedere. Quòd si tamen duorum mensium induciæ petantur, & Hollandi, Zelandique interea suæ nouæ Religionis exercitium intermittere, ministrosque eiusdem velint ablegare, eas ipsis concessum iri. Præterea sibi non licere Regiæ Maiestati rebellibus publicæ fidei literas, quarum beneficio per Regis prouincias proficiscantur, permittere, cùm aliæ viæ sint ad Cæsarem proficiscendi. Optabat itaque Comiti felicem, faustumque ad Cæsarem reditum, & se eius labores, studium, beneuolentiamque Regi commendaturum pollicebatur. Cùm similia respondissent legati alterius factionis, discessum, & Schvvartzenburgius ad Cæsarem reuersus est.

Dion. Cass. lib 52.

Lipsius libro 4. Polit. capite 2.

Bellum Africanum.

In Africa bellum nouum hoc anno non Africanis tantùm, sed & Lusitanis tandem luctuosum exarsit. Muleius enim Abdallas Xequi filius, & Xarifij æditui quondam Mechæ nepos, Fessæ & Maroci Rex, postquam contra præscriptum testamenti (quo pater cauerat, vt omnes filij secundùm ætatem reges fierent, vnoque mortuo, non eius filius, sed frater succederet) filium suum, quatuor fratribus interfectis, regnorum suorum hæredem instituisset, in vrbe Maroco moritur. Muleius itaque Mahametus, mortuo patre, & Fessæ & Maroci regem sese inuitis subditis iubet proclamari; fratrum altero occiso, altero in carcerem coniecto, & patruo Muleio Abdelmelecho contra testamentum aui excluso. Qui cùm id Murati Turcarum Imperatori, apud quem magno erat in pretio, conquereretur, a Bar-

baro obtinuit literas ad Purpuratos Argeliæ, Iuliæ Cæ- 1575
fareæ, & Tremissæ, quibus iubebantur Abdelmelecho equitatum peditatumque & cætera belli necessaria procurare, quæ ad restituendum illum in regna paterna sufficerent. Summa id celeritate factum est. Mahametus de patrui apparatu certior factus, suos quoque euocat, & educens exercitum, infensis signis patruo occurrit, multis numeris patrui exercitu copiosior. Fit pugna XVII. mensis Martij: succumbente Mahameti exercitu, ipse elapsus Marocum venit, milites eius passim trucidantur, capiuntur, & ad Abdelmelechum deficiunt, qui Fessam profectus, cum magna lætitia excipitur, & Rex inauguratur. Xarifius (vt hoc obiter adijciam) Mulei Abdallæ auus, cùm Mechæ ad sepulchrū Mahometis Prophetæ sui æditus esset, quadam nocte somniauit, se Regem aliquando futurum. Euigilās manè omnia quæ habuit vendidit, & equis nonnullis emptis prædones decem aut circiter initio in societatem suam adsciuit, atque in Arabiæ desertis prædando tantum breui profecit, vt cum aliquot equitum centurijs in Lybiam primò, deinde in Mauritaniam progressus, Fessæ, Marocæque Regnis potitus sit. Hoc modo ex infima fortuna ad Regiam dignitatem euectus, Regna iustè, pacificeque administrauit, filiumque Xequum, patrem huius Mulei Mahametis, de quo agimus, Regnorum successorem reliquit. Ad Gallica reuertamur.

Aprilis decimo Occitanici legati Lutetiam venerunt, vt re cum socijs, qui istic erant, communicata, Regem primo quoque die adirent, & legationem sibi commissam summa diligentia, ne dicam impudentia (constantiam interim vocant) conficerent. Magna excepti sunt cum gratulatione, & insigni magnificentia, beneficentiaque habiti. Postridie Regis adeundi facta est illis potestas. Aderant Reginæ ambæ, Alenconius, Nauarræus, Borbonius Cardinalis, Mompenserius, Rezius, Moruillerius, Limogianus, Chiuernius, Belleuræus, Viliquerius, Principes sanguinis Regij partim, partim Concilij eius Senatores, cum Fizio Notario. Legati Hugonottici & Politici Rege pro more salutato, Condæique & Danuillæ literis traditis, scriptum offerunt prolixum, in quo postulata, quibus pacem se recepturos aiebant, capitibus LXVIII. comprehendebantur: quibus ea à Rege exigebant, vt si Rex ipse, si

De pace agitur in Gallia.

1575 tota Regia progenies, si omnes eius amici ipsorum potestati traditi, catenis vincti, & teterrimis carceribus mancipati fuissent, nec iniquiora Regi, nec sibi commodiora postulare potuissent, Quia verò maior huius anni pars pacis consilijs & ventilationibus exacta est, in ijsque facilè spectatur, quae apud vtramque factionem aequitas, quae iniquitas sit, quae arma iusta, quae iniusta, qui Regnorum & prouinciarum perturbatores, qui seruatores sint. & quid in vtraque parte (neutra enim omni fortassis vacat noxa) reprehendendum sit, quid laudandum, etiam huius pacificationis, etsi paulo prolixius, vti illius Bredani acta referemus, quorum haec summa est: Vt Rex in vniuerso Galliae Regno, in agro praeterea Metensi, Verdunio, Salussiano, Dombio, Berryano, permittat publicam, liberamque Religionis suae administrationem, ex illius confessionis formula, quam Regi Carolo obtulerant. Ius ipsis sit liberè, nulla temporum, locorum, personarum exceptione conciones & preces habere, Sacramenta administrare, matrimonia celebrare, aegrotos inuisere, mortuos in publicis coemiterijs sepelire, scholas docendae iuuentuti aperire, typographias instituere, suae Religionis libros excudere, eosque securè & publice diuendere, Ecclesiasticam disciplinam pro suo instituto exercere, consistoria, colloquia, synodos habere, pecuniam ad pauperum subsidia, caeterasque Ecclesiae necessitates cogere, omnia denique, quae ad legitimam illius Religionis administrationem pertinent, ex illius legibus & institutis liberè exercere. Vt licitum ipsis sit exercendae Religioni suae templa extruere, & à se olim extructa recuperare, illisque vti frui, Sacerdotum & Monachorum, qui ad se diuerterent, & matrimonia vel contraxissent, vel de contrahendo cogitarent, matrimonia rata habeantur, & eorum liberi legitimi censeantur. Matrimoniales causę reformatorum non ex iure Canonico, sed ex aequo & bono, aut legibus Imperialibus decidantur: & si partes ipsae intra tertium aut quartum consanguinitatis gradum constiterint, vti dispensationis diploma à Regijs curijs, non à Pontifice expediatur, Vti ad Ecclesię ministeria, & docendi munus peregrini peraequè atque indigenae recipiantur. Vt dum libera illa religionis administratio per totum Regnum constituatur, omnibus tutò & liberè viuere, nullo propter Religionem cuiquam illato incommodo, pe-

Quibus conditionibus Hugonottae pacem petunt,

do, pe-

do, periculoue fas sit, quolibet in loco Regni habitare 1575
voluerint. Omnes nullo discrimine Religionis in collegijs, ptochodochijs, publicisque ædibus, quæ ad pauperes & ægrotos recipiendos fundatæ sunt, recipiantur. Ne ritibus vllis Pontificiæ institutionis interesse cogantur Reformati, neque pecuniam vllam conferre ad eas res, quę suæ Religioni repugnant, teneantur. Ne Reformati agrorum suorum decimas Pontificijs sacerdotibus soluere iubeantur, sed eas ad suorum Pastorum alimoniam, cui etiam fini olim (*scilicet cùm nemo de istis nebulonibus somniaret*) fuerunt destinatæ, solidè impendant. Qui in Venaissino Comitatu & Auenionensi Archiepiscopatu (*hi ditionis sunt Pontificiæ, non Regiæ*) religionem profitentur, eodem secum fœdere peræquè, vt subiecti Regis, contineantur, eadem Religionis libertate illis in locis perfruantur, patriæ, omnibusque fortunis suis, ijsque fructibus, qui abhinc totos quindecim annos ex ipsorum bonis percepti sunt, plenè restituantur. Firmandis his promissis duæ vrbes Venaissini agri, præter illas, quas modò habent, illis tribuantur. Vt Rex Principi Auraico ea omnia præstet, quæ pactus est illi frater Carolus. Vt Rex intercedat apud Emanuelem Sabaudiæ Ducem, auctoritatemque & fidem suam interponat, quò ille suis subiectis religionem reformatam amplectentibus tribuat facultatem libera conscientia viuendi in suæ ditionis locis: adeundi quoque ea loca, in quibus Religionis habetur administratio, vt & in illis locis tutò habitare, bonisque suis vti frui, aut pro arbitrio vendere liceat. Vt apud Nauarræum efficiat, quò matris acta omnia habeat rata, & ea potissimum, quæ de Religione constituit. Nemo Reformatorum ad Pontificiorum festorum obseruationem cogatur. Nemini, qui vel regnicola, vel inquilinus fuerit, fas vllo modo esto, aliam quampiam Religionem, præter Pontificiam, & Reformatam, seu priuatim, seu publicè profiteri, vlloue modo defendere: ac proinde vti omnibus supplicijs Epicurei, & Athei homines coerceantur. Vt antiqua Regum aduersus blasphemias edicta rata habeantur, effectuique mandentur, vt tanta blasphemiarum rabies, quæ hodie grassatur impunè, possit coerceri. Hæc in causa Religionis suæ, quam absolutè Reformatam vbique vocant, (sed per antiphrasin à Regijs accipiebatur) postulabant. Reliqua Politica sunt, de quibus paucis ex-

Cur non apud omnes Principes Christianos, imò apud ipsum Pōtificem?

Itane Lutheranos, quibus tanta debetis, excluditis?

1575 c's exceptis, minor erit difficultas: obiter igitur eorum summa capita perstringemus. In summis curijs par numerus ex vtraque Religione, quoad fieri possit, ex Præsidibus & Consiliarijs constituatur. Nouis illis muneribus viri idonei è Reformatis tantùm constituantur, quos primùm Condæus de omnium Ecclesiarum sententia nominauerit. Vt illorum virorum numerus in magnum Regis Concilium cooptetur, & ex vniuerso illo collegio quadraginta iudices, ex vtraque Religione, nullo discrimine eligantur, qui statas sedes habeãt, dimidia quidem pars Monspessuli, ad quos è Senatu Tholozano, Gratianopolitano, Aquensi prouocatio erit, exceptis è Tholozano ijs, qui longius absunt, ex agro Tholozate, Albigensi, Loragensi. Altera verò pars Cadurci consistat, ad quos prouocatio erit è Burdigalensi Senatu, & ijs regionibus, quæ proximæ sunt à nobis commemoratæ, & ex Aruernorum agris. Quæ duæ partes summi Senatûs auctoritatem, eademque iuris dicundi instituta habeant. Reliqua magni Regis Concilij pars in reliquam Regni partem iuris dicundi obtineat auctoritatem. Singulis etiam illis curiis, hac auctoritate præditis, Regij quoque sigilli summa constet auctoritas, illudque à Consiliarijs alternatim seruetur. Ad illas curias ex omnibus Parlamentis ita fiat prouocatio, vt de omnibus actionibus summo iudicio statui possit ijs in rebus, quæ inter Catholicum & Reformatum fuerint controuersæ, dummodò altera pars id postulauerit: qua in causa cæteris curijs nefas sit illarum controuersiarum auctoritatem assumere: sin faxint, neque ipsis, neque parti id impunè sit. Si de Edicti capite aliquo controuertatur, eius interpretatio apud neminem (ne ipsum quidem Regem) præterquam apud hunc nouum Senatum sit. In hoc Senatu Catholicus primùm sedeat, deinde Reformatus, & sic deinceps alternatim, nulla ætatis, aut alterius rei habita ratione. Omnes testamentarij, alijue cuiuslibet generis contractus, in Religionis odium facti, vti irriti habeantur. Quæ de Parmensibus decreuit Carolus frater, vt rata sint. Quidquid Monpenserius in ditione Dombensi contra Religionem statuit, vt habeatur irritum. Cædis Bartholomeanæ auctores puniantur. Omnes sententiæ, ab Henrici secundi Regis morte in Religionis reformatæ odium latæ, pro irritis habeantur.

tur.

tur. Si capitis supplicium consecutum sit, ignominiæ nota ab hæredibus auferatur: ipsi bonis & honoribus restituantur. Amburbiæ & supplicationes, in Religionis Reformatæ odium institutæ, auctoritate regia aboleantur. Eadem priuilegiorum, iurisdictionum, immunitatum, omniumque beneficiorum iura, quæ tempore Henrici Regis extabant, inuiolata & integra ciuitatibus & prouincijs maneant. Reformati & Pontificij fœderati non maiora vectigalium onera ferant, quàm cæteri subditi, & peculiaribus prouinciarum decretis non teneantur. Delphinates, Pictones, Xanctones, Occitani, & Onisij propter bellorum vastitates, quas præ cæteris perpessi sunt, omnibus vectigalibus ad sex annos eximentur. Vt quidquid vel à Reformatis, vel à Catholicis confœderatis in Regno, vel extra Regnum in his tumultibus actum est, id ad suum obsequium & commodum actum esse Rex interpretetur: eos, qui egerunt, pro suis agnoscat. Monmorancius & Cossæus libertati & pristinæ dignitati restituantur. Illorum innocentia publico, solennique decreto declaretur. Regni Comitia pro more atque instituto maiorum primo quoque tempore habeantur: ad eaque nullo discrimine vtriusque Religionis homines admittentur. Vectigalia publica ad antiquam formam, qualis erat Ludoici XII tempore, reuocabuntur. Quæ oppida, quæue castella suis modò præsidijs Reformati tenent, ea vti pergant habere in sua potestate, neque in ijs, vel à Rege, vel à regijs administris immutabitur quicquam. Præter verò loca illa in singulis quoque Regni prouincijs duas illis vrbes, è sex, quas Condæus de sociorum sententia nominabit, Rex illis custodiendas tradet, præsidiaque illis in locis, qualia ipsi constituerint, suis sumptibus alet. Omnia præsidia ex omnibus Regni locis Rex remouebit, præter ea, quæ sunt ad Regni fines defendendos. Ad vrbes quæ obsides reformatis & socijs dabuntur, pauci è Regijs accedent: si accesserint, ne diu in ijs commorare illis liceat. Præfectis regijs cum suo tantùm comitatu illas vrbes ingredi licebit. Omnibus concionatoribus vtriusque Religionis seuerè edicatur, vt à seditiosis sermonibus abstineant. De his omnibus solenne Edictum fiat, quod à Regina matre, Regis fratre, regiæ stirpis Principibus, Marescallis, primarijs sceptri administris, & omnium Parlamentorum Senatoribus solenniter iureiurando interposito confirmabitur, &

Indignũ & impudens postulatum.

1575

1575 bitur,& publica præconis voce ita sancitum vbique per Regnum proclamabitur. Angliæ Regina, Elector Palatinus, Sabaudiç Dux huic contractui interueniant. Marescallus Rezius & Cãcellarius Biragius huic actioni nullo modo intersint, ob causas, quæ reformatis & socijs aduersus illos sunt. Vt denique Rex testetur omnia, quæ eius nomine vel auctoritate fieri in posterum queant, huic edicto contraria, nulla sint & irrita.

Hæ sunt leges, hæc formula, hæc præscripta & postulata, secundùm quæ deformati illi Reformatores Galli, non tantùm Ecclesiasticum, sed & Politicũ Statum volunt reformari. Rex vbi libellum legisset, legatos insigni sarcasmo rogat: Ecquid non aliud esset, quod vellent? Deinde: Se libellum ab ipsis oblatum legisse, ait, peregrina verò. nouaque in illis pleraque videri: mirari se ausos esse legatos illa sibi offerre, cùm minimè dubitet ipsos illis consilijs interfuisse, quibus adornatum fuerit hoc scriptum. Quod certè opinionem in animo eius pariat, haudquaquam ipsos tanto pacis studio, quanto prædicarent, teneri. Arennius quantum potuit factum excusat, rogatque Regem, vt quibus rebus offendatur, significet. Primo, excipit Rex, vestrorum postulatorum capite, vt reliqua prætermittam. Arennius orat Regem, vt causas offensionis suorum cuipiam iubeat explicare. In hæc verba discessum est.

Secundus Actus. Postridie eodem reditur. De Religione, quod primum erat postulatorum caput, variè in vtramque partem disputatum est. Arennius æquissimam illam postulationem esse voluit, Moruillerius contra iniquissimam: Regem enim Catholicam Romanam Religionem amplecti, in qua maiorum suorum vestigijs insistens, viuere & mori velit: ob eam rem & suam quoque conscientiam cupere se omnes sibi subiectos vnanimi consensu in eadem Religione, quam ipse amplectatur, constanter permanere. Nouam, & ante paucos annos inauditam extitisse Religionem, quam illi nunc intrudere volunt: aliter vixisse maiores, qui, si superessent, non possent non hanc Religionis nouitatem demirari. Hanc nouam Religionem maximas turbas excitâsse, exempla ante oculos esse. Postulatum de hac Religione vbique exercenda noua bella serere, Regem aduersus seipsum armare. Quæ vt vitentur difficultates, ne-

tes, necesse est, vt postulata de Religione angustioribus terminis definiantur. Nihilominus Regem ipsis facturum potestatem, vt liberè quouis Regni loco viuant, nec alicui ob Religionem periculum creetur. 1575

Hîc Arennius omnes neruos intendit, omnes vires explicat, fontem suæ eloquentiæ propemodum exhaurit, & doctrinæ suæ thesaurum expromit, vt ostendat Caluinianam Religionem nec nouam esse, nec seditiosam: idque argumentis magis verbosis, quàm veris, quæ à mediocris eruditionis Theologo facile possunt refutari; imò ipsi Regi & toti conuentui contemptum & fastidiũ adferebant. Arenniũ excepit Clausonius, Occitanicorum legatorum vnus. hic prolixum Catechistam egit, totam encyclopediam Caluini in medium producens, vt paradoxon suum ostenderet, Caluinianam & Catholicam Religionem eandem esse, vel in paucis discrepare: ideoque Regem eam sine conscientiæ suę offendiculo recipere, & in Regno suo, vt colatur, permittere posse. Sed eius argumenta ab exemplo Caroli V. & ab ipsius Regis in Polonia de vtraque Religione admittenda, confutauit Marescallus Rezius. Regina deinde interrogante; Nulláne haberent alia mandata, per quæ hæc de Religione controuersia componi aliquo modo possit. Respondent Legati, se nulla alia de hac re habere: tum Regina: Non debuissetis, inquit, huc venire, cùm ignorare non potueritis, vos hæc minimè impetraturos. His ita peractis Rex conuentum dimittit.

Post biduum iterum ad Regem legati vocantur. Vbi de cæteris nunc capitibus agendum esse dixisset Rex, Legati se illi obtemperaturos respondent, hac exceptione, quòd existiment Regem primum postulatum sibi concessisse. Rex contra, quòd oblatas à se conditiones à legatis acceptas crederet. Ita licitatis partibus ventum est ad caput de iustitia: id est, iurisdicundi modo, quem certis conditionibus definiri postulabant Caluiniani, vt ex eorum supplice libello iam docuimus. Incipit Moruillerius: Nolle Regem antiquum iuris ordinem commutare: quod faceret, si quę petunt, legatis concederet. Intolerabile esse, quòd siue Condæus, siue quispiam alius sibi tantum assumat, vt audeat se æqualem Regiæ Maiest. ferre, aut illi leges præscribere. Grauem inde obortam superioribus annis confusio- *Tertius Actus.*

1575 nem, quòd Edicto anni M.D.LXX. earum controuersiarum cognitio, quarum prouocatio ad Senatũ Tholozanum pertinebat, libellorum regiorum supplicum collegio attribueretur. Arennius contra, hac postulatione nihil esse æquius, nullam hinc confusionem, nullam metuendam difficultatem, si bonarum legum boni custodes & vindices constituantur. Antiquum iuris ordinem hoc postulato non commutari, cùm minimè nouus Senatus instituatur, sed necessaria lectione antiquus amplificetur. Cùm Moruillerius, nullum esse Catholicorum Iudicum, qui in ipsa iuris administratione illis facere vellet iniuriam, dixisset: Arennius verò asseueraret: Neminem esse Reformatorum, qui capitis sui discrimine in patriam redire velit: incertam enim illis salutem fore, quamdiu cum infensis iudicibus ipsis res fuerit. Rex excipit: Variæ sunt in Regno meo Curiæ, è tanto Iudicum numero nullo modo fieri potest, vt quadraginta boni viri, vobis minimè suspecti deligantur? Do vobis optionem. Cùm legati inferrent, omnes sibi suspectos esse, & nulli se fidem habere posse: Limogianus Regis nomine legatis promisit, cùm muneris vacatio inciderit, Regem nulla habita Religionis ratione, procuraturum, vt ex Reformatis ij, qui idonei visi fuerint, in ea munera sufficiantur. Quod Rex continuò disertis verbis confirmauit. Sed ne sic quidem Legatis satisfactum est. Rex tandem: Se maiori otio de hac re cogitaturum ait, & ita Legatos in alium diem dimittit.

Actus quartus. Postridie eôdem reditur. Petebant Legati, vti disceptatum de Iuris dicundi formula caput certa sententia primum omnium definiretur. Rex hanc rem in aliud tempus differri, nunc ad cætera postulatorum capita veniri iubet. Actum prolixè de in integrum restitutione eorum, qui ob bellorum turbas munera sua alijs resignassent, vel depensa pecunia muneribus suis minimè potiti fuissent. Disputatum porrò de restituendis sacerdotiorum redditibus, qui Antistitibus quibusdam nouam Religionem profitentibus, & Sanromanio disertè deberentur ex pacto. Sed istud caput, vt probrosum, tandem reiectum est. Tum caput de cædis Sanbartholomææ animaduersione prælectum. ad quod Moruillerius: Vtrinque variè & grauiter peccatum esse ait: sed harum rerum memoriam (si firma pacis iacienda sint fundamenta) sempiterna obliuione sepe-

ſepeliendam eſſe. Si enim iniuriarum, quæ Reformatis 1575
(vt ſe nominant) illatæ fuiſſent, inſtituenda eſſet animaduerſio, eodem iure eas eſſe iniurias puniẽdas, quas Catholici à Reformatis accepiſſent. Illud autem infauſtum fore pacificandi exordium. Perſtant in ſua poſtulatione Legati: à Regij Concilij Senatoribus variè reclamatum eſt. Rex tandẽ hac de re ſe cogniturum ait, & cœtum dimittit.

Interea nouæ ineuntur rationes componendi De Actio quintus
iuſtitia, id eſt, iuris dicundi modo, deque nouo Senatu conſtituendo. Senatus Pariſienſis hac de re cum Legatis conferre iubetur. Conueniunt Luparam ſex Senatûs Præſides, Regij Procuratores & Aduocati. Rex & Regina aberant. Moruillerius noui conuentûs rationem exponit. Hic Thuanus Senatus Pariſini Præſes primus, præfatus nonnulla de ſuo, & collegarum ſuorum propenſa in pacem voluntate, in eum ſermonẽ prouectus eſt, quo multis, grauibus & prægnantibus rationibus oſtendit, poſtulatum illud de nouo Senatu ſine maximis incommodis effectioni mandari minimè poſſe: carere etiam exemplis. Eam mutationem ſempiternum turbarum futurum fomitem. Peſſimi rem eſſe exempli, Iudices ſeparatim attribui, præter eum ordinem, quem antiquæ leges conſtituerunt, & maiores conſtanter obſeruârunt. Frequentes in Gallia diuerſis temporibus incidiſſe pacificationes, in quibus tamen nihil vnquam ſimile fuerit vſurpatum. Si quis Senatorum Reformatis, ſocijsque ſuſpectus fuerit, illis hunc ius eſſe recuſare. Vniuerſo Senatûs collegio id fraudi minimè eſſe debere. Hæc prolixo ſermone Thuanus. Ad hæc quædam, ſed non magni ponderis Arennius. Cùm autem Legati in ſua ſententia pertinaciter conſiſterent, colloquium irritum euaſit.

Poſtridie Legati reuocantur ad Regem, ad cæterorum poſtulatorum examen deuentum, & variè vtrin- Actio ſextus
que diſceptatum eſt. Primò de liberorum Admirallij reſtitutione maiori contentione actum eſt. Ad libelli ſupplicis marginem adſcripta erat Regis reſponſio: *Si Admirallij liberi ſupplices ad ſe venerint ipſi, ſe eis omnia libenter gratificaturum.* Sed id in optimi, & de Regno optimè meriti redundare iniuriam & opprobrium, eiusque cauſam cum cauſa Reformatorum eſſe ita coniunctam, vt proprium illius op-

1575 probrium ad communem Reformatorum infamiam non possit non redundare, exponunt Legati: Indignum igitur, vt hæc supplicatio ab Admirallij liberis postuletur. Non enim veniam illos à Rege petere posse, quin patrem reum confiteantur. Scitum enim illud esse; Indulgentia Principis quæ liberat, notat. Tum Rex; Æquius esse, vt Reformati existiment plus se Carolo Regi, quàm Admirallio obligatos esse: Carolum Regem sententiam aduersus Admirallium proprio ore pronuntiasse, ac proinde ipsi ignominiæ fore, si Admirallius innocens declaretur. Hoc Regis responsum notandum est aduersus Hugonottas, eorumque scriptores, qui in disputatione capitis XXXIIII. de animaduersione cædis Parisinæ scribunt, Regem, Reginam, & Consiliarios Regios confessos esse, Carolum hoc facinus detestatum, & quidem disertis literis fuisse: Reginam quoque, & hunc Regem Henricum nunquam approbasse. Sed ad rem. Legati rem ita componi posse docent, vt nullo Caroli Regis præiudicio Admirallij liberorumque æstimationi caueatur. Respondet Rex: Quantum saluo fratris honore id fieri potuerit, se Admirallio, liberisque prouisurum. Ad caput quinquagesimum, quo postulabatur, vt Condæus & Danuilla, quique ipsorum auspicijs arma gessissent, fidi Regis ministri agnoscerentur, & quæ gesserint ad Regis obsequium gessisse, disertis verbis Rex testaretur: respondit Rex, eos pro suis se agnoscere: at ea quæ gesserint, tanquam suo obsequio gesta, negabat se absolutè, quidquid contra obijcerent Legati, comprobaturum. Ad Monmorancij & Cossæi liberationem ait Rex: Ad omnia se æqua propensissimum fore: eorumque saluti prouisurum. Ad libera Ordinum Comitia ventum. Ait Belleuræus: Hac in re facturum Regem, quod ex vsu Regni videretur. Prosequitur Rex: Ad Regem pertinere Comitia pro iudicio suo moderari, eorumque conuocandorum opportunitatem iudicare: subiectorum officium esse mandatis illius parere. Comitijs ipsorum petitiones haud ita, vt sperarent, probatum iri, neque Comitiorum huiusmodi fore exitum, qualem complures sibi pollicebantur. De duabus vrbibus in singulis prouincijs Hugonottis tradendis maiori contentione disputatum est. Arennius communi nomine quid eos

ad hoc postulatum impulerat, longa oratione commemorat, cuius summa: Reformatos sine his securos esse non posse. Rex indignatior continuò subijcit: *Sibi diffidi?* Illi: *Non Regi, sed eius administris diffidi.* Excipit Moruillerius: Optimam esse securitatem Regis gratiam; in ea acquiescerent, ipsius voluntatem amplecterentur. Si Regem debita reuerentia colant, non ipsos Regi diffisuros. Eam Legatis satis esse debere securitatem, quòd Rex certis in vrbibus suæ Religionis vsum liberum esse, omnesque suos subiectos æquo iure habere velit. Adiecit Marescallus Rezius: Fieri non posse, vt hæc oppida Reformatorum præsidijs teneantur, tum propter magnos & intolerabiles sumptus Regi faciendos, tum propter Catholicorum æmulum studium, qui idipsum haud dubiè essent postulaturi. Tunc Regina: Exigui hæc esse momenti, ait; hoc maximum, alentur Regia pecunia exercitus, ipsum ex improuiso oppressuri. Ex præteritis iudicium fieri debere de futuris. Negantibus Legatis quicquam hactenus à se gestum, quod bonam ipsorum fidem in dubium queat reuocare. Quinimò, ait Rex, præbete mihi occasionem, cur vobis minimè diffidam, & ego vobis cauebo, ne diffidatis mihi. Hoc verbum ipsis os obturauit. Progressum mox ad id, quo postulabatur, vt in hoc pacificatorio contractu Regina Angliæ, Palatinus Elector, Sabaudus, & Heluetij testes intercederent. Vbi hoc caput prælectum fuit, toruo Rex ore quærit: Quorsum hoc postularetur? Si violatum fuerit hoc edictum, ecquidnam illi aduersus se facturi essent? Se in ipsorum ditionibus nihil imperij habere, neque illos vicissim in suam: illi suas res curent, suis hominibus imperent, se de suis & rebus & hominibus laboraturum. Pudefacti Legati, cùm aliquid dicere de amicitia & vicinitate horum Principum cum Regno Gallico cœpissent, quodque sæpe apud eos rebellionis infamia traducti essent, ideo eosdem fidei suæ & integritatis testes adhiberi optasse: cùm se extricare non possent, hac in re iudicio & voluntati se Regis acquiescere profitentur. De proxima postulatione, quæ de publicationis ritu concepta erat, nulla fuit controuersia. Ad LXVII. magna oborta controuersia, quæ in fœdissimam contentionem haud dubiè

1575

Egregiè dictum.

1575 erat euasura, nisi Regis præsentia obstitisset. Postulabant Legati & socij, quia multæ & magnæ causæ intercederent, cur de Rezio Marescallo, & Biragio Cancellario sibi metuebant, vti ne ipsis huic pacificatoriæ actioni interesse liceret. Aberat Biragius, aderat Rezius. Is illicò excandescens: Nequaquam, inquit, huic actioni interfuissem, nisi id mihi Rex disertè imperasset. Hæc calumnia, qua apud Regem indignè traducor, digna est supplicio. Ego nihil vnquam tale sum promeritus, neque cuiquam ita de me loquendi dedi occasionem. Ego Regis imperio varia gessi munera, in quibus nihil vnquam reprehensione, quod sciam, dignum egi & Metis, & in Britannia humaniter semper habui Caluinianos: cum omnibus ita sum versatus, vt nemini conquerēdi de me iustam occasionem præbuerim. Totos viginti annos in Regum obsequijs vixi, & magni momenti munera administraui, mihi nulla iniuria est facta, qualis nunc mihi fit. Dum placare animum iratum student legati, & nō spectare rem hanc ad Rezij ignominiam ostendere, equitatem insuper huius postulati demōstrare conantur, Regina nouā hac de re querelam iniecit, resque ad maiorem motum spectare videbatur. At Rex conuentum dimittit.

Rezius se purgat.

Actus septimus.

Restabat vltimū caput de Reip. emēdatione, quod totū erat Danuillanū. Cùm aūt in eo nihil nisi de sacerdotiorū prouentibus ageretur, quos Danuilla cōquerebatur malè administrari, quod ex illius ambitione & auaritia procedere plerīq; nō ignorabāt, Sozius, eius legatus, vbi orare cœpisset, ab omnibus sibilo exceptus est: nec vt inceptū sermonē integraret (quod nequicquam petebat) vnquā potuit impetrare. Aiebant prudētiores illam esse præcocē mercedē Danuillæ & Politicorum, qui ambitiosi & auari, vt suis cupiditatibus morē gererent, cū iuratis Dei & sanctæ eius Ecclesiæ inimicis impiū fœdus pepigissent. Hic est colloquij totius finis, in quo toti dies XV. consumpti sunt. Sola iā restabat Regis responsio: quam cùm legatos expectare Rex intellexerat, eos ad se vocauit, scriptumq; huiusmodi tradidit. Regem Hugonottis octo vrbes, quas ipse numerauerit, in Occitania relicturum: in Aquitania sex, inter quas Montalbanum & Rupella comprehenderentur: in Delphinatu duas: in ijs vrbibus fas illis futurum Religionē suam exercere: hac lege, quas occupent, post omnes sibi restituant, eodem prorsus in statu, quali

Regis ad postulata responsum.

erant

erant ante bellum. De iurisdicundi modo ita Regem prouisurum, vt in Senatu Parisino quatuor nouos Senatores ipse creet, sedecim è Senatus collegio seligat: ex his viginti lectionem se facturum Iudicum, penes quos sit potestas de nouorum religiosorum controuersijs iudicandi. Mompessuli eandem Iudicum lectionem attributum iri, & ex eorum numero nonnullos huic religioni deditos fore. In cæteris Parlamentis ius ipsis futurum, quatuor Senatores, nulla causa reddita, recusare Hæc Regis responsio cùm lecta esset, minimè legatis satisfecit, suaque importunitate id tandem effecerunt, vt Rex conditiones pacis hunc in modum amplificârit. Regem permittere Hugonottis, vt vbicunque in regno cuperent habitare, fas ipsis sit ibi securè, & sinè metu periculi causa religionis habitare, modò ex edictorum præscripto modestè viuant. Ius quoque esse religionem exercere omnibus in locis, quæ in ipsorum essent potestate; Mompessulo, Castris, Aquis-mortuis, & Bellocayro exceptis. Ius idem quoque esse nobilibus, qui maiores haberent ditiones, sibi, & familiæ, & omnibus qui domum accesserint. Si minores habeant ditiones, licere ipsis tantùm nobilibus & familijs, dummodò ne illæ ditiones sint intra vrbium septa, vel in suburbijs, maximè quæ sunt Reginæ & Andij: Lutetia verò decem leucis distent, & ab aula duabus. In iure dicundo modum quoque statuendum esse: in Senatu Parisino, cæterisque iudicijs fore creandos, quibus potestas esset de Hugonottarum controuersijs iudicandi. Mompessuli quoq; inter iudices nonnullos Hugonottas recipiendos, & cætera Parlamenta pro re nata in ipsorum fauorem mutanda.

1575

Conditiones pacis Hugonottis à Rege oblatæ.

Magna profectò Regis in subditos indulgentia: sed nequaquam ipsis hæc satisfaciebant, vt qui omnia pro suo voto postulabant, id quod Rex subiratus illis improperabat. Venerunt sub idem tempus Emanuelis Sabaudi, & Heluetiorum tam Catholicorum, quàm Caluinistarum legati, qui pro pace intercedebant, sed nihil ipsi efficere potuerunt: & cùm Hugonottarum legati impudentiam suam & præfracti animi peruicaciam tegere diutiùs non possent: Sibi quidem placere, aiunt, quæ Rex offerret, sed populum talem pacem ratam non habiturum, penes quem arma essent & ciuitates, à se ad vulgus culpam deriuantes; petieruntque veniam discedendi, eaque impetrata, re

Hugonottæ pacis conditiones respuunt.

1575 infecta ad suos reuersi sunt. Arennius verò, & Mirembellius in aula manserunt: hoc enim mandatum à Condæo acceperant, vt vel Regis animum in ea pacificandi voluntate retinerent, vel (vt alij suspicabantur) vt omnia consilia, dicta, acta Regis obseruarent.

Exitus conuētus pacificatorij Bredani.

Eundem exitum habuit conuentus Bredanus. Cùm enim tempus, quod ad deliberandum petierant Hollandorum & confœderatorum Legati, elapsum esset, tandem vltimo Maij Bredam reuersi sunt, & primo Iunij scriptum tradiderunt, in quo se ad prima postulata referebant. Deinde fatentur oblationem priuilegiorum, immunitatum, & legum antiquorum à Rege factam, ad vtilitatem & salutem prouinciarum plurimum conducere: at sibi nihil hæc profutura, cùm solum vertere, & patriam desere-re compellantur. Cùm igitur sibi integrum non esset, dulce solum patriæ relinquere, aut religionem, quam profitebantur, eiurare, se Regem petere, vt desinat ardentem zelum & sanctum propositum igne & ferro persequi, cùm nemo conscientiæ præter Deum imperare aut possit, aut debeat: in reliquis obedientes se fore pollicentur. Porrò securitatem se nullam Regi præscribere posse, aiunt, ideóque nec oppida, nec arces, nec classes restituere: sed petere vt Rex prior se exarmet, omnes exteras, imò quibuscunque se suosque tuetur copias dimittat. Pollicentur se absentibus exteris nihil hostile in reliquas prouincias molituros, vsque dum Ordines generales conueniant, & de omnibus difficultatibus, quæ optima videbuntur, disponant. Vt autem ostenderent se non priuatum, sed publicum commodum quærere, addunt: Etsi priora Regi debeant sufficere, & qui inter ipsos Reformatam, veram, Apostolicam (vt ipsi loquuntur) Religionem sectantur, vitam & fortunas amittere, quàm ab ea resilire malint, tamen vt innocentiam suam toti mundo declarent, sibi placere, vt etiam articulus de Religione Ordinum generalium determinationi relinquatur.

Regij scripto hoc examinato, cùm censerent nil aliud esse, quàm principij petitionem, & confœderatos eandem cantilenam canere, admirabantur omnia ex suis tantummodò commodis eos agi velle, cùm nullus

1575

nullus vnquam de re aliqua pactum ita tractari viderit, vt vna pars quæcunque velit consequatur. Indignum quoque iudicabant, peti, vt Rex prior arma ponat, & sese nudum armato hosti, nondum reconciliato, obijciat: confœderatos Regi diffidere, & velle vt Rex ipsis fidat, quasi sanctior sit quorundam nouatorum, Deoque & Ecclesiæ infidelium, quàm fides Principis aut Regis legitimi. Adhæc Religionis articulum ad arbitrium & decisionem Ordinum non pertinere. A quo tempore Belgium Christianum esse cœpit, non visum, non lectum, non auditum, controuersias de Religione ad Ordinum conuentum allatas, aut in eo decisas esse. Causas Ecclesiasticas ad forum Ecclesiasticum, ad Concilia, ad Synodos pertinere: in Ordinum Comitijs politica tractari. Sed etsi Ordines pro Rege & Catholicis iudicare vellent, (nam vtrumque ipsorum, si Rex annuat, staret arbitrio) nihil tamen eos effecturos, cùm in hoc scripto disertis verbis testentur, se malle vitam & fortunas amittere, quàm à sua Religione deficere; quàm autem illibenter vitam & fortunas amittere velint, ex eodem hoc scripto liquere, in quo, aiunt, sibi commodum non esse ijs saluis patriam tantummodò relinquere, & ad loca suæ Religionis transmigrare. Aut igitur Ordines pro ipsis iudicare deberent, quod quindecim prouinciæ salua conscientia & Religione sua non poterant, aut si contra eos iudicarent, nihil efficerent, cùm minimè ipsorum iudicio parerent: sed semper aliquid, quod causari possent, comminiscerentur. Hæc quidem tunc non in publico conuentu disputabantur, sed à Regijs & Catholicis in priuatis colloquijs, in cubiculis, in mensis ventilabantur. Cùm autem Confœderatorum legati definitiuum responsum peterent, Regij dixêre: Commendatorem totam hanc pacificatoriam actionem in Hispaniam mittere decreuisse, & ad singula capita Regis sententiam & voluntatem velle cognoscere.

Confœderati accepto hoc responso, antequā discederent, nouo scripto suam, suæque causæ iustitiam & æquitatem demonstrârunt: quod XIV. Iulij publicârunt. In hoc Regios criminabantur, quòd nunquam se pacis studiosos exhibuissent, se verò ipsi commendabant, quòd omnem semper adhibuissent operam, vt arma ponerētur, & pax patriæ restitueretur. Deinde *Fœderatorum de Regijs querelæ.*

1575 omnia pacificatorij huius colloquij acta multis verbis referunt, æquitatem suorum postulatorum, quãtum ratio patiebatur, vbique inculcantes. Se absolutum & definitiuum ad sua postulata responsum expectasse, nunc autem post mensis dilationem scriptum dolosum, & tenebris inuolutum tradi, quo clara ipsorum postulatio obscuretur. Quòd si quis eos vrgeat, fateri deberent, se absoluta mandata non habere, ad acceptanda ea, quæ à Confœderatis offerebantur. Hanc temporis prorogationem, quæ denuò petebatur, non alio fine peti, quàm vt prouinciæ & earum incolæ spe pacis inani lactentur, decipiantur, & fatigentur: vt commodius obruantur, & in perpetuam seruitutem trahantur. Scire enim ipsos Brabantinos, Flandros, & aliarum prouinciarum incolas, omnia spe instantis pacis facturos, passuros, daturosque quæ poterunt, quibus aliæ prouinciæ facilius opprimantur. Quia itaq; hæc prorogatio infructuosa est, imò confœderatis noxia, dum interim ab insidijs & varijs machinationibus non abstinetur, Principem & confœderatos statuisse, quatuor mensium dilationem non concedere, sed se, suosque armis, vt hactenus, defendere. Tãdem protestantur coram Deo & hominibus, se, quò minus pax concilietur, in causa non esse: sed eos, qui rebus sic perturbatis nil aliud machinantur, quàm vt Belgarum seruitute, prouinciarum oppressione, & auctoritatis, quæ apud Ordines esse solet, diminutione suam stabiliant tyrannidem. Nihilominus cùm Sua Reuerentia responsum ex Hispanijs receperit, & Suæ Excellentiæ, Ordinibusque id significatum fuerit, velle se fortasse ad colloquium pacis reuerti, & propius ad rem accedere: si tamen sibi consultum videatur, & videant Regios maiori fide de pace acturos.

Nota titulos.

Scriptum Regiorũ.

Regij calumnias illas contrario scripto eodem die refellũt, & sibi immeritò has calumnias imponi conqueruntur: vt qui non obscurũ scriptum aduersæ parti obtruserint, sed luce meridiana clarius, quo æquissimas conditiones, & quas nulla ratione reijcere debuissent, illis obtulerant. Sed & ea conditione de pace colloquium susceptum, vt Regis voluntas & approbatio intercederet. Id se in omnibus scriptis & actis suis testatos esse, & cum hac conditione eadẽ semper fuisse subsignata. Iniquum enim & indecorum esse, in re tanti momenti, Rege non consulto, quicquam definiri.

definiri. Querelam itaque de dilatione meram esse cauillationem. Quòd si accepta de pacis negotio Regis sententia ad cœptum colloquium non reuertantur, & in eo ad finem perseuerent, testari se Deum & homines, non Regem, aut eius administros, sed Auraicum, Hollãdos, Zelandosq́; in causa esse, cur subditi optatã pacem non consequantur. His scriptis vtrinque exhibitis & lectis, colloquium abruptum, & vtriusque factionis legati, re nulla præstita, ad suos reuersi sunt. 1575

Desperata tam in Gallijs, quàm in Belgio pace, belli consilia repetuntur. Andasiam in Gallijs à Mealsio captam, & Mealsio vicissim à Lugdunensibus capto Andasiam recuperatam diximus in superioribus. Periclitabatur iam Nonæum, ab Vticensi obsessum. Vadit eò Rupegudius Viuariatum præfectus, cum nõnullis cohortibus, vt obsessis succurreret. Obuios habuit Lugdunensium equites, quibuscum confligit, eosque in fugam vertit. At cùm fugientes exultantius insequitur, in equitem incidit, à quo lethaliter vulneratus, paucos post dies obijt. Nonæum interea occupat Vticensis, & Bessum obsidione cinxit, oppidumque suæ potestatis fecit. Pontanus verò, qui Besso præerat, iam antea arces, quas vrbs habet duas, munierat, commeatum, apparatumque in eas omnem importauerat, & relicta vrbe in illas cum suis concesserat. Vticensis capta vrbe arces oppugnauit, sed irrito conatu: quia erãt munitissimæ, & popularis morbus eius copias decerpebat. Adhæc à Viuariatibus magna damna, incommodaque accipiebat. Parte itaque vrbis munita, & in ea præsidio relicto, quod reliquum vrbis erat incendit. Tormentis deinde nauibus impositis, & impedimentis quanta potuit sollicitudine collectis, Besso mouet, magno Viuariatum, qui ob mortem sui gubernatoris Rupegudij hactenus luxerant, gaudio.

Veneti pacem, quam cum Selymo inierant, à Murate confirmari cupientes, Iacobum Superantiũ Constantinopolim legãrunt: qui licet initio, metuens ob plurima superioribus annis à se classibus Turcicis damna illata, legationem obire denegaret, inductus tamen Senatûs precibus, eam suscepit, veniensque Byzantium magnificentissimè exceptus est: nec tantùm pacis actutum confirmationem, sed Iaderensis agri obtinuit restitutionem. Rarum in Turcis exemplũ. Interea Veneti de apparatu Turcico certiores facti, *Induciæ Venetorũ cum Turca.*

1575 dum abest Superantius, omnibus rebus, ad bellum necessarijs, sibi prospiciunt: Cretamque, Corcyram, & Ascriuium nouis præsidijs muniunt, ne imparati à Barbaris obruerentur, id quod Pannonibus tunc quotidie penè accidebat.

Rasorum factio in Gallia. Circa idem tempus in Gallijs noua est exorta factio. Massilienses enim ægrè ferentes vectigalia, quæ ad ærarium vrbis referri solent, nunc fisco regio subsignari, occlusis portis, armatis ciuibus forum cōplentes, per lictores publicanorum commentarios & pondera interceperunt, & in mare proiecerunt. Exemplum id imitatæ sunt multæ prouinciæ, & oppida, seseque aduersus ærariorum exactiones defendebant. Nata hinc est factio Rasorum, sic dicta, eò quòd confœderati barbæ partem radebant: cui se statim Hugonottæ nonnulli homines, ad omnes seditiones prompti atq; idonei adiunxerunt, sed instar turdi, ipsi sibi malum pariebant: composito enim Massiliensi dissidio, ortaq; inter Rasos contentione, Vinsio Regis præfecto magnarum victoriarum datæ sunt occasiones.

Auraici tertiæ nuptiæ. Dum Bredæ de pace agitur XII. Iunij Princeps Auraicus post diuortium Mauritij Saxonis filiæ, quam ob adulterium dimiserat, quanuis ipsa se eo defenderet, quòd maritus prior iura tori violâsset, tertiam vxorem Brielis ducit Charolottam Borboniã, filiam Ducis Mompenserij, Christo prius desponsatam.

Belli Gallici continuatio. Eodem tempore in Gallia Lediguerius Castillionem vicum & arcem obsedit. Gordius propræfectus regius arcem liberare volens, aliquot Heluetiorum signa educit. Mombrunius, re intellecta, confestim aduolat, & lætam sibi promittens victoriam, ter Heluetios assilijt, ter fœdè ab ijs repulsus, tanto suorum damno, vt eos postridie deserere, & Monglonem contẽdens, exercitũ nouis copijs resarcire sit coactus. Gordius, Castellione milite & cõmeatu nouo recreato, castra Diam mouet: sed à Mõbrunio loco incõmodo interceptus, & in fugam versus est. Heluetij incredibili

Heluetij cæduntur. alacritate pugnantes, non leue damnum passi, Mombrunianis cruentam victoriam reliquerunt. Mombrunius Diam periclitari animaduertens, propius ad mœnia castrametatus est, spe vrbis potiundæ. Sed cùm aliquot peditum equitumque signa, Vrchio & Estano viris nobilibus ductoribus, Gordio in subsidiũ mitterentur, Dia relicta, eos ad Geruanam fluuium inuadens,

dens, cæditur, capitur, Creſtum oppidum regium, atque indeGratianopolim abductus, & perduellionis cõuictus, extremo ſupplicio plectitur, Franciſcum Balmium Lediguerium relinquens ſucceſſorem.

1575 *9. Iulij.* *Mombrunius capitur, & capite plectitur.*

Dum hæc in Gallia fiunt, Proceres in Polonia Steczifium euocantur, vt de nouo Rege creando conſilium inirent. Henricus enim ad XII. Maij, qui dies ei dictus erat, non comparuerat. Non latuit iſtud Henricũ Regem, miſitque Pibrachium legatũ (qui turpiter à Condæanis in itinere ſpoliatur) ad Polonos, vt prorogationem creãdi noui Regis vrgeret. Poloni Regis poſtulatum reijcientes, XV. Iulij publico decreto Regem Henricum exaugurant, declarantque eum non amplius Regem Poloniæ agnoſcendum, atque interregnũ eſſe, non aliter quàm ſi vita defunctus eſſet.

Poloni reiecto Hẽrico Gallo, nouum Regẽ creandũ decernunt

Muleius Mahametus, ſuperiori prælio victus, in regno Marocenſi clientes vndique cogit, & magna cura exercitum nouum inſtruit: vt primi prælij ignominiam ſecundi victoria reſarciret. Triginta itaq; haſtatorum equitum millia, mille tyrones, & decem millia peditum ſclopetariorum corradit: quas copias cum vigintiquatuor tormentis campeſtribus in apertum educit. Sebaſtianus verò Luſitaniæ rex legatum hoc tempore ad Mahametũ mittit, (quod & ſub primum prælium factitârat) opem ei ſuam & auxilium deferens: ſed Barbarus illud ſuperbè contempſit. Abdelmelechus de nepotis conatu certior factus, viginti equitum millia, & octo millia peditum cogit, & Marocum contendit. Ad XXIX. itaque Iunij diem acies concurrunt. Nutans initio victoria, nunc in hanc, nũc in illam inclinabat partem, donec tandem Abdelmelechus tanta vi, tantoque conatu, in hoſtes irrueret, vt eos in fugam verteret. Cæſi ſunt è Mahametanis plus quàm ſex mille, ipſe Mahametus incolumis Marocum venit, quem cum parte exercitûs Abdelmelechus fratrem ſuum Hametum inſequi mãdauit. Mahametus ſuis viribus diffidens, è theſauro Marocenſi, quanto opus eſſe putabat, depromens, Maroco diſcedit, & in Atlantis montis iuga confugiens, ibidem rapina & latrocinijs viuebat. Abdelmelechus XV. Iulij Marocum ingreſſus, regni gubernaculũ, magna cum ſubditorum & procerum lætitia ſuſcepit, legesque & Reipublicæ ſtatum reformauit, Princeps ob eximias animi dotes, heroicasque virtutes, populo charus.

Secũdum bellũ Marocenſe in Africa.

Luſitaniæ Rex Mauro ſuppetias offert.

Mahometus ſecundò cæditur.

Mahametus fugit, & Abdelmelechus Maroci rex inauguratur.

In

1575 In Belgio verò Requesenius videns pacis spem intercidisse, Hirgio Barlemontij filio mandat, vti bellū promoueat. Ille dicto audiens, vndique copias colligit, & ante oppidum Buranum castrametatur; quod cùm occupâsset, seseque ad arcem munitissimam expugnandam pararet, præsidiarij vitam fortunasque pacti arcem dediderunt. Inde Aquas veteres, oppidum inter Vltraiectum & Goudam, regij obsidione cingūt. erant in eo lectissimæ aliquot Auraicorum cohortes sub imperio Tribunorum Munteri, Sanmarij, & Pincvvartij, qui cùm sæpius ad deditionem solicitarētur, nihil præter sannas & conuicia regerebant. Auraicus audita hac obsidione, mox Goudam se recipit, vt aggeres omnes iterum perrumpat, sperans hanc obsidionem eundem, quem Lugdunensis habiturū euentum. At Hirgius nullum temporis spatium intermittit: sed omnem vim cum maxima celeritate admouet; donec tandem mœnibus stratis, continuatisque impressionibus, Hispani oppidum armata manu expugnarent, nullo sexûs aut ætatis habito discrimine, tam ciues quàm milites, toto oppido incenso, inter fumos ac flammas iugularent: atque ita eodem quasi tempore necessitati obtemperantibus parcitur, & peruicaces puniūtur. Qua victoria Hirgius potitus, exercitum duodecimo Augusti ad oppidum Schonhouianū traducit, aduectisque XXIII. tormentis, in vlteriorem fluminis Lechæ ripam, muros sine intermissione verberauit. Auraicus huius vrbis custodiam Domino de la Garde Gallorum Chiliarchę mandârat. Is strata trecentorum circiter passuum ruina, cùm videret Hispanos ad oppugnationem paratos, suos verò consternatos, cum Hirgio paciscitur, eique vrbem reddit.

Bura capitur ab Hirgio Regis præfecto.

Oldevvater expugnatur.

8. Augusti

Schonhouia deditur.

Septembris die XVII. Alenconius Galliæ Regis frater, orta inter ipsum & Regem simultate, sub prætextu Venerem in Sanmarcellæo suburbio venandi, aula excessit: ædesque domestici sui famuli ingressus, dum à suis expectatur, per posticam erepens, equum conscendit: paululum progressus, à multis nobilibus excipitur, Druydamque ditionis suæ oppidum deducitur, & postridie scripto prolixo discessûs sui causam diuulgat. Causæ offensionis esse dicebantur, quòd Alenconio dignitas Legati totius Galliæ negabatur, quòd eo loco apud fratrem non esset, quo cupiebat, vt qui ex humili matrimonio occasionem sumeret arcti-

Alenconius à fratre ad Hugonottas deficit.

oris

oris necessitudinis cum Guisijs contrahendæ: è quorum nutu & arbitrio omnia administrarentur. Ipse neque suo loco haberetur, neque fides ei tribueretur: quippe cui ad rerum secretiorum consilia non pateret aditus. Varia erãt de hoc Alenconij facto hominũ iudicia: Hugonottæ tam repentina rerũ mutatione non minus lætabantur, quàm si luculenta aliqua victoria comparata esset: eius ingenio, fide, comitate, felicia sibi omnia augurabantur. At qui inter eos suspicaciores erant, hanc omnem fiduciam, veluti infirmo fundamento innixam, vel irridebant, vt inanem & futilem; vel dolebant, vt suis rebus futuram exitiosam. Notabant Alenconij ingenium vecors, humile, plumbeum, ad omnem simulationem à matre informatum, atque adeò fieri nullo modo posse dicebant, vt ista ex sese suscepisset, sed Reginæ dolos & artes esse. 1575

Tumultus Genuensis.

Genua nobilis & antiqua ad mare Ligusticũ vrbs, postquã ab anno M. CCCC. XCVIII. vsq; ad annum M. D. XXVII. decies Reipublicæ administrationem mutâsset, à Gallo tandem capta, & ab Andrea Auria Carolo V. confœderato, pulsis Gallis, libertati est restituta. Qui Rempublicam reformare volens, duodecim viros ex antiquis & nouis familiis elegit, Reformatoresque appellauit. His datum est munus condere leges & statuta. Inter alia & hoc fuit: quo perpetuum gubernatorum & procuratorum esset seminarium, statuêre vt quotãnis è nouis familijs ciues decem in familias Veterum nobilium admitterentur, qui Noui vel Aggregati dicerentur, quia nomina pristinarum familiarum assumebant. Dimidium itaque gubernatorum & procuratorum è Veteribus, dimidium è Nouis constare decretum est. Sed cùm post gubernationem Triultij, Veteres multi peste perijssent, multique Noui etiã inidonei, & præter numerum aggregarentur, & capitibus & votis Noui Veteres longe superabant. Ex hac multorum gubernatione variæ natę sunt simultates, variæq; conspirationes, non tantùm inter sese, sed & cum Gallis, alijsq; externis Principibus: ita vt patriæ studiosi partim sponte, partim ab Imperatore Carolo compulsi sint, leges suas reformare, certosq; concilij, electorumq; terminos cõstituere. Actũ est hoc anno M. D. XLVII. quam legũ moderationem homines inquietiores Garibettũ appellãrũt, magisque suffragijs & iudicio, quàm cæca sorte (vt antea) fie-

Veterum & Nouorum seu Aggregatorũ factiones.

1575 te) fiebat, neminique ius eripiebat, quare ab anno M.D.XLVII. ad M. D. LXXV. fuerat cōtinuata. Florētibus verò paulatim diuitijs, succrescenteque luxu & ambitione, cœperunt paulatim simultates & clandestina dissidia in animis Ligurum repullulare & accrescere, eò quòd Veteres Nouis viderentur prælucere. Hi ægrè ferentes se Nouos appellari & Aggregatos, cum Veteribus de nobilitate contendebant, &c. Hæc initia æmulationum paulatim, nouis quotidie oblatis occasionibus, tantas vires acquisiuerūt, vt latentia hactenus in venis Reipub. tandem anno M.D.LXX. palam eruperint.

Io. Andreas Auria (Andreas enim iam obierat) cognita hac simultate, relicta Sicilia, Genuā aduolat, & Philippus Hispaniarum Rex. Io. Idiaqueciū Oratorem suum eò quoque misit, vt litem componerent: sed nihil efficere potuerunt. Noui enim negabant se vllam concordiam admissuros, nisi Garibettum prius abrogaretur, & electio Magistratûs per sortes, vt ante, fieret. quia cùm numero plures essent, sperabant maiorem partem ad se prouenturam. Idem & Popularibus, facta conspiratione, persuadebant. Sed paulò post inter Nouos & Populares orta discordia, Resp. in tres factionū partes est diuisa: quarum prima seu Veterum Porticus S. Luciæ, Nouorum Porticus S. Petri, tertia Populariū est appellata. Excitati sunt in vrbe varij tumultus, ciuiliaque bella. Veteres domi inter præsidia armati latitabant. Noui & Populares per vrbem furiosi grassabantur. Tandem Idiaquecij eloquentia id effecit, vt Noui arma deponerent; Veteres quoque positis armis præsidia externa dimitterent: Populares verò exarmari noluerunt, imo à Nouis clam armabātur, palamq; vrgebant Garibetti antiquationem; quam cùm impetrare consensu non potuêre, vi, multis egregijs viris reclamantibus, abrogârunt. Veteres, per vim omnia geri considerantes, vrbe cedunt, & in oppidum Finale se recipiunt. Reuocantur à Nouis: cumque non redirent, alij factiosi in eorum loca surrogantur: qui vt imperium suum stabilirent, conscriptis militibus, vrbem & castella præsidijs firmis munierunt. Pontifex rem ad bellum spectare videns, nuntium suum Iohan. Franciscum Canobium Genuam præmittit, vt nuntiaret Ioh. Moronum Cardinalem Legatū in procinctu esse, qui honorificè suscepti, cùm nihil impetrare pos-

Ciuile Genuensium bellum.

sent,

ſent, Veteres ad arma reſpiciebant. Cæſar quoq; Epiſcopum Aquenſem & Vitum Dorimbergenſem Genuam mittit, & Rex Rhilippus Ducem Gandiæ eò legauit. Variè tractatum eſt, ſed nihil effectũ. Genuẽſes tam Veteres quàm Noui viciſſim diuerſas legationes ad Pontificem, Imperatorem, & Regem Hiſp. miſerunt, ſuam quique cauſam cõmendantes. Gallus quoque, hac occaſione oblata, per ſuos legatos Genuenſibus opem & ſubſidium obtulit. Idem & Heluetij fecêre. quæ legationes Nouorum cauſam reddidêre ſuſpectam, Veteribusq́ue anſam præbuêre, Philippũ Regem ad arma concitandi, qui alijs rebus occupatus, opem ſuam honeſtè recuſauit. 1575

Venit interea ex Hiſpanijs Gandiæ Dux, cùm paulò ante Veteres, facta contributione, collectisq́ue copijs, Porciferam vallem, Ligurumq́ue mõtes occupâſſent: ſed adueniente Duce, copias dimittere iuſſi ſunt. Dux vrbem ingreſſus, Genuenſes ad concordiam hortabatur, quod ipſum & reliquorum Principum oratores faciebant: ſed illis pertinaciter in opinione perſeuerantibus, Veteres Io. And. Auriam ſummum terræ marisq; Imperatorem creârunt, habitaq́ue is inſigni oratione Finali ad ſuos, ſufficientiq; pecuniæ ſumma impetrata, militem colligit, à Iohanne Auſtriaco tũc Neapoli ſubſiſtente impetrat, vt ſuis Genuenſiumq; priuatorum triremibus duos menſes pro arbitrio vteretur. Confeſtim erecto in prætoria Reipub. Genuenſ. vexillo, belli dedit initium, portumq; Veneris primũ, inde Clauarium & Seſtrium occupauit. Interim Oratores & miniſtri Principum pro pace laborabant: & 20. Septemb. anni 1575. à Senatu Genuenſi obtinuerũt facultatem inſpiciendi leges, abolendi, condendi, reformandiq́ue illas ad vtilitatem Reipub. quæ facultas, certis additis conditionibus, & à Veteribus eſt confirmata. quas conditiones cùm Noui reſpuerent, iterum ad arma curritur. Gandiæ Dux, Magnusq́ue Dux Hetruriæ, de quo non exigua ſibi Noui pollicebantur, Auriam ab armis diſcedere iubent: ſed ille, quandiu cõcordia pacisq; ſpes nõ affulgeret, id facere recuſauit.

Noui cùm Veterum victorias viderent, & neceſſaria multa deficerent, animũ mutare, & de pace cogitare cœperunt. Sed ſeditioſi quidam ciues, pacem exoſi, tumultũ concitârunt, & Cardinalem conuicijs tanquã proditorem cõſciderũt, igniq́ue & ferro, ni cederet, in-

1575

Veterum Genuensium victoria.

terdixerunt Cardinalis per literas conquestus, à Pontifice reuocari flagitat: sed Pontifex eum cõsolatus, hortatur vt exitũ præstoletur. Interim Iohannes Manriques, qui cum aliquot legionibus Germanorũ Veteribus militabat, Porciferam vallem capit: mox Nouiũ, Gauiũ, Borgetũ, Petram, Nolum, Vadum, Altumq; oppida in potestatẽ Veterum deuenerunt. Pontifex, ne ex hac scintilla tota tandem flammis corriperetur Italia, serias literas ad legatos scripsit, vt pacis negotium accelerarent, & si quę pars eam acceptare nollet, se ei hostem atque inimicũ fore atque alteri opem allaturum minatur. Fit itaque colloquiũ inter Veteres, & Cæsareæ, Regiæq́; Maiest. legatos, conditiones concipiuntur XVII. Octob. Genuamq́ue mittuntur, & paucis mutatis, à Nouis non tam volentibus quàm coactis, & Hisp. Regis, vrbis protectoris, vires metuentibus, subscribuntur, paxq́ue composita est, & multa lætitiæ signa vtrinque exhibita.

Pax Genuensibus reddita.

Res Turcicæ.

Interea dum hæc geruntur, fama allata est Byzãtio, nullam, aut non formidabilem classem Turcicam hoc anno, ob nimiam pestis sæuitiam, exituram. Missus igitur est Iohannes Austriacus, cum quinquaginta triremibus in mare Tyrrhenũ, vt oras illas à piratis Turcicis tueretur. Murates nihilominus bello in futurum annũ apparando insistens, per mare Euxinũ maximã annonã Byzantiũ conuehi mandauit. Sed dispensatione diuina factũ, vt tam truculenta, tamq́ue repentina ingruerit tẽpestas, vt CCC. varij generis nauigia, commeatu onerata, & triremes XX. cõuulsa sint, & demersa.

Rudolphus Rex Boemiæ & Romanorũ creatur.

Sub idem quoq; tempus Rudolphus Maximiliani II. Imp. primogenitus, in Comitijs Casurgij Rex Bohemiæ, & paulò post Augustæ Vindelicorũ, Rex Romanorũ declaratur. Interea Turcarũ Imperator, quatuor armatorũ millibus multisq́ue colonis in Pannoniam missis, tempore induciarũ, dolo quatuor oppida capit, quæ vt subdolè suppressa, cùm ab Oratore Cæsareano Byzantij repeterentur, nihil nisi minas à Tyranno reportârunt.

Turca Scytharum Præcopẽsium ope Rußiam vastat.

Quin & memor Murates cladis, quam superioribus annis Iuonia cum Polonis Kosacis Turcicis ditionibus intulerat; vt Polonos vlcisceretur, hoc eodem mense Octobri, centũ & vndecim millibus Scytharũ Præcopensiũ collectis, regiones Russicas quaquauersum ad XL. milliaria vastauit, Ducentas domos eque-

strig

ſtris Ordinis, villasque plurimas immites ij hoſtes ex 1575
uſſerunt:ſenes decrepitos, puerulosq; ad vbera materna plorantes trucidârunt, cæteros homines cum iumentis captiuos abduxerût: I ſtis pecoribus crura ſuccidebant, viuis coria ad vinciendos homines detrahebant. Poloni & Ruſſi ad Neſtrum fluuium hoſtes, ſed paulò ſerius, aſſequuntur: tergumque agminis carpentes, multos Scythas occiderunt, inter alios præfectum quendã cum D.CC. quos ducebat: huius frõs XXIIII. digitos lata fuit, corpus integrũ ſtupendæ magnitudinis, humi iacens cadauer, vmbilicũ viri ſtantis attingebat. Dumque reliqui Neſtro trãſmiſſo in Valachia prædam partiuntur, Koſaci Boryſthenis accolæ, ductore Bogdano Roſinskio, in Scythiam irruunt, flamma & cædibus omnia complent, fœminarũ vbera abſcindunt, quaſdam excæcant, quaſdam occidunt, liberos collidunt, veterũ captiuorum multis liberatis.

Inuſitatæ magnitudinis homo.

Koſacorũ in Scythas truculentia.

Circa hæc tempora multa nauigia ex Hiſpania venerunt, quæ anno præcedenti expectabantur. Cùm autem ad Vectim Angliç inſulam appuliſſent, ibique claſſiarij fide publica accepta neceſſaria ſibi comparâſſent, vireſque recollegiſſent, ſecundo vento Duinkercam nauigârunt. Erant in hac claſſe multæ naues minores, quas Aſſabres vocant, hoc fine miſſæ, vt in fluminibus, aquisq; minus profundis ijs vteretur. Aduehebant ſecum præter multos milites Hiſpanos auri vim non exiguam, aromata, aliasque merces complures. Dum autem Legatus Regius Ioannes Boyſchetius, qui cauſa claſſis huius in Angliam miſſus erat, in aula Reginæ moratur, mandatum à Rege accepit, vt peteret ab Angla omniũ rebelliũ, qui è Belgio in Angliam transfugerant, expulſionem. Regina etſi initio difficulter ad hoc induci potuit, tandem tamen omnibus centurionibus, maris præfectis, & portuum cuſtodibus imperauit, vt nemini, qui arma aduerſus Regẽ Hiſpaniarum gereret, aditum in Angliam permitterent: ſed omnes à portubus, locisque maritimis arcerent. Inter hos nominati ſunt Auraicus cum ſua familia, Culenburganus, Bergenſis, & Markenſis Comites, Eſquardus, Lumbreſius, Runnius, Merodius, Carneſſius, Noyellus, Blioulius, Bredamus, Boyſetus, Aldegundus, Manſertius, Derpius, Philippus vander Aa, Haulteinius à Templio, Iunius, & alij numero circiter quinquaginta. Hoc autem ideo Regina per-

Claſſis ex Hiſpania in Belgiũ.

Regina Regis rebelles Anglia interdicit.

1575 misit, tum quia sciebat neminem ex ijs suę, quā in Belgio habebat, conditionis pertæsum breui in Angliam venturū, tum potissimū quia ipsa per legatum suum VVilsonem à Rege petebat, vt ille hostes suos, inter quos VVestmerlandius Comes, Belgio interdiceret, quod & impetrauit.

Hollandi &c. de nouo Principe eligēdo deliberāt. Auraicus & confœderati vires suas expendentes, cùm se imbecilliores cognoscerent, quàm vt potentiæ Hispani diu possent resistere, de alio Principe deliberare cœperunt, cui prouincias traderent, & à quo defendi possent. Propositi sunt tres, Imperium Germanicum, Gallus, & Angla. Imperium non placuit ob diuersitatem Religionis, pluralitatem Principum, eorum inter se discordiam, magnam cognationem & affinitatem, quam Rex Hispan. in Imperio habebat, propter denique temporis diuturnitatem, antequam Principes quicquam in hoc negotio statuere possent, cùm ipsorum causa moram non pateretur. Gallus reiectus est, non tantùm propter perfidiam & tyrannidem illius, sed etiam propter innatum inter Belgas & Gallos odium, aliasque incommoditates: potissimum autem, quia metuendum, ne Gallus Hispano reconciliatus, pactum commutationis cum eo ineat, Hollandiamque & Zelandiam aliquando Hispano tradat, & Ducatum Mediolanensem, aut Regnum Neapolitanum recipiat. Statuunt igitur Angliam præsidiū esse tutissimū, tum ob Religionis concordiam, tum etiam ob negotiationum cōmoditatem: Anglam terra marique potentissimam, cui si suarum prouinciarum imperium tradant, ipsi autem flumina sua custodiant, Hispano spem omnem recuperationis esse præcisam. Danos adhæc, Suecos, & omnes ciuitates Hanseaticas Reginæ arctissima necessitate confœderatos, vltrò ad hoc fœdus conuolaturos: Galliam denique omnem huic fœderi libenter subscripturam. Placuit hæc sententia: missi sunt extemplò legati Aldegundus, Ianus Douza, & alij, cum plenis mandatis, vt fœdus cum Regina paciscerentur, aut ei prouincias Belgicas titulo feudi donarent. At Regina perpendens Hispani potentiam, Galli inuidiam, & incredibiles sumptus, qui in hoc negotio essent faciendi, legatorum postulatis assentiri tum minimè tutum arbitrata est.

Angla Belgium recusat.

Fœdus Condæi Sub id Condæus in Germania cum Frederico Palatino, & Casimiro filio, de exercitu in Galliam ducendo

cendo transigit: qui ditiones suas oppignerantes, vndiquaque equitatum & peditatum numerosum conscribunt, & summa cum celeritate in Galliam transportant. Rex ad omnes Regni proceres scribit de quorundam inquietorum hominum improbitate, quòd fratrem Alenconium à se abalienatum seduxerint, & ex amico hostem fecerint: orat vt vbi ipse sit explorent, & omnem adhibeant operam, vt captiuus ad aulam mittatur. Iubet quoque ordinarias cataphractorum equitum cohortes ad dictum diem adesse; nouos etiam è nobiliũ clientelis armari iubet, & simul conuolare. Magnus erat nobilium quotidie ad Alenconium concursus: atque inter alios tandem & Ventadorius à Rege deficiens, apud Alenconiũ scriptum edit, in quo causas defectionis reddit. Interea Thoræus instructissimum exercitum Germanorum, ducibus Clareuantio & Hafstineo, in Galliã cogebat: quem cùm Rhenum traiecisse, atque in Lotharingiam venisse intellexisset Guisius, magnis itineribus Castrothierrium peruenit, vbi Thoræum obuium habuit. Fit atrox pugna, sed Guisius lætam victoriam reportauit. cæduntur, vnà cum Hafstineo & Legato, Germani penè omnes: Clareuantius, Moyus, Despalius, Loniumellus, Pontillanus, Normanuillius, & alij nobiles & tribuni capiuntur. Thoræus elapsus incolumis ad Alenconium peruenit: Guisius in maxilla quoque vulneratur. Regina mater nullum non mouebat lapidẽ, vt Alenconij animum pacaret, fratrique reconciliaret. Venit eo fine ad Alenconium Marigniaci, multisque hinc inde habitis colloquijs, inducias VI. mensium cum eo pepigit, quas tandem Rex, neglectis Catholicorum querelis, XXI. Nouembris confirmauit.

1575 cum Palatinis.

10. Octob. Thoræus cum Hugonottis cæditur.

Induciæ in Gallia.

Casimirus interea legionem Heluetiçam conscribit, maximè in Bernatum ditione. Quod cùm Regi suboluisset, ad Bernates scribit, vt ex præscripto fœderis suos in patriam reuocent, nec patiantur arma in socium & confœderatum Regem mouere. Bernates Regem, cæterosque vicinos Catholicos metuentes, & tamen causæ fauentes, simulatè potius, quàm verè, publico suos edicto reuocârũt: sed qui nomina iam Casimiro dederant, adductis speciosis verbis, legato misso facilè satisfecerunt. Condeus verò, spretis inducijs, cum Alenconio pactis, & iam secundò repetitis, bellũ maturabat, omnique celeritate exercitum adornabat.

1575 Habebat sub signis equitum decem millia, peditum vndecim: tormenta maiora quatuor, minora sedecim, Sed & sinè intermissione ad confœderatos literas mittebat, pecuniam promissam, & iam iam repræsentandam, postulans: sed præter verba nihil illi remittebatur. Alenconius autem ex induciarum pacto, repetitis literis, ad Condæum scribit, ne exercitum in Galliam ducat, sed aut dimittat, aut in Belgium ad Auraicum ducat. Condæus verò has Alenconij literas facilè contempsit. quam ob rem. sub finem anni, Rex omnia Lutetijs vicina oppida muniri iussit.

Hærebant adhuc legati Auraici & Hollandorum in Anglia, Reginæ animum sollicitantes, vt imperium oblatum susciperet, à qua tandem id impetrârũt, Reginam promittere se certum hominem ad Regem Hispaniarum missuram, vt pax ex æquo & bono constituatur. Quod nisi impetrauerit, se cum diserta protestatione Regi significaturam: Sibi constitutum esse, curam provinciarum Belgicarum suscipere, vtiusquam Galli, hæreditarij sui inimici, hanc sibi occasionem præripiant. Interim permisit Regina, vt Geusijs arma, puluerem sulfureum, & omnem apparatum, milites quoque Anglos & Scotos è suo Regno exportare licitum esset. Dum in hac spe conquiescũt securè confœderati, paludosis campis, stagnantibus fossis & lacunis suis etiam confidentes. Requesenius, vadi prius altitudine tentata, mirabili dexteritate, præter omnium expectationem exercitum per maris brachium, perquè S. Annæ & Philippi insulas, sine vllis nauibus in Duuelandiam insulam traduxit, eo proposito, vt maximam insulam Zelandiæ *Schouvven* occuparet. Diem S. Michaëli sacrum nocte insequente, cùm varia in cælo viderentur meteora, lanceæ volantes, ignitæ trabes, &c. ijsquè Geusij essent intenti, Regij munitionem Vianensem occupârunt. In oppugnatione perijt è Regijs Hideus Paciecus, gubernator Svvitbeuelandiæ: ex hostibus Carolus Boysetius, Gubernator Zelandiæ, cuius morte consternati reliqui fugerunt. Deinde Regij Bommeneam & Ziriczeam vrbem Zelandiæ antiquissimam copijs suis circumfuderũt. Ziriczeenses omnes aggeres, & præcipue Bordamensem perforârunt: sed Hispani eos non sine vtriusque factionis damno reparârunt. Paulò post magnus Commendator ipse cum Scipione Vitellio in castra

Regij miro stratagemate in Schouvvẽ veniunt.

castra venit, & Bommeneam extemplò iussit oppugnari, quod tanta contentione fecerunt, vt his, qui in munitione erant, nulla quies concederetur, nec tempus ad edendum, bibendum, aut infirmos, vulneratosque reficiendi haberent. Fessi itaque & exhausti laboribus atque inedia, dum dedere se nolunt, vi superantur, & omnes trucidantur. Inde Requesenius totum exercitum Ziriczeam traduxit, vrbem natura loci & arte munitissimam. Præerat vrbi Arnoldus Dorpius, qui cùm portum & suburbanum quendã agrũ muniisset, apertis emissarijs reliquam insulam inundauit: ita vt obsidentes castra sua in ipsis tantùm aggeribus locare potuerint. Sed & obsessi diu illos spe deditionis ludificârunt, vt interim maius haberent se muniendi otium. Requesenius videns vrbem vi expugnari non posse, sed fame & inedia domandam esse, fossam seu canalem inter Schouvven & Duuelandiam palis, catenisque obstruxit. Vbi verò vadum esset profundius, insignes naues militares, asseribus stratas, & militibus, tormentisque munitas, instar pontis, coniunxit: minorum nauium, pontonum, & triremium sibi copiam comparauit: quibus portum, ne quis egredi aut ingredi posset, obsedit. Aggeres omnes propugnaculis & tormentis bellicis muniuit, in stagnantes etiam campos speculatorias naues misit, vt qui in ijs erant hostium studia obseruarent. Hoc modo omnem nauigationem, rerumque necessariarum in vrbem importationem impediuit. In hac obsidione Regij totam hyemem, sub dio, in aggeribus, fluxu atque refluxu maris, stagnantibusque arundinetis substiterunt, omnemque cæli iniuriam aliaque incommoda magna cum patientia sustinuerunt.

1575

Bommenea expugnatur.

Ziriczea obsidetur.

In Polonia verò de nouo Rege creãdo magna erat, ob candidatorum frequentiam, altercatio. Murates nõ ignorans de quibusdam Principibus sibi minus amicis, atque inter alios de Austriacis, cogitari, aculeatas, minacesque ad Polonos literas mittit, quibus extremã ipsis vastitatem denuntiat, si aut Cæsarẽ Maximilianum, aut Moscouiæ Ducem, & non potius Stephanũ Battorem Transyluaniæ Principem eligerent: & vt paratus in omnem esset euentum, ad Proceres Scytharum, & vtriusque Myssæ præfectos, literas indignationis plenas dedit, quibus mandauit, vt copias cogerẽt,

Principũ de regno Poloniæ contentio.

1575 & armarent, easque, si Poloni Regem Ottomannico nomini parum amicum eligerēt, in Poloniam statim ad regni depopulationem immitterent. Competitores huius regni erant Maximilianus II. & eius filius Ernestus, cum fratre Carolo, Archiduces Austriæ: Iohannes III. Rex Sueciæ, cum filio Sigismundo, Duce Finlandiæ: Alfonsus Ferrariæ Dux: Iohannes Basilius, Magnus Moscorum Dux; & Princeps Transyluaniæ Stephanus Battor. Proceres vbi Varsouiam ad Comitia frequentes conuenissent, partim ob Muratis minas, partim ne quem tantorū Principum offenderent, animis fluctuabant, omnemq; diligentiā adhibebant, vt quem suæ nationis eligerent: sed neminem habere potuerunt, qui id onus suscipere vellet. Tandem Iacobus Vohanius Archiepiscop. Gnesnensis, instante magna Senatûs parte, Maximilianum Imp. Regem Poloniæ proclamat. Cui proclamationi, vt loco & more non debito factæ, postmodum est reclamatum: electaque est ab alijs Anna, Princeps ex illustrissima stirpe Regum Iagelloniorum, addita conditione, vt nulli alij, quàm Stephano Battori nuberet. Huius electionis auctores confestim ad Maximilianum Imperatorem dant literas, eum hortantes, ne paucorum Senatorum & nobilium suffragijs fretus, Regnum Poloniæ sibi adeundum putet. Qui verò Maximilianum legerant, econtrariò Stephanum per literas monent, & à suscipiendo Poloniæ Regno, cuius Rex Maximilianus Imp. Senatus Poloniæ, Lituaniæ, Prussięq; totius consentientibus suffragijs creatus esset, dehortantur; præsertim cùm per Blandradā & cæteros Oratores suos in Comitijs Regni ipse dici voluerit: Se ea conditione Regnū petere, vt primū locum, dignitatemque omnem Cæsareæ & celeberrimæ Austriacæ familiæ Regni Ordines tribuant, & concedant. Tantum enim abesse vt Princeps suus Illustrissimus cursum, desideriumq; inuictissimi Cæsaris remorari aut impedire in animo habeat, vt etiam omni conatu promouere, amplificare, illustrareque paratus sit. Id vt reipsa iam erga Maximilianum Cæsarem, Regnūque Poloniæ declarent Proceres Regni, summo se studio contendere. Sed vicit dominandi cupiditas, vt sequenti anno dicetur.

Principes qui ad Poloniæ regnū adspirabant.

Maximilianus II. Poloniæ rex proclamatur, sed illegitimè.

ANNO

ANNO M. D. LXXVI. initio mensis Ianuarij, Alenconius ad Senatum Parisinum literas scribit, quibus animi sui erga Regem candorem & beneuolentiam significauit: querelas intermiscens, de aduersariorum suorum malignis consilijs; ea causam sui decessûs esse, & quòd Germanorum exercitum in Galliam vocare, & ad vrbem Parisiensem propius debeat admouere, palam profitebatur: orabatque Senatum, vt hanc animi sui voluntatem Regi luculenter exponant, eiusque Serenitati commendent. 1576 *Alenconius se purgat.*

Interea legati Alenconij & Regis apud Condæum & Casimirum instant, ne exercitum in Galliam introducāt, Regem Germanis stipendium præsenti pecunia numeraturum, vt domum repetere commodè possint: daturum etiam operam, vt ad vtilem firmamque pacem nihil à suis possit desiderari. Quòd si obedire noluerint, sciant Regi depellendæ iniuriæ facultatem non defuturam. Ad hæc Condæus & Casimirus, se à bona & vtili pace non alienos esse, at verbis non fidere: ideoque rebus suis in posterum tutius caueri velle respondent. Rebus in hunc modum constitutis, Condæus & Casimirus, qui tunc Carmij erant, summa cum celeritate, reliqua Lotharingiæ parte peragrata, ad XI. Ianuarij Galliam cum exercitu intrârunt: Lingonumque fines populabundi transeuntes, vbi liberius ad vrbem primariam accederent, Lingones egressi, & maioribus tormentis ex vrbe explodentes, non leue damnum Casimirianis intulerunt. Inde ad Diuionem peruentum, vbi iterum captis & interfectis non paucis, Abbatiam Cistertiensem ditissimam, eiusque ordinis primariam, quæ in hoc agro est, contra publicam datam fidem, vnà cum arce eiusdem Gillia, turpiter Casimiriani diripuerunt: occisis etiam socijs, qui id impedire vellent. Inde in colonos quaquauersum crudeliter sæuitum, quidquid carris imponi posset auectum, homines & iumenta abducti, & miseris modis diuexati, ædes incensæ, sacra loca profanata, nihil intactum relictum. Inde Nuizum oppidulum Bibracti vicinum deditione capiunt, & contra fidem, qua de fortunis & vita pacti erant oppidani, ciues passim occiduntur, & bonis omnibus exuuntur. At Bibractenses & Cabilonenses, acceptum à Germanis incommodum, egregiè compensârunt, Casimirianos turmatim

Rex & Alenconius pacem vrgent.

Condæus & Casimirus in Galliam exercitū ducunt.

Abbatia primaria Cistertiēsiū contra datam fidem spoliatur.

Perfidia.

1576 palantes, instar pecudum passim trucidantes. Interea dum Germani hic illic paulatim desiderantur, nec pecunia promissa repræsentaretur, quidam in castris tumultuari incipiunt, palam vociferantes, nisi pecunia ex pacto soluatur, se alium dominum quæsituros. Condæus verò, diuiso exercitu, cum altera parte ad Ligerim contendit.

Germani tumultuantur.

Polonorũ electio de Anna Iagellonia facta confirmatur.

Dum hæc in Gallia geruntur, ad Poloniæ oppidum Andreouiam Proceres regni conueniunt, vt electionem Annæ & Stephani confirmarent. Imp. Maximilianus præclaram eo legationem miserat, petens vt residua Procerum pars, his, qui suam Maiest. elegerant, sua quoque suffragia adiungeret. Responsum est, se id facere non posse, tum quia suffragatio de Cæsare facta libertati regni repugnaret; tum etiam, quia Anna electa Polonis esset consanguinea, & inter mores & leges Polonorum nata atque educata: quæ cùm Battori desponsata quoque esset, neque hunc, neque illam in liberis Comitijs legitimè electam, saluo bonorum virorum officio, posse repudiari. Hæc vbi ad Cæsarem referri fideliter mandata sunt, Comitia soluebantur, Stephanus autem Battor, decreti Comitiorum certior per legatos factus, regnum Poloniç in vrbe Transyluaniæ Megessi, cum magna solennitate, mẽse Februario, suscepit.

Pontifex Galliæ Regi auxiliatur.

Interea Pontifex Romanus, vt periclitanti in Gallia Reip. & Religioni opem ferret, vniuersis suæ ditionis vrbibus tributum indixit. Collecta sunt itaque breui quadringenta millia nummûm, & sex decumæ ex sacris prouentibus imperatæ, copiæ quoque in Italia collectæ, & in Galliam missæ; quæ regias res, contra Hugonottarum factiones, tuerentur. Eodem quoque tempore Pontifex crudele Hieronymi Rasponi, in Barnardini Diedi familiam, Rauennæ institutum latrocinium, seuero, sed iusto supplicio vindicauit: quem tamen postea pœnitentem, pro paterna sua bonitate, in gratiam recepit.

Rasponi latrocinium vindicatur.

Nauarræus ex aula clã ad Hugonottas profugit.

Nauarræus Rex, siue quòd Condæi viribus nimium fideret, siue quòd à sceleratis quibusdam hominibus esset instigatus, acceptorum à regia stirpe beneficiorum immemor, sub prætextu venandi, aula excedit, & citatis equis Ferræam venit, statimque certum hominem cum literis mittit ad Regem, cuique abitûs causam fuisse dicit, quòd ex secretioribus quibusdam didi-

didicisset, constitutum Regi fuisse, paucos intra dies se arctiori custodiæ mandare. Rex contra affirmat, sibi id nunquam in mentem venisse, oratque ne huic calumniæ fidem adhibeat. Inde ad totius regni præfectos & optimates literas dat, quibus sese purgat; Deum inuocans testem, nihil istiusmodi vnquam se statuisse, aut cogitâsse. 1576

Sed cùm Germanorum militum intemperies quotidie incrementa sumeret, iamque omnis ager flamma & ferro æstuaret, pagos ac villas Vulcanius ignis fero spectaculo depopularetur, rustici in seruitutem abriperentur, aut mactarentur; viduæ miserando eiulatu circuncursitantes, illuderentur, & pedibus conculcarentur, ludibundi ab vberibus maternis pusiones abrepti in cœnum proijcerentur, virginibus ac matronis stuprum inferretur, nulla non domus lachrymis maderet, nullus non ager eiulantium ploratu resonaret, idque sine huius vel illius religionis discrimine, nec socijs fidei plus quàm hostibus parceretur, furorque iste in oppida etiam & vrbes redundaret: Viuariates, immanis & plus quàm barbaræ Germanorum crudelitatis pertæsi, vtriusque religionis homines, inter se re deliberata, fœdus, nequicquam partis vtriusque præfectis reclamantibus, ineunt: vt à bello abstineant, & communis pacis turbatores, veluti publicos hostes, coërceant: in Regis obsequio vtrique constanter perseuerent: Regem, eiusque præfectos agnoscant, Vticensem Catholici, Dāuilliam Hugonottæ: nullus à partium aliqua lædatur, nullis vrbibus vis inferatur; quod si fiat, communibus armis vis propulsetur, &c. testanturque hunc sibi tantùm finem propositum esse, vt à communi patria calamitatem arceant. Non exigua certè commoda hoc pacto (de quo tamen varia erant hominum iudicia) toti regioni obuenerunt. Nam abducta ex vrbis magna præsidiorum parte, populus inter vicinorum calamitates à diuturnis malis cœpit respirare, opera rustica restaurata, verna sementis pacatè facta, & commercia restituta sunt: misero populo tantum prudentiam & virtutem eorum, quorum studio & opera pax illa procurata erat, collaudante, quantum Tribunorum & militum voces detestabātur. Interea Condæus cum exercitu Aruernorum fines ingressus, ad Alenconium properabat. Aruerni data certa pecuniæ summa, se, suosque fines à militum direptio-

Germanorũ in Galliã insolentia.

Viuariatũ fœdus.

1576 direptionibus redemerunt. Alēconius, audito Condęi aduentu, legatos ei obuiam mittit, qui peterent, vt cū Casimiro consulat, quid in negotio pacis factu opus sit. Visum est ad Hugonottas & Politicos confœderatos, eorumque præfectos & oppida scribere, vt cum mandatis legatos mittant. atque hæc pacis faciundæ primordia fuerunt. Postulabat quoque Alenconius promissam ex pacto pecuniam, sed nihil præter inanes pollicitationes annumeratum est.

Nouæ pacis Gallicanæ initia.

Viuariū à Geydano Hugonotto capitur.

Viuariates, beneficio fœderis prædicti, alta pace iam fruebantur: oppidorūque custodia paulatim intermittebatur. sciebat id Geydanus, Hugonotticæ factionis præfectus: is itaque ex Vticensi agro excurrens, Viuarium primariam Viuariatis vrbem, quæ Catholicis parebat, Episcopalisque sedes erat, prehendit, non sine suorum cæde, priuatoque incommodo, vrbem tamen obtinet, post variam dimicationem. Sed cùm Catholici conquererentur apud Hugonottas, fœdus in ipso limine violari, coacti sunt illi Geydano, vt vrbe cederet, imperare: & nî pareret, vim ei denuntiare. Geydanus cùm se vrbem, quam legitimis armis occupauerat, iisdem defensurum renuntiaret, ab vtriusque religionis confœderatis copiæ ad vrbem obsidendam parabantur. quod cùm Geydanus intelligeret, mutato consilio, Viuarium reliquit, & ad sua se præsidia recepit. acta sunt hæc Februarij XXVII.

Increbuerat iampridem rumor, Byzantij numerosissimam classem instrui, omniaque ad bellum necessaria parari, & classem iam iam ad exitium Christianorum exituram. Melitæ insulæ multùm insidiabantur Turcæ. non latuit id Ordinis Magistrum, qui statim equitum Melitensium sumptibus sex millia peditum conscribit, totidemque Pontifex & Rex Catholicus suis stipendijs alendos addiderunt. Vt autem insula circunquaque nouis propugnaculis muniretur, nullum tempus est intermissum. Ne verò Italiæ littora, aliæque in Siculo & Libyco mari insulæ à Barbaris infestarentur, classem instrui iubet Rex Philippus, & magnas copias ei imponendas corradit. In huius classis vsum trecenta millia nummûm ex Hispania misit, quæ sex triremibus aduehebantur. Sed exorta in Libyco mari subita tempestate, triremes non procul à Villa Franca scopulis occultis adactæ, fractæ sunt

Melitēses sese muniunt cōtra vim Turcarum.

Naufragium.

1576

ctæ sunt & demersæ, pecunia tamen paulò pòst est recuperata.

Egregium facinus cuiusdam iuuenis Neapolitani.

Aliam quoque classem Philippus armauit, & in Africam misit, quæ Susum & Archanchenem adiret. Huic Marchionē S. Crucis præfecerat. Vluzalius Turcicæ classis Archithalassus postquam intellexisset classem Hispanicam in anchoris iuxta Siciliam stare, mittit eò triremem, quæ quid consilij captarent Christiani exploraret. Erat in ea Neapolitanus quidam adolescens captiuus, miræ pulchritudinis & venustatis, quē nauarchus in delitijs habebat, & cuius pudicitiæ homo barbarus insidiabatur. Ægrè ferebat hoc adolescens, conuenitque clam cum reliquis captiuis, vt primò nauarchum, deinde reliquas Turcas dormientes opprimerent, & interficerent. Euentus consilium secutus est. Captiui liberati cum naui incolumes Neapolim venerunt. Hic nuntiat adolescens Turcas Melitensibus bellum parare: id se in triremi varijs sermonibus intellexisse. Quæ fama vt primùm emanauit, Marchio S. Crucis reuocatus est. Præfectus verò Zacynthi speculatoriam nauim emisit, vt quid molirentur Turcæ exploraret. Illa postquam redijsset, indicat Turcicam classem non esse metuendam: milites enim, qui in ea erant, esse tyrones, & se tantummodò in rebus classicis exercere, quo ad bellum fiant aptiores. Pestem quoque plurimas prouincias Turcicas depopulari, quæ incolarum animos non leuiter consternaret.

Crimponiæ obsidio & deditio.

In Belgio continuabatur Ziriczeana obsidio à regijs, & Auraicus vicissim Crimponiam propugnaculum ad Occidentale Rheni ostium arctissimè obsidebat, munitionibus in aggeribus excitatis, & flumine ipso per aggerum rupturas in campos intromisso, ne regijs accessus ad socios pateret. Pagum hunc anno præcedenti Regij occupauerant. Erat enim rebus regijs locus hic admodum opportunus, cùm ex eo in Papendrecht & vicinas insulas Vornam & Brielam, imò Dordracum vsque ipsum per vada, breuia, puluinosque excursiones paterent. Montes quoque Sangertrudani, Gorcomium, & Bommelia possent infestari, nauigationesque in Rheno & Mosa impediri Hunc locum etsi egregiè munierat Hirgius, tamen Requesenio omnes vires suas in Zelandiam mittente, Hollandi Crimponam obsederunt. Missum est eò Hispanorum auxilium duce Petro de Pas, viro optimo, vt commeatum ob

Petrus Pas.

1576 sessis subueherent. Sed cùm ad eos peruenire non possent, Petrus Passius arrepto paruo nauigio, & 300. panibus impositis, per stagnantia pascua, intempesta nocte, ad propugnaculum defertur, & refertur. Sed cùm ea nauigatio postea quoque à Geusijs impediretur, præsidiarij & se, & munitionem dedere coacti sunt, ad finem mensis Februarij. Paulo post Requesenius Belgij Gubernator generalis, ardentissimo paroxysmo correptus, tandem V. Martij Bruxellis extremum clausit diem. quæ fama cùm in Hispanias esset delata, Rex Catholicus, optima quæque à suis Belgis expectans, nihilque diffidens, Ordinibus patriæ scribit, eos Patres suos appellans, & plenam gubernationem prouinciarum eis committens, donec Austriacum fratrem suum amandaret.

Requesenius Belgij supremus Gubernator moritur Ordinibus Belgij Gubernatio defertur.

Condæus & Casimirus exercitum ad meditullium Galliæ promouebant, cumque in agrum Borbonium venisset, à Carossianis recipi postulauit Condæus: sed cùm ingressus in oppidum negaretur, vi aggredi illud mandauit. Carossiani tanti exercitûs vires metuentes, consilium mutârunt, & Condæo sese dediderunt. Inde Condæus cum vniuersis copijs ad Alenconium proficiscitur, à quo perbenignè exceptus est. iunctis autem exercitibus, opportuno loco, ad triginta equitum peditumque millia sunt recensita. Post simul Molinum adeunt, ibique de communi sententia libellum supplicem condunt, qui Regi offerretur. erant autem postulata huiusmodi, ex quibus pacem regno vtilem & salutarem componi debere arbitrabantur. Alenconius, Nauarræus, Condæus, & Casimirus huic machinæ ædificandæ insudabant: quisque sibi optimè cautum volebat, quisque in rem suam commodissimos pacis articulos comminiscebatur, perfectamque tandem Chymæram hanc Lutetiam miserunt per legatos suos, qui ibidem mandata suorum præstolabantur, Regi offerendam. Rex postquam semel ad libellum hunc respondisset, nec illis satisfieret, nouas querelas audijt, aliud responsum postulantium Respondet ergo secundò, sed necdum satisfecit illis responsum. Interea Casimirus Sanuerrinum, Niuernensis ditionis oppidulum, non sine maxima suorum clade, tribus assultibus oppugnabat: cumque iam ruinæ maiores essent, & hostium vis maior, quàm quòd oppidani muros defendere possent, petunt cum hoste pacisci: dumque

Noua pacis in Gallia licitatio.

collo-

colloquuntur, nihil mali suspicati, perfidi milites, a- 1576
lia parte oppidum ingressi, armatos ciues omnes iu-
gulârunt, inermes tam oppidanos, quàm colonos, qui
eò confluxerant, oppido spoliato, in captiuitatem ab-
ripuerunt.

Tertium deinde responsum ad postulationes aduersariorum cùm Rex reddidisset, illudque legatis etiam minus æquum videretur, ad Condæum & Casimirum profecti, de iniquis Regis responsis querebantur. Multa indulgebat Rex Alenconio fratri, plura Nauarræo, plurima Condæo, Casimiro, & cæteris suis hostibus. At maxima erat in Casimiro difficultas: cui in pacto cum Condæo inito cautum erat, Condæum non prius ab armis discessurum, nec pacem facturum, quàm apud Regem perfecisset, vt Casimiro tres præfecturæ, Metensis, Tullensis, & Verdunensis à Rege traderentur. Hanc conditionem, cùm alijs omnibus annuisset, vt probaret Rex minimè induci potuit. Spes igitur erat, si Casimirus ab ea conditione discedere velit, non admodum difficilem fore cæterorum omnium postulatorum conuentionem. Quærenda igitur erat ratio, qua Casimiro, vt ab hac conditione discederet, persuaderetur. Missi sunt eo fine ad illum Bellouezius & Mirembellius, qui speciosis verbis, & magnis pollicitationibus ad hoc illum permouerent. Sed cùm Casimirus in suo proposito permaneret, Regina mater Castronoyum vicum, vbi Alenconius, Condæusque erant, proficiscitur. quò & Casimirus cum suis aduolauit. Hîc Casimirus quæ promissa erant & pacta postulauit, vetera nomina ob priorem, & noua ob posteriorem expeditionem facta sibi persolui, & trium vrbium præfecturas tradi poposcit. Nihil in hoc conuentu definiri potuit. Quare paulò post Etinij denuò conuenêre: vbi post multas verborum contentiones, Principibus ita satisfactum est: Casimiro cohors centum cataphractorum attribuitur, & in equitum Germanorum millia quatuor summum imperium; Legato Cleruantio annua pensio Francorum LX. M. dimidia pars nobilibus clientelis in Burgundia, dimidia nuda pecunia. Præterea aureorum millia duo ad equestrium aliquot turmarum stipendia. His conditionibus renuntiat Casimirus pacto trium oppidorũ Metis, Tullij & Verdunij. Ostendit Casimirus à Rege sibi deberi subductis rationibus, VNDECIM DECIES CENTENA FRANCORVM

Pacis tractatio.

Etinium in Senonũ agro pro pe ipsam metropolim pagus est.

1576 CORVM millia.ex quibus illi præsenti pecunia soluuntur ad XI. Iunij, BIS DECIES CENTENA FRANCORVM MILLIA. Ex Reginæ & Lothareni Ducis monilibus dantur pignora ad aureorum trecenta Millia: pro reliqua pecunia vadibus, obsidibusque fide iubetur. Casimiro præterea Alenconius Castellotierriam vrbem arce munitam cum reditu donat.

Legati, qui horum tractationi interfuerunt, non indonati dimittuntur. Condæo Principi promittitur libera Picardiæ administratio, & Beronia vrbs ei attribuitur pro domicilio, si velit, & ducenti milites ad præsidium. Contio fratri cataphractorum quinquaginta. Alenconio verò in hæreditariam portionem pro more atque instituto Regum Galliæ (Apanagium vocant) Ducatus Andium, Turonum, Biturigum, cum omnibus illorum reditibus, ab omnibus oneribus æris alieni & dotium immunes tribuuntur. Rebus ita constitutis die XIIII. Maij pacis edictum LX. articulis comprehensum proclamatur. Cuius edicti hæc erant summa capita. Post ἀμνηστίαν, rerumque præteritarum obliuionem, in causa Religionis & fidei Rex iubebat, vt Ecclesiastici omnes in possessionem suorum sacerdotiorum restituerentur: Reformatæ (vt vocant) religionis exercitium liberum per vniuersum regnum esset, nullo temporum locorúmve discrimine, dummodò per proprietarios locorum liceret. Sacramentorum, Scholarum, Concionum, Consistoriorum, Synodorum prouincialium aut generalium, omniumque quæ ad istius religionis administrationem pertinent, liber vsus haberetur: modò ijs Synodis intersit vnus ex præfectis regijs. Lutetia & circunuicina loca à milliaribus quatuor, ab istius religionis vsu excipiebantur. Facultas ædificandi templa concedebatur: Matrimonia sacerdotum & monialium rata habebantur, liberi tamen in acquisititia tantùm, non item hæreditaria bona succederent. Sancitum etiam erat, vt vtriusque religionis incolæ, æquè ad publica munia in Scholas, Collegia, Gerontotrophia, Xenodochia, Nosocomiaque, nullo discrimine religionis, reciperentur. Decimæ tam Catholicis quàm Hugonottis soluerentur: Concionatoribus vtriusque partis, vt à seditiosis concionibus abstinerent, mandaretur: in publicis actibus non simpliciter Reformata Religio, sed reformata (vt vocant) collocaretur,

Edictum pacificatorium quintum.

Conditiones & articuli pacis.

1576

caretur. Fundorum Ecclesiasticorum vēditiones essent irritæ. Libri nulli, nisi prius à noui Senatus lectione visitati, imprimerētur, aut impressi venales prostarēt: infames interdicerentur. Sepeliendis hominum non Catholicorum cadaueribus Parisijs Trinitæum cæmeterium conceditur: in cæteris vrbibus vt primo quoque tempore prouideant Magistratus mandaretur. Antiquas de matrimonijs leges etiam non Catholici obseruarent: si quæ in causis matrimonialibus lites oriantur, à Regio & Ecclesiastico iudice dirimerentur. Auraico Principi omnes ditiones, quas in Regno Galliæ habet, ipseque inprimis Auraicus principatus restituerentur. In omnia publica munera tam huius, quā illius Religionis homines reciperentur. Quantum ad iustitiam reformandam Rex in Parlamento Parisino nouam Iudicum lectionem crearet, qui summa sententia, & sine prouocatione ius dicerent, & pars dimidia ex Catholicis, pars altera ex non Catholicis constaret. In Parisino Prætores duo, Consiliarij, siue Senatores XVI. Illi statis diebus Pictauium adirent, & Pictauiensibus, Engolesmianis, Rupellensibus, & Onesijs ius dicerent. Mompessuli eadem auctoritate constituerentur Prætores duo, Senatores octodecim, qui vniuersæ Occitaniæ ius dicerent eodem modo, quo Senatus Tholosanus consueuit. Grationopolitano Senatui, Burdegalensi, Aquensi, Diuionensi, Rothomagensi Britannico Prætores duo, Senatores decem: Grationopolitani autem sedes esset bipartita; Grationopoli menses VI. Sanmarcellini totidem. Ex omnibus inferioribus curijs ad nouum illum Senatum fieret prouocatio, nisi partes præsidiales sedes adire malint. Tholosanus Senatus excipitur, ad quem noui Religiosi non cogerentur accedere. Nauarræus, Condæus, Dāuilla, cæterique optimates & nobiles suis facultatibus & dignitatibus fruerentur, quæ in ipsorum erant potestate ante XXIIII. Augusti, anni M.D.LXXII. Omnes contrariæ sententiæ antiquantur. Excipiuntur ij, qui muneribus suis vltro cesserunt ex pacto. Sacerdotia S. Ioannis alienata prioribus Dominis restituerentur. Contractus omnes in legitimorum hæredum fraudem facti in vtriusque religionis odio nulli essent. Liberi eorum, qui XXIIII. Augusti anno M.D.LXXII. occisi sunt, si nobiles sint, à bellicis oneribus eximerentur; sin populares, ab omnibus vectigalibus ad annos

1576 sex. Omnes sententiæ à morte Henrici II. in Religionis odium factæ abrogantur, & è curiarum omnium commentarijs delentur. Omnes sententiæ aduersus Admirallium, & Castillonæum datæ reuocantur, ipsis & eorum liberis bona fama restituitur : addictæ fisco facultates hæredibus restituuntur. Mollæus, Coconassus, omnes item absentes, qui in vinculis, remis, vel alio quoquam modo tenentur, liberarentur. Supellex direpta, fundorum possessio alienata, monumenta seu scripturæ vtrinque redderentur. Commercia essent libera. Oppida suis priuilegijs & immunitatibus fruerentur. Alenconium, Nauarræum, Danuillam, optimates, nobiles, vrbes, prouincias eadem arma secutas, vt fidos ministros Rex complecteretur, & quicquid gesserint probaret. Fredericum Palatinum, & Casimirum eius filium Rex amaret & coleret, & quæ in Regno suo fecerunt rata quoque haberet. De Heluetico delectu ab ipsis conscripto idem constituitur. Liberi, qui ab Henrici morte extra Regni fines nati sunt, pro indigenis agnoscerentur. Quicquid Alenconius, Condæus, Danuilla, vel ipsorum mandatis alij extra Regni fines gesserint, Rex rata haberet, neque vllum vel ipsis, vel ipsorum ministris periculum iccirco crearetur. De Rupellensibus idem statuitur. Comitia, à quibus dignitas & salus Regni pendet, post sex menses Blesis indicerentur, vt pro more & instituto maiorum omnes eò prouinciæ conueniant, vt auditis omnium querelis, de remedijs prouideatur. Omnia præsidia ex omnibus locis primo quoque die dimitterentur : certis tamen de causis Catholicis confœderatis, & eorum non Catholicis socijs, vrbes octo relinquerentur, Aquæ mortuæ & Bellocayrum in Occitania, Periguria & Masuerdunium in Aquitania, Nisiuum & Serra in Delphinatu, Issoria in Aruernia, Sicna in Prouincia, ea tamen lege, vt Alenconius, Nauarræus, Condæus, Danuilla, & illi, quorum fidei demandarentur, periculum præstarent. Rex etiam promittebat, se deducturum omnia præsidia ex vrbibus, in quibus nulla erant tempore Henrici patris. Omnes exceptiones tolluntur : generalis esset huius edicti regula. Marescallis, vt hanc in rem diligenter inuigilent, mandatur. Prouinciarum præfectis, Parlamentis, Magistratibusque iubetur, vt promulgationem summa celeritate, gra-

1576

te, grauitateque procurent. Tandem cauetur, vti omnes milites, ordinarijs exceptis, domum continuò discedant. Huiusmodi erat edicti formula, quam Rex adhibitis omnibus ritibus, quibus solenne, augustumque edictum maximè videretur, ad XIIII. Maij Lutetiæ iussit promulgari. Dimittuntur vtrinque exercitus: Casimirus discedit cum suis in vrbium, arciumque earum, quæ Rex ei attribuerat, possessionem regio mandato immissus.

At tam pudendæ, noxiæ & impiæ pacis conditiones Catholicis minimè probabantur: quod non clam, neque insidiosè, sed apertis & liberis dictis, factisque testabantur. Neque hanc mentem suam diu occultârunt, sed in ipsa pacis promulgatione detexerunt. Siquidem Lutetiæ summi templi Beatæ Virgini dicati Canonici canticum Deo in gratiarum actionem, ob redditam Regno huiusmodi pacem, canere recusârunt. Infames etiam libelli in compitis reperti sunt, eos, qui de pace his conditionibus faciendæ consilium dedissent, grauiter incusantes, quòd in Regnum vniuersum publicæ legis auctoritate infinitam luem importassent. Mommorancius Marescallus innocens Regio rescripto declaratur, & amplissimis verbis commendatur. Catholici omnibus etiam modis, quibus potuerunt, impedierunt, ne Caluinianæ conciones locis, quibus antea non solent, haberentur. Id Lutetiæ, Lugduni, Aurelijs, alijsque locis plurimis factum est. Rhotomagi cùm Rex esset, Archiepiscopus suggestum ministri conscendens, verba ad auditores habuit, quibus eos monebat & hortabatur, vt non alium quàm se pro vero pastore suo agnoscerent: alioqui omnes & singuli suo malo experirentur, quàm periculosum esset sectarijs adhærere, & à Catholica Ecclesia discedere. Vt autem Religioni suæ, sibique melius prouiderent, fœdus nouum inter se inierunt, quod *Fœdus sanctum*, seu *Sanctam Ligam* vocabant. Compositum & conceptum primum hoc fuit in Picardia, cuius exemplum aliæ prouinciæ statim secutæ sunt. Formam huius fœderis (quia illius in sequentibus frequentissima fiet mentio) hoc loco exprimere placuit. Verba illius sunt:

Displicet Catholicis hæc pax.

In nomine sanctæ ac indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, vnici veri Dei, cui sit honor & gloria Fœdus Principum, Regulorum, & Nobilium Catholicorum fiet, eritque ad instaurationem legis Dei,

Sanctum fœdus, seu Sancta Liga.

1576 Dei, ad restitutionem & conseruationem sanctissimi illius cultûs, secundùm formam & ritus sanctæ, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ; omnibus erroribus & corruptelis, ei cultui repugnantibus, abiuratis. Præterea ad defensionem Regis Henrici, huius nominis tertij in statu, splendore, auctoritate, cultu, obsequio & officio, quæ à subditis illi debētur: vt continetur in articulis, quæ illi in Comitijs offerētur; nō alienis ab his, quos ipse iureiurādo approbauit, quo tēpore inauguraretur, sancteq; se seruaturū promisit: cū protestatione, se nihil facturū, quòd triū Regni Ordinū determinationibus aduerfetur. Insuper ad restituendum prouincijs huius Regni, earumque Ordinibus iura, prærogatiuas, immunitates, & antiquas libertates, quales erant tempore Clodouæi Regis, qui primus Religionem Christianam amplexus est: &, si fieri potest, ad redigendum eas in meliorem statum, sub huius fœderis tutela. Quòd si impedimentum aliquod, contradictio, aut rebellio oboriatur, aduersus ea, quæ in fœdere continentur, à quocunque & vndecunque nata fuerit, fœderati obstricti erunt, non facultates omnes tantùm, sed propriam etiam vitam profundere: ad impediendos, castigandos, reprimendos eos, qui fœderi aduersari voluerint, dabuntque operam, vt omnia, quæ in fœdere continentur, adimpleantur. Quòd si quis ex fœderatis à quopiam iniuria afficiatur, socij nec facultatibus, nec vitæ parcent, vt illatam iniuriam vlciscantur, siue via, modoque ordinario Magistratûs opem implorantes, siue extraordinario scelus armis vindicantes: idque sine vlla personarum acceptione. Et si qui fœderatorum post datam fidem, & prestitum iuramentum, quacunque causa aut prætextu fœderi renuntiauerint (quod Deus auertat) huiusmodi refractarij in corpore & bonis cum omni seueritate pœnas luent, tanquam Dei hostes, sanctæ societati rebelles, & publicæ quietis turbatores. Neque ij, qui tantum scelus punierint, vllo pacto pro isto facto quæstioni priuatim aut publicè poterunt subijci. Vniuersi autem fœderati iurabunt omnem obedientiam, & fidele obsequium, se fœderi Præfecto præstituros: qui Præfectus, ad huius fœderis defensionem, communibus sociorum suffragiis eligetur: huius imperium omnes sequentur, consilio, auxilioque hunc iuuabunt, tum ad fœderis auctoritatem tuendam, tum ad fœderi huic repugnantes opprimen-

primendos, ſine alicuius reſpectu aut exceptione. Qui 1576.
officio non ſatisfecerit, aut tergiuerſatus vlla in re fuerit, ex conſtitutione & decreto Præfecti, cui omnes fœderati ſeſe ſubijcient, punietur. Omnes Catholici, ſiue ruri, ſiue in vrbibus habitauerint, huius fœderis certiores fient, & ad illud inuitabuntur per gubernatores particulares, vt huic ſocietati ſubſcribant, eique nomina dent: viros quoque & arma pro facultate ſuppeditent. Qui fœderi adſcribi noluerint, eius hoſtes declarabuntur, digni quos confœderati omnibus modis perſequantur. Prohibetur omnibus hoc fœdere ſociatis, lites aut iurgia mouere, aut de vlla re contendere, niſi prius petita à Præfecto venia; qui ſecus egerit, eius arbitrio & ſententia plectetur. Si pro fœderis confirmatione, aut maiore confœderatorum ſecuritate fiat aliqua cum prouincijs huius Regni ſocietas, aut conuentio, ea in hanc formam concipietur, & ijs legibus confirmabitur: ſiue ab vrbibus, ſiue à Prouinciarum illarum Ordinibus expoſcatur, niſi aliter viſum fuerit. Hæc ſumma ſancti iſtius fœderis eſt, quamuis veriſimile ſit, plura magis particularia, & prægnantiora hoc fœdere contineri, quæ fortaſſis ab ijs ſcriptoribus, quibus nos vſi ſumus, mala fide reticentur. Qui in hanc ſocietatem recipiebatur, propoſito illi Euangeliorum codice, hoc iuriſiurandi nexu ſe aſtringebat: Ego N. iuro Creatorem, tangens hoc Euangelium, ſub pœna anathematis & damnationis æternæ, quòd ad hanc ſanctam ſocietatem Catholicam me contuli, ſecundùm formam, quæ mihi prælecta eſt, iuſtè, fideliter, & ſincerè, ſiue ad præcipiendum, ſiue ad obediendum: & promitto quatenus mihi vita chara, & decus mihi curæ eſt, vſque ad extremum halitum me eam obſeruaturum, nulla in re præuaricando, aut tergiuerſando: etiam quocunque in contrarium mandato prætextu, ſpecioſa excuſatione, aut commoda occaſione ſeſe offerente. Sacrum hoc fœdus continuò per certos homines Romam miſſum, & à Pontifice approbatum, confirmatumqúe eſt. Rex quoque Epiſcopum Pariſienſem Romam legauit, qui à Pontifice impetrauit, vt Regi re pecuniaria laboranti Eccleſiaſtica bona ad centum & quinquaginta millia nummûm vendere liceret. Poſt ictum fœdus Catholici, ne Gallia nouis belli difficultatibus implicaretur, decreuerunt, nihil tentandum, antequam Hugonottæ

1576 nouum de pace edictū violassent, & in nationali Concilio de Religione definitum esset. Breui enim futurum, vt Caluiniani nouū edictum violarent, non obscuris indicijs mens ipsis præsagiebat: vindictæ namque cupidinem metu ad tempus occultabant. & pacem conciliando bellum coquebant, nec fefellit sua Catholicos opinio. Primus omnium Condæus ad nouos tumultus adspirabat. Cùm enim is Rupellensibus insidiaretur, vrbemque suæ potestatis facere studeret, ab oppidanis constanter repulsus est: qui cùm nec his quidem fidem haberent, qui ipsorum tutelam susceperant (sciebāt enim quàm eorum ingenia inquieta & ad noua bella serenda erant procliuia) Condæo in suam vrbem ingressum denegârunt, quòd metuerent, ne ille commoditate loci fretus, rebus nouis animum applicaret. Condæus Rupella exclusus, ope Mirembelli Broagium occupat, bellique sexti ciuilis classicum dedit, quod socij tamen minimè probabant. Hinc magni bellorum rumores in circumuicinis regionibus excitati sunt, omnibus coniectantibus, non aliam ob causam eum locum à Condæo occupatum, quàm vt belli sedes esset. Ante omnes hoc factum Rupellenses indignius ferebant, quia videbant renouandis tumultibus portam aperiri. Condæus autem, vt hoc factum suum aliquo fuco excusaret, diffidentiam prætendebat. Angeliacum scilicet sibi à Rege concessum, vt eò se reciperet: hanc vrbem non satis esse validam, nec munitam, vt huic se credere auderet: munitiorem igitur locum se quæsiuisse & occupasse, vbi ab hostium insidijs securius degere possit.

Belli ciuilis sexti classicū.

Continuatio obsidionis Ziriczeanæ.

Magno Commendatore Requesenio Bruxellis mortuo, Hispani obsidionem Ziriczæensem non soluerunt; sed licet difficillimam, & iam in sextum mensem productam, continuârunt. Auraicus & Confœderati, missis aliquot nauibus Montes ad Zomam, impedire studebant, ne quid istinc obsidentibus adueheretur: sed irritus fuit iste conatus. Nam etsi Hispani obsessos, & Auraicus obsidentes inedia & commeatûs inopia coercere conarentur, melior tamen obsidentium, quàm obsessorum fuit conditio, cùm illis vndique terra mariquc commeatus aduehe-retur: his verò iam omnia deficere cœperint. Holachius igitur & Boysetius variis modis obsessis subuenire tentârunt, sed frustra. Quadam nocte por-

tum

tum ingressi, duas naues regias ceperunt, vnam incendio consumpserunt. At orta tempestate, dum varijs implicantur difficultatibus, maris recessus aduenit, naues que Geusiorum vado insederunt. Interea Hispani tormentis vndique productis, aliquot hostiles naues depresserunt. Iunij XII immensæ molis nauem, mille ducentorum vasorum capacem, nomine Iobum Ioannis instruxerunt, omni genere tormentorum munierunt. Corbes in malis habebat amplos, & bene munitos, qui decurias aliquot sclopetariorum capiebant. Hi desuper in Regiorum munitiones, aggeribus superstructas, iacularentur, & à defensione Hispanos arcerent. In naui ipsa sexcenti circiter lectissimi milites, vnà cum Archithalasso Boyserio vehebantur, qui maioribus tormentis munitionum latera conuellerent. Hanc machinam æstu maris ad aggerem Bordamum impulerunt, vt dum ea cum Regijs velitaretur, minoribus nauiculis commeatum in vrbem importarent. Sed cùm eò promota esset, vado impacta dissoluta est, non tantùm pondere tormentorum, hominum, aliarumque rerum, quæ in ea erant, sed & multitudine ictuum, quibus à Regijs perforabatur. Nihilominus sub vesperem accedente mari, postquam nonnihil restaurata esset, aquis sublata sese iterum mouit. Mox à Regijs duobus denuò prægrandibus globis perforata, deprimitur: trecenti & plures classiarij in ea perierunt, reliqui periculum natando euaserunt. Archithalassus ipse Boysetius, postquam arrepta tabula diu cum aquis luctatus esset, tandem submersus est: qui si post primam, secundam naufragij tabulam, sacram pœnitentiam toto corde amplexus sit, meliorem sui partem in portum cælestem sine dubio transportauit. Hic finis fuit celebris huius Boysetii: hæc tot fortiter gestorum merces. Rebus iam deploratis, postquam iam omnia essent consumpta, & extrema ciues inopia laborarent, Dorpius vrbis præfectus, videns nullas suppetias expectandas, cum cæteris Tribunis, Centurionibus & Senatu de vrbis deditione collocutus est. Eius consilio suffragati sunt omnes, neque meliorem iam exitum videbant. De conditionibus igitur inter Dorpium & Mondragonium actum, & XXX. Iunij conclusum est, Vti Præfectus, Centuriones, & milites cum vxoribus, liberis, armis & impedimentis, complicatis tamen signis,

1576

Geusij Ziriczeensibus opem ferre conantur.

Nauis Iobus deprimitur.

13. Iunij.

Zirlczea Regi Hispan. redditur.

1576 gnis, extinctis fomentis igniarijs, & absq; tympanorũ pulsu vrbe nauigio per portũ eueherentur. Eadẽ fortuna esset Ministellis suis, & tredecim alijs peregrinis. Ciues omnes cuiuscunq; conditionis & religionis in vrbe manerẽt. Dorpius verò apud Auraicũ & suos ageret, vti vicarius Archithalassi regij Arnoldus Hãstadius, & alij nõnulli captiui dimitterẽtur. Huius rei obsides daret. Cũ ciuibus ita trãsactũ est, vt prescriptis certis temporũ terminis, centũ millia florenorũ dependerent, omnium præteritorũ venia donati, tranquillè deinceps Regi & Religioni Catholicæ fideles viuerent. Hoc modo antiquissima Zelandiæ vrbs, quæ inexpugnabilis antea censebatur, post nouem mensium obsidionem fame à Regijs expugnata est.

Controuersia Anglorum cum Hollandis & Zelandis. Eodem tempore noua difficultas exorta, res Auraici non parum perturbauit: quæ nisi paulò post composita fuisset, non leue detrimentum fœderatorum administrationi intulisset. Cùm enim Hollandi & Zelandi in tanta hostilitate Regi Hispaniarum exhibita, merces nullas in Hispaniam auderent importare, & Hispani suas merces Caleti & Duinkerkæ expositas curribus & quadrigis Antuerpiam mitterent, magnum erat inter nautas & mercatores Zelandos &c. otium: cessabat omnis negotiatio, omnis cessabat nauigatio: quæ duo ad Anglos & Gallos deuoluta sunt. Tædebat huius Geusios, & emissis nauibus prædatorijs, omnes naues promiscuè, sine discrimine Hispanicas, Anglicas, Gallicas intercipiebant: amicos æquè vt inimicos deprædabantur. Hinc ingens orta est inter has nationes controuersia. Angli quatuor naues Zelandicas Plymnuthi detinuerunt, quas mercatores in vsum suum pro damnis acceptis conuerterunt. Zelandi vicissim XIIII. naues Anglicas captas Vlissingam adduxerunt. Mittuntur legati ex Anglia, qui de vi & pactis conquererentur: audiuntur vtrinque rationes, fit noua transactio cum mercatorum Anglicorum maximo damno, & totius gentis ignominia: læsi ducentorum quinquaginta millium florenorum summa multantur, cum ea scilicet promissione, quòd Auraicus cum suis hanc summam anni spatio, si pax componeretur, biennij verò, si bellum continuaretur, redderet. Vtrinque naues captæ & detentæ dimitterentur. Sed cùm naues Anglicæ, quæ in portu Vlissingensi stabant, incuria

Zelan-

Zelandorum adeò laceræ, dissolutæ & corruptæ essent, vt è portu educi non possent, omnis transactio in irritum recidit, & inimicitia, hostilitasque prior recruduit. Regina quasdam naues instruxit, quæ mercatorum nauigia contra violentiam Zelandorum armata manu defenderent, & Duijnkerkam comitarētur. Hæ in primo egressu naues aliquot Zelandicas captas, vnà cum classiarijs in Angliā miserunt. Quod cùm Auraicus intelligeret, peioraque ex his initijs oritura prospiceret, Bartloyum Anglum Tribunum militum in Angliam legauit, qui sua eloquentia iratum Reginæ animum pacauit, operaque Iacobi Tasseinij, illuc etiam eandem ob causam missi, omnem controuersiam composuit. 1575

Occupata Ziriczea regiæ res optimo erant loco, Geusiorum verò deterrimo. Ea enim vrbe intercepta, præterquam quòd in alias insulas Zelandicas facilior esset aditus, Hollandi etiā à Zelandis seiungebātur, adeò vt nisi maximis difficultatibus, maioribus sumptibus, & longiori tempore mutuas sibi operas ferre non possent. Sed felicem hunc rerum cursum mox noua Hispanorum, aliorumque tumultuantium militum insolentia retardauit: eamque ruinam fortunis Regis, eiusque subditorum dedit, quam etiamnū, post viginti scilicet annos, reparare non potuit. Nam etsi iam pridem in Reipub. visceribus quàm plurimi latitarent, qui vel nouitatis studio, vel Caluinianæ Religionis zelo, vel Hispanorum odio, vel muneribus corrupti, Geusiorum quàm Regis partium erant studiosiores, tamen quòd vnum ad gubernacula sedere, qui iustitiam seuerè administraret, quòd Regias res quotidie fieri meliores viderent, mouere sese non audebant. Hi sublato è viuis Gubernatore, & Rempub. ijs administrantibus, quorum exigua erat auctoritas, ad magna audenda maiores sumpserunt animos. Peroportunè illis accidit nouus militum tumultus, vt quod hactenus animo coxerant, iam publicum facerent, & honestum, quem consilijs, factisque suis prætenderent, titulum haberent. Hispanis enim & Germanis iam multorum mensium stipendia debebantur. Quare in Hollandia & Aldenardæ in Flandria, viuente adhuc Gubernatore, querimonias vltro citroq; iactare & clam mussitare cœperant: quorum querelis vt occurreret Commendator, ab Ordinibus prouinci-

Nouus tumultus militum Regiorū.

1576 arum, & ab vrbe Antuerpiensi certam pecuniam petebat: qua in ea,qua erat, nummaria difficultate militibus satisfaceret. Sed omnia æraria erant Regi obserata: pauci enim in tanta sapientum & prudentum virorum numero præuidere potuerunt, quàm exigua pecunia irreparabile illud damnum, imò exitium redimere potuissent. Sed plerisque pedes pruriebant, & eandem, quam Hollandi & Zelandi, choream ducere gestiebant. Qui in obsidione Ziriczeensi erant, pacatiores fuere: promissa enim illis erat post vrbem occupatam solutio. Ziriczea itaq; domita, & Regiæ potestatis facta, cùm promissa solutio non fieret, primò mussitare, inde palam exigere, vltimò toto exercitu tumultuari cœperunt. Senatus Ordinum, cui administratio Belgij absente Austriaco erat demandata, cùm audisset eos Antuerpiensibus, Mechliniensibus, & Bruxellensibus minari, vt furori illorum occurreret, offerebat illis centum illa florenorum millia, quæ Ziriczeenses pendere tenebantur. Atqui in vrbe erant Mondragonij VValones, eiectis omnibus aliis, hanc pecuniam sibi deberi dicebant. Alij igitur, & præsertim Hispani, quotidie maiores turbas concitabant. Omnes præfectos suos à se reijciebant, pagos, villasq; spoliabant, munitiones & stationes suas deserebāt, & cum vniuersis copijs in Brabantiam reuertebantur. Missus ad eos Comes Mansfeltius, obtulit partem lytri Ziriczeani, & trientem totius primæ summæ, quæ ex Hispanijs expectabatur. At illi plenam solutionem, & ciuitatem aliquam pro sua securitate, donec rationes subducerentur, & solutio facta esset, postulabant. Quæ cùm ab Ordinibus negaretur, XXV. Iulij Alostū Flandriæ oppidum ad Teneram fluuiū profecti, illud varijs locis oppugnantes, tandem ceperunt, ciuesque omni crudelitate exagitârunt: nullo insolentiæ genere omisso. Nec desierunt vicinis locis minari, nisi Ordines pecuniam cogerent, qua ipsis satisfieret. At Belgarum animi ad rerum mutationem proni, odio Hispanorum iampridem flagrantes, & hoc nouo tumultu magis irritati, de nulla re minus, quam de illis pacandis cogitabant: ad arma potius, & sui, suorumque defensionem sese mutuò exhortātes. Bruxellenses cōsilio Senatûs Ordinum aliquot militū centurias conscripserunt, vrbis Gubernatorem Dominum Hezium, Gaesbecani filium, è familia Hornana creârunt: quo ductore

Hispani per vim Alostum occupant.

ductore vulgus pauidum primò & socors, mox cristas tollit, & ad quælibet audenda præceps ruit. Mox Senatus Ordinum vnà cum Hieronymo Roda Hispano, tum præside, tumultuantes Hispanos hostes Regis & patriæ pronuntiàrunt. Quæ sententia XX. Septembris additis rationibus est repetita: edictumque publicatum, quo Belgæ omnes arma capere, & Hispanos, vbicunq; possent, occidere iubebantur. Ad cuius mandati executionẽ non minis, non verberibus, non mulctis, non opus vllis erat supplicijs. Ab hoc edicto excludebantur Iulianus Romerus, Alphonsus de Vergas, & alij tribuni: qui metu gregariorum militum Bruxellis se continebant. Cæterùm cùm Sancius Dauila Bruxellas vocatus non comparuisset, omnes in vniuersum Hispani suspecti notabantur. Dauila, qui arci Antuerpianæ præerat, & naues omnes bellicas in sua potestate habebat, studiosè procurauit, vt Chiliarchas Germanos Carolum Fuggerum, Georgium Fronspergium, Ottonem Comitem Obersteinium cum suis legionibus, & Cornelium Findenum cum sex Hannibalis cohortibus, quæ in fide, militiaque Regis permanserant, in suam factionem pertraxerit. Ipse cum suis nauibus & triremibus tumultuantibus Hispanis, qui Alostum tenebant, quotidie commeatum aduehebat. Cùm initio non omnia Brabantinis ex sententia succederent, vulgus ad suspiciones pronum Senatum Ordinum, cui Rex administrationem crediderat, primò clam, deinde palam cœpit accusare: dicere nõnullos inter Senatores esse, qui cum hoste colluderẽt, & alios adhuc integros & sinceros in suas partes inducerent. Creditum id confestim est. Populus Bruxellensis ductoribus D. de Glimes & Hezio, foribus Curiæ effractis, Comitem Mãsfeltium, Barlaimontium, Viglium, aliosque Senatores cum Secretarijs ex ipso sanctioris concilij loco captiuos trahunt, & arctissimæ custodiæ tradunt. Confestim scriptum, quale ad causæ suæ iustitiam conueniens fore arbitrabantur, concinnantes, typoque excusum passim per Belgium disseminantes, captos Senatores variorum, enormiumque criminum reos agebant. Sed cùm captiuos paulò post libertati restituerẽt, scriptum illud, vt commentitium, & nullius auctoritatis explosum est.

1576

Hispani hostes declarantur.

Senatus Regius Bruxellis capitur.

Interea Belgij Proceres nonnulli, Funkij & Indeueldij consilio, aut saltem consensu, ad omnes prouincia-

1576 uinciarum Gubernatores literas dederunt, eos ad commune fœdus cohortantes, & sub imperio Likerkij exercitum ad defensionem Brabantiæ conscripserunt. Inde Brabantini, intercessore Comite Laleinio, cum Hannoniensibus fœdus inierunt. Deinde cum Artesijs, incitante eos ad hoc Vicecomite Gandauense. Horum exempla secuti sunt Flandri primò deinde aliarum prouinciarum incolæ: promittentes se communibus opibus & viribus Hispanos flamma & ferro persecuturos, Belgio exturbaturos, aut ad internecionem omnes deleturos. Hispani cùm maximos in se belli apparatus fieri cognouissent, suis rebus non defuerūt: sed euocatis vndique & collectis suorum, Germanorumque copijs, quæ & multitudine & viribus Ordinum exercitum superabant, sese ad defensionem parârunt. Præterea Bredam, Ruremundam, Montes ad Zomam, Campos, Dauentriam, ac totam pene Frisiam cum multis arcibus & munitionibus tenebant. Belli sedem Antuerpiæ castrum constituebant: vrbis quoque imperium, propterea quòd Obersteinius in eam suam legionem, & Cornelius Endius duas cohortes iam pridē introduxerat, habere se arbitrabantur. At Obersteinio post ab illis deficiente, & Ordinum partes sequente, Egmondanus, Champignius, & Haueræus cum suis copijs in vrbem recepti sunt. Magna magni hæc belli erant initia. Gandauenses & vicini Flandri, cùm viderent Hispanos, qui arcem occupabant, omnia pro sua libidine administrare, & Alostanis tumultuantibus Hispanis commeatum, aliaque necessaria impune aduehere, metuentes etiā præsidium Hispanorum fortissimum, quod Teneremundam vrbem custodiebat, ne fortè, vt ante biennium Antuerpiæ, sic Gandaui per castrum Hispani vrbem inuaderent, cœperunt vallum & propugnacula extruere, & castrum ab vrbe disiungere. Sed & omnem vim adhibuerunt, vt Hispanos arce pellerent. Mondragonius, qui arci præerat, & in ea vxorem cum familia habebat, mox, vbi hæc audijt, Ziriczea cum parte legionis suæ discedens, Gandauum contendit. Sed cùm difficulter Scaldim traijcere posset, & à suis Ziriczeam reuocaretur, eò reuersus, inuenit multos è militibus suis tumultuantes, qui cōtempto ducis sui imperio, relictis stationibus suis, ad Ordines (erant enim plerique Belgæ) defecerunt.

Fœderatio prouinciarum cōtra Hispanos.

Gandauēses castrū suum obsident.

De

De Augustana Confessione à quibusdam Germanis Constantinopolim ad Patriarcham, à quo eam approbari cupiebāt, missa, dictū est antea. Patriarcha itaq; sæpe à Crusio & Chytræo sollicitatus, vt ad transmissos articulos responderet, tandem hoc anno censuram suam absoluit, & Germanis transmisit. Quam cùm legissent, nec obscurè intellexissent, Orientalem Ecclesiam cum Romana, quatuor antiquis Græcorum erroribus exceptis, optimè conuenire: à Lutheranorū verò doctrina toto cælo discrepare, pœnitentia ducti, & rubore suffusi, huius negotij auctores & sua & Patriarchæ scripta supprimere studuerunt: ne si ederentur, Romanæ Religionis vetustas & sinceritas, suæ verò nouitas & impuritas toti mundo constaret, vt satis liquet ex epistola Crusij ad Chytræum hac de re postea transmissa. Noluit tamen Deus hæc occulta manere: sed ad Ecclesiæ suæ gloriam postea manifestari vt suo loco dicetur. Mirum autem est, Chytręum in suo Chronico, vbi alioquin minutissima quæque ad Religionem suam spectantia commemorat, huius tanti negotij ne semel quidem mentionem facere. 1576

Patriarcha Constantinopolitanus improbat Confeßionem Augustanam.

Maximilianus Imperator Ratisponę adhuc Comitia habebat: in quibus Principibus Imperij exposuit apparatum bellicum, qui Bizantij fiebat. Petijt igitur ab illis subsidium ad Imperij defensionem. Significat etiam se Regem Poloniæ electum, Lituaniam, Liuoniam, vicinasque prouincias iam Imperij membra factas. Petit igitur, ne quas Germanorum copias Imperij finibus exire patiantur, multaque de veteri iustitia & alijs laudibus Germanorum verba faciens, auxilia quoque contra Battorem Polonici Regni competitorem flagitauit. Dum his de rebus Principes inter se deliberant, Nobilitas Fuldensis Abbati, & Eisfeldenses Mogūtino Archiepiscopo subiecti, in iisdem Comitijs liberum Religionis Augustanæ exercitium sibi concedi, & Comites Harcynij, Veterani, alijque ad Rhenum filijs suis Augustanam Confessionem amplexis, liberum ad beneficia in Canonicorū collegijs aditum, & Canonicos, qui nunc essent, eiusdem Religionis, dignitate & redditibus suis non priuari, magna contentione flagitabant. Principum Augustanæ Confessionis Legati causam hanc omnino iuuandam esse censuerunt, ideoque in prima conuocatione

Cæsar in Comitijs opem contra Turcā & Battorem petit.

Lutheranorum in Comitijs postulatio.

1576 ne Cæsarem monendum, vt iuxta promissum superiori anno factum, ante omnia hanc Religionis causam velut non ad priuatos, sed publicam Imperij salutem pertinentē, tractari, & decidi in hoc Senatu pateretur. Hæc Saxonici. Alij aūt, quia nihil de eo propositum esset, supplicem libellum, exhibendum esse, cum comminatione, de Turcicis auxilijs ab hac parte non contribuendis, nisi postulata impetrarent, censuerunt. Sed Saxonici hanc conditionem inseri noluerūt. Ea igitur exclusa, causa suscepta, irrito tamen conatu tentata est. Elector enim Saxoniæ iudicabat non esse in Cæsaris potestate positum, cogere Ecclesiasticos Ordines, vt contra expressam dispositionem pacis Religioni datæ, subditis suis aliam Religionē, quam ipsi non probarent, inuiti concederent. Alioquin & Augustanæ confessionis Principes coactum iri, suis subditis, si qui expeterent, Catholicam Religionem liberam concedere. Non esse igitur hanc camerinam vlterius mouendam, ne occasio violandæ pacis Religioni datæ, in qua veluti pupilla oculi nihil temere turbandum, aut peregrinis interpretationibus expositionibusque in dubium vocandum sit, præbeatur. Dum hæc in Comitijs aguntur, Iulius Dux Brunsvvicensis, Henrici bellicosi filius, Helmstadiensem Academiam erexit, eique primum Rectorē Henricum filium suum præfecit: cui eam liberaliter dotatam commendauit.

Nota.

Academiæ Helmstadiensis initiū.

Proceres Poloniæ, qui Cæsarem elegerant, instant vt in Regnū veniat.

Interea Poloniæ Regni Senatores, qui Maximilianum Regem suum elegerant, non destiterunt Maximilianum & literis & legationibus splēdidissimis hortari, vt articulos ab Henrico Rege iuratos, & alios, de quibus inter Ordines Regni & Suæ Cæsareæ Maiestatis legatos in Comitijs VVarsouiæ conuenerat, iureiurando confirmaret: & quamprimùm in Regnum Poloniæ, priusquam ab aduersæ factionis Proceribus, qui Stephanum elegerant, præoccupetur, ad coronam accipiendam veniat, vel saltem diem certum aduentûs sui in Poloniam constituat, cumque Proceribus Leouicij congregatis per oratores suos significet. At Imperator quædam in articulis mutari, & moderationem aliquam adhiberi petiuit, ac in specie, quid in durioribus aliquot articulis Henrici Regis, & cæteris desideraret, prolixo scripto exposuit. Sed quia instabant Comitia, quæ Leouicij indixerant Proceres, qui

Cæsar cūctanter agit.

Maxi-

Maximilianum elegerant, periculũ erat in mora. Nam 1576
& hi, qui à Battore ſtabant, non ceſſabant eũm quoq; vrgere, vt veniens poſſeſſionem caperet. Interea flagitabat Cæſar, vt electio in Erneſtum filium ſuum deriuaretur, hac conditione, vt infantem Poloniæ Annam vxorem duceret. Quæ Cæſaris petitio repulſa eſt. Dum ſic cunctatur Cæſar, literæ ad eum à Senatoribus & Equitibus Regni Poloniæ Leouicij cõgregatis adferũtur, in quibus de mora, quam Sua Maieſtas profectioni ſuæ in Regnum Poloniæ interponat, grauiter conqueruntur, & niſi quamprimùm veniat, non obſcurè oſtendunt, Regnum prius occupanti cedere debere. Cæſar moram ſuam excuſat, & omiſſo Battore, iterum matrimoniũ inter Erneſtum & Annam inijcit: petitque ne electioni ſuæ legitimæ quidquam contrarium ſtatuant. Tandem poſt aliquot adhuc ſcriptorum viciſſitudines, tractatione cum Oratoribus Poloniæ concluſa, Maximilianus iuramentũ de articulis & conditionibus præſcriptis religiosè ſeruandis præſtitit, & Decretum electionis accepit, idque omnibus Regni Poloniæ, & magni Ducatûs Lituaniæ Ordinibus, typis edito ſcripto edixit. At Stephanus Battor Tranſyluaniæ Princeps, dum ſic cunctatur Maximilianus, ab aduerſa Polonorum factione ſolenni miſſa legatione ad præſtandum iuramentum, & accelerandum aduentũ inuitatur. Qui ſciens non ſemper æſtatem (vt aiunt) futurã, ſed occaſionẽ premendam, crinesque apprehendendos, nulla interpoſita mora iuramentum in Tranſyluania præſtitit, & exiguis copijs comitatus, per Myſiam ſuperiorem in Poloniam profectus, ad IX. Calend. Maij in Regni fines peruenit, vbi honorificentiſſimè exceptus, Sigiſmundi Auguſti poſtremi ex Iagellorum familia ſorore Anna in matrimonium ducta, vnctus & coronatus eſt ab Epiſcopo Vladislauienſi: Gneſnenſis enim Archiepiſcopus, cuius id muneris eſt, eò quòd Cæſaris partibus ſtuderet, coronationi noluit intereſſe. Laſcus Palatinus, multiq; è primarijs Cæſareanis ſeſe ſubduxerant, atque aliò extra regnũ commigrârãt. Anna quoque Iagellonica ipſis Calẽd. Maij Regina inauguratur. Battor mox à coronatione legationem ad Cæſarẽ mittit, orans, vt quoniam ipſe per tot Principũ inuidiam, factioſorumque ciuiũ diſſenſionem regnum illud aſſequi non potuiſſet, æquo animo ferret illud ad amicum,

Stephanus Battor vngitur, & coronatur Rex Poloniæ.

Battoris ad Maximilianum legatio.

1576 cum, & sibi deditissimum regem peruenire, vt multorum sanguini parceretur. Similem ad Magnum Moscouiæ Ducem legationem mittit. Cæsar respondet, id fieri non posse honorificè, vt Polonos tam leuiter pœniteat electionis, nulla prægnanti causa interueniente: neque se passurum, vt regnum illud ab alio occuparetur, in quod ipse legitimè fuerat electus. Moscus verò celebrem legationem ad Cæsarem mittit: quæ cùm admissa esset ad Cæsaris, tunc Viennæ commorantis, colloquium, Ducis literas in aurea tela inuolutas, argenteoque vase amplissimo impositas obtulerunt: tegebatur autem vas panno aureo tam longo, vt vtrinque pauimentum attingeret. Summa autem legationis erat, Ducem Cæsari, si regnum Poloniæ armis sibi comparare velit, omne genus auxilij promittere. Cæsar Duci gratias agit, auxilium oblatum se acceptare dicit, sed in magis idoneum tempus id reseruare.

Ad Moscum legatio.

Mosci ad Maximilianũ legatio.

Dum hæc vltro citroque geruntur, Maximilianus in Comitijs Ratisbonensibus Principum Germaniæ contra Battorem & Turcam auxilia plurimum vrgeret, tandem impetrauit à Boëmis, Pannonibus, Silesijs, &c. certas armatorum copias. Sed dum metuit, ne si Battori bellum moueat, omnes Turcicas vires in se concitet, tardè progreditur, & tandem duodecimo die Octobris ante meridiem calculo, cordisque palpitatione, mœrore quoque & curis confectus, moritur: cùm duodecim annis Imperio præfuisset: Princeps morum suauitate, beneficẽtia, rerum gerendarũ dexteritate, linguarum variarum cognitione, multisquè præclaris dotibus, imperio dignis cum primis excellens. Successorem tam in Imperio, quàm in hæreditarijs Regnis atque prouincijs Rudolphum eius nominis II. filium suum primogenitum reliquit, Principem, vt cæteris heroicis virtutibus, ita singulari in Deum pietate, Catholicæque Religionis zelo clarissimum: cui det Dominus vitam longam, quam meretur; & conseruet animum sacrosanctæ fidei tuendæ studiosissimum, quem dedit.

Moritur Cæsar Maximilianus.

Rudolphus filius ei succedit.

Mortuo Maximiliano Regnum Poloniæ Battori quietum relinquitur; qui morte Cæsaris in Comitijs Torounienfibus audita, ex incerto certum Regnum sibi fecit. Natus hic erat anno M.D.XXXIII. V. Calend. Octobris Stephano Battore, Palatino Tran-

sylua-

ſyluaniæ patre, & Anna Thelegdia matre: puer & adoleſcens tam in literis, quàm in armis egregiè educatus, adoleſcentiam in aula Ferdinandi Imperatoris, maturiorem ætatem in bellis Vngariæ ciuilibus egit: in quibus & candentes globos, nouum incendiorum genus, omnibus incendijs præſentius primus inuenit. Varijs poſtea legationibus ad Ferdinandum & Maximilianum Cæſares clarus, tandem in vltima legatione ob turbatas eo abſente pacis conditiones à Maximiliano captus, vltra biennium in cuſtodia habitus eſt: quod totum tempus optimorum auctorum lectionibus tranſegit. Dimiſſus, poſt mortem Ioannis Principis Tranſyluaniæ, Ioannis Regis filij, Gaſpari Bekeſſio ſucceſſori Ioannis Principis popularium ſtudijs prælatus, Principatum Tranſyluaniæ adeptus eſt. Bekeſſium varijs prælijs vicit, fudit, fugauit, & Principatu omni exuit. Fortuna denique illum ad maiora vocante, Poloniæ Rex (vt diximus) electus, ſtatim à coronatione, quò confirmata foris cum finitimis omnibus pace ac amicitia, diſſidia, ex electionis ſtudijs inter partes exorta facilius componeret, ac in tranquillo ſtatu Rempub. collocaret, ad pleroſque vicinos Principes literas dedit, quibus more inter Principes recepto Regnum ſibi delatum, ſuamque in illos beneuolentiam, & cum omnibus pacis ſtudium declarabat. In hiſce ad Ioannem Baſilij filium magnum Moſcouiæ Ducem legatos ſuos cum literis mittit: ſe prouidentia diuina, ac Ordinum ſtudijs ad Regnum aſcitum: id ita gerere decreuiſſe, vt cum omnibus Principibus Chriſtianis pacem & amicitiam coleret. Eodem animo erga illum quoque, vt finitimum & Chriſtiani nominis Principem eſſe: ſi quæ inter ipſum & Regnum Poloniæ, magnumque Ducatum Lituaniæ à maioribus vtriuſque traditæ controuerſiæ intercederent, de ijs ex æquo & bono inter illos amicè agi poſſe. Reſpondit Moſcus: Etſi audierit Maximilianum Cæſarem in Regem electum, quò minus tamen ſibi etiam cum ipſo gratia & amicitia eſſet, non ſe recuſare. Placere ſibi vt maiores & digniores legati de more maiorum mitterentur: interim ab iniuria & maleficio vtrinque abſtineretur. Hoc reſponſo accepto Senatûs auctoritate è conuentu Thorounienſi Legati in Moſcouiam tractandæ pacis cauſa decernuntur, Stanislaus Kriſcius, Maſouiæ; Nicolaus Sapicha, Minſcenſis

Battoris vita ſuccinctè deſcribitur.

Literæ Battoris ad Moſcum.

Legatio.

1576 Palatini, & Theodorus Skurninus Palatij Lituanici Quæstor. Interea Rex Poloniæ omnia, quæ ad Gedanense, seu Dantiscanum bellum (quod anno sequenti gestum dicemus postea) pertinebant, præparari iussit. Erant induciæ inter Polonum & Moscum: at Moscus occasione belli Gedanensis spretis induciis, ad vim & arma astum adijciens, ipse cum filio natu maiore Liuoniam hoc dolo ingreditur. Præerat Liuoniæ Ioannes Chodkeuicius, in præsidijs pauci Poloni, plerique Lituanici nominis præfecti erant: à quibus indigenæ immoderatius habebantur, ita vt ad res nouas spectarent. Hanc oportunitatem nactus Moscus, Magno Holsatiæ Duci, quem affinitate sibi deuinxerat, persuadet, si vltrò se Liuones dedant, ipsi Liuoniam, ad Ducis Borussiæ exemplum beneficiario iure regendam traderet, vt administratio omnis penes Magnum, penes se nomen collati beneficij ac Maiestas imperij essent. Cum his promissis Magnus Dux in Liuoniam proficiscitur. Prouinciales odio, tædioque externi imperij, spe quoque & cupiditate eiusdem linguæ ac nationis, Magistratus præsidia ex arcibus & oppidis eijciunt: ipsi Vendam, vbi tunc Magnus erat, confluunt, eum Ducem suum renuntiant, & in verba illius iurant. Hîc Moscus magno exercitu coacto, in Liuoniam nullo impediente, præsidijs omnibus pulsis, & plerisque arcibus à Magno occupatis, penetrat, acceptisque in deditionem Marienhusio, Rosittenio, Ludsenio, Duneburgio, Kokenhusio, Ascherotum vsque sine maleficio, vt initio clementiæ famam sibi conciliaret, progreditur. Confluxerat Ascherotum magnus vtriusque sexus, ac omnis conditionis hominum, maximè matronarum & virginum numerus. Moscus omnibus, qui arma ferrent, promiscuè trucidatis, imbellem sexum Tartaris constuprandum obiecit, rectaque Vendam profectus est. Qui Vendæ erant, tantæ immanitatis fama territi, portas clauserunt. Egressus pro illis deprecator Magnus: sed tantum abfuit, vt aliquam misericordiam a Mosco impetrare potuerit, quòd etiam genibus illius supplex aduolutus, cum verbis & verberibus repulsus sit. Cùm oppidani intelligerent, se Magni auctoritate saluos esse non posse, sed ne ipsum Ma-

Belli Gedanensis apparatus.

Moscus Liuoniã tentat.

Moscus ope Magni totam penè Liuoniam sibi subijcit.

Tyrannis Mosci.

Vendensium miserrima calamitas.

gnum

1578

gnum periculo vacare, hostili fraude circumuentos se conspicientes, ira, metu, & desperatione incensi, puluerem tormentarium fundamentis subdunt, quo succenso, magna vtriusque sexûs & ætatis hominum multitudo, & flos ferè eius, quæ reliqua erat, nobilitatis Liuonicæ absumptus est. Accepta sic Venda & Rumburgo, iam ferè totam Liuoniam, excepta Riga & Reualia, cum paucis castris vicinis in potestate habebat. Parnauiam enim post discessum Henrici Regis interceperat. Post tanta perfidiæ scelera Tyrannus in Moscouiam reuertitur, literasque ex itinere ad Stephanum Regem dat, quibus ei mandat, vt à tota Liuonia abstineat: omnem terram vsque ad Borussorum fines suam esse, sed & Lituaniam & Poloniam ad se pertinere: has armis se repetiturum. Legati nihilominus, qui de pace agerent, iter cœptum prosequebantur, nouis in itinere mandatis acceptis, vt de iniurijs, induciarum ostentatione factis, quererentur, & satisfactionem postularent. Sed Mosco iniustissima postulata proponente, & legatis re infecta reuersis, Rex de bello ei inferendo cogitare cœpit. Quo animi proposito in mensem Ianuarium Comitia Varsouiam indixit. Hæc ideo à nobis fusius commemorata sunt, quòd magni & memorabilis belli fuerunt initia, in quo magnus ille Tyrannus quidquid vel ipse, vel eius maiores Regum præcedentium socordia Polonis ademerant, Stephani fortitudine & prudentia rursus amisit.

Mosci literæ ad Stephanum.

Ordines Belgici, in maximas belli intestini difficultates coniecti, cùm viribus proprijs parum fiderent, ad vicinos Principes Gallum, Anglam, Germanos, Ducemque Cliuensem certos homines miserunt, opem & subsidium contra Hispanos flagitantes. Horum omnium primus obtulit se Alenconius, Galliæ Regis frater, qui magnifica Belgis pollicebatur. Placuit etiam Senatui Ordinum, cum consensu Ordinum Prouincialium, negotium pacis anno superiori Bredæ inceptum, sed nullo fructu intermissum renouare, & pacem firmam stabilire. Interea quidam è primarijs, Auraici gratiam sibi demereri volentes, & clam cum eo colludentes, præsertim Flandri, Auxium captiui Comitis Bossutij

Ordines Belgici opem à vicinis Principibus petunt.

Initium amicitiæ inter Ordines & Auraicum.

1576 fratrem in Hollandiam miserunt, qui cohortes aliquot peditum, & aliquot tormenta bellica, ad oppugnandam arcem Gandauensem ab Auraico peterent: quasi hæc in quindecim prouincijs haberi non potuissent. Legatio hæc fuit Auraico gratissima, & à multis annis expectata: statimque permisit, vt Auxio certæ aliquot cohortes, & tormenta decernerentur. Vt autem sibi, suisque de damno caueret, Neoportum maritimum Flandriæ oppidū petijt sibi dari pignori, quod & impetrauit. Permittebat etiam, vt omnis generis annona & commeatûs ex Hollandia & Zelandia in Brabantiam, Flandriam &c. importaretur. Hac mutua inter vtramque factionem amicitia factum tandem, vt vtrinque decretum sit, delegatos vtriusque partis Gandauum mittere, & de pace transigere.

Consilium de pace repetitur.

Traiectē-sium tumultus.

Interea Traiectenses ad Mosam ope quorundam Germanorum è legione Obersteinij, Montisdocam, vrbis præfectum, Hispanum captum in vincula coniecerunt, & reliquos Hispanos cum eius Vicario Martino Ayala trans Mosam in oppidum VVicam reiecerunt. Alphonsus de Vergas & Hernardus de Toledo, ille equitum, hic peditum ductor, huius rei certiores facti accurrunt, vrbem XX. Octobris recuperant, multos occidunt, ciuium ædes diripiunt, & se aduersus Ordinum vim muniunt.

Maximū hoc Traiectense facinus terrorem Belgis incussit. Ordines metuentes, ne idem fieret Antuerpianis, vrbem contra arcem muniendam decreuerunt. Marchionem itaque Haueræum cum XXI. peditum signis sub Comite Egmondano, Bercelio & Hezio in vrbem miserunt. His addiderunt quatuor equitum Ordinariorum cohortes, quos Bieuræus ducebat, & alias sex leuis armaturæ cohortes, sub imperio Domini de Capres & Goingnies. Omnes hæ copiæ postridie Calend. Nouembris in agrum suburbanum conuenerunt: sed absque mandato vrbem ingrediendi. Champignius igitur eos sine mandato recipere noluit, multis, ijsque prægnantibus rationibus ostendens, præstare vt omnibus itineribus extra vrbem insidentes castrum foris obsideant, prohibeantque, ne Alostanis, Traiectensibus, aliorūue locorum Hispanis aditum in arcem pateat. Secum Obersteinio & ciuibus, qui iam in armis erant, hostem facile in arcem continere posse. Reiectum fuit hoc Champignij consilium, & copiæ omnes

Antuerpienses trepidāt.

omnes in vrbem receptæ sunt. Confestim impulsore *1576*
Champignio vallum ex opposito arcis duci cœptum est. Qui in arce erant, comportatis omnibus tormentis, non cessârunt diu noctuque vallum disturbare, adeò, vt licet duodecim in eo fossorum millia laborarent, nec vlla materia deesset, tardè tamen opus promoueretur. Magna erat inter milites ataxia & confusio. Germani interiora vrbis custodiebant: Galli stationes & hospitia versus arcem sortiti erant. Sed hi stationes, excubias & hospitia hæc deserentes, opulentiores ædes sibi quærebant. Champignius nihil quod ad diligentem imperatorem pertinet, omittebat. Omnibus locis aderat, diligentes laudabat, segnes castigabat, ipse cum ciuibus tormenta attrahebat, quibus hostis tormenta comminuerent, aut disiectis rotis inutilia redderent. At dum hæc disponunt, quidam è ciuibus ex arce prosternuntur. Interea Roda & Dauila miserunt, qui Alphonsum de Vergas cum suis equitibus Hispanis, Italis, & Burgundis, numero circiter mille Traiecto euocarent. Hi sex insuper Germanorum cohortes secum adduxerunt, qui omnes quarto Nouembris in arcem recepti sunt. Aduolauit & eò Iulianus Romerus cum præsidio suo Lyrano, & seditiosi omnes, qui Alosti erant numero bis mille. Hæc cùm nuntiarentur Haueræo & alijs præfectis, induci non potuerunt vt crederent. Hispani confestim aliquot ex arce emiserunt, qui cum hoste velitarentur, & consilia oppidanorum explorarent. Cum his ciuium quorundam filij tam fortiter & dextrè pugnârunt, vt & hostem in arcem reiecerint, & eam opinionem Champignio iniecerint, ciues ad eam vrbis partem defendendam, quàm tyrones illi Galli magis esse idoneos. Quare & decreuerat ciues armare, armatosque in eam vrbis regionem mittere. Sed dum vlterius progreditur, videt operas suas circum tormenta mirum in modum disturbatas, iussitque Baudengio & Versio eas reparare. Paulò post ei nuntiatur, Hispanos ex arce in vrbem erumpere, & VValones aut metu se occultare, aut fugere. Alostenses sub Electo suo versus portam S. Georgij, Iulianus Romerus ad S. Michaelem, vnà cum Valdezio irruebant. Traiectenses medium tenebant: lixæ & calones stramina, aliamque materiam ad incendium excitandum idoneam apportabant. Champignius varijs locis obequitans, milites ad defensionem hortabatur:

Antuerpienses se contra arcem muniunt.

Hispani omnes in arce conueniunt.

Hispani in vrbem erumpũt.

1576 sed tantus erat inter illos metus, vt nusquam colligi, nusquam sisti possent. Obersteinij cohortes initio aliquamdiu hosti restiterunt, sed cùm eius impetum sustinere non possent, ipsi quoque dilapsi sunt. Hispani superato vallo, per varias plateas in vrbis interiora proruunt: omnes, quos in armis deprehendebant, trucidantes, & varijs locis incendia excitantes. Champignius diu oberrans, nusquam tutum locum potuit inuenire. Tandem in nouam ciuitatem veniens, vidit plerosque in scaphas & lintres desilientes, fuga sibi consulere: quos cùm Obersteinius sequi vellet, in aquam prolapsus suffocatus est. Champignius & Haueræus cùm viderent conclamatum esse, munitionem Cattenbergensem magna difficultate descendentes, in nauem quandam Auraici recepti, fuga periculum euaserunt. Hispani ad domum ciuicam venientes, cùm ex ea retardarentur, & damnum non leue acciperent, iniecto igne, nobilem illam, & tota Europa celebrem fabricam exusserunt. Idem & alijs locis quàm plurimis fecerunt: quæ incendia maximam ciuibus trepidationem & metum incusserunt. Toto hoc tempore ex Hispanis tantum CC. desiderati sunt. A parte Ordinum septem millia cecidisse asserunt, quorum quidam trucidati, quidam combusti, alij submersi sunt. Præter Obersteinium in aquis perijt Dominus Beeuræus. Plecius cum alijs Tribunis & præfectis Gallis occisus. Egmondanus à Verdugio in Monasterio S. Michaelis captus est, vnà cum Caprio & Goingnieo. E ciuibus periêre Ioannes à Meere Consul, Gosuinus Varikius Marchio, Ioannes à VVerue, Lancelottus ab Vrsele, & alij plures magni inter suos nominis & auctoritatis viri. Heroicum planè & memorabile Hispanorum facinus, nisi in Regis subditos alieno loco & tempore commissum esset. Profunda iam nox erat, antequam integram ciuitatem suæ potestatis Hispani fecissent, & iam fessi ac famelici excubijs dispositis optimas mercatorum ædes occupantes, corpora cibo somnoque refecerunt. Postridie & sequentibus diebus ciues, mercatoresque captos, nulla moti misericordia, se, familiam, merces & supellectilem omnem ingenti lytro redimere coegerunt. Qui autem non possent, aut non vellent dare quantum postulabant, varijs tormentis cruciârunt. Virginibus interim & matronis vim nullam

Obersteinius submergitur.

Curia incenditur.

nullam inferebant. Lytrum hoc à nonnullis quater 1576
decies centenis florenorum millibus æstimatur. Au- *Ingens*
ri, argentique non signati vnionum, gemmarum, alia- *præda.*
rumq; rerum pretiosarum, quæ ante lytri pactum diripiebantur, nulla erat æstimatio: ita vt Hispani soliciti, quomodo tantam prædam custodire possent, ex puro auro capulos gladiorum & pugionum, thoraces, galeas, scuta, & alia arma fieri, eaque atro colore tingi, ne aurum agnosceretur, curauerint.

Conuentus Ordinum hoc tempore Gandaui erat, *Conuentus Gandauensis.* vt cœptum colloquium Bredanum finiretur. Habebant hîc suos delegatos Prælati, Nobiles, & Ciuitates Brabantiæ, Flandriæ, Hannoniæ, Artesiæ, &c. Ioannem à Linden, Abbatem S. Gertrudis Louaniensis, Gisleinium Fabrum Abbatem S. Petri Gandauensis, Matthæum Abbatem Sangeleinij electum Episcopum Atrebatensem, Ioannem Mollium Dyna- *Delegati.* stam Oetingensem, Franciscum Halevvinum, Schvveuigemum, Gaueræum, Frezinium, Leoninum, seu Longolium I. V. Doctorem, & Professorem Louaniensem, M. Petrum Beuerum, & Quintinum du Pret. Miserat eodem Princeps Auraicus suo & confœderatorum nomine Aldegondum, Dorpium, Zulenum à Niueldt, Scutiferos (antiquitus Schiltknapen dictos) Adrianum à Milen Doctorem, Cornelium Coninx Licentiatum, Paulum Busium Aduocatos Hollandiæ: Petrum de Rijke Baliuum Vlissingensem, Antonium Zickelium Consiliarium Zelandiæ, & Andream Iunium Consulem Mittelburgensem. Hi post varias disputationes, pacisq; licitationes, cùm excidiũ Antuerpianũ intellexissent, præcipiti fortè metu magis, quàm maturo consilio (vt quidã postea ex prænominatis publicè confessus est, Kuisken à Colonia prædam cum socijs diuidentis, & signum aduentantium rusticorum eos persequentium audientis exemplo vsus) in has conditiones pacẽ constituerunt. I. Vt omnium præteritarum offensionum & iniuriarum, qua- *Articuli pacis Gandauensis.* lescunque eæ sint, ἀμνηςία sit. II. Vt inter Ordines Brabantiæ, Flandriæ, Artesiæ, &c. ab vna, Hollandiæ, Zelandiæ & Confœderatorum ab altera parte deinceps perpetua pax, concordia, & amicitia sit: cùm in omnibus alijs rebus, tũ maximè, vt cõmunibus consilijs & auxilijs Hispanos milites & exteros alios Belgio eij-

 ciant.

1576 ciant. III. Vt eiectis Hispanis vtraq; factio omni studio & conamine id agat, vt generalium Ordinum fiat congregatio, modo & forma, qua fuit tempore Caroli V. quando Regi filio has Prouincias tradidit: vt in ea de omnibus rebus ad Rempub. pertinentibus, præcipuè autem de exercitio Religionis in Hollandia & Zelandia seruando, de præsidijs earundem prouinciarum, de restitutione arcium, tormentorum, nauium Regis, quę per hos tumultus captæ sunt, constituatur. IV. Vt harum prouinciarum ciues liberè inter se deinceps conuersentur, & commercia exerceant: hac tamen addita lege, vt nemini Hollandorum & confœderatorum in alijs prouinciis quicquam agere liceat, quod communi quieti, præsertim autem Catholicæ Romanæ Religioni aduersatur: neminem eius Religionis verbo aut opere prouocet, irritet, offendat. Qui horum aliquid ausus fuerit, vt perturbator communis pacis alijs exemplo puniatur. V. Vt Albani leges de hæreseos, aliorumque criminum, & earum executio suspendatur, donec aliud ab Ordinibus generalibus decretum fuerit. Caueat interim vnusquisque, ne cui (vt dictum est) sit offendiculo. VI. Vt Princeps Auraicus Præfectus maris, & Hollandiæ, Zelandiæ, Bommeliæ, confœderatorumque locorum Gubernator Regius maneat: iis etiam magistratibus, administris & præfectis, quos modò habet, vtatur, nisi ipse mutare voluerit, donec Ordinum generalium decreto aliter determinatum fuerit. VII. Vrbes, oppida, & loca ad easdem prouincias pertinentia, tamen Auraico non subiecta, ab hoc articulo excipiuntur, donec sese reliquis vrbibus coniunxerint, & Auraicus eis abundè satisfecerit in omnibus rebus, quibus se grauari arbitrantur: & quæ ad incolarum salutem pertinere existimant, siue eæ Religionis sint, siue administrationis politicæ. VIII. Interea nulla mandata, edicta, aut rescripta in prouincijs & vrbibus Auraico parentibus locum habebunt, quæ non ab ipso Auraico, eius Concilio & Magistratu, qui nunc est, confecta vel approbata sunt. IX. Vt captiui vtrinque, nominatim verò Comes Bossutius, absque lytro dimittantur, nisi illud iam antea persolutum sit, aut vt persoluatur transactum. Expensas alioquin captiuitatis tempore factas, tantummodò pendebunt. X. Principi Auraico, cæteris nobilibus & subditis, cuiuscunque conditionis, eorum viduis, filijs, & hæredibus

bus restituentur pristina bona, honor, fama. Omnia bona, dominia, actiones non alienatas, aut venditas, quali nunc statu sunt, recipiant. Quod vt commodius fiat, omnia mandata, iudicia, condemnationes, executiones ab anno M. D LXVI. vsque huc causa Religionis, aut belli suscepti promulgata & facta abrogantur, antiquantur, & rescinduntur. XI. Præcipuè autem fruantur hoc beneficio Comes Palatina, Bredenrodij vidua, cui Dominium Vianæ, & alia loca ad se pertinentia restituentur. XII. Comes item Buranus, qui oppidum, arcem, Comitatumque Buranum, dimisso omni præsidio regio, ipse administrabit. XIII. Comminuantur statuæ, trophæa, monimenta, pyramides, inscriptiones Albani, & aliorum omnia, in contumeliam Belgarum erecta. XIIII. Quantum ad fructus prædictorum dominiorum, prouentus item & redditus, qui Regi, prouincijs & vrbibus ante pacē factam debebantur, nec tamē persoluti, vel à Sua Maiestate, vel ab eius ministris percepti sunt, his vtrinque partes respectiuè fruantur, vtantur. XV. Quicunque verò prouentus & redditus à Natiuitate B. Ioannis anni LXXVI. debentur, verorum Dominorum erunt, eis persoluentur, & si coactores Regij eos perceperint, restituent. XVI. Quorum bona alijs erant obærata, fructus verò illorum à Rege, titulo confiscationis percepti sunt, tales à prædictæ obærationis aut vsuræ debitæ secunda solutione sint immunes, quemadmodum & illi, quorum bona oppignorata tempore huius tumultûs otiosa fuère, nec fructum vllum fecerunt. XVII. Mobilium, quæ vtrinque vendita, aut distracta sunt, nulla fiat restitutio. XVIII. De immobilibus venditis, aut fisco addictis, certi homines ab Ordinibus constituentur, qui cognoscant, & ex æquo bonoque transigant, quò satisfiat antiquis dominis, venditoribus item & emptoribus, pro iure & damno vniuscuiusque. XIX. Idipsum fiet de bonis vectigalibus, & obligationibus personalibus, deque actionibus & querelis, quas ij, quorum interest, in posterum volent vtrinque instituere. XX. Vt omnes Antistites, Abbates, Prælati & viri Ecclesiastici, quorum diœceses, Abbatiæ, fundationes, & habitacula extra Hollandiam & Zelandiam sita sunt, ijs tamen in prouincijs bona habent, his vtantur fruantur, quomodo de laicis & secularibus dictum est. XXI. Monachis & Ecclesiasticis in dictis prouincijs

1576 professi, initiati, & dotati, qui causa tumultûs istinc migrârunt, cùm bona pars facultatum, bonorumque illorum alienata & diuendita sit, æquum & honestum decernetur alimentum, vnà cum his, qui remanserũt, aut bonis suis frui licebit. Optio tamen sit penes Ordines istarum prouinciarum, donec aliud quid ab Ordinibus generalibus constituatur. XXII. Omnes donationes, exhæredationes, testamenta, inter viuos, vel mortis causa per priuatos in fraudem verorum hæredum, vel ob Religionẽ, vel causa tumultûs, factæ, sint irritæ. XXIII. Quoniam Hollandi & Zelandi, vt belli sumptibus ferendis sufficerent, omnis monetæ aureæ & argenteæ valorem auxerint, ita vt sine graui detrimento pecuniam suam in aliis prouinciis expendere non possint, decretum est, vt delegati generalium Ordinum, quàm citissimè fieri possit, firmam, certamque rationem inueniant, ac statuant, vt vnus vbique monetæ valor decernatur, vt fœdus hoc stabiliatur, & negotiationes vtrinque commodius exerceãtur. XXIIII. Cùm Hollandi & Zelandi postulent, vt omnes simul prouinciæ in se recipiant omne æs alienum ab Auraico duabus suis expeditionibus contractum, pro quo (vt aiunt) Hollandi & Zelandi, vnà cum prouinciis & vrbibus in posteriori expeditione occupatis fidem suam obligârunt: placet vt articulus hic arbitrio & discretioni Ordinum generalium relinquatur: qui rebus omnibus compositis de eo cognoscent, & quod æquum est statuent. XXV. Hoc communi fœdere & pace non comprehendantur, neque hoc beneficio fruantur prouinciæ, dominia & vrbes, quæ aduersam adhuc factionem sectantur, donec re ipsa sese huic confœderationi coniunxerint: quod vt faciant vnicuique licitum erit, quando voluerit. His conditionibus pax Gandauensis continetur, quæ vtrinque approbata, iureiurando solenni confirmata, subscripta, & sigillis prouinciarum & Ordinum munita est.

Varia hominum de hac pace iudicia.

De hac pace dici non potest quàm varia erant hominum iudicia. Quidam malè de ea augurabantur, quòd in vrbe Gandauensi, loco, qui à multis seculis ob seditiones & tumultus malè audiit, esset concepta. Alios vrebat, quòd Regis auctoritas ita excluderetur, vt nusquam illius fieret mentio, sed omnia ad Ordinum arbitrium, tanquam in libera Republica referrentur. Quidam hunc, nonnulli istum arti-

articulum carpebant. Plerique tamen eam probabant, 1576
cò quòd ab Hispanorum iugo se liberandos sperabant: præsertim si congregatio Ordinum generalium, in qua de Religione & alijs maioribus difficultatibus ageretur, primo quoque tempore fieret: quæ tamen ne acceleraretur, Hollandos & Zelandos effecturos maximopere metuebant. Quin etiam pacis huius transactio postea à Theologis Louaniensibus, Episcopis, & Ecclesiasticis viris, tanquam pro temporis ratione vtilis, & nihil (vt prouinciæ testabantur) in fraudem Religionis Catholicæ, aut Regiæ Maiestatis continens, est approbata.

Ioannis Austriaci in Belgium aduentus.

Dum hæc geruntur, Ioannes Austriacus, Regis Philippi frater nothus, maximis periculis se obijciens, mercenarijs veredariorum equis per Gallias vectus, mutato habitu, persona dissimulata, duobus tantùm comitibus, Octauio Gonzaga Italo, & alio quodam Hispano contentus, iter in Belgium accelerabat, & magnis itineribus III. Nouemb. Luxenburgum peruenit, vt sua præsentia ciuilis dissensionis longè, lateq; ie vagantis incendium restingueret: quo sic omnia deflagrabant, vt ex miseranda illius tempestatis facie certissimum exitium diuinare liceret. Nam post occupatum Traiectum; post cæsas Ordinum copias in pago Vissenaken, iuxta Thenas, qua in pugna equitum, peditum, ciuium & studiosorum Louaniensium tria penè millia perierunt; post expugnatam à Iuliano Romero munitionem VValhensem prope Mechliniam, in qua ex Ordinum militibus octingenti trucidati sunt, & Ferryus Nobilis quidam Louaniensis huius munitionis præfectus captus est; post occupatam & direptam Antuerpiam, vt cætera taceam, arx Gandauensis à Comite Reulxio Flandriæ gubernatore, vnà cum Mottæo, Lalainio & Haueræo VII. Nouemb. oppugnatur, & XI. vita & fortunis saluis ab Hispanis dedita est. Erat in ea (vt diximus) vxor Mondragonij, cum omnibus opibus suis, cui vt subueniret maritus, Ziriczeam & insulam reliquit, & in Flandriam traijciens, cùm vires sufficientes non haberet, & ab Antuerpianis desereretur, iuxta Ruppelmundam cæditur, fugaturq;. Flandri sub id cum præsidio Germanico, quod Teneremundæ erat, è legione Polvvileri transigũt, qui accepta pecunia vrbẽ in manus Ordinũ tradũt Comes Rẽnẽburgius, Dñs de Vile, Hochstratani frater Germanos,

Arx Gandauensis dedita.

Teneremunda deditur.

1576 nos, qui in vrbe Valencena erant, eijcit, & XII. Nouembris arcem, in qua CXL. Hispani erant, obsidet. Cameraci Dominus de Liques Gubernator ab Ainsio, è familia Gauerensi capitur, & ciuitas vnà cum arce imperio Ordinum subijcitur. Quoniam verò capta ab Hispanis Antuerpia, nauigatio in Schaldi erat sublata, aggeres in Flandria infra Antuerpiam è regione Oostervveel, & supra, prope locum Der Borcht dictum perforârunt, qua industria nauigationem liberam, & ab Antuerpiensi, tam vrbe, quàm castro securam aperuerunt.

Valencenæ captæ. Cameracum Ordinibus subiectū.

Ordines Belgici Stellam quendam, hominem suę factionis studiosissimum, Groningam miserunt, vt clàm, non cum Gubernatore & præfectis primarijs, sed cum certis militibus ageret, quò in verba pacis Gandauensis iurarent, eamque per Frisiam & Groningense territorium promulgarent. Sed cùm Gubernator Caspar de Robles, Dominus Byllius, hanc conspirationem intellexisset, Stellam comprehendi, & in vincula conijci mandauit, atque militibus suis nouum sacramentum proposuit: quod cùm quidam acciperent, alij à Stella corrupti negarent, Gubernator Loysium capitaneum mense Nouembri ad se vocat, eique sacramentum hoc proponit: quod cùm ille improbaret, reuersus ad suos, cum Villerio atque alijs factiosis in Byllium coniurauit. Cùm itaque Loysij centuria sub vesperem ad excubias procederet, ortus est tumultus. Villerius cum suo signo accurrit, & Loysio sese iunxit. Ferdinandus à Lopez audito tumultu, suam centuriam in tumultuantes induxit, vt aut eos castigaret, aut controuersiam componeret. Cùm verò gregarij milites causam intelligerent, priusquam ad manus ventum esset, se omnes eiusdem esse opinionis & sententiæ inclamant. Factoque in Gubernatoris ædes impetu, eum apprehenderunt, & nequicquam pecuniam promittentem, in Curiam duxerunt, magno clamore vociferantes: Viuat Princeps, viuant Ordines. Capiunt etiam Rijsbrockium, Byllij generum, auctores seditionis huius Loysium, Villerium, Monceauium quoque & Campium. Ad præfectum deinde rerum capitalium proruentes, Stellam è vinculis liberârunt, adductumque in forum, in corona militum constituerunt, eique vt Ordinum delegato iuramentum fidelitatis præstiterunt. Tandem additis & suis delegatis Bruxellas mise-

Groningensium tummultus.

Dominus Byllius et alij capiuntur.

runt,

runt, vt Ordinibus quæ acta essent nuntiaret, & vt noua mandata, legesque, è quorum præscripto prouincias vellent administrari, mitterent, supplex flagitaret. His peractis, mox ad chiliarchi Fasci Zutphaniensium Gubernatoris hospitium mittunt, qui eum captiuum adducerent. At cùm non inueniretur, in Franciscanorum Monasterio tandem Monachi habitu indutus reperitur, & eodem cum habitu in forum ducitur, vbi ab omnibus illusus, & cõtumelijs varijs affectus est. Quæruntur deinde, & inueniuntur tandem Ferdinandus Lopezius, Præfectus rerum capitalium, & Magister vigilum, qui cum cæteris etiam in carcerem detrusi sunt. Doctoris VVesterredorpij sors felicior non fuit, licet vim sibi fieri multoties frustra protestaretur. Paulò post venére quidam præsidiarij Dammenses, Centurionem Starkium cum suo signifero captiuum adducentes, qui etiam iuramentum fidelitatis Ordinibus præstiterunt. Idem fecére præsidiarij, qui in Delfzijl erant, Barnicourtium, eiusque signiferum captiuos tradentes. Stella cùm Bruxellas venisset, omniaque acta in Frisia retulisset, Ordines confestim Comitem Rennenburgium eò miserunt, quem Gubernatorem, inuitis quibusdam, qui Bossutio hanc prouinciam deberi contendebant, Frisiæ creatum Byllij locum occupare mandârũt. Hic datis totius Frisiæ & Grœningẽsis territorij præsidijs debitis stipendijs, omnes veteri sacramento absoluit, & militare Ordinibus volentes, nouo obstrinxit. Grœningẽsibus quoque permisit, vt arcem munitissimam, sub Albano ædificari cœptam, diruerent. 1576

Dammẽses tumultuantur.

Rennenburgius fit gubernator Frisiæ.

Eodem hoc anno aliud etiam bellum, non minus funestum exortum, non minori contentione atque odio inter potentissimos Monarchas Muratem, Turcarum Imperatorem, & Muchemetem Persarum Regem gestum est. Huius belli primus auctor fuerat Ismael secundus, fratrique suo Muchemeti successori moriens continuandum reliquit. Scachus Techmas, vt rem ab ab altiori principio referamus, Persarum Rex, qui superiori anno obierat, tres filios post se reliquit, & natu minimo Haidari Mirisæ regnum commendauit. Sed cùm is ignauus esset, & Regno minus idoneus, Ismael secundò genitus à sorore & Proceribus Regni carceribus, in quos iussu patris cõiectus erat, eximitur, & Haidare decollato Rex renuntiatur. Qui vt Regnum stabiliret, post creationem domi se continuit, iussitque diuulgari,

Belli inter Turcã & Persam origo.

1576 uulgari, ſe mortuum eſſe: quod cùm iam crederetur, detecta ſunt multorum occulta in Regem odia, & conſpirationes, palamque factum eſt, qui eius eſſent hoſtes, qui amici, hoſteſque vbiq; capi, necariq; iuſſit. At Iſmaël hic poſtquã ſex mẽſes regnaſſet, à ſorore veneno extinguitur: cui Muchemetes primogenitus Techmaſis filius, cognomine Hodabendes, quod Perſarum lingua ſeruum Dei ſignificat, ſucceſſit. Is licet natura quietis cupidus eſſet, inchoatum tamẽ ab Iſmaële fratre bellum contra Turcas proſequi ſtatuit, quòd ei filius eſſet Emirchan Miriſes, magni animi iuuenis, gerendarumque rerum imprimis auidus. Hunc copijs ſuis ſupremo cum imperio præfecit. Belli huius cauſæ, etſi variæ referantur, nos eas tamen breuiter commemorabimus, quæ veriſſimæ ſunt, & nuſquam ab alijs hactenus, præterquam à Ioanne Levvenclauio (qui eas, cùm in Turcia eſſet, à fide dignis hominibus cognouit) proditæ. Is cauſas adfert tres: quarum prima hæc eſt Iſmaële Scacho ſuperſtite, quidam Sangiacus, natione Curdus, cui nomen Abdallas Begus, cùm quaſdã ob cauſas in ſuſpicionem veniſſet, imperante Sultano Selymo II. ab eodem ſub alio prætextu ad Portam vti ſe conferret, euocatur. Paruit ille, nullius ſibi culpæ cõſcius, & Hadrianopolim ad Selymum venit. Mandat Selymus, vt captus in carcerem conijceretur. Cùm igitur Zauſiorũ Baſſa (cuius hoc munus eſt, quoties magnæ auctoritatis viri apprehendendi ſunt) ſuis cum Zauſijs Curdum hunc prehendere conaretur, Curdus ſe cum ſuis defendens, ipſum ibidem interficit. Hac de cauſa Selymus ei, cum omnibus ſuis, ceruices amputari iuſſit. Illo iugulato, fratris eius filius ſucceſſionis iure Sangiacatũ ipſius poſſedit. Sed quidam alius agnatus, adita Porta Oſmanica, partim oblatis, partim promiſſis ingentibus donis, tam ipſi Sultano, quàm eius Conſiliarijs, quos Vezires appellant, agnati ſui Sangiacatum impetrauit. Citatus alter ad Portam, veritus ne eodem modo haberetur, quo patruus, in Parthiam profugit ad Iſmaëlem ſecundum, qui tunc rerum apud Parthos potiebatur: à quo Curdus iſte, quia ex procerum familia, & in Chaldæa, quam hodie & Turcæ & Perſæ Curdiſtanum, hoc eſt, Regnum Curdorum vocant, Perſis vicinum natus, perhumaniter exceptus eſt. Perſa inſuper illi omnem ſuam operam ad recuperandam auitam, patriamque ditionem obtulit. Huſreues autem

Prima huius belli cauſa Curdus in tutelã receptus.

autem Baſſa, qui VVani tum Begerblegus erat, cæteriquè Sangiaci limitanei, cùm haſce res intellexiſſent, damnum Perſicis finibus inferre cœperunt, quòd dicerent, Iſmaelis Scachi culpa mutuã pacem violatam eſſe, vt qui Sultani Muſelmannorum (ſic Imperatores Turcicos appellant) fugitiuos & perduelles in ſuã tutelam, contra pacis leges recepiſſet, eisque opitulari decreuiſſet. Hoc belli grauiſſimi tot annos inter Perſas & Turcas geſti fuit exordium. 1576

Secunda belli cauſa diuerſitas Religionum.

Accedebat & ſecunda cauſa, ex Religionis diuerſitate. Quamuis enim vtraque gens Mahumetanæ ſectæ ſit, quædã tamen inter illos ſunt diſſidia, quæ magnorum odiorum, bellorumq́ue frequenter fuêre ſeminaria. Quæ autem illa ſint, hoc loco referre, cùm & iucũdum ſit ea, & vtile ſcire, non pigebit. Perſæ inimiciſſimi ſunt tribus Mahumetis Prophetæ ſocijs, Ebubekiri, Omeri, & Oſmani: ſtudioſiſſimi verò quarti Alis. Ijdem Perſæ tradunt Angelum Gabrielem, cùm è cælis in terram portaret Alcoranum Ali tradendum, errore quodam eum Mahumeti obtuliſſe, Deumq́ue ea re nequaquam offenſum, qui Mahumetem quoque tali dono, gratiaq́ue dignum videret, ideoq́ue nihil ob locutum eſſe. Aſſerunt ijdem Perſæ, primam vxorem Mahumetis, cui nomen fuit Aiſche, nunquam fuiſſe caſtam: imò Prophetam Mahumetem, cùm putaret eam ſe virginem & pudicam inuenturum, reperiſſe planè contrarium. Addunt, quòd extincto Mahumete, cùm Alis propinquus & gener eius electus fuiſſet Chalifes, ſiue vicarius & ſucceſſor eius, Ebubekir, fauore malignorum quorundam adiutus, per iniuriam contra factum à Propheta Mahumete teſtamentũ, ſe Chalifen conſtituerit, Idem poſt illum reliquos etiam duos Oſmerem, & Oſmanem factitaſſe. Alim interea in quadam ſpelunca ſemet abdidiſſe, donec omnes ordine morerentur, atque ita tandem eis ſucceſſiſſe. Quum ergo tres iſti contra elogium teſtamenti, præceptumq́; Mahumetis Prophetæ deliquerint, nullam ijs Perſæ fidem adhibent, quę à tribus illis, vel tradita voce, vel literarum monumentis prodita ſunt. Imò vbicunque libros eorum & ſcripta reperiunt, in flammam conijciunt, exurunt, & crudeliter in ipſorũ obſeruatores animaduertunt. Ijdem Perſæ Scachum, ſiue Regem ſuum adorant, & ita venerantur, vt Deus quiſpiam terrenus eſſe videatur. Sed nec quinquies interdiu, noctuq́; precari

Alcoranus liber legis Mahumetanæ.

1576 cari ſolent, Oſmanicorum ſeu Turcarum more, ſed ſemel duntaxat. Addendum & hoc, vltra quatuor Mahumetis ſocios, à nobis ante nominatos, omnes Mahumetanos alios quatuor eximios Imamos, ſiue Doctores venerari; quorum primum Ebuhaniſem, propterea quòd ſupremum inter hos locum obtineat, Imamum Azemem, hoc eſt, Doctorem ſummũ appellãt: alterum vocant Imamum Malichim: tertium Imamũ Schaaffim: quartum Imamum Achmetem Hendebelim. Hi quatuor Doctores, ſiue Sacerdotes Perſis infeſtiſſimi fuerunt: ac viciſſim Perſis magno eſt in pretio Scheiches Haidar, auctor Religionis ipſorum hodiernæ, quem extremè Turcæ deteſtantur. Vixit Haidar ille cum alio quodam ſuo ſocio Imamo Haruſtim in vrbe Perſarum Reza, quo tẽpore vixerunt Erdebil Vſumchaſanis, Scachi Perſarum gener, & Erdebilis filius Iſmaël, primus eius nominis Vſumchaſanis, ex filia Martha nepos: qui duo Principes horũ duorũ Doctorũ doctrinã primò approbârunt: quos ſecuti ſunt Iſmaelis filij, Sophini dicti: vnde & hæc doctrina, licet Mahumetana, Sophina dicta eſt, quæ nõ Turcarum tantùm, ſed omnium Mahumetanorum tam in Barbaria, vel Africa, quàm in Keſijs Baſſæ, qui Magnus Tartarorum Chan Chitainus vulgò dicitur, latiſſimo imperio, ſumma execratione damnatur. Adeò enim infeſti Perſis ob hanc cauſam ſunt, vt Oſmanicorum Muphtis, hoc eſt, Patriarcha, vel ſummus Pontifex, hanc de ipſis ſententiam tulerit: Gratius & acceptius eſſe Deo, Religionis Mahumetanæ cauſa Perſam vnũ occidi, licet profeſſione Mahumetanum, quàm LXX. Chriſtianos, prorſus in Religione à Mahumetanis diſſidentes, interfici. Quin & Chriſtiani Cæſaris Oratores digniore loco, & maiori honore, quàm Oratorem Perſicum dignantur, quod contigit Dauidi Vngnadio, Baroni Sonnecciano Cõſtantinopoli diſceſſuro. Tanta iam inde ab initio, Propter Religionem inter duas has gentes fuit inimicitia, quæ etſi induciarum & pacis oſtentatione frequenter fuerit diſſimulata, nunquam tamen eſt intermortua. Moriuntur Sultani Oſmanici, moriuntur Scachi Perſarum, odium hoc non moritur, quod cùm quietẽ & tranquillitatẽ diu ferre non poſſit, ſæpe in nouum bellum, etiam leuiſſima de cauſa erumpit.

Quantum ſit odium inter Turcas & Perſas ob Religionem.

Has duas ſuſcipiendi belli cauſas adiuuit & tertia, ex ſomnio-

somniorum obseruatione nata, cui gens Turcica, mirum, quantum est obnoxia. Nam ante triennium per Anatoliam aliquot illorum millia, qui sacris Turcicis incumbunt, (Schophtalarios vocant) sese commouerant, ac Persarum, siue Sophinorum religionẽ Turcicis opinionibus anteferre se professi fuerant, adeoq; longius ea secta serpendo tantum incrementi sumpserat, vt etiam Constantinopoli reperirentur, qui eã probarent. Hæc verò vt vel extirparetur, vel saltem impediretur, duo circumferebantur somnia. An verò Sultani Muratis ea fuerint, an eius Sacerdotis, quem Sultani Scheichem appellant, necdũ apud Turcas certò cõstat. Prius tamen Murati, posterius Scheichi eius oblatũ creditur. Fuerunt autem huiusmodi: Murati per quietem visum fuit se stare in medio mundi, sub arbore maxima, cuius essent rami duo, quorum vnus ad extremos Solis orientis, alter ad occidentis fines extendebatur. Præterea sibi visus est conspicari serpentem immensæ magnitudinis, quem ab Oriente profectũ, & ad se prouolutum, fuste, quem manu teneret, interfecerit. Scheichi verò in somnijs videre visus est prope portam Paradisi Ebuhanifem, quẽ (vt antea diximus) Imamum Azemem, hoc est, summum Sacerdotem vel Pontificem nuncupant. Hunc Muratis Scheichem compellasse, ac dixisse: Abi ad Chalifen terrę, (hoc est, Vicarium Prophetæ Mahumetis, quem Turcæ suum Imperatorem asserunt, vocãtes eum Chalifen huius seculi) eiq; dicito, Imamum Azemem hoc ipso die, cùm egredi è paradiso vellet, Scheichem Haidarem ante paradisi fores inuenisse, quem prælio adortus non modò vicit, verùm etiam occidit, adeoque sectam ipsius nunc finẽ habiturã. Hortaberis ergo Chalifen, vt aduersus hæreticos arma capiat, quos auxilio diuino superabit, deque facie terræ dissipabit. Horũ somniorum interpretationem quærẽte Murate, primum Scheiches illius sic interpretatus est, vt diceret medium mundi significare Sedem ipsius Sultani Muratis imperialem: arborem cum duobus maximis ramis Imperij Sultanici amplitudinem. Per serpentem intelligi hostem ipsius Orientalem, hoc est, Scachum Persicum, quem bello superaturus sit, & occisurus, eiusque Regnum adiuncturus Osmanidarum imperio. Consimiliter etiam per id, quòd Imamus Azemes prælio Schichem Haidarem adortus vicerit, futurum significari, vt Persarum

1576
Tertia causa somniorum quorundã superstitio.

1576 hæresis, vnà cum omnibus, qui eam sectantur, penitus dissipetur & aboleatur. Præterea Sultanum Osmanicum futurum totius mundi Chalifen ac Dominatorem. Hoc modo vtrumque somnium interpretatus est Scheiches. At Murates etiam Hoggiæ sui (sic apud ipsos vocantur, qui nostris sunt presbyteri) iudicium audire voluit, cui statim ea placuit interpretatio. Neque defuère qui dicerent, secretum quendam inter hunc Hoggiam & Scheichem consensum, mutuumque pactum de persuadendo Sultano interuenisse, vt suam Religionem oppressa Sophina magis stabilirent. Solus Mechemetes Bassa Azemes, gener Selymi, Murati bellum hoc dissuasit. Ex varijs igitur somnijs, è superstitiosæ Religionis diuersitate, è præsenti Sangiaci illius Cordi occasione tantum bellum exarsit, tot annos ductum, tot centenorum milliū hominum sanguine & cædibus gestum, & vtraque parte exhausta, defatigataque potius, quàm satiata, vix tandem dubia pace compositum est. Habes hic Lector veras causas multorum præliorum, quæ vndecim annis sequentibus gesta sunt: habes veram, quæ inter Turcas & Persas est, Religionis differentiam, quæ ad historias istarum gentium non minimam lucem adferent.

Expositis belli causis & initijs, ad ipsas res bello gestas accedamus. Decreuerat, vt diximus, Scachus Muchemetes Hodabendes bellum aduersus Turcarum Sultanum, à fratre Ismaële inceptum, prosequi: sed vt ad illud paratior accederet, aliud agendum, aliud simulādum duxit, Regno præsertim nō ita pridem adito, nec satis adhuc rebus compositis, quas Ismaëlis temeraria crudelitas non parum perturbârat. Itaq; moderationem quandam præ se ferens, qua turbis inter vtramq; gentem nuper ortis remedium adferre cuperet, legatos cum literis ad Sultanū Muratem misit, quibus significabat: nunquā se patris in abrumpenda pace cōsilium probasse, sed imprimis hoc semper desiderasse, vti pax & amicitia inter vtramque familiā diu culta perpetuò conseruaretur. At Murates, qui iam veram credebat vtriusque somnij interpretationem, & quotidie à suis Sacerdotibus ad bellum Persis inferendum incitabatur, legationes, literasque Hodabendis respuit, & numerosum præpotentemque exercitum cogi mandauit. Accedebat impulsor alius non minus acer,

acer, Husreues Bassa VVanensis, qui quotidie veredarios cum literis Constantinopolim mittebat, quibus Sultanum Muratem de omnibus consilijs & actis Persarum certiorem faciebat: eos non pacem petere, sed dicis tantùm causa legatos, literasque ad Portam misisse, vt moram interponerēt, seque bello gerendo rebus omnibus instructiores redderent. Interea potentissimi vtrinque exercitus describuntur, quibus quid effectum est, sequentibus annis dicemus. 1576

Poloniæ Regis in aduersarios clementia.

Stephanus Poloniæ Rex, vbi cognitum fuisset multos Cæsareanas partes complexos, metu noui Regis è Regno diffugisse, cuius electioni palam essent aduersati, edicto publico veniam omnibus concessit, qui antea, cùm liberi essent, sibi repugnâssent, modò deinceps in officio permaneant, Regique & patriæ fideles existant. Rodulphus nouus Imperator factus, misit legationem cum muneribus ad Muratem Turcarum Sultanum, quæ illi acceptam dignitatem pro more nuntiaret, & nouas inducias impetraret: quas in octennium eò facilius impetrauit, quia Sultanus Persarum vires metuebat, & certis nuntijs didicerat, magnam pecuniæ vim à Germaniæ Principibus, viuente adhuc Maximiliano, in vsum belli Turcici concessam. Confirmatis his inducijs, fit edictum in omnibus Turcarum finibus, ne ditiones aut subditi Cæsaris infestentur.

Rudolphus Imp. octennales inducias à Turca obtinet.

Turcarũ per Italiã prædationes.

Interea Turcica classis Italiæ littoribus sese ostentat, ac prædabunda proximum littus Apuliæ percurrit. Sed Prorex Neapolitanus missis Brundusium aliquot cohortibus, Turcas expulit. Boncompagnus quoque Marchionatum Anconæ diligenter tutatur. In Calabriam igitur frequentes Turcæ nauibus egressi, ad Cordonum vsque, oppidum Principis Bessignani, flamma & ferro omnia populantur. At Bessignanus collectis copijs illis obuiam procedit. Atrox & anceps diu pugna committitur. At tandem victoria ad Bessignanum inclinante, cùm centum quinquaginta Turcæ perijssent, & quadraginta circiter capti essent, reliqui metu succrescentium copiarum Italicarum, citato cursu, relicta omni præda, ad triremes refugerunt.

Nouæ querelæ in Gallia.

Interea magni bellorum tumultus vbique per Galliam audiebantur, & diffidentium in Religione animi. Harum turbarum vnica causa erat edictum

1576 pacificatorium. Hugonottæ querebantur illud non obseruari, cùm tamen in communem totius Regni vtilitatem conceptum esset. Abrogari illud non posse, nisi contra omne ius diuinum, naturale, & gentiū. Catholici dicebant, edictum pacificatorium nullius auctoritatis esse debere, quoniam absque consensu populi & Ordinum decreto conceptum & publicatum fuerat. Præterea à Rege factum summa necessitate, ad illud sanciendum eum coactum. Notum autem esse illud Halycarnassæi: *Quicquid necessitas pro tempore, vel priuatis hominibus, vel ciuitatibus extorquet, tantisper durat, donec cesset necessitas.* Regem in sua inauguratione solenni iuramento promisisse Catholicam, Apostolicam, Romanam & auitam Religionem se totis viribus defensurum: iuramentum illud sacrosanctum & inuiolabile conseruandum, nec Regem illud infringere debere. Pacem adhæc retineri non posse, nec in longum tempus durare, quòd per vim à voluntate Regis extorta fuisset, & contra officium & iudicium conscientiæ stabilita. Casimirus & Condæus ab Hugonottis sollicitati, missis legationibus apud Regem conquesti sunt, quòd trimestri iam spatio ab edicti promulgatione elapso publicum nondum Religionis suæ exercitium in omnibus Regni ciuitatibus receptum esset: quòd iurisdictiones, quæ ex vtriusque Religionis iudicibus fieri debebant, nondum erant constitutæ: quòd primariæ vrbes stationes militum diu noctuque Catholici haberent: quòd quæ Condæo promissa erant non obseruarentur: quòd Rex noua fœdera à Catholicis inita probaret: quòd omnes Magistratus, nobiles, & incolæ ciuitatum edictum nondum iureiurando confirmârant: quòd denique plurimi, ijque præcipui ex secretioris Regis concilio, & Senatorum in supremis Curijs, ac præfectorum prouinciarum eam regiorum subditorum conciliationem minus probarent. Addidit Legatus Condæi: Principem suum petere, vt redditus annui Cogniaci & Angeliaci ipsi Condæo auctoritate Regia ad vtendum fruendum traderentur, donec ea pecunia persolueretur, quæ in tractanda pace ipsi promissa fuerat, quingentarum millium Francicarum librarum summam æquans: vti qui edicto pacificatorio parere recusarent, acerbissimis pœnis subijciantur: locus habendæ concioni idoneus Metensibus

Catholici pacificatoriū edictum nolunt obseruari.

Postulata Condæi.

1576

tensibus tradatur: vt iurisdictio iudicum vtriusque Religionis in Gastineto, & ad oram Ligeris fluminis assignetur. Respondit Condæi Legato Rex, se iubere & statuere velle, vt ducenta millia librarum illi soluerentur: redditibus Cogniacensibus ipse frueretur, Angeliaci suum haberet domicilium: Metensibus satisfactum esse, ita vt de nulla re amplius conquerantur. Quòd suæ Religionis exercitium in multis Regni locis non admittatur, id nec iussu, nec indulgentia sua fieri: Catholicam Religionem non magis receptam pluribus in locis, in quibus reformati (vt vocari volunt) potentiores erant, nec viros Ecclesiasticos in possessionem bonorum restitutos. Vtrinque querelas adferri: se omnibus quàm commodissimè, & quàm ocyssimè poterit, prouisurum, & omnia in æquiorem statum adducturum.

Quia verò edicti pacificatorij articulo quinquagesimo quinto vniuersorum Comitiorum conuocatio Blesis erat promissa, commodum Regi visum est, eam accelerare; vt quisque suas querelas in medium proponeret, & de auctoritate Regis, regnique incolumitate conseruanda & stabilienda, deque antecessorum Regum, & præsentis Regis ære alieno ad solatium subditorum dissoluendo, consuleretur. Indicta itaque sunt hæc Comitia, regijs codicillis per vniuersum regnum publicatis. Legati ad ea sunt à Catholicis, ex tribus Ordinibus viri graues, prudentes, summæque auctoritatis. Expectabatur Nauarræus, Condæus, Danuilla, cæterique istius factionis legati: sed prudentiam, auctoritatemque Catholicorum metuentes, suæque causæ bonitati diffidentes, eò venire verebantur: & vt subterfugium haberent, aiunt, Comitia non legitimè conuocata. Legati ad Hugonottarum præcipuos Principes missi sunt, qui eos ad Comitia inuitarent: sed nihil effecêre. Rex post ieiunia, amburbiasque supplicationes, felix Comitijs auspicium dedit. Actum est initio de Religione. Orârunt trium Ordinum legati prolixè & grauiter: vnanimiterq; suadent, ne Rex aliam in regno quàm Catholicam, Apostolicam, Romanam Religionem exerceri permittat: ostendunt multis rationibus & argumentis, nullam pacem esse posse diuturnam, quæ diuersis religionibus nitatur. Adducunt exempla Reginæ Angliæ, & Germanorum Principum, qui experti

Comitia Blesis indicta.

Vnica petitur Religio Catholica.

1576 quanta mala pareret religionis diuersitas, seueris mandatis prohibuere omnem, præter vnam, cuius ipsi erant, religionem. Orare igitur se Regem, vt omnis alterius, quàm Catholicæ Religionis exercitium interdicat: ita tamen, vt quilibet domi suæ tutus & securus maneat, & nemo quietè viuenti molestiam exhibeat. Omnium præteritarum offensarum ἀμνηστία sanciatur, & qui eam Religionem, abolito publico exercitio mordicus retinere voluerint, ipsi cum familijs & bonis in Catholicorum propinquorum tutela conquiescant. Petunt etiam, vt disciplina militaris instauretur: hocad plebis leuamen, Nobilitatis laudem, & totius Regni decus pertinere: sine illa nihil gloriosum, nec laudabile in bello geri. Tandem flagitârunt, vt veteres leges, institutaque Francici Regni diligenter obseruentur. Respondit Rex, delegatorum declarationem sibi esse quàm gratissimam, & feruentissimum affectum ad honorem Dei, & Ecclesiæ, diuinique cultus tuendum vehementissimè placere. Propositum deinde Ordinibus, vt diligenter exquirerent, quanam ratione æs alienum Regis, ab ipso, & antecessoribus contractum, quod centum millionum (vt vocant) summam excedebat, dissolui posset: & in posterum ipsius ærario prouideri. Hîc quorundam sententia fuit, vt omnibus vectigalibus sublatis, subsidium pecuniarium quindecim millionum Francicarum librarum Regi concederetur, pecuniæ autem à singulis familijs exigerentur. Officiarijs Regijs hæc sententia probata fuit: Cancellarius iubente Rege ab Ordinibus postulauit, vt hanc rationem exigendæ à populo pecuniæ suis calculis approbarent: duos præterea milliones præsentis pecuniæ ad sumptus futuri belli, si oriatur, faciendos, suppeditarent. Respondent delegati: Indicta propter duos fines Comitia, vt Rex populi querelas audiret, & vt communi consilio dispicerent, qua ratione æs alienum Regis dissolui posset. De illis duobus millionibus nullam in indictione factam mentionem: nullum itaque ea de re habere se mandatum: limites sibi præscriptos prætergredi non licere. Postea insulæ Francicæ Legati cum Parisiensibus de scripto sententiam de negotio Religionis

gionis protulerunt, qua censebant, nullum aliud Re- 1576
ligionis exercitium in Regno tolerandum, præterquam Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ: rogabantque communi omnium decreto statueretur, vt Ministri omnes Regni finibus expellantur.

Contra hanc sententiam cùm Mirembellius primus ex delegatis Pictonum & Xanctonum protestaretur, diceretque negotium de Religione non mouendum esse, eò quòd codicilli indictionis Comitiorum nullam Religionis facerent mentionem: præterea edictum pacis non esse infringendum, audijt: Comitia indicta ad instaurandum Regni splendorem, & ad deliberandum quanam ratione firma atque perpetua pace omnes Regis subditi frui possint: hoc autem nunquam fieri posse, quamdiu duæ diuersæ Religiones in Regno permitterentur. Ob id necessarium æstimari, vt Ordinum delegati de eo negotio prudenter consultent, adhibita omni lenitate, & pacis studio, vt è duabus Religionibus illa è Regni finibus exterminetur, quam non retinendam iudicauerint. Quoad edictum pacificatorium, nullius illud esse auctoritatis, vt quod absque consensu populi & Ordinum Regi armis esset extortum, extra legitimum Comitiorum consessum, contra Regis voluntatem, conscientiam & potestatem, vt qui in solam Religionem Catholicam Romanam, cùm inaugurateretur, iurauerat. Cùm igitur Mirembellius peculiare ea de re mandatum non haberet, eius protestatio vana & irrita iudicata est. Ordinum autem delegati in sua sententia perstiterunt, & abrogato edicto, instaurationem vnius Religionis Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ per totum Regnum decreuerunt. Cùm Ecclesiasticus Ordo, pro quo Petrus Epinacus, Lugdunensis Archiepiscopus, celebri sui & Ordinis totius nomine dicebat, & secundus Nobilium ordo, pro quo Claudius Baufremontius Senescei Baro, vt genere, sic virtute, doctrinaque nobilissimus orabat, in hanc sententiam suffragati essent, tertius etiam Ordo, Varsorio Parisiensium Patrono causam agente, præcedentium sententiæ subscripsit, decreuitque Regi supplicandum esse, vt omnes suos subditos ad Catholicam, Romanam Ecclesiam, tanquam ad vnum ouile gregem disper-

1576 sum reduceret, Caluinianæ Religionis omni exercitio tum publicè, tum priuatim abolito: Ministris, Diaconis, Superintendentibus certum tempus præscriberetur, quo Regni finibus excederent: alij autem eam Religionem profitentes, qui nullum munus in administranda Ecclesia haberent, in Regis tutelam reciperentur, interea dum ad Romanam Ecclesiam reuerterentur. Interiecto duorum mensium spatio, qui ad Condæum missi fuerant redierunt, referentes illum noluisse ipsos audire, nec Ordinum literas recipere: quòd Comitia non legitima esse diceret. Sed hæc illius contumacia, vt nullo rationis fulcro innixa, facile contempta est. Qui à Nauarræo redierunt, referebant se perhonorificè ab ipso exceptos, & benignè auditos esse. Laudasse eum quidem Ordinum egregiam voluntatem, quòd finem diuturnis Regni calamitatibus imponere cuperent. Quòd verò Regi persuaserint, non patiendum in Regno alterius Religionis, quàm Romanæ exercitium, probare se non posse: vereri enim eum, ne hoc non pacem & quietem, sed bellum & turbas allaturum sit. Qui à Danuilla venêre, hoc responsum ferebant: Ipsum optimè affectum erga Romanam Catholicam Religionem, eius conseruationem & incrementum exoptare: & pro eius defensione vitam profundere, cùm opus fuerit, non recusare. In abrogando verò pacificatorio edicto cum Ordinum delegatis nõ consentire, quòd hoc nihil ad promouendam Catholicam Religionem prodesse posse arbitraretur. Quid multis? Omnium (Caluinianos excipio) sententia erat, vnam tantùm Catholicam, Apostolicam, Romanam Religionem per totum Regnum seruandam esse. Cæterùm in modo, quo ad illud beneficium perueniri posset, non omnium idem erat iudicium. Alij enim id sine bello fieri volebant: alij mouendum esse bellum censebant. Bironius igitur ad Nauarræum missus est, vt ab eo impetraret de rigore edicti, quo melius pax coalescere posset, aliquid remitti. Nauarræi & Condæi Legati, cùm in Ordinum consessu audiendi essent, à delegatis Consistoriorum, ne consessum audirent prohibiti sunt; qui dicebant, nihil illos cum Ordinibus agere debere, ne viderentur Comitia tanquam legitima proba-

Quid ad hæc Protestantes & Hugonottæ.

Condæus noluit legatos audire.

Nauarræus vnam improbat Religionem.

Danuillæ responsum.

1576

probare, quasi ea legitima non essent, quæ in pacis tractatione pacta, à Rege indicta, & ad quæ omnes promiscuè vtriusque Religionis erant euocati. Ne frustra autem venisse dicerentur, libellum Regi obtulerunt, quo Regi obseruationem edicti pacificatorij persuadere conabantur, Comitiorumque præsentium auctoritatem eleuabant: causam Religionis non in Comitijs, sed in Concilio tractari debere asserentes. Respondit Rex: Confœderatos ipsos consultores & auctores præcipuos extitisse, vt generalia & libera Comitia indicta fuerint: libera ea non posse dici, si quid Ordinum delegatis inhiberetur. Quemadmodum autem his concessum supplices libellos sibi offerre, ita & confœderatis. De omnibus autem ijs ita se constituere velle, vti in solatium & quietem omnium suorum subditorum cessura sint. Tandem Rex Ordinum delegatis declarauit, si Regnum denuò in tumultus & ciuilia bella incideret, necessariò requiri, vt quam operam & auxilium præstare possent, ipsi demonstrarent. Sibi persuasum esse nobiles, pro solita alacritate & promptissima voluntate gratificandi Regibus, officio suo non defuturos: de Ecclesiasticis, & tertio etiam ordine bonam se spem concepisse. Sed & dominij sui bona vendere se decreuisse pro trecentis librarum millibus annui census, de Ordinum tamen consilio & assensu. Petere itaque se, vt & ipsi Regiam Maiestatem pecunia iuuent, & postridie reuersi ad hæc responderent. Reuersi altero die trium Ordinum Legati, omnem opem (si arma sint resumenda) pollicentur: in vendendis autem Dominijs non eadem omnium erat sententia, cui venditioni sine ampliori mandato, & maiori necessitate, se assentiri non posse multis rationibus ostendebant. Paulò post dimisso conuentu Rex prouinciarum Gubernatoribus scripsit: Ordinum trium Legatos orasse, vt vna tantùm Catholica, Romana Religio per totum Regnum exerceatur: eorum postulato se annuisse: cauerent igitur, ne alterius Religionis exercitium in suis prouincijs permittatur, neque turbarum quid oboriatur. Paulò ante Rex ad eosdem Gubernatores quoque sacri Fœderis à se approbati formulam miserat, vt nobilibus & ciuitatibus sigillis suis approbandam proponerent: quod multi non inuiti fecerunt, alij tergiuersantes sibi deliberandum esse dixerunt, quidam planè recusârunt.

Nota Belgæ in Comitijs tractari volunt Pacif. Gandauensi.

Rex vnius Catholicæ Religionis exercitium obseruari iubet.

1576 *Vltraiectenses Hispanos in arce obsident.* Vltraiectenses, audita castrorum quorundam expugnatione, omnem apparatum faciunt, vt suum quoque, pulsis Hispanis, occuparent. Franciscus Dauila arcis præfectus, cùm tormenta in vicinas turres, locaque editiora cerneret à Magistratu comportari, nec obscurè intelligeret bellum sibi parari: ipso die D. Thomæ, meridiano tempore, quosdam Hispanos ex castro in vrbem mittit, qui quid in vrbe ageretur explorarent. Hi cùm in proximas plateas venissent, & in ijs excubias dispositas cernerent, ijs aut interfectis, aut fugatis, ignem in ciuium ædes conijciunt, & se in castrum recipiunt. Mox præfectus in vrbem maximis tormentis detonare, & ad vicinas domus fulminare: ciues cum Germanorum præsidio, quod in vrbe erat, mox aggeres erigere, propugnacula extruere, ædes proximas terra opplere, & tormenta in arcem dirigere cœperunt. Nocte Hispani exiguam scapham conscendentes, fossam traijciunt, & ædes ciuium iniecto igne inflammârunt. Ciues cùm accedere ad incendium restinguendum non auderent, Frâciscanos & Dominicanos, quos parui faciebant, compulerunt ad illud periculum adeundum. Tormenta quoque cũ ad arcis pomœria essent pertrahenda, eosdem Monachos adegerunt, vt cum periculo vitæ huic operi sese accingerent. erat autem in arce Franciscanorum Guardianus Godefridus Leodius, cuius auspicijs hæc geri ciues existimabant. Dauila cùm per aliquot dies à tormentorum maiorum explosione non desisteret, multos ciues, ciuiumque splendidas ædes perdidit, atque prostrauit. Turrem alteram insignis Ecclesiæ Diuæ Mariæ Virginis, & partem turris Diui Iacobi, eò quòd ex ijs multum damni inferebatur Hispanis, disturbauit.

Pestis incredibilis in Italia. Toto hoc anno pestis in Italia grauissima sæuiebat, quę Patauium, Veronam, Brixiam, Ticinum, Vicentiam, Apuliam denique totam, Calabriam & Siciliam depopulata est, vastamque penè & habitatoribus vacuam reddidit. In vna Siciliæ Messana ad sexaginta hominum millia hæc contagio sustulit, adeò vt Turcæ oculos in hanc vrbem, omnibus penè incolis desolatam, conijcerent, suis rebus propter capacissimum, elegantissimum & tutissimum portum perquàm commodam. Sed Prorex collectis aliquot equitum, peditumque millibus eos in suburbanum Messanæ agrum misit, qui, si necesse esset, Turcarum viribus sese obij-

cerent.

cerent. Turciæ quoque quàm plurimas regiones idem morbus peruasit, infinitosque mortales abripuit. At Barbari eo contempto nihilo segnius bellum adornabant, licet non leuiter Christianorum apparatū, quem fieri à certis hominibus didicerant, formidarent. Tanta erat huius contagionis violentia, vt solis Venetijs centum hominum millia interierint: sublata sint vbique commercia cum exteris. Clathri in vijs publicis exædificabantur, ne vnius vrbis ciuibus ad alterius pateret accessus. Nosocomia procul extra vrbes construebantur, ad quæ, qui lue hac infecti erant, deportabantur: supellectilia eorum concremabantur, & illorum pretia ex publicis ærarijs, hæredibus restituebantur. Sæuitum est in canes & feles: Literæ ne mitterentur interdictum, nisi ad Summum Pontificem, nec eæ quidem, nisi absque cera, & lineis vinculis obsignatæ. Hac exportationis, importationisque denegatione tandem factum est, vt multis in locis, & præcipuè Mediolani, summa esset rerum omnium penuria, & fames durissima, adeò vt nisi Cardinalis Borromæi liberalitate (qui omnia sua in hac necessitate profudit) Parmensiumq; bonitate, Mediolanenses adiuti fuissent, fame interijssent penè omnes.

1576

De hac peste vide stupenda quædam apud Natalem Comitem.

Persarum Rex collectis octoginta equitum millibus fines Turcicos cœpit depopulari. Sed cùm Murathes maximam suorum cladem ex peste accepisset, & cum fame confligeret: cumque ex Battore intellexisset, Imperij Proceres Christianos arma parare, non ausus erat eas, quas decreuerat, copias in Persas mittere.

Persa Turciã depopulatur.

Ordines Belgici, difficultate nummaria laborantes, XXIII. Decembris edictum sub Regis nomine, quo vtebantur, publicârunt: quo omnibus Magistratibus, Canonicorum Collegijs, templis, Capitulis, tribubus, confraternitatibus præcipiebant, octidui spatio post promulgatum edictum omnes catenas aureas, & argenteas, omnia vasa, omne aurum & argentum non signatum (calicibus, hierothecis, alijsque vasis consecratis exceptis) delegatis Ordinum traderent. Qui non paruerit, duplo multaretur. Pro auri vncia redderentur domino floreni XXII. pro argenti XXXVIII. stuferi: non quidem numerata pecunia, sed calendario destinata, iuxta formam & modum ab Ordinibus præscriptum. Qui autem argentum & aurum suum pecu-

Edictum Ordinum de auro & argento tradẽdo.

Hæc exceptio multis locis non est obseruata.

1576 nia redimere voluerit, id ei licitum fuit, secundùm æstimationem & valorem prædictum.

Bornholmia ad Danos redit. Bornholmia in mari Balthico insula, quam Fredericus I. Daniæ Rex Lubecensibus pro impensis belli, quibus eum in Regni occupatione, pulso Christierno secundo, fratris sui filio, iuuerant, quadraginta annos fruendam concesserat, Frederico II. hoc anno restituitur.

Mors Ottonis Schauuenburgensis. Otto Comes Schavvenburgensis, Iodoci filius, heroica animi virtute & fortitudine præstans, exeunte anno in arce Bructerorum (vulgo Bukenburg dicta) ex hac vita decessit. Qui cùm in prima ætate Ecclesiæ Hildesemensis Præpositus & Episcopus aliquamdiu fuisset, postea relictis his dignitatibus annos amplius XXX. domui Burgundicæ militauit. Coniuges duas habuit, Mariam Barnimi Ducis Pomeraniæ filiam, ex qua Hermannus Episcopus Mindensis, Antonius Decanus Coloniensis, Præpositus Hildesemensis, & post fratrem Episcopus Mindensis, atque Adolphus, patrias ditiones hoc tempore gubernans, suscepti sunt: alterã Elizabetham Ernesti Lunenburgensis filiam, ex qua Ernestus, & duæ filiæ supersunt. Hæc ideo ex Chytræo commemorare voluimus, quòd in Comitis Adolphi Ottonis filij ditione viuimus, dum hæc scribimus: hoc qualicunque officio animi grati significationem eius Illustri Clementiæ exhibentes.

Vnica Religio in Gallia seruanda. ANNO M. D. LXXVII. Cùm iam Rex Galliarum, & tres Ordines Regni, in Comitijs Blesensibus communibus suffragiis pacificatorium edictum rescidissent, & vnam Catholicam Religionem obseruandam, reclamantibus nequicquã Condæo, Nauarræo, Danuilla, & alijs, constituissent, Rex (vt antea referebamus) per vniuersum Regnum edicta de vnica Religione misit.

Bellum Francicũ recrudescit. Ægerrimè tulerunt hoc edictum Hugonottæ, & publicis scriptis querelas suas instituebant, & Catholicos publicæ quietis hostes esse proclamabant. Catholici scriptis & viua etiam voce sese defendebant: Non tantùm propriorum malorum causas esse Hugonottas, sed omnium miseriarum, quæ in vniuersum regnum exundabant: ipsos æquissimis conditionibus in præteritis bellis non contentos, nouos semper tumul-

Catholici se purgãt. tus excitâsse. Superioris pacis decretum violenter Regi, in-

gi,inuitis Ordinibus,fuisse extortum;ob id,& quia regno esset perniciosissimum,iure posse abrogari. Ex edicti sententia,vnanimi Francorum omnium consensu,à Rege Comitia fuisse conuocata,vt ipse subditorum suorum querelis & necessitatibus prouideret, & quod regno commodissimũ esset, ex trium Ordinum suffragijs statueret. In his autem Comitijs tres Ordines decreuisse, Regemque approbâsse, vnam tantùm Catholicam, Apostolicam, Romanam religionem seruandam esse, & huic contrariam, quam Reformatam vocant, abolendam: hoc ad conseruationem cuiusque Ordinis fore vtilissimum. Præterea notum esse omnibus,aduersarios ante Comitiorum decisionem, primos arma mouisse,vrbes intercepisse,pecuniæ summas non mediocres subditis regijs violenter extorsisse,magnos belli apparatus fecisse. His de causis dici nõ posse,Regem iniquè agere,si aduigilet,ne quid aut ipse, aut fideles subditi sui,capiant ab hostibus detrimenti. Ad hæc aduersarij respondebant, Comitia non esse legitima,secundùm sacros Canones non posse res Ecclesiasticas à personis laicis disputari,aut tractari: aliaque multa absurda,suo se iugulantes gladio,spargebant: vt qui laici & profani omnes, nouam religionem instituere sibi fas, ordiniq; Ecclesiastico veterem suam defendere nefas esse,sustinebãt. Interea dum partes dissidentes scriptis hoc modo contendunt, Hugonottarum Principes copias cogunt,seque ad nouum bellum parant. Rex ad Condæum mittit legatos, qui declararent,eum iustam causam belli gerendi non habere. Varias quoque legationes ad varios Principes decreuit, quæ ostenderent,quàm iustam haberet causam nouitiam tollendi religionem:peterentq́ue,ne hostibus suis, quos ferro persequi decreuerat,si edicto suo parere nollent,auxiliarentur. Similes legationes ad Comitem Palatinum Ludouicum, eiusq́ue fratrem Casimirum, & Hassiæ Lantgrauium Guilielmum misit. Casimirus nomine suo & fratris acerbè satis & minaciter respondit. Lantgrauius modestius: causam quidem Reformatorum (vt vocant) exercitiumq́ue vtriusque religionis propugnabat, tamen se ipsis opitulaturum non esse,pollicebatur. Sub istis legationibus Nauarræus Aquitaniam ad bellum armat, & Condæus cum Rupellanis, vicinisq́ue populis, nouam confœderationem contrahit, postquam iam ante protestationem,

1577 nem, contra Comitiorum definitionem, publicarat.

Ioannis Austriaci & Ordinum controuersia difficultatibus plena.

Res Belgicas huius anni difficillimas & periculi plenas aggressurus, Deum, hominesque testor, tacere me, quàm quicquam de ijs scribere, & alij lampada tradere, quàm ipsū ferre malle. Ferale namque odium, quod initio inter Auraicum & Austriacum fuit, & postea in Ordines etiam Belgicos transijt, tale ac tantum fuit, tot dolis atque artibus tectum, tot occultis cuniculis ductum, vt neminem vnquam futurum existimē, qui initia, progressusque illius verè atque exactè nobis descripturus sit. Cùm tamen ipsi factionum auctores vtrinque suas apologias ediderint, in quibus causarum suarum æquitatem ostendere conantur, nos absque vllo affectu, nullius partis respectu, obiter huius tragœdiæ seriem ex ipsorum scriptis referemus.

Austriaci in Belgiū aduētus.

Hærebat adhuc Ioannes Austriacus, Regis Philippi frater, Belgicarum prouinciarum Gubernator designatus, Augustæ Romanduorum, Luceburgensis Ducatûs Metropoli, quò ipso die, quo Hispani Antuerpiam hostiliter occupabant, ignoto habitu, duobus tantùm amicis comitatus per Galliam, vbi Regem prandentem vidisse dicitur, aduenerat. Per certos igitur homines Ordinibus Belgicis suum aduentum significauit, miserrimam Belgij, & in primis vrbis Antuerpianæ conditionem se maximo cum animi dolore intellexisse scribit. At iam omnium miseriarum & calamitatum finem aduenisse, nec Regi, nec sibi quicquam gratius accidere posse, quàm si Belgæ pristinæ felicitati & splendori restituantur. Id nunc fieri posse, si nimirum Catholicam Religionem Deo, & Regi debitam obseruantiam sertam tectam conseruare, & æquitatem, commodumque publicum priuatorum quorundam hominum affectibus velint anteferre. Si qui rebelles & immorigeri sint, quibus bellare magis, quàm in pace viuere adlubescit, se non minus ad bellum, quàm ad pacem instructum aduenisse.

Eius literæ ad Ordines.

Eius literæ ad Hispanos rebelles.

Ad tumultuantes quoq; Hispanos, aliosq; milites literas minarum plenas dedit, quibus pro auctoritate sua ipsis imperabat, vt deinceps ab omni vi & iniuria abstineant, donec ipse veniens causam cognosceret, nouaque mandata vel à se, vel à Rege acciperent. Ordines, vt audirent legatos Austriaci, eiusque literas legerent, conuentum Prælatorum, Nobilium, & vrbium Bru-

Bruxellis habuerunt, in quo varijs sententijs de recipiendo, vel reijciendo nouo Gubernatore pugnatum est. Qui Auraicæ factioni studebant, nihil eo inconsulto hac in re agendum contendebant: eò quòd Princeps esset magnæ prudentię, multæ experientiæ, & qui Belgarum saluti & felicitati optimè consultum cupiebat. Hi vel suffragantium numero, vel dicendi contentione superiores, obtinuerunt, vt negotium ad Auraicum transmitteretur, eiusque in hac re consilium expeteretur. Qui in sinu suo gaudens, & de causæ suæ exitu nunc optimè sperans, vltimo Nouembris anni exacti consilium suum Ordinibus communicauit, multis rationibus dissuadens, ne Austriacum Gubernatorem reciperent. Eum enim præcedentium Gubernatorum vestigia secuturum: oportere igitur, vt Ordines ante omnia suam auctoritatem tueantur, & auaritiæ administrorum Regiorum resistant, qui sub prætextu æquæ administrationis tyrannidem machinantur. Ioannem Austriacum simulare quidem se Concilium è Proceribus, alijsque viris hoc munere dignis, in Belgio natis sibi lecturum; at reuera nihil aliud, quàm quomodo auctoritatem & potentiam Ordinum generalium opprimet & extinguat meditari: quam tamen vel eò magis defendere tenentur, quòd in ea Nobiles, ciues, & omnes incolæ suam salutem, vitam & fortunas cōstituerunt. Cum Austriaco in nullum colloquium descenderent, nisi prius Hispanos, exterosque milites omnes Belgio discedere iubeat, spretis omnibus speciosis verbis, magnificisque promissionibus, quas propositurus esset. Diligenter cauerent, ne quod Austriaco imperium in equites, peditesq; Ordinibus militantes concedatur: id enim imperium gladium futurum, quo Belgas omnes iugularet. Instent, vt Prouincijs iuret, se omnia præteritis seculis à varijs Brabantiæ Ducibus concessa, & donata priuilegia, integra seruaturum, & iuxta eorum præscriptum prouincias administraturū, dicentes sibi constare hanc Regis mentem & voluntatem esse. Si hoc iuramentum neget Austriacus, Ordines protestentur, se nullius rebellionis aut tumultus reos meritò peragi posse: cùm sua priuilegia ad vltimam vsque sanguinis guttam se propugnaturos iurauerint. Si enim tanta cum libertate de suo proposito cum illo loquātur, breue ab ipso responsum essent accepturi: quod vtilius erit, vt tempestiuè habeant, quàm

1577

Ordines consuluit Auraicū de recipiendo Austriaco.

Consiliū Auraici de Austriaco recipiendo.

1577 vt multis verborum ambagibus, & multorum dierum procrastinatione differatur: vt interea rebus suis consulat, se armet, & muniat; Ordinum vires efficiat debiliores. Non metuendam, sed contemnendam esse Austriaci offensam: nam eadem dicendi libertate Ordines olim Gandaui coram Rege vsos fuisse, eaque * Regem motum, vt Hispanos & exteros omnes milites è Belgio euocaturum se promitteret. Austriaci petitionem, qua corporis sui custodiam sibi è militia Belgica assignari flagitat, certissimum esse diffidentiæ suæ indicium. Si illi hæc custodia decernatur, à qua sine dubio sacramentum fidelitatis esset exacturus, Ordinum eum conuentui pro arbitrio imperaturum, ipsis quæ vellet præscripturum, & oblocutores, repugnantesque ope tot militum castigaturum esse. Causam quoque suam Austriacum suspectam reddere, quòd se Ordinũ militaribus copijs armari postulet, vt ipsi Ordines exarmentur. Rationi magis fore consentaneum, vt ipse Belgis, quàm Belgæ ipsi confidant: cùm hi in Belgio semper habitauerint, & sub Hispanorum imperio tam iniquis modis exagitati fuerint. Ponderandum esse, quid sibi velit, Austriacum, qui Gubernator tantùm designatus esset, velle armatum in prouincias venire, & securitatem ab Ordinibus postulare, contra communem legitimorum Principum consuetudinẽ: quibus vsitatum semper fuerat, vt ipsi inermes iuramentum fidelitatis Prouincijs prius præstarent, quàm à subditis postularent. Commemoratis deinde multis crudelibus & petulantibus Hispanorum factis, ijsque miro artificio amplificatis, tandem ostendit Ordines exiguam gratiam & honorem tam apud exteros, quàm apud incolas inituros, si maiorem rationem habeant, quomodo Ioanni Austriaco satisfaciant, quàm quomodo oppressis ciuibus Traiectensibus & Antuerpianis succurrant. Monet etiam, vt arces, dum in Ordinum potestate sunt, statim omnes euertant, aut earum mœnia, præsertim ea, quæ vrbes, & oppida spectant, demoliantur: vt populo gratificent, seipsosque à futuri mali metu liberent. Non esse quòd iccirco Regis offensam nunc primùm metuant, nec sibi blandiantur, quòd eius Maiestatem hactenus non læserunt Futuram enim eam apud Regem opinionem, si minus peccatum sit, id non Ordinum modestia, aut erga se obseruantia factũ, sed quòd maiora non fecisse in ipsorum potestate non fuerit,

Nota: Rex subiratus de sede surrexit, eoque digresso Sabaudus peregrinæ militiæ decessum pollicitus est, verbis leniter Ordines increpans, &c.

fuerit, nec eorum, quæ commissa sunt, memoriam vnquam obliteratum iri. De eo dubitare neminem debere, cùm constet plerisque, quantum mouerit Regi stomachum libellus supplex ante sex annos Parmensi à Nobilibus traditus. Omnes enim Regis indulgentias & remissiones, omnes eius promissiones, nihil esse, nisi phalerata verba, quæ aures tantùm feriunt, nec effectum sortiuntur. Principes enim iniuriarum non obliuisci: quòd si vlciscendi non inueniant facultatem, eos conniuere solitos, donec oportunior se offerat occasio. Vulgo notum esse, eos, qui quod volunt viribus obtinere non possunt, dolis, artibus, cuniculis, & occultis vti machinationibus. Perpendant Ordines, quantopere doleat Principi, pro arbitrio imperare volenti, quòd mandatum suum contemnitur, & impotentia sua in subditos coercendos toti mundo fit manifesta. Tales nec technas, nec dolos, nec insidias vllas Regem prætermissurum. Notum etiam esse, omne imperium consortis esse impatiens, nec parem sibi admittere. Orat igitur Ordines, vt seriò perpẽdant, non de re leuis momenti, sed de negotio maximi ponderis nunc agi: vt qui potentissimum hostem offendissent, & ad iracundiam prouocassent. Nullum igitur medium in hoc negotio posse inueniri, sed alterum extremorum necessariò eligendum esse, aut perpetuò succumbere, aut forti animo dominari: quod postremum difficile ipsis hoc rerum statu non esset, si concordes inter se permanerent. Addit postremò; Quòd si vrgeatur Austriacus, & necessitate coactus Hispanicam, aliamque peregrinam militiam Belgio dimittat, instandum insuper esse, vt præter conseruationem priuilegiorum, etiam his legibus assentiatur, vt nihil nisi cum Ordinum generalium, Senatûs Statuum, & Financiarum consilio agat, vel decernat, qui vnà cum ipso Rempub. administrarent: & quibus facultas esset, quotannis bis aut ter coeundi, consilia conferendi. Reipub. administrationem inspiciendi, eamque reformandi. Permittat etiam, vt omnes arces funditùs euertantur: potestas adhæc illi nulla sit militem conscribendi, aut prę́sidia in vrbes deducendi, nisi cum prædictorum Senatuũ consensu & voluntate. Hactenus consilium Auraici, quod eò tendebat, vt Ordinibus persuaderet, ne cum Austriaco paciscerentur. Nunquam enim futurum exstimabat, vt Austriacus ad aliquã istarũ conditionũ descenderet.

1577

Expertus loquitur.

1577

Ordines exercitū colligunt, et legatos in Franciā & Angliam mittunt, auxilia petentes.

Eodē tempore Auraicus omnem opē suam Ordinibus in colligendis Germanorum copijs, quot vellent, offerebat. Ipsi etiam Ordines exercitum suum collegērunt in VVaueren sub imperio Comitis Lalaignij, Vicecomitis Gandauensis, & Mottæi gubernatoris Grāuelingensis. Mense etiā Octob. in Galliā miserant opē implorantes, quā ipsis non defuturā Galli promiserant. Baronem quoq; Aubignium in Angliam legârunt, vt statum prouinciarum & Ordinum necessitatem Reginæ Angliæ significaret: quæ Smithæum Equitem in Hispaniam amandauit, qui Regem oraret, vt Hispanos Belgio decedere iubeat.

Angla Ordines pecunia iuuat.

Mense Decembri Angla Ordinibus quadraginta Angelorum aureorum millia mutuò transmisit, addita promissione, se maiora auxilia decreuisse, si nihil necessitate, coacti agant, aut sese imperio Gallico non subijciant.

Ordinum de Auraici consilio varia iudicia.

Ordines accepto Auraici consilio, eoque in consessu lecto, variè affecti sunt. Qui factionem Hollandorum alebant, consilium Auraici per omnia probabant: nihil erat in eo, quod ipsos offendebat; sed tale esse, quod in omnibus sequi oportebat, contendebāt. Alij multa in illo consilio carpebant, imò totū illud non alium finem habere animaduertebāt, quàm vt diffidentiam quandam inter Regem, Austriacum, & subditos excitaret, ne qua pax inter eos conciliaretur. Pacē enim Ordinum cum Rege bellum suum, imò interitū Hollandiæ, iam diuturno bello exhaustæ, interpretabātur: vt autem ea diffidentia, si nō esset, suscitaretur; si esset, amplificaretur, ea agenda & postulanda, quæ proponebantur. Itaque colloquium de pace cum Austriaco non differendum, aut negandum esse: sed mittendos legatos, qui illius mandata audiant, & transactioni initium faciant. Vicit horum sententia.

Ad Austriacum Legatio.

Missi sunt ad Austriacū Dominus Rassingemus, VVilleruallius, Vicecomes Gandauensis, & alij, qui quotidie vltrò citroque proficiscebantur. Tandem Austriacus Marcham in Faminiam venit: vbi quindecim dierum induciæ pactæ sunt.

Induciæ inter Ordines & Austriacum.

Interea Austriacus Octauium Gonzagam & Escouedium sibi à secretis Antuerpiam, Traiectum, & Liram legauit: qui cum Hispanis de reditu in Hispanias cum illis transigerent. Sub finem Decembris Ordines delegatos suos Namurcum miserunt, petieruntque ab illo, vt & ipse eò veniret, vt de controuersijs in præce-

dentī

denti colloquio exortis componendis ageretur. At diu 1577
expectatus Austriacus Namurcum venire noluit: sed *Austriaci*
Rassegemium eò misit, postulauitque ad Ordinibus o- *ab Ordi-*
cto dierum prorogationem, vt interea absolutam ab *nibus po-*
Hispanis Antuerpiensibus responsionem accipiat, pe- *stulata.*
tijtque vt Ordines exponant, quam securitatem dare velint, se in obedientia Regis mansuros etiam post Hispanorum abitum. Præterea cùm minus deceat vt sese exarmet, inermemque in armatorum potestatem tradat, postulat ab Ordinibus, vt Ordines iubeãt suos etiam milites arma ponere, & peregrinos omnes vnà cũ Hispanis Belgio discedere. Petit insuper, qua securitate Hispani dimittendi sint, & an mari, an verò terra idipsum futurũ sit. Præterea, cùm transactio inter Principem & Hollandos Zelandosque & Regem cæterosque Ordines in generali conuentu agi debeat, scire cupit, quando, & vbi conuentus celebrandus sit, & quàm ipsi securitatem dare voluerint. Ordines vt Austriaco ostẽderent, pacem Gandaui factã nec Religioni Catholicę, nec obedientiæ Maiestatis Regiæ quicquã contrarium continere, quinq; illi instrumenta exhibuerunt: quorũ duo in membrana scripta, & varijs manibus subscripta, & diuersorum Episcoporũ, Prælatorũ, Abbatum, Decanorũ, & Pastorũ sigillis munita. Tertium sigillũ habebat Decani & facultatis Theologicæ in Academia Louaniensi. Quartum sigillum facultatis Iuridicæ eiusdem Academiæ. Quintum à diuersis erat subsignatum Episcopis, cuius apographum ad Pontificem Romanum erat destinatum, statum Religionis in Belgio comprehendens.

Calendis Ianuarij offerebant Austriaco Abbas S. *Quæ ab*
Geleinij, designatus Episcopus Atrebatẽsis, Marchio Ha- *Ordini-*
uereus Vicecomes Gandauensis, Baro Lijkerkius, & A- *bus Au-*
dolphus Meetkerkius Ordinũ delegati in sui securitatẽ *striaco*
vrbẽ Louaniensem minimè aduersam vim munitam, *oblata.*
aut Mechliniensem paulo munitiorem, vt in ijs, quæ Luxenburgi tractari cœpta erant, transigerentur: ad custodiam verò sui corporis placuit Ordinibus, vt Austriacus legat eum Tribunum, eosque milites, quos velit, indigenas tamen, & iam Ordinibus militantes, qui ipsi ipsiusq; Cõcilio iurarẽt se fidelissimè pro corporis eius custodia excubituros, eosq; tãto numero, quantum voluerit. Obtulerũt etiã Austriaco tres aut quatuor obsides ex Ordinũ Primoribus, qui in potestate Episcopi

1577 Leodiensis, tanquam vicini Principis futuri essent, quamdiu negotium pacis ventilaretur.

Austriacus cōditiones oblatas accipit.

Ad hæc Austriacus eodem die scripto respondet; Sibi oblatas conditiones placere, propter amorem, quo Ordines complectebatur, & salutem Reipub. Belgicæ, quam maturè procuratam cuperet. Eligere itaq; se corporis sui custodem Dominum Hirgium cum legione trium millium armatorum, cui tunc imperabat, tam ad defensionem sui, quàm vrbis illius, quam è duabus propositis esset electurus Obsides se postulare Marchionem Hauereum Vicecomitem Gandauensem, Montigneum, & Abbatem S Gertrudis Louaniensis. Hos Ordines Huum Leodiensis Diœcesis oppidum mitterent, in cuius arce, quamdiu negotium pacis ventilaretur, seruarentur. His conditionibus se confestim Mechliniam, aut Louanium venturum, & de pace acturum pollicebatur. Ad hæc Ordines: Non se dedisse, aiunt, optionem obsidum, vt quos ipse vellet eligeret: quos enim nominârat, eorum opera & consilio carere non posse: alios se daturos, qui minoris essent auctoritatis. Præterea se varias ob caussas Dominum Hirgiū summū excubiarū suarū præfectū illi permittere nō posse. Cæterū si Austriaco consultum rebus Regijs videatur, posse ipsum venire Huum, locum neutri factioni addictū, ibiq; de pace transigere hac lege, vt vtrinq; par numerus hominum absq; armis cōpareat. Adhæc Ordines petunt, quòd si peregrina, præsertim Hispanica militia tā citò Belgio decedere non posset, saltem, vt animi sui ad pacem propensionē Belgis ostendat, præsidiū Hispanicū ex arce Antuerpiana, & oppido Lira euocet, eaq; loca potestati Ordinum tradat. Sine his conditionibus se ab armis decedere non posse, nec de pace quicquam constituere: sed omnem se diligentiam, vim, & industriam adhibituros, vt ista loca armis expugnata sibi subijciant. Vt autem animi eius constātiam & inuictum propositum citius expugnarent, maiores machinas minasque adhibuerunt. Exhibuêre namq; illi nouam fœderationem inter Prælatos Ecclesiasticos, Proceres Nobiles, Magistratus, &c. Bruxellis nono Ianuarij huius anni pactam: in qua defensionem suorum priuilegiorum, Hispanorum quocunque modo expulsionē, & Religionis Catholicæ Regiæq; obedientiæ conseruationē iurârant. Etsi Austriacus non ignoraret, quorū consilio hæc agerentur, quò tenderet hæc Ordinū in-

Ordines conditiones mutant.

constantia,& postulatorum (vt ipse interpretabatur) iniquitas, vt qui cum Rege dearmato ipsi armati transigere vellent: Legatorum tamen Cæsaris, in finē hunc in Belgium missorum; legatorum etiam Episcopi Leodiensis, & Ducis Cliuensis intercessionibus, monitis, & consilijs permotus, multa de suo iure, vt ipse in Apologia sua inquit, remittere maluit, quàm Catholicæ Romanæ Religioni quicquam decederet, aut Regi sua auctoritas diminueretur. Hinc affirmantibus, & passim dictantibus, eum esse Reipub. statum, vt si Belgarū animos pacatos, & periculorū securos vellet, Hispanos milites vnicū impedimentum dimittat, obtēperauit, & id esse necessarium suadentibus acquieuit. Marchiam itaque delegatos Ordinum ad se vocauit, vt pax, si quo modo fieri posset, componeretur. In quo cōuentu initio pro rei atrocitate & negotiorū difficultate multis rationibus & varijs argumentis diu multumq; disputatum est. Tandem verò eò res deducitur, vt Austriacus in pacem Gandensem, & conditiones ab Ordinibus propositas XII. Februarij descenderit. Noua itaq; pacis formula, vndeuiginti capitibus comprehensa, in hanc sententiam cōcepta est I. Vt omnes iniuriæ, cōtumeliæ, dāna, &c. præteritorum annorū obliterarētur, & æterna obliuione sepeliantur, nec earum causa quispiā in futurū conueniatur. II. Cùm Prælati Ecclesiastici, Theologi, & Iurisconsulti suis literis confiteantur & testentur, Pacificationem Gandaui VIII. Nouembris confirmatā nihil continere, quod sanctæ Religioni Catholicæ Romanæ cōtrariū est: sed multo magis eam pacem bono & commodo eiusdem Religionis factam: Ordinum quoque delegati affirment, eadē pace nihil obseruantiæ auctoritati & obedientiæ, quā prouinciæ Belgicæ Regi suo debent, decedere, præsertim cùm eadem etiam Legati Imperij & delegati Illustrissimi Ducis Cliuiæ testentur, Rex eandem Pacificationem, omniaq; eius capita approbat, rata facit, & confirmat, & Principum Regumq; fide pollicetur, se eam perpetuis temporibus inuiolatam conseruaturum. Ordinum quoq; generalē conuentum, cuius in tertio pacti Gandensis articulo fit mentio, probat, permittit, & ratā se habiturum promittit. III. Omnes milites Hispani, Itali, Germani, Burgundi, & alij peregrini, siue equites sint, siue pedites, Belgio volētes nolētes securi & liberi discedāt, nunquā ijdē reuertātur, aut alij in prouincias

Perpetuū edictum pacis inter Austriacum & Ordines initæ.

1577 Belgicas mittãtur, niſi Regi bellũ ſit cũ externo Principe, aut alia grauis neceſſitas tã Ordinibus quàm Regi id poſtulare videatur. IIII. Quoad tẽpus ſeu terminum exitus, Regẽ Hiſpanis, Italis, & Burgũdis cõſtituere vigeſimũ poſt pacis huius prõclamationẽ diẽ, vt Auſtriacus ſtatim à pacto hoc cõſtituto illis voluntatẽ Regis ſignificet: illi interea arce & vrbe Antuerpiana, alijsque omnibus arcibus oppidis & munitionibus Belgicis, quæ nunc occupant, atque adeò toto Belgio decedant. Ducatu verò Luxenburgenſi, alijs xx. diebus, aut citius, ſi fieri poſſit, exeant. Qua in re Auſtriacus omnẽ, quam poterit, ſuã diligentiam oſtendet. Ijs autem quadraginta diebus omnes prædicti milites modeſtè & pacificè viuent: nullis incendijs, rapinis, depopulationibus, alijsúe incommodis Prouincias Belgicas exagitabunt, lædent, aut opprimẽt. Simili modeſtia in vicinorum Principum prouincijs vtentur. V. Germani verò milites ſtatim dimittentur, vbi Ordines Belgici cum illis tranſegerint de omnibus, quæ in huius edicti XV. capite diſponuntur, cum illis rationes ſtipendiorum debitorum inierint cũ æqua portionis ſubtractione. VI. Vt oẽs prædicti milites, Hiſpani, Germani, Itali, & Burgũdi, ex arcibus & oppidis exceſſuri, in ijs relinquant omnem annonam & commeatum, omnia tormẽta bellica, & apparatũ militarẽ, quæcunq; in illis locis reperiẽtur. Quas arces, vrbes, & oppida cũ omni commeatu & apparatu Rex cũ cõſilio Ordinũ tradet in manus eorũ, q in Belgio nati ſunt iuxta patriæ priuilegia, idonei quoque a dictis Ordinibus hac vice probabuntur, & grati acceptiq; iiſdem cenſebuntur. VII. Quantũ ad inſolentiã, incendia, & alias violentas oppreſſiones, quibus milites Regij quicunque & cuiuſcunq; nationis illi ſunt, Belgiũ noſtrũ diuexârunt, ſecundũ ius & æquum in ijs agetur. Inquiſitio in auctores tam apud Duces & Præfectos militares, quã apud ipſos milites, qui illarum iniuriarũ conſcij ſunt, inſtituetur, ſiue iſtę iniuriæ in prouincijs Regijs, ſiue in vicinorũ Principũ factæ ſint. Auctores apprehendẽtur, iudicibus tradẽtur, & ſecundũ iura & cõſuetudines punietur, vel in Belgio, vel in Hiſpanijs, vel alio quocunq; loco, vt Regi magis expedire videbitur. VIII. Vt quicunq; præterito bello vtrinq; capti ſunt, abſq; vllo lytro dimittantur. Philippus aũt VVilhelmus Naſſouius Comes Buranus nõ prius in Belgiũ remittatur, quã dictus Ordinũ generaliũ cõuentus habi-

tus erit, & Princeps Auraicus cũ suis ipso facto se facere 1577 ostẽdat, quæcunq; in dicto cõuentu facient vt terminata. IX. Vt quæstio seu inquisitio in eos, qui tumultibus his suis dignitatibus & officijs moti sunt, an ijs restituendi sint, ad finẽ vsq; conuentus generaliũ Ordinũ differatur: quo tẽpore iudicio sistentur, & eorũ causæ à iudicibus ordinariis cognoscetur, & ex æquo & bono decidentur. X. Vt Rex regia fide promittat, se mandaturũ fratri suo dilecto Ioanni Austriaco iam Gubernatori seu Proregi, omnibus usq; in eius locum successuris, siue sub se, siue sub suis hæredibus, Belgium administraturis, vt priuilegia consuetudines, & ritus antiquos prouinciarum serta tecta conseruent. XI. Vt neque Rex, neque eius frater Austriacus, aut quicunque eum secuturus est Prorex, in administratione Belgij vllum admittat Senatorem aut Consiliarium, nisi indigena sit, & in Belgio nãtus. XII. Generales vicissim Ordines per conscientias fidem & honorem suum coram Deo & hominibus pollicentur, se vbique locorum sanctam Catholicam Apostolicam & Romanam fidem, Regi debitam auctoritatem & obedientiam inuiolatam conseruaturos, nec vllo modo permissuros, vt ijs quicquam contrarium committatur. XIII. Ad eũdem modum promittunt se renuntiaturos omnibus pactis & fœderibus ad suæ causæ defensionem cum externis Principibus initis: dimissuros etiam omnes peregrinos milites à se in Belgium vocatos, nec vnquam alios vocaturos, aut vt à quoquam vocentur, vnquam permissuros. XIV. Vt declarent ostendantque Ordines eximiam beneuolentiam & singularem in Regem suum affectum, offerunt promittuntque summam sexcentorum millium Carolinorum, cuius dimidia portio mox in manibus Legatorum Imperij & Delegatorum Ducis Cliuensis numerabitur, & deinceps ab iisdem Austriaco, aut alij, qui ad hoc munus obeundum nominabitur, tradetur in solutionem aliquam stipendiorum, quæ Hispanis, Italis, Burgundis, & alijs exteris (Germanis exceptis) debẽtur: vt celerius ex omnibus arcibus oppidis & munitionibus educantur. Altera dimidia portio per literas collybistarum Genuæ secundo mense, postquam dicti milites Belgio excesserint, iis, qui mandatum ab Austriaco habuerint, numeretur. XV. Recipiunt ijdem Ordines ad se, quòd Germanorum copijs omnibus, qui hactenus Regi militârunt,

1577 runt, satisfacient, & habitis subductisque cum illis rationibus, quod secundùm æquitatem ipsis debebitur persoluent. Quæ rationes vt ordinatè & ex æquo & bono fiant, Rex & Austriacus omnem suam operam pollicentur, intercedentque, vt ijdem Germani æqua & rationi consentanea solutione contenti sint. Idem facturi sunt Legati & Delegati supradicti, qui & ad Imperatorem scribent, ab eoque impetrabunt, vt auctoritatem suam in hoc negotio interponat. Interim dum hæc fiunt, pactum est, vt ijdem Germani in Belgio pacificè viuant ijs in locis, quæ Austriacus de consilio & consensu Senatus Ordinum assignabit ad suam Ordinumque securitatem & defensionem. XVI. Præter hæc omnia dicti Ordines tenebuntur & obligati erunt (quod & se facturos pollicentur) post Hispanorum, Italorum, & Burgundorum è Belgio abitum Ioannem Austriacum dilectum Regis fratrem recipere, his tamen legibus, vt Ordinibus exhibeat patentes suorum, quæ à Rege habet, mandatorum literas, solitum iuramentum cum omnibus ceremonij ritibus & consuetudinibus, quæ adhiberi consueuerunt, vt sit ipsorum in Belgio Prorex, Gubernator, & cum summo imperio præfectus. Qualem eum Ordines his præstitis agnoscent, eique omnem reuerentiam honorem & obedientiam Gubernatoribus summis debitam exhibebunt. Interim pacificatio Gandaui confecta in omnibus prædictis capitibus rebusque inde dependentibus obseruetur. XVII. Omnes Gubernatores Regij, qui vel à Rege, vel ab eius hæredibus in futurum mittentur, vt prouincias Belgicas administrent: Omnes etiam Præsides, Consiliarij, Præfecti, & Iudices, initio suæ administrationis, antequam dignitatem aut officium adierint, solenni iuramento seipsos obstringent, quòd Edictum hoc perpetuum, pacisque præsentes conditiones ipsi exactè obseruabunt, & vt ab alijs obseruentur, quantum in se est, effecturi sunt. XVIII. Rex eiusque Gubernator probabunt & ratas habebunt omnes emptiones, contractus, venditiones, obligationes ab Ordinibus factas approbatas, & in posterum faciendas & approbandas. Quicquid etiam actum est in similibus caufis cum ijs, qui Ordinibus opem tulerunt, pecuniam mutuò dederunt, opem ferent aut mutuò dabunt, in hac sua necessitate, potissimum ea, quæ

cum

cum Regina Angliæ transacta sunt. XIX. Vtrata firmaque sint omnia prædicta, eorum executio quamprimùm sequatur, & ipso facto pactis his satisfiat, & ipsa pax perpetua sit, Austriacus instrumentū nomine Regis subsignabit, & Regio sigillo muniet. Idipsum fecêre suo & cæterorum Ordinum nomine Brabantini ab alijs prouincijs rogati, & ad petitionem vtriusque partis Legati & Deputati prænominati tanquam arbitri & intercessores, &c. 1577

Tractatus pacis inter Austriacum & Ordines compositæ his penè verbis XII. Februarij conceptus, & XVII. mensis eiusdem Bruxellis cum omnium bonorum lætitia promulgatus est. Cæterùm Auraicus, Hollandi, Zelandique hoc pacis negotiū minimè probabant, vt qui sibi suæque factioni metuebant, ne fortè ad ea compellerentur inuiti, quæ suis rebus minus futura essent commoda. Dum igitur pax agitatur, Auraicus totus in hoc incumbit, vt Hollandiam totam, Diœcesin etiam Vltraiectensem suo imperio subijciat. Literas itaque mittit ad Ordines Hollandiæ, quibus petit, vt Amstelredamenses ad satisfactionem pertendam, & suas partes sectādum allicerent. Definitum enim erat 7 pacificationis articulo, vt Princeps Hollandiæ, Zelandiæ, & diœceseos Vltraiectensis gubernaculum reciperet, ea lege, vt ciuitatibus, quæ hactenus Regi, sub Catholica religione paruerāt, in ijs, quæ ab eo peterent, tam quo ad Religionē, quàm quo ad illarum priuilegia, satisfaceret. Amstelredamenses, qui incredibili fidelitate & Regem, & Religionem Catholicam propugnabant, cùm qualem optabant satisfactionem ab Auraico impetrare non possent, vrbē suam, nobilissimum emporium, & ad recuperandam Hollandiam Regi commodum, aduersùs omnes Auraicorum insidias, alacriter tuebantur.

Auraicus totā Hollandiam sibi subijcere tentat.

Amstelredamenses Regi & Religioni fideles.

Mensis Ianuarij 20. Pacis Gandauensis decreta per Frisiam, territoriumque Grœningense promulgantur: & Comes Renneburgius harum regionum administrationem suscepit.

Vltraiectensium ciues, ductore Comite Bossuio, beneficio pacis è vinculis libero, adhuc arcem obsidebant, magnam in vrbe cladem ab Hispanis accipientes: qui cùm Austriacum ad pacem & Hispanorum dimissionem propensum cernerent, longaq; obsidione, multis vigilijs, quotidianis pugnis penè enecti, vitam,

Vltraiectēses castrum deditiōe occupant.

1577 fortunasque suas pacti eodem mense Februario arcem ciuibus condonârunt. Et quanuis in Comitiis à Bossu verba ciues iurâssent, & se Regi castrum illud fideliter seruaturos & tutaturos esse sanctè promisissent, tamen aliquot eius moles & ædificia prius demoliti sunt, quàm in eorum manus traderetur. Postea verò furioso quodam & violento impetu, in summæ ædis Exedram (quod cathedralis Ecclesiæ Capitulum vocant) irruperunt, & ab Ordinibus Diœceseos cōgregatis extorserunt, vt quanuis nolentes & inuiti, tormenta bellica, & alia omnia ad arces muniendas necessaria, eis permitterent, ex castro in ciuitatem transferenda: quod cùm fecissent, non ita diu post, arcem ipsam, tantis sumptibus à Carolo V. ædificatam, funditùs euerterunt. Multi insignes & patriæ salutis studiosi viri, ciuium suorum petulantiæ non ignari, arcem non ciuium libidini, sed militum patriæ fidei committendam suadebant. ruinam arcis, sine qua ciues ægrè in officio contineri possent, iam quasi præuidentes. Sed cùm eorum consilium reijceretur, in spontaneum exilium abire maluerunt, quàm rebellium insolentiæ exponi. Inter quos primus fuit Reuerendus ac nobilis vir D. Ioannes Bruh. sius, templi Metropolitani Decanus & Ordinum patriæ primus, qui secuda Martij, cùm iam arx ciuiū potestati tradita esset, relictis omnibus fortunis, sedeque magnificētissima, Vltraiecto Amorfortiam commigrauit. Vbi cùm biennium ferè vixisset, nec ibi ab Vltraiectensium violentia tutus, Embricam profectus, tandem Coloniam venit, multa pro Religione, multa pro Principe suo passus. Eodē quoq; tempore Grœningēses Ordinibus fidelitatis iuramentum præstiterunt: in cuius rei gratiam ipsi vicissim Grœningensibus concedunt, vt arcem regiam, anno 1570. ædificari cœptā, demolirentur. Paulò post Edictum perpetuum Austriaci proclamatur, Byllius q; & alij captiui dimissi sunt.

Vltraiectenses Vredenburch diruunt.

D. Iohannis Bruhesij Decani exilium.

Grœningense castrum diruitur.

Pace inter Ordines & Austriacum præter multorū expectationem confirmata, Auraicus & Hollandi acceptis de ea per VVillerfallium & Paulum Busium in præsentia Legatorum Cæsaris literis, quibus Ordines petebant, vt Auraicus Hollandi & Zelandi eiusdem pacis leges & capita approbarent, illi lectis iisdem, xix. Februarij prolixam protestationem contra pacis huius singulos pene articulos remiserunt: nihil enim prope-

Auraicus cum suis pacem initam improbat.

propemodum in hoc edicto erat, quod non carpebant: 1577
sed quia rationes & argumenta eorum omnia meris suspicionibus & diffidentiæ nitebantur, in ijs recensendis prolixiores esse noluimus. Laudāt interim Ordinum diligentiam & zelum, quem in dimissione peregrini militis exhibuerant. Promittunt igitur se Pacem Gandaui factam in omnibus obseruaturos, & ne ipsi in causa esse videantur, quo tardius peregrinorū dimissio, pacis executio, & priuilegiorum restitutio procedat, pollicentur se Edicto huic perpetuo subscripturos his conditionibus: I. Si Hispani, Itali, Burgūdi &c. præscripto & definito ab Austriaco tēpore Belgio decedant. Huius rei scriptam cautionem ab Ordinibus petunt, vt si non eo spatio discesserint, Ordines promittant secum Austriaco nulla in posterum de re acturos, sed omnem pacis licitationem statim abrupturos, peregrinam militiam armis persecuturos, & Belgio exterminaturos. II. vt similem cautionē mittant, qua polliceantur, se post peregrinorum missionē neque Austriacum, neque alium quempiam in Gubernatorem recepturos, priusquam ipse in integrum restituerit omnia collapsa, & quoquo modo cum priuilegijs prouinciarum atque pacificatione Gandauensi pugnantia. Calendis Martij Ordines Generales Auraico Hollandis & Zelandis scripto quodam satisfecerunt, promittentes se pacem inter se & Auraicum cum suis Gandaui ictam constanter obseruaturos, instituros Austriaco, vt omnia priuilegia, iura, immunitates, & consuetudines patriæ restituantur: Hispanos, Italos & Burgundos si stato tempore non dimittantur, se armis eos eiecturos, nec cum Austriaco de longiore procrastinatione acturos esse.

Quibus conditionibus pacem Holādi &c. non abnuant.

Austriacus prospiciens quò Auraici & sociorum consilia & studia tenderent, ne quam illis querelarum causam præberet, sed vt firmior pax & certior stabiliretur, nullæque diffidentiæ aut sinistræ suspicioni fenestra aperiretur, ea quæ cum Ordinibus pactus erat, rata haberi & confirmari à Rege statim impetrauit, omnia priuilegia & immunitates à maioribus concessas in pristinum statum & vigoris locum reponens, & ea omnia prouincijs præstanda offerēs, quæ ad instaurandam felicitatem, quæque ad emolumentū & Reip. commodum facere ipsis viderentur. Omnia insuper, quæ contra Regiam Maiestatem peccata essent, in obliui-

1577 liuionem misit. His rebus suam apud omnes mentem recti consciam testatus, quanta potuit cura & studio contendit, vt omnia, si quæ restarent, dissidia componerentur. Tandem omni diffidentiæ scrupulo seposito, non alijs quàm Ducis Arschotani militibus ad corporis sui custodiam ab Ordinibus adhibitis vsus est, ijsque stipatus Marchia Namurcum, & deinde Namurco Louanium profectus, cum admirabili magnanimitatis fiducia vltro & sponte sua in Ordinum potestatē venit, quòd innocentia sua fretus, de animi sui candore neminem vellet dubitare aut diffidere.

Austriacus Louanium venit, eiusq; laus.

Louanij aliquot dies se continuit, & præter omnē ordinis gradus & muneris sui dignitatem tanquā priuatus vixit, ibidemque omni virtutum & officiorum genere cum cæteris Proceribus certauit, & cunctos, qui ad se confluerent, benignè exceptos, vno ordine habuit, de ijs etiam optimè meritus, qui paulò ante tam grauiter Regem offenderant: alios ad dignitatem Concilij Status Statuum, alios ad honores Concilij priuati, alios ad gubernacula prouinciarum euehendo. Nonnullis etiam, inter quos Hesius, ad honestam aut necessariam vitæ sustentationem donis magnificis & annuis stipendijs ornauit, aut subleuauit: semper & vbique pro virili hoc conatus, vt præclarissimorum exemplo Principum (prout Rex iusserat) bene de populo promereretur, & benefaciendo apud omnes iniret gratiam: conuiuia quoque publica, quæ à sodalitijs contubernalibus (Gildas vocant) instituebantur, adiret: psittacum ligneum sublimi arbori affixum deijceret: nouos ludos festiuitatesq; tali cum familiaritate comitateque exhibuit, vt omnes in sui desiderium & amorem raperet. Liberalis erat in pauperes supra modum, atque erga eos non minus quàm erga diuites affabilitate benignitate & clementia vtebatur: hoc studiosè agens, vt suæ potius auctoritati aliquid derogari pateretur, quàm cuiquam crudelis aut barbari ingenij daret suspicionem. In grauioribus consilijs & actionibus expediendis tanta vtebatur celeritate, dexteritate, & prudentia, vt tantas animi dotes in eo omnes admirarentur. Quibus rebus omnium Brabantinorū vicinorumque populorum oculos ita in se conuertit, vt Machabæum quendam cælitus ad pacem stabiliendā & Ecclesiam restaurandam missum arbitrabātur. Erat hoc tempore Austriacus annorum circiter triginta, iuuenis

uenis formosus, raræ in ea ætate prudentiæ, acuti ingenij, rei militaris expertus, varijs expeditionibus & victorijs clarus, affabilis amicis, hostibus formidabilis, quem Carolus V. Imperator ex nobili virgine Oenopontina excitauerat. 1577

Auraicus & fœderati tantum populi fauorem Austriaco inuidentes, & rebus suis metuentes, omnem illius comitatem simulatam esse, omnia illum è composito agere suis persuadebant: vt odium suum in Belgas his studijs ad tempus tegeret, animos subditorum paulatim occuparet, imperiumque suum stabiliret, vt postea tutius in Belgas grassaretur. Hunc in finē eum cum externis Principibus occulta inire fœdera, clam nouos exercitus conscribere, nunquam eum Hispanos aliosque peregrinos milites deducturum.

Auraicus & fœderati in Austriacum odiū concitant.

Non ignorabat hæc Austriacus: vt itaque sinistram suspicionem tolleret, cùm iam 20. Martij, pactus scilicet dies adesset, Philippo Croy cum suis Gallis Belgicis arcem Antuerpianam tradit, Hispanis euocatis. Cui traditioni Sancius Dauila interesse noluit, præuidens quid inde futurum esset: sed negotium Martino del Hoyo, vicario suo commisit, qui Arschottano cum clauibus obuiam procedēs, in arcis ponte, cum secretario Oscouedo iuramentum fidelitatis, pro more, postulauit. Arschottanus autem per Deum, Virginem Mariam, super quatuor S. Euangelia iurauit, se arcem fideliter ad vsum Regis Hispan. defensurum, nec cuiquam præter ipsius Regis personam, aut eius successorem, idque cum eius expresso mandato, patefacturum. Ad quod Oscouedum respondisse nonnulli scribunt: Si sic feceris, Deus te adiuuet: sin aliter, auferat te Diabolus, non corpus tantùm, sed & animam: acclamatum ab adstantibus, Amen. Deinde apertæ portæ, & pontes dimissi sunt. Arschottano claues traduntur, Galli intromittuntur, Hispani egrediuntur. Dici non potest, quanta tunc Antuerpiæ, vicinisque in locis fuerit communis populi lætitia, quanta vbique festiuitas. Sed qui prudentiores erant, quibusque Auraici & quorundam Ordinum consilia perspecta, non magnoperè gestiebant, interrogatique:

Austriacus externos milites, è castris oppidisq; euocatos, Belgio excedere iubet.

Bœtica gēs abijt, cur ploras Belgica? respondebāt, *dicam:*
A quòd in O non sit littera versa, queror.

Putabant enim, etsi abijsset, tamen non obijsse: fieriq; posse, vt si cōsilia, quæ coquebantur, ad effectum prodirent,

1577 dicent, gens hæc reuerteretur.

Quia verò peregrino militi nondum in solidum erat satisfactum, discedens è castro Antuerpiano captiuos primarios Comitem Egmundanum, Capreum, & Goignium secum abduxerunt, Liramque profecti primò, deinde Traiectum ad Mosam sese receperūt. Fronspergerus verò & Fuggerus Chiliarchæ Germanorum in vrbe Antuerpiana ob pecuniæ defectū relicti sunt. Septimo tandem Iduum Aprilis veredarij ex Hispanijs reuersi perpetuum Edictum ab ipso Rege subsignatum & confirmatum attulerunt. Vt autem Austriacus Hispanorum profectionem accelararet, cùm Ordines omnia quæ potuere in commune contulissent, nec ob ærarij inopiam sexcenta florenorum millia quæ promiserant, corradere nō possent, ipse de suo peculio magna pecuniæ summa mutuò data illis subuenit, quæ summa illi postea non est reddita. Hoc modo factum, vt peregrini milites, accepto iam omni promisso stipendio, redditis vtrinq; captiuis, relicto Belgio sub ductu Comitis Mansfeltij primò in Ducatū Luxemburgensem profecti, inde in Italiā discesserint: idque præter omnem expectationem fœderatorū, & contra opinionem quorundam aliorū ex Ordinibus, qui sibi persuadebant (vt postea ipsi prodiderunt) non futurū esse, vt Austriacus pactis conuentis staret, peregrinosque à se dimitteret. Ciuitates mox & arces in manum & potestatem eorū, qui ex ipsis prouincijs erant oriūdi, traduntur. Quæ omnia cum à confœderatis expectantur, ipsi non tantùm peregrinos non dimiserunt, sed & pagos, ciuitates, ac propugnacula, quæ occupabant, magna cum festinatione communiuerunt. Inter alias arces & ciuitates tam suæ factionis, quàm nuper ab Ordinibus Auraico, tanquam Hollandiæ Zelandiæque Gubernatori, traditas, Thuys ter Hart, Crimpen, Seuenbergam, Denduynder, Nouum castrum vallo circumducto munierunt. Per eosdem dies Dordraci præconio publico quoddam edictū promulgatur, quo mādatum est omnibus & singulis earum regionum quæstoribus, vt quàm primùm fidem faciant & doceant de omni censu reditu & prouentu atque etiam de bono iure Ecclesiarum piorumque locorum & personarum Ecclesiasticarum Romanā fidem & Catholicam Religionē profitentiū, quarum bonis Caluinianæ Religionis Ministri & ludimagistri alerentur & sustentarentur. Quo edicto

Rex edictum pacis inter Austriacū & Ordines initæ cōfirmat.

Fœderati Hollandi &c. externos milites non dimittētes, arces & oppida muniunt.

edicto promulgato factum est, vt quæ antea semper ad illud vsque tempus integra permanserant, tam in Hollandia quàm in Zelandia multarum Ecclesiarum Monasteriorum piorumque locorũ aliorum fundamenta concussa, diruta, & funditùs euersa sint: materia eorũ in alios, eosque profanos vsus conuersa. Id Beueruvijcæ, Sardami, Gaudæ, & Dordraci campi & areæ testantur, vbi quondam magnifica stetêre Monasteria. Imò & celeberrimum Monasterium in monte S. Gertrudis ab imis fundamentis subuersum est, vbi etiam ex multa & variâ pulcherrimæ & pretiosissimæ Ecclesiæ materia Auraicus insigne sibi ædificium exstruendum curauit. Decimæ quoque dictorum religiosorum hominum & prædia cum agris & fundis, nunquam antea nisi pro vsufructu alienata, post pacem factam vendita sunt, & à veris possessoribus ad quosuis licitatores translata. Neque id tantùm viris Ecclesiasticis, sed & hominibus laicis, qui Regis partes secuti, in eum vsque diem ab Hollandia exulârant, accidit. Cùm enim reuersi in liberam & integram bonorum & facultatum suarum ex decreto pacis possessionem mitti cuperent, nouis iuramenti formulis propositis varijs illusionibus & vitilitigatorum iniurijs aut omnino frustrati, aut minima particula reddita exclusi sunt.

1577

Monasteria ac tēpla in Hollandia & Zelandia diruta.

Confœderatorum Hollādorum & c. in Catholicos iniuriæ.

Interea Ioannes Austriacus octoginta tantùm sclopetarijs ab Ordinibus ad corporis sui custodiam & presidium adhibitis, in magna Optimatum & nobilium frequentia, inter Legatum Apostolicũ, & Episcopum Leodiensem primo Maii Bruxellam ingressus, ab oppidanis incredibili pompa exceptus est, vbi quarta eiusdem mensis die delato à Statibus sacramento cōceptis verbis præstandam & seruandam patriæ fidem iurans, ad supremum Belgicarum prouinciarum gubernaculum, quæ dignitas ei non fuit diuturna, admissus est. Quo facto, ea omnia confirmauit, quæ ijdē Status suo sibi iure deberi affirmârunt.

Austriacus Bruxellas venit, & Belgij fit Gubernator.

Stephanus Battor, Poloniæ iam, cæterarumque Prouinciarum suarum trāquillum nactus imperium, vnicum Gedanum sibi non potuit subiugare. Est autem Gedanum Prussiæ ad Vistulam fluuium, Germaniæ limitem orientalem, ciuitas celeberrima, & Septentrionis emporium nobilissimum, à Getis & Danis ædificatum, ab ijsque coniunctim nomen habens: nūc Dantiscum appellant. Huius vrbis incolæ, cùm superiori

Bellū Gedanense.

1577 riori anno in Imperij partes, quàm alterius magis propenderent, in electionem Battoris consentire noluerunt. Cùm autem Senatores mense Septembri à Rege interpellarentur, vt ad coronæ Poloniæ redirent obedientiam, id facere noluerunt, nisi multis ijsque iniquis conditionibus præscriptis. Multa falsa per Germaniam de optimo Rege spargebant, militem colligebant, portas interdiu clausas detinebant, magnamque petulantiam, ciuium multitudini, vrbisque firmitati confisi, exercebant. Iritatus Rex, hostes eos declarat: Grebinensem arcem, territorij Gedanēsis caput, in quā præsidium deduxerant, occupat: præsidium cædit, fugatque, & multos pagos Zulævvallorum deuastat. Gedanenses accepta hac clade erumpunt, suburbia, pagos & monasteria, inter alia Oliuense Principum Pomeraniæ sepulcris clarum, quæ omnia iuris erant Episcopi Vladislauiensis, Poloniæ Senatoris exurunt. Quo facto, legationē ad Regē mittunt, cum eo pacisci volentes. Disceptatū est mense Octobri, Nouembri, Decēbri: actum nihil. Vltimi legati 25. Ianuarij huius anni, cū mandatis, à Regia dignitate alienis, venēre. Rex vidēs se ab eis illudi, Bidgostiæ legatis vltimam suam voluntatem scripto porrigit, & sex dierum deliberationem ciuitati largitur. Reuersi ad suos legati, Regis mandata legunt. Duodecimo post die ad Regem Rosenbergius veniens, planè à regijs mandatis, quæ tamen omnia pro æquitate, vrbisque priuilegijs militabant, aliena reportauit: quibus auditis, Rex colloquium abrumpit, indignatusque ob speciales causas vtrūque consulem in carcerem conijcit: Lemkam Iuriscōsultum remittit: Gedanenses perduellionis damnat: illis omnem securitatem, terra marique adimit: aqua & igni interdicit: Belli curam Zborouio ordinis senatorij viro demandat.

Gedanenses ad bellum se parant.

Gedanenses, quia Battor in Grebino & Zuaua parua præsidia reliquerat, rati se eos, priusquam nouæ copiæ ijs iungerentur, obruere posse, 7. Aprilis, ipso Paschatis festo, cum ductore suo Iohanne Coloniensi, quem magnis stipendijs euocârant, omnibus ad bellum necessarijs instructi magna manu vrbe exeunt, Grebinum recuperaturi, Dersauiam, Gnieuum, Nouū, Staragardum, oppida regia, euersuri. Vix omnes portis exierant, & ecce tāta (Deo prophanati festi, & Regis contemptûs vindice) exorta est tempestas, tanta ingru-

ebant

ebant tonitrua, tãtus decidit cum vento imber, vt pro- 1577
pugnaculi vnius pars auulſa, equus ductoris fulminis
ictu corruerit. Ductor ipſe ſemiuiuus in vrbē reductus: *Nota Dei*
duo equi alij in fluuium præcipitati. Reducto igitur in *vindictā.*
vrbem exercitu, ſecunda, tertia, & ſequētibus ferijs idē
tentârūt: ſed ab imbribus (Deo ſic diſponente, quod il-
li veneficijs adſcribebant) ſunt impediti. Inſtructis tã-
dem duobus nauigijs, impoſitisq; militibus, 16. April.
ventis ſecundis, flumine Viſtula aduerſo, Derſauiam
oppugnatum veniunt: ab altera parte terreſtris exerci-
tus ſubſequebatur. Zborouius horum certior factus, ſu-
is auxilium ferre maturauit, & 16. Aprilis ad Rokitki
caſtrametatus eſt: miſit 60. Tartaros, qui nauibus im-
minerent, ipſe cum ſuis totā noctē in equis tranſegit.
Manè oriente ſole 17. April. Colonienſis caſtra mouit:
cumq; hoſtes multis millibus ſe inferiores ſuas copi-
as expectare auſos cernit, conſternatus eſt. Inita pugna
leuis fit velitatio. Koſaci Poloni equitibus Germanis
inferiores, initio laborabant: ſed Zborouius eis 20. Vn-
garos & 50. alios equites ſubmiſit, magnaque animi
alacritate aliquãdiu pugnatū eſt. Poſtea canitur vtrin-
que receptui. Colonienſis ad obſidendum Derſauiam
ſe parat. Sepimentū ex lignis facit, in illud ſuos collo-
cat, partem exercitûs, vt Zborouianos à tergo aggrede-
rentur, mittit. ferra diu pugnatum eſt. tandem Zboro-
uius adductus in ſpem victoriæ, inſigni oratione ſuos
alloquitur, vt alij alijs offenſas condonēt, Deo animas
commendent, opem eius implorent, gloriā morti an-
teponant, hoſtē nō numerent, ſed inuadant, hortatur:
finita oratione, omnē equitum, peditumque globū in
hoſtē immittit. Haidones (Hūgaros eſſe puto) primā
impreſſionem faciunt, in eam partem, vbi tormenta *Pugna.*
erant: ſclopis, ſariſſis, & venabulis obuios quoſq; ſter-
nunt: Centuria Struſſij à tergo hoſtē adoritur, magno
ſublato clamore timorem incutit: Haidones eorum
Dux moribundus monet, vt ſi vincere vellent, ſclope-
tarij ſclopos ſuos abijcerēt, acinacibusque cominus pu-
gnarent. Parent illi monitori, & Germanorum popli-
tes paſſim ſuccidūt. Cæteri haſtis & gladijs nūc pecto- *Gedanen-*
ra tranſuerberant, nūc capita petunt. Vna hora incerto *ſes cædū-*
euentu pugnatum eſt. Vrgentibus Polonis ferro, equis, *tur.*
clamore, primores Germanorū cadunt: tormentis Ge-
danenſes ſpoliantur, & in fugam verſi, aut occiduntur,
aut in proximo lacu ſuffocantur. Quidam in Caſſubi-

1577 cis & Pomeranicis abdunt se syluis, indeque extracti, interficiuntur: quibus vt parceretur, oranti Zborouio Haidones respondent: Si nos hosti parceremus, ille victor, eodem modo quo nos, nunc in te sæuijsset. atque illud dicentes, hos detruncabant, illos mutilabant. Occubuêre in acie 4427. viri, præter eos qui in via & syluis cæsi, & in lacu sunt demersi, ita vt è 14000. Gedanensium pauci subterfugerint. Carnifex oppidanis, lætam victoriam extra vrbem expectantibus, acceptæ cladis nuntius primus in vrbem venit. è Polonis, qui 3027. erant, 58. tãtùm pedites, equites 38. cæsi, & 65. læsi sunt: ita vt Rex admiratus, cùm ad pugnæ locum venisset, exclamauerit: *Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.*

Comitia Polonorũ VVarsaviæ. Dum hæc ad Dantiscũ seu Gedanum geruntur, Stephanus Rex in mensem Ianuariũ VVarsauiam Comitia edixerat, in quibus de bello Moscis inferendo ageretur: quorũ Magnus Dux Reualiam Liuoniæ vrbẽ denuò obsidebat, & horribilibus tormentorũ fulminibus, globisque ignitis (frustra tamen) oppugnabat: & captis multis oppidis & arcibus, totã Liuoniã suo imperio subijcere conabatur. Redijt interim in Poloni potestatem Duneburgũ à Borissio Sauo & VVilhelmo Platero astu quodã receptum: nec multo post Venda militari stratagemate recuperata est: Tumultus quoq; Valachicus, Petro Palatino restituto, & Ioanne Podkoua, viro humili quidem loco nato, sed tantis viribus præstanti, vt soleis equorũ ferreis manu disrumpẽdis nomen inuenerit, qui & Valachiam prius turbârat, capto, & ad Regem misso.

Bellum Gallicũ. Dimisso (vt diximus) in Gallia conuentu Blesensi, partes vtriusque religionis arma resumpserunt. Hugonotæ opera Sangelasij Ciureũ in Pictonibus oppidulũ occupant, fratrique Senescschallo custodiendum tradũt, qui illud paulo post Catholicis restituit. Vigna quoq; nobilis quidam Brito, Concarnellũ maritimũ oppidũ astu capit, opemque à Condæo vt defendere posset, implorat: sed antequam subsidium mitteretur, à regijs est recuperatum. Burdegalenses, accepto in vrbẽ præsidio, eam aduersus Hugonottarũ vires muniunt, quod quia inscio Nauarræo vrbis Præfecto fecissent, Nauarræus indignè tulit, illisque literas aculeatas scribit, subiungens, se in vrbem recipi postulare, illi negotium excusant, Propræfecto sciẽte id actũ esse, & Ammirante iubente,

bente, cuius est ius, absente Nauarræo, res Aquitaniæ procurandi. Addunt se nondum paratos ad eum pro dignitate recipiendum. 1577

Mirēbellio è Comitijs reuerso, maximè à Condęo & suis agūtur gratię, quòd Hugonottarū res defēdisset. Condæus illi Broagiū restituit. Sed cùm postea rumor increbresceret, eum cum Lāsacco agere de Broagio Regi vendendo, Condæus astu oppidū in suam potestatē, excluso Mirembellio, redegit. Doluit Mirēbellio, tantam iniuriam pro tot beneficijs, sibi rependi. Condæus versùs Ligerim castra mouet, ibiq; varias vrbes, oppida & castra tentat: sed vbiq; cū ignominia repellitur. Interim Mirēbellius Pontibus cohortē vnā euocat, opemq; Lansacci & Vilacci regiorū implorat: qui statim collectis copijs, vnà cum Mirembellio Broacū contendūt, illud ex inopinato aggressuri. erat enim præcipua Mirembellij possessio. Sed dum cohors Pontibus euocata pugnam detrectaret, eò quòd contra Condæum se militaturam intelligeret, res euentu caruit. Condæus, audito hoc Mirēbellij conatu, tam celeriter aduolat, vt Mirembellius cum suis vix in arcem suā eiusdē nominis se recipere potuerit. Condæus mox Rupella tormēta aduehi iubet, vt arcē euerteret: ira enim in Mirēbellium æstuabat, nec ab ipsis Ministris potuit leniri. Antequam tormenta vento aduerso adueherentur, obsessi erumpentes, insignē stragem in castris Cōdæanis ediderunt. Interea Cœnomanius regij exercitûs antesignanus, Mirembellio opem allaturus, Xāctium venit: quod cùm intellexisset Condæus, obsidionem soluit, exercitusque sui partem Carentā, partem Marennas, & in proximas insulas, fatali quodam consilio, dimittit: equitatum in præfecturam Rupellensem ducit. Regij Sanfanianū intercepêre, & Thonā summo impetu adorti reijciūtur. Nauarręus vicissim Reolam occupat, & ad Marmandā, Fanumq; Macarij infeliciter pugnat. *Condæi et Mirēbellij cōtentio.*

Magni tūc tēporis apparatus Lutetię fiebant, ad Carentam expugnandā: cui expeditioni Alenconius præficitur. Omnis Hugonottarū spes in præsidio erat. Sed cùm vrbs oppugnaretur, & præsidij præfectus auxiliū à Condæo (qui se id mittere non posse respondit) frustra petijsset, regijs vrbē condonauit. Interea Mompenserius assiduis de pace persuasionib. Regis animū tandē expugnauit. Datæ sunt vtrinq; à Principib. 15. dierū induciæ: sed nō ita strictè obseruatæ. Sub finē induciarū, re- *Carētā in Regis Galli potestatē redit.* *Mella & Merpinū capitur.*

1577 gij Mellã in Pictionibus, & Merpinũ deditione capiũt.

Condæi interim exercitus non minus in amicos & socios, quàm in infensissimos hostes desæuiebat: quotidianæ querelæ ad Condæũ adferebantur, sed ille aut conniuebat, aut remedium adhibere non potuit. Tandem cùm in Præfectura Rupellensi, vicinisque locis omnia excedisset miles, in Pictorum inferiorem regionem ire cogitur. Cumque Ollonensiũ portus in conspectu esset, diues & opulentus, in quo tunc temporis multæ stabant naues, frumẽto, alijsque mercibus onustæ; Moyanæ & Lorgianæ copiæ, nequicquam reclamantibus Rupellanis, (qui vicinis & amicis bellũ inferendum iniquissimum esse dicebant) Condæo cõniuente, portum expugnantes, diripuerunt.

Ollonem portũ capiunt Condæani.

Cœnomanius verò, promotis castris, Thonã oppidum, & arcẽ vi expugnauit: Lucassio Tribuno capto, & fugam moliente occiso. Quod cùm audiissent qui Rupeforti erant, relicta arce fugiunt, quam statim regij occupârunt. Condæani felicem Cœnomanij progressum considerantes, dilabebantur, & certatim ad regios deficiebant. Cœnomanius optimo victoriæ cursu vsus, quinque dierũ spatio omnes vrbes & arces, quæ ad Carentam fluuiũ sunt, Regis imperio subiecit. Condæus insulanis metuens, eos ad commeatũ, classemque parãdam, hortatur. Rupellenses opem ipsis offerunt. quod dum fit, Cœnomanius numerosissimũ exercitũ (Strozza enim in eius castra paulo ante venerat) Maransium, quod Popilinierεus defendebat, ex inopinato ducit. Rupellenses suis subsidiũ mittũt: sed Cœnomanius, extructo ponte, paludem traiecit. quod cùm præsidiarij viderent, tanto terrore correpti sunt, vt nullis monitis, nullis precibus, nullis minis Popilinierei in officio retineri potuerint; sed intempesta nocte, effusa fuga, relicto hosti Maransio, Rupellam peruenerint. Cõdæus & Rupellenses inexpectato casu consternati, portas fugientibus occludunt. solo Popilinιereo intromisso, qui se turpiter relictum à suis conquerebatur. Cœnomanius postquam intellexit fugitiuis ad vrbem aditũ non patere, sequenti nocte partem exercitûs in eos ducit, multisque trucidatis, in conspectu vrbis stetit, oppidanos ad pugnã prouocans: qui erumpentes, dum in apertum campum prodire non auderent, leui damno accepto, datoque, in vrbem reuersi sunt. Magno etenim numero exire non audebant, ob dissidiũ, quod in vrbe

Cœnomanij felices victoriæ.

inter

inter nobilitatẽ & populares erat, nec alter alteri confi- deret. Cœnomanius antequam discederet, tibicinẽ ad Condæũ misit, petens, vt in campum prodiret, & cum ipso lanceam, procurrentibus equis, aduerso pectore frangeret: sed Condæus singulare hoc certamen recu- sauit. Cœnomanius itaq; collectis copijs, firmatoque Maransio sufficienti præsidio exercitum in Pictones reducit. Rupella terra iam vndique obsessa.

1577

Cœnomanius Condæum ad duellum prouocat.

In Persia noui apparatus, ad bellum Turcis inferen- dum, fiebant. Reges enim Persarum, se iura belli cõtra ingluuiem Ottomãnicam habere dicũt, ob ereptam si- bi a Turcis Babyloniam, Chilortũ, Argas, Adilgeum, Bergerium, Cassanũ, Chiefam, Esrunũ & Vanum, ma- gnæ dignitatis vrbes. Persæ fœdus iam olim contraxê- re cum Christiano Principe Leuenthbegio, Georgia- norũ, qui Colchidem, Albaniam & Iberiam incolũt, Duce, qui ad decem millia egregiorũ equitum, nume- rosumque peditatũ semper ad nutum in armis habet. His accedebant nonnulli Turcarum Principes, in Ar- meniæ minoris montibus habitantes, & cum Mura- the diffidentes, cum octo equitũ millibus. Scythę cùm conditiones fœderis à se Murathi propositas obtine- re non possent, ad Persam quoque defecerũt. Cudaben- chęs itaq; filius Tachmę, filij Ismaëlis primi, cuius pa- ter Seida Caidar, auos ab Ali, genero Mahometis pseu- doprophetæ, 990. annorũ serie numerabat, Rex Persa- rum, interfectis fratribus, Sultanos suos conuocat, qui repentè centum peditum millia ad bellum educebant, Murathes sciens non contemnendas esse Persarum vi- res, naualem expeditionem in Christianos intermit- tit, & omnes vires ad fines suos contra Persam tutan- dos mittit. sed Scythis & multis Emericæ Turcis defi- cientibus, & in Persarum castra fugiẽtibus, Cudaben- ches Turcarum prouincias inuadit, & obuia quæque in suam redigit potestatem.

Persici apparatus.

Georgiani Persis cõfœderati.

Persæ Turcicos fines diripiunt.

Quia verò hîc mentio facta est Georgianorũ, placu- it obiter qui illi Georgiani sunt hîc cõmemorare. Sunt enim ijdem, quos Iberos vocãt, ad mare Caspiũ amplis- simas munitissimasque ciuitates habitãtes. Gens bar- bara est & bellicosa, quæ Aenea Syluio auctore, Arme- nico & Medico cultu vtitur, Scytharumque more vi- uit, quorũ cognati sunt & contermini. Sub Constanti- no tamen Imp. & Syluestro Põtifice Christi fidẽ susce- pit. Qui licèt hodie Christũ colãt, procul tamẽ ab Apo-

Georgiani qui, eorumque religio, et mores.

1577 stolica Sede veritatis magistra recesserunt:partim enim Græcorũ errores,partim Armeniorũ sequũtur. Eorum clerici nostrorũ more rotundas circunferunt coronas, laici verò quadratas. In officijs Ecclesiasticis & scriptis quidam eorum lingua Græca,alij Chaldaica vtuntur. Principibus diuersis paret, & animis ad Pers. s propendent,quibus hoc bello plurimum profuerunt. Georgiani verò vocantur à Diuo Georgio,quẽ velut præcipuũ patronũ,& in suis contra paganos prælijs velut signiferũ & propugnatorem ingenti honore venerantur.Quocũque enim tendũt turmatim incedunt,vexillum D.Georgij imagine insignitũ circumferentes,cuius ope & auxilio se in bello maximè iuuari credunt. Cur verò tanto in honore D.illũ Georgiũ habeant,causam nonnulli adferũt, quòd ille primus ad fidem Christi Armenos Iberosque conuertisset : licet alij, vt Ruffinus,Sozomenus,& Nicephorus illud captiuæ cuiusdã puellæ virtutibus & miraculis tribuant. Cum his igitur populis Persarũ Rex fœdus inijt, vti & cum ijs populis,quorũ Imperator longè omniũ toto terrarũ orbe potentissimus Vlu Chan Chitainus & Kezies Bassa cognominari solet,pactũ certis conditionibus confirmauit.

S.Georgius Georgianorum patronus.

Ruffin.in histo. Ecclesiastic. Sozom.li. 2.cap.6. & seq. Niceph. lib.8.cap. 34.

Ioannes Austriacus ad supremum prouinciarum Belgicarum gubernaculum , vt dicebamus, admissus, seriò & diligenter studuit, si eius Apologiæ credẽdum sit,vt suo officio & munere strenuè fungeretur: eorum semper consiliũ, qui ex CõcilioStatus, cuiq; in Senatu priuato Præsides, & ærario publico quæstores præessent. quin etiã,cùm res postularet, consiliarios & prouinciarum præfectos exiguo temporis momento sæpius ad se accersitos,Ordinesq;, qui Bruxellis erãt,præsentes consulebat,eò semper respiciens, omnesque suos conatus dirigens, vt iustitia per omnes prouincias in pristinum æquitatis gradum restitueretur. Omnes passim obuios benigno & sereno vultu excipiebat, ad audientiam quibusuis horis admittebat:vt gratiam & fauorem sibi apud omnes conciliaret, multa patientissimè conniuebat,multa,quæ facta dictaue essent liberius dissimulabat. Cùm inferioris ordinis nobilibus,cũ ciuium tribubus eadem cum facilitate & affabilitate hic qua cum Louanij vixit,ad eorũ choros cõuiuiaque accedens, & si quid vetustate vel maiorum negligẽtia intercidisset,ea sedulò refici ac restaurari curauit, non alio

Austriaci ad pacem initã seruandã, Belgarũque animos recõciliandos studia.

alio animo, quàm vt fiducia & integritas vtrinque promitteretur, & mutua amicitia aleretur & cresceret. At qui rebus nouis studebant, qui Regis imperium & Religionis Catholicæ obseruantiam oderant, hæc omnia non sincero animo, sed ficto & ad dolum composito fieri dicebant. Vt autem eum populo magis suspectũ & exosum redderent, criminabantur eum, quòd Octauium Gonzagam Italum, Oscoudum, qui illi à secretis erat, Hispanum, Baptistamque Taxium Germanum à se non ablegaret, sed in sua familia retineret, inter Belgas eorum consilio & opera vteretur, qui vt Regi erant fideliores, ita ei erant & chariores, inter quos præ cæteris oderant Comitem Mansfeltium, Barlaymontiumque, & eius tres filios Hirgiũ, Floioniũ, & Altipenniũ, quibus in ea auctoritate constitutis nũquam ad felicem consiliorum suorum euentum se peruenturos non ignorabant. Huc accedebat, quòd simulatque Austriacus Bruxellas venisset, Auraici literæ Ordinibus sunt redditæ, quibus suadebat, non tam facile harum prouinciarũ gubernaculum Austriaco esse committẽdum, nisi conditionibus pluribus & arctioribus legibus, quàm eius maiores passi essent, obligatus constringeretur. Ex quo tempore Auraicus semper Ordinibus consuluit, vt si se ab Austriaco securos vellent, eum in sua potestate fideliter detentum asseruarent.

1577

Confœderatorum, nouisque rebus studentiũ de Austriaco querelæ.

Interea Austriacus Ordinibus instat, vt eadem auctoritate apud ipsos sit, qua eius decessores Principes sanguinis fuissent: vt tale corporis sui præsidiũ ex indigenis sibi detur, quale in Gandensi pacificatione Gubernatori decernitur, quo cum, pro suo arbitrio de vna ciuitate ad aliã proficiscatur: vt Regi sua obedientia, sibique debita constet auctoritas, & publica trãquillitas cõseruetur. Vt autem Regi obedientia, & patriæ Catholica restituatur Religio, petit vt Comitiorum tempus abbreuietur, eaque fiant quàm citissimè, vt Princeps coërceatur, ne Amstelredamensibus molestus esse pergat, nouas munitiones erigere desinat, quæ erecta sunt hisce tumultibus demoliatur.

Austriaci ab Ordinibus postulata.

Nono Calend. Iunij misit Austriacus ad Auraicum Ducem Arschotanum & alios, qui postularent, & necessarium esse demonstrarent, vt pacis Marchianæ decretum in Hollandiæ Zelandiæque vrbibus & oppidis publico præconio promulgaretur, & seriò tãdem

Austriaci ad Auraicum legatio.

1577 neglecta colligerentur, & reparanda instaurarētur, & antequam denuò contra Marchianum fœdus peccet, vt de ijs, in quibus deliquerat, ex descripto pacis decreto satisfaceret. Respondit Auraicus, neque se, neque suos confirmasse, neque in proposita pacis aut fœderis Marchiani capita consensisse, nisi legibus & certis quibusdam conditionibus, quas in tabulis criminationibus plenis descriptas pro responso dato missi Oratores reportabant: neque vnquam Auraicus induci potuit, vt pacem Marchianam in Hollandia & Zelandia publicaret. Cùm autem Austriacus Principis conditiones legisset, eiusque mentem intellexisset, vehementer admiratus est. His initijs odia, suspiciones, diffidentia, & simultates inter Auraicum & Austriacum creuerunt. Eodem ferè tempore Aldegundus & Theronius quidam literas ab Austriaco, eiusque secretario Escouedo ad Regem scriptas Bruxellas adferebant, in Gallia à Rege Nauarræo, vt aiebant, interceptas, & ad Auraicum missas. Quarum exempla cùm Egmundano & Hesio exhibuissent, ad Comitem Lalainium in arce, cui *La Follie* nomen est tunc temporis degentem, vnà cum ijs in Hannoniam profecti sunt: vbi in literarum argumento explicando (erant enim arcanis notis conscriptæ) occupati, mutuas sibi operas tradiderunt, ex ijsque confecerunt, Austriacum animo non bene erga Belgas propenso vel affecto esse: eum clam Ordines apud Regem traducere, bellum sub specie pacis moliri, ad hoc pecuniam à Rege postulare, aliaque multa in hanc sententiam. Austriacus literas à se scriptas non negabat, sed eo tempore scriptas, quo id ei licebat, vt qui nondum tunc temporis ad gubernaculum esset assumptus, nec iuramentum præstitisset. Præterea hostes suos vulgo persuadere alia in literis haberi quàm habebantur, & famam suam denigrandam finistrè, & multo aliter ac re vera esset, piam & bonam suam sententiā mentemque interpretari. Se nihil scripsisse, quod possit videri ad aliquam mutationem tendere, sed Regi tantùm significasse, quod tunc agebatur, & apud eum conquestum esse, quòd res in eo cardine, in quo tunc adhuc erant, verterentur: quod ipsum facere ratione officij, quo fungebatur, & iuramenti, quo Regi erat deuinctus, tenebatur.

Auraici ad legationem responsum.

Austriaci literæ ad Regem interceptæ, ac de iis querelæ.

Austriaci ad querelas de se, suisque literis responsum.

Hæc & alia, quę omnia copiosius lector in literis Austriaci

ſtriaci è caſtro Namurcenſi XXIIII. Auguſti ad omnes Ordines & ciuitates datis inueniet. Obiectum deinde fuit Auſtriaco, quòd legatos diuerſos ad Imperatorem, Principes, & Electores, atque Reginam Angliæ miſiſſet, eo propoſito, vt illis Auraicum redderet odioſum, varijs illum criminibus onerando, præcipuè quòd ille pacem violaturus videretur. Has legationes inſcijs Ordinibus miſſas eſſe. Ad quæ Auſtriacus: Fateri ſe legationes has miſiſſe, ſed vt indicaret ijs Principibus, ſe ad gubernationem Belgij admiſſum, vt ſeſe in eorum animos & amicitiam inſinuaret, & vicinorum procerum beneuolentiam ſibi conciliaret. Suam quoque eis voluntatem (vt Rex iuſſerat) exponeret, qua bene erga pacem conſeruandam, & optimè erga huius patriæ incolas affici teſtaretur. Fieri etiam potuiſſe, vt ſuis legatis poteſtatem fecerit exponendi ea, quæ hîc acta & geſta eſſent inter ſe, Auraicum & fœderatos Hollandos Zelandosqúe, & quàm parum ſibi in cauſa pacis ab illis promitteret. Id autem ſe Reginæ Angliæ præcipuè ſignificatum voluiſſe, tum quòd eam Auraicus in omnibus ſuis colloquijs ſibi nunc, vt olim, patrocinaturam opemqúe laturam iactabat, tum quòd non dubitabat, quin Auraicus, prout ſibi commodum videretur, aliter eſſet eam excogitatis rationibus inſtructurus. Hæc ille. Addunt fœderati: Auſtriacum ſuum in Angliam euntem legatum de non facienda mentione mutui à Regina petendi monuiſſe, vt eo accepto Germanorum militum copiæ dimitterentur: id quod illi ab Ordinibus in mandatis datum erat. Fatebatur ille (cùm meminiſſet Reginam Angliæ non ita pridem creditas ab Ordinibus pecunias ſæpe & ſeriò repetijſſe) quòd valde ſibi abſurdum viſum ſit, de nouo poſcere Reginam mutuum, cùm illud, quod multo ante accepiſſent, nōdum eſſet redditum. Vetuiſſe igitur ſe, ſuo illud nomine poſtulari, propterea quòd non dubitaret, quin Regina id eſſet recuſatura, & quòd tutius certiusqúe mutuum illud à Rege peti potuiſſet. Non ſe prohibuiſſe, quin dictæ pecuniæ Ordinum nomine peterentur, ſed nequaquam ſua gratia poſtulari paſſum eſſe.

1577

Huiuſmodi contentionibus res non quidem apertè, ſed clam agebatur. Interea illud his effectum eſt, vt Auſtriaco plurimum de ſua apud populum gratia & auctoritate decederet, iamqúe apud credulum vulgus

1577 magis,magisq; suspectus redderetur,quod nouũ bellũ meditabatur,nec quicquam minus quàm de pace conseruanda cogitaret. Quin & nonnulli è Bruxellensibus seditiosiores in foro ante domum ciuicam concitato tumultu, satellites Austriaci corpori tuendo adhibitos inuaserunt eo ipso die Dominico,quo in eam domum vocatus ascenderat,vt ex ea supplicationem & solennes dedicationis pompas spectaret. Sub id tempus etiam Austriaco præscripserunt,quibus stipatoribus vteretur, & non rarò eius domesticos ad septa palatij minis & conuicijs insectati sunt. Circumferebantur & passim libelli seditiosi & famosa carmina,quibus nomen Austriaci infami labe aspergebatur, & singulæ ipsius actiones functionesque criminabantur. Quare nonnulli eius amantiores monebant,non esse tutum Bruxellis diutius hærere, sed consultius fore, si aliò se transferat. Peropportunè ad hoc accidit illi negotium,quod Ordinibus erat cum Germano milite. Ordines enim Austriaco diffidentes, & peiora metuentes, nolebant Germanos diutius in Belgij visceribus permanere, ne si res ad nouum bellum spectaret,in promptu esset Austriaco miles,quibus imparatos obrueret. Necessarium itaque erat,vt Germani dimitterentur. Quod quidem arduum erat & factu quàm difficillimum, propterea quòd ingens pecuniarum vis Germano militi deberetur,de quarum summa constare non potuit, nisi vocatis ad calculum rationibus vtrinque conuenirent. Quare cùm Ordines vnà cum Imperij legatis efflagitarẽt, vt tam arduo negotio suam Austriacus auctoritatem interponeret, & Germanorum militum tribunos atque præfectos(quibuscum ratio esset ineunda) ad se Mechliniam euocaret,paruit,& Mechliniam, tãquam locum oportunum & magis idoneum ei rei destinauit. Quòd si Bruxellas conuenissent, seditio expectari potuisset. Quinto igitur Iunij cùm Bruxellis Mechliniam digrederetur,rescitum est ad portam, qua esset egressurus,ex composito rem agi, vt concitato tumultu eius profectionem & institutum iter morarentur: quare ad aliam deflectens portam,eorum conatus elusit,& incolumis Mechliniam venit:vbi cõuocatis omnibus tribunis,huc vires omnes intendit conuertitque, vt opera atque auctoritate sua interposita rem inter dictos milites & Ordines componeret. Quod tunc quidem factum fuisset, nisi Ordines ærarij pecuniarumque inopia

Plebis Bruxell. concitæ in Austriacum iniuriæ.

Austriacus Bruxellis Mechliniam discedit.

opia laborassent. Scribit itaque IX. Iunij Austriacus ad Ordines, quid in hoc negotio actum esset, & quàm parum proficere potuerit. Dolere sibi, quòd ærarium Belgij sic esset exhaustū, vt ab externo milite se expedire non possint. Scripsisse iampridem se ad Regem, & huic solutioni certam ab eo pecuniæ summam efflagitasse: sed hactenus responsum nullum accepisse. Quod si Ordinibus consultum videatur, missurum se Escouedum suum secretarium ad Regem, qui coram Regi hoc negotium commendet. Placuit Ordinibus Austriaci oblatio, actisque ei gratijs Escouedus in Hispanias proficiscitur. At illis, qui Austriaci imperium oderant, omnia hæc erant suspecta: nam & sub prætextu rationem calculi cum Germanis subducendi, illos denuò sibi deuinctos ad bellum redintegrandum incitare atque conducere: & Escouedum in Hispanijs pecuniam, non in vsum Ordinum ad Germanos dimittendos, sed in vsum Austriaci ad nouum bellum adornandum, flagitaturum asserebant. 1577

Dum hæc in Brabantia geruntur, Auraicus omni studio & diligentia res suas stabiliuit: varij conciona-tores, professores, & Ministri per Brabantiam, Flandriam, Gelriam, & Frisiam missi sunt, qui publicæ quietis perturbatores, in suis conuenticulis & clandestinis consilijs venena sua euomentes, pacis decreta violabāt. Idipsum & in territorio Mechliniensi facere tentârunt: vbi cùm quidam ob tale facinus capite plexus esset, maximum sibi odium Austriacus apud Caluinianos conflauit, qui paucis respondebat: se hoc facto pacem non violasse, sed confirmasse. Auraicus etiam id ægerrimè tulit, & cum Ordinibus expostulauit, quòd in istis prouincijs populum iuxta suam cuiusque religionem viuere non paterentur, & pegmata erigi finerent, in quibus de hominibus liberè viuere cupientibus supplicia sumerentur.

Auraici & cōfœderatorū Hollādorum &c. studia.

Vergebant quotidie res Belgicæ in deteriora, crescebatque indies inter Austriacum & Ordines diffidētia, pessimus tranquillitatis custos. Erant enim homines nonnulli in Repub. quibus hoc vnicum erat studium, vt omnia redderent suspecta, & odia inter vtramque partem sererent, ne aut pax Marchiana inuiolata consisteret, aut generalium Ordinum Comitia præcipitarentur. Gerebantur autem hæc ea atrocitate animorumque acerbitate, vt neutra pars alteri fideret, &

1577 vix spes initio pacis retinendæ superesset. Monebatur adhæc denuò Austriacus, locum tutiorem vt petat, ne Mechliniæ securum se esse. Quare sæpe apud animum decreuerat suum, clanculum abire, & tam præsenti, de quo post dicturi sumus, periculo sese eripere. De Lucenburgo equis citatis petendo cogitabat, sed dissuadebant ob causas, qui illi erant à consilijs. Melius igitur se facturum ratus est, si opportunam & magis idoneam expectaret occasionem. Ea breui post obl t est. Illustrissima enim fœmina Princeps Biernæ Vendomiorũ Dux, Galliarum Regis soror & Nauarræi coniunx per Hannoniam in terram Leodiensem ad aquas fontis Spadani bibendas proficiscebatur, cui vt obuiam progressurus de aduentu gratularetur necessitudinis & affinitatis vinculũ postulabat, quo Catholicus & Christianissimus Reges dictæ Principis fratres colligabantur. Hoc itaque consilio Austriacus omnem nobilitatem euocauit, qua cum Reginæ obuiam progressus, eam pro dignitate regia splendidissimè excepit. Quibus omnibus peractis, Austriacus Namurcum sese recepit, ibique in vrbe se aliquot dies continuit.

Austriacus Mechlinia ad tutiorem locum cogitat.

Dominæ Biernæ, Nauarræi coniugis in Belgiũ aduētus.

Nono Calend. Augusti vrbe venatum egressus, cùm ad castrum venisset, illud obæquitans lustrauit: in porta verò Dominum Hirgium, Comitem Megemũ, Floionium, & Altipennium fratres, Barlaymontij filios, inuenit, qui eum rogârunt, an non etiam castrum intrinsecus lustrare vellet, quibus ille annuens cum comitatu, quem penes se habebat, arcem ingressus: Hæc, inquit, (vt fertur) prima nostræ gubernationis dies est. Occupatis mox omnibus munitionibus, & mutatis excubijs, arcem suæ potestatis fecit, Dominumq; Froimontium Ioannem, è Burgundiorum familia, loci illius gubernatorem destituit, & de iniuria contumeliaque sibi ab Ordinibus illata, deque insidijs structis coram Proceribus & nobilibus, qui aderant, grauiter conquestus est. Postridie D. Rassingemum cum duabus literis, quarum priores XIX. Iulij, posteriores XXI. erant exaratæ, Bruxellas misit. Monebatur ijs literis, vt sibi caueret: decretum enim esse, vt à quibusdam ad hoc subornatis captus Mechliniam, aut in Zelandiã mittetur. Addiderat & suas literas, quibus significabat, se, si Hesium gubernatorem & ciues Bruxellenses arma ponere iubere vellent, propediem Bruxellas reuersurum. At Ordines confestim, vicesimo scilicet quinto

Austriacus arcem Namurcensem occupat.

Ad Ordines scribit.

Iulij,

Iulij, ad eum legârũt suos delegatos, Abbatem Marollium, Archidiaconum Yperensem, & D. * Brus, qui inter alia Austriacum orarent, vt omnem suspicionem deponat, coryphæorum & sycophantarum quorũdam commentum esse, quidquid de structis insidijs & captiuitate ipsi persuasum esset. Intempestiuam hanc arcis Namurcensis & oppidi Carolomontij occupationem absentiamque illius ab vrbe Bruxellensi, plurima creare posse incommoda. Magnam insuper illi securitatem, maiusque corporis præsidium, & inquisitionem in eos, qui insidiarum rei inuenti fuerint, pollicebantur. Non reiecit has conditiones Austriacus, sed dimissis cum literis legatis adiunxit, D Grobbendonckium, cum certis quibusdam mandatis, cui, vti & eorum legatis, eandem haberi fidem, quam sibi debebant, cupiebat. Summa autem mandatorum Grobbendonckij erat, vt præmissis quibusdam de læto Austriaci in vrbem Bruxellensem ingressu, paulatim in eum sermonem descenderet, vt referret, quanto studio id semper egerit, vt populi gratiam sibi demereret. Sed paucorũ, decem scilicet aut viginti perditissimorum hominum rebellione actum, vt debitam sibi obedientiam nunquam impetrare potuerit. Ab his malè feriatis hominibus varios tumultus concitatos, Regis eiusque vicarij placita magna cum insolentia contempta; omnia turbata, & cum summo omnium mœrore mota: Austriacum seriò & magna diligentia apud magistratum & tribus efficere conatum, vt decreta ferrentur, quibus omnia in bonum ordinem redigerentur, & omnibus pacatis boni se plus quàm malos posse ostenderent. Sed hactenus nihil hac in re profectum esse, sed omnia impunè facere licuisse, eo quòd magistratus his malis & vitijs mederi non potuerit, nec in noxios exemplum edere ausus fuerit. Quibus omnibus enumeratis iussus est legatus Ordines monere, vt pro sua prudentia dispiciant, an iusta de causa Prorex offendatur, & an Regis Vicario & supremo Belgicarum prouinciarum Gubernatori de tota patria, & præsertim de Bruxellensibus bene merito hęc perpetuò toleranda sint, toties dissimulare, & ante oculos videre perpetique coacto tot & tantas rerum indignitates atque insolentias. Cæterùm cùm Ordines instent, & vehementer vrgeant, vt Austriacus ad eos reuertatur, omninoque necessarium sit, vt vel Austriacus illis, vel illi Austriaco adsint, placet ei

1577

Ordinum ad Austriacum legatio.

* Alij Buys

Grobbendonckio, ad Ordines ab Austriaco legato, quæ mandata.

1577 ceret ei Bruxellas redire, modò reipsa, & non verbis tantùm, sicuti hactenus semper factum est, dictis insolentijs, turbis & ciuilibus tumultibus oportunum remedium adhibeatur.

Varia de occupato per Austriacum Namurco iudicia.

Occupato per Austriacum Namurcensi oppido & arce, varij, prout quisque affectus erat, auditi sunt hominum sermones, diuersaque ferebantur iudicia: dum quidam factum illud, vt temerarium reprehēdunt; quidam, vt prudens ac circumspectum laudant: boni & pacis amãtes, nouum bellum imminere prospicientes, tristabantur; mali, & quibus è bello quæstus erat vberior, vtraque manu plaudentes, in sinu suo gaudebãt. Austriacus hæc diuersa hominum iudicia, magnas suspiciones, & querelas inter subditos Regis exoritura non ignorans, volens illis omnes de se malè sentiendi occasiones eximere, ad diuersas ciuitates & prouinciarum Ordines literas dedit, quibus rationem facti sui reddere conabatur: insidias scilicet sibi ab Aldegundo & quodam Teronio strui, quas vt vitaret coactum se in locum tutiorem recipere. Sed quid vetat, quo minus ipsum Austriacum in literis suis causam hanc referētem audiamus?

Austriaci ad Ordines litera.

Licet binis, ternis, & quaternis literis ad varia, & diuersa loca mißis, atque ad Ordines, præcipuasque patriæ ciuitates scriptis, sed tamen bona ex parte interceptis, satis multas rationes, & indicia tam manifesta attulerimus, & licet (medius fidius) argumenta habeamus certa, & vera, adeoq; testimonia grauia, & fide digna: ipsa etiam ratione exigente, atque postulante, nobis tam plana & euidentia obiter designantibus, & demonstrantibus fides habeatur: Nihilominus tamen, & alia magis singularia, hîc paulò accuratius enumeranda recensebimus. Atque hinc narrationis nostræ exordium auspicabimur, quòd mense Maio vltimo, nobis adhuc Bruxellæ existentibus, Vicecomes Gandauensis, quem ob beneficia, quibus eum prosecuti eramus, bene erga nos affectum, & bene nobis cupere putabamus, priusquàm Regiæ Maiestatis & nostro nomine legatus in Angliam abijsset, venit anhelans sub mediam noctem, nobis iam in lecto decumbentibus, petens vt sibi liceat ad nos accedere, vt qui magna, & ardua haberet negotia, quæ ad nos in primis spectarent. Nos rei nouitate attoniti, & mirati, quid tam feruidus ea noctis hora festinans adferret, vt e vestigio ad nos intromitteretur, mandauimus. Hîc ille cœpit: *Plus quàm tempus esse, vt nostræ personæ prospiciatur: haberi enim consilium, quomodo nos cum vniuerso no-*

ſtro comitatu trucidari poſſemus: imò nequaquam Bruxellis 1577
tutos nos eſſe affirmabat, idque per cauſas & rationes mul-
tas probabile nobis faciebat, quarum quidem rationum nūc
ipſe poteſt meminiſſe. Secundò, cùm nos adhuc hæreremus
Mechliniæ accidit, vt in menſe Iunio Dux Arſcotanus eo-
dem veniens, & nobiſcum familiariter obambulans, inter
cætera hæc ad nos locutus ſit: mala indies deteriora fieri, &
nobis comitatuique noſtro ſatis tutò proſpectum non eſſe: ſi-
quidem pro certo & comperto haberi affirmabat, quòd con-
ſpirationes aduerſus nos noſtramque familiam fierent: id
quòd propterea ſe nobis ſignificare dicebat, quia prima illa
Auraici de nobis capiendis ſententia adhuc vrgeretur. Qui
quidem Auraicus, priuſquam gubernationi eſſemus initiati,
litteras ad Ordines miſerat, (cuius exemplū Dux penes ſe
eſſe aiebat,) quibus præmonuiſſet, ante captiuitatem noſtrā
res ad optatum finem non poſſe perduci. Oportere igitur cen-
ſebat Dux, vt noſtræ perſonæ tutiori aliquo in loco commodè
conſulatur. Ad quæ nos: Eia, diximus, Domine Dux, vbi
illa eſt promiſſa fides? vbi ſolenne nobis præſtitum iuramen-
tum? Ad ea Dux, digitis comploſis geſticulans: Non eſt, in-
quit, amplius fides. Cùm porrò quæreremus, quo animo nos
capere decreuiſſent? reſpondit nos eo animo capiendos eſſe,
vt omnia quæ vellent & iuberent, conſignaremus: & dein-
de nobis ſciſcitantibus quid optarent, & vellent? reſpondit
libertatem in omnibus, & ſimilia: & cùm rogaremus, quid
nobis facturi eſſent, ſi ijs, quæ poſtularent, nolimus ſubſcri-
bere? reſpondit, quòd nobis idem accideret, quod cuidam
Duci, & harum Prouinciarum Principi, cuius nominis iam
meminiſſe non poſſumus, nempe poſtquam ad omnia quæ po-
ſtularent, facienda compuliſſent, quòd nos, & omnes noſtros
de feneſtris præcipitatos haſtis ſuis exciperent. Ad quæ di-
cta, ita nobis videmur reſpondiſſe, quamuis non exactè ſin-
gulorum verborum meminiſſe poſſumus: quòd Princeps, aut
alius quiſpiam vir honoratus, boni & integri nominis, non
debeat diu in eó loco manere, vbi eiuſmodi verbis auditis
mederi non poſſit, multo autem minus (debeat) rei euentum
expectare. Atque horum Dux meminiſſe, & ipſi Statuum
Ordines poterunt recordari, ſiquidem verum eſt, quod di-
ctus Auraicus eiuſmodi literas ſcripſerit, aut eos ſollicitatos
contra noſtram perſonam, ſæpius incitauerit. Poſtea accidit,
quòd (cùm adhuc Bruxellis, & Mechliniæ eſſemus) plurimi
falſi rumores indies ſpargerentur, vt per eos excitus populus,
contra nos & noſtros tumultuaretur, quemadmodum etiam
aliâs, ſed præſertim, ingenti ſeditione coorta, ipſo Bruxellen-

sis dedicationis die factum est, instigantibus tenebrionibus, & alijs quibusdam malè conciliatis hominibus, qui illuc ad huiusmodi operam conducti, & subornati accessisse videbantur. Eadem Mechliniæ, & postea in hac ipsa ciuitate (prout omnes nôrunt) similia contra nos tentata sunt: Semel autem, dum hîc fuimus, quidam fide digni, & fortè secreti atque arcani aduersariorum consilij participes, monuerunt nos fideliter, atque admodum diligenter hortati sunt, vt bonam nostri curam gereremus, siquidem nobis insidiæ struebantur: Omnino autem consultum non esse, vt Mechliniam, vel Bruxellas redeamus: posse fieri, vt in captiuitatis vel vitæ periculum adduceremur, sed neque adhuc in hoc loco satis tutos esse. Accedebant etiam sæpe dictorum Aldegundij & Teronij artes, qui (quemadmodum nobis ex Hollandia vsque scripto nuntiatum est) ea de caussa venerant, vt, quocunque modo possent, nostram captiuitatem procurarent, sicuti etiam hac in parte omnibus technis & pessimis suis artibus instructi, omnia contra nos, quæ potuerunt, moliti, & experti sunt. Id autem an verum sit, nec ne, ex hoc exemplo poteritis intelligere. Quidam ex illis, qui præcipuo eorum consilio præsens interfuerat (cuius nomini iam parcemus, cuius etiam conscientia testari potest, an nos verum dicamus, nec ne) literas ad nos clanculum scripsit, &, per quendam familiarem, ad hanc ciuitatem Namurcensem misit, indicans, se quædam maximi momenti habere, quæ ad nos pertinerent, tunc demum nobis exponenda, cùm Bruxellas, vel Mechliniam reuerteremur. Petijt igitur sibi diem dici, quo ad dictas ciuitates reuerti decreuissemus, se diligenter curaturum, vt & ipse eôdem conueniat, postulans, vt ad suas literas (quas igni exurendas dari flagitabat) habendum responsum rescriberemus. Nos verò syncerè, & bona fide agentes omnia, nihil minus de eo suspicati, quàm ea, quæ postea plus satis, tempore procedente, detecta, & palam facta sunt: vt videret, quàm bene ei fideremus, & cognosceret, quòd eius literas penes nos non tenuissemus adseruandas, in illa ipsa epistola, quam ad nos miserat, ad eius postulata respondimus, gratias agentes, & declarantes, quàm gratus futurus sit, si nostri conueniendi gratia, in hanc ciuitatem adueniret, quia nesciebamus, quando illuc (in Brabantiam) essemus reuersuri: interim, neque eum postea vidimus, neque de ijs nouis quicquam inaudiuimus, & iam in eorũ numero non est postremus, qui pertinaciori animo videntur bellum suscepturi. Vnde facile cognosci potest, quid de nobis futurum erat, si hanc ciuitatem egressi in Brabantiam contendissemus, cùm videli-

Austriaco insidiæ structæ.

videlicet, insidijs, & machinis dispositis, omnia erant periculorum plena, & milites ignoti itinera, & vias paßim obsidebant, quorum alij sine ducibus vagabantur, alij in pagis ad hospites secretò diuerterant, & alij in hanc ciuitatem ingreßi per plateas turmatim incedebant, ex quibus nonnulli primo diluculo conspecti sunt, intra & extra arcem obuersantes, antequam ex hospitio in arcem fuissemus digreßi: qui quidem milites simulac intellexissent fraudes esse detectas, & rem manifestam haberi, quàm potuerunt festinantißimè, regreßi sunt, adeò vt inter eos plurimi fuerint, qui discedētes sua impedimenta inter manus portarent, id quod hic est omnibus notißimum. Hac ipsa tempestate ex legatione sua, quam in Francia obierat, Comes Faulquenbergius rediit, vbi intellexerat, nos in his prouincijs captos detineri, quae fama adeò illic constans, & certa ferebatur, vt magnis depositis pignoribus, & ingenti pecunia, paßim de ea re certaretur. Nos igitur iam omnibus iudicandum relinquimus, an non iusta de caussa nobis, & nostro comitatui ex periculis praesentibus eripiendo consulere voluerimus? sed quid dico, nobis, & nostris: imò religioni, patriae, Regi, Reipublicae commodo, quieti atque tranquillitati clientum, & fidelium subditorum, qui nobis commißi sunt: Quasi verò tam diu expectandum nobis foret, donec tandem, accepto incommodo, post factum saperemus, cùm sciamus eam ferè esse conditionem, & fata Principum, vt non intelligant, aut credant ea, quae aduersarij contra eos, & vitam eorum moliuntur, aut machinantur, nisi cùm acceptum infortunium, cum magno suo malo, re ipsa experiuntur. Quia verò non paßi sumus nos incautos opprimi, sed voluimus malum euitare, & nobis rebusque nostris consulere, hinc tot & tantos conscribi exercitus, hinc claßicum cani, & contra nos ad arma conclamari, & populum denuò capite, & bonis censeri, exedi, absumi, & in vitae, ac fortunarum periculum adduci necesse est. Quin etiam proprio Principe relicto, & domino suo supremo spreto, atque contempto, nouum bellum, contra verum patriae Principem, per inimicos patriae, & hostes religionis, operam & opem subsidiariam laturos, gerendum est. Atque haec omnia, pro quorundam imprudentium, & malè natorum hominum libidine, ferenda & patienda sunt.

1577

Et haec voluimus bene & exactè vobis declarari, ac inculcari, ne illi nouatores, per subdolas, & falsas rationes, & maleuolentiam, prauis & priuatis affectibus indulgentes, Vos decipiant, aut deceptis abutantur: Nam Deum testamur, & omnes, qui vsquam in vniuerso mundo sunt homi-

1577 *nes, quòd bellum ciuile, & intestinum, omnino execremur, & ideo, quàm maximè, detestemur, quoniam contra Regis clientes gerendum est, qui nati sunt, vt ministrent, auxilientur, atque obediant, non autem in eas perturbationes, & pericula cõijciantur, in quæ videmus, per religionis Catholicæ & fidei nostræ inimicos, cõfutis dolis & malis artibus, nunc incidisse. Atque ad hæc vestrum responsum, & vestram sententiam significandam expectamus: Non dedignati fuissemus viros graues, & honoratos, atque pacis studiosos ad vos ablegare, qui bonam, & synceram animi nostri voluntatem latius explicarent, si liberè ire, & tutò redire possent, id quod videmus, per homines malè habitos, & malè affectos non licere. Imò vix potest fieri, vt literæ nostræ ad vos perferantur: Adeò enim capitales vestræ quietis, & tranquillitatis sunt hostes, vt neque Regiæ Maiestatis voluntatem significari, neque eius literas vobis tradi patiantur. Res profectò barbara, & supra omnia crudelitatis exempla immanis est. Vnde potestis iudicare, pro quibus eos habere debeatis, qui, dum veritatem à vobis cælant, nullius, nisi quod ipsis commodum videatur, vos participes faciunt, vt ita bello conflato, vestris sumptibus ditescant. Vestrum est autem seriò studere & conari, vt prudenter huic malo medentes, non patiamini vos in errores, & turpes abusus abduci, à quibus vt Deus vos conseruandos defendat, & perpetuò tueatur, etiam atque etiam rogamus. Valete.*

Huiusmodi literas Austriacus nono Calend. Septemb. vti & antea sæpe ad Ordines & ciuitates è castro Namurcensi misit, in quibus facti sui rationem reddere conabatur. At Ordines insidias & captiuitatem illi intentatam negabant, & iam eam opinionem imbiberant, hæc ab eo tantùm fingi, vt eo tanquam fuco coloratus prætextus gratior & belli gerendi causa iustior ac verisimilior redderetur. Sed cũ vtriusq; partis querelę, varijs literis expressæ, & typis extẽt excusę, nos ad eas lectorẽ remittimus, & ad historiam reuertimur.

Gedanum à Polonis obsidetur. Gdanum adhuc obsidione premebat Rex Polonorum Stephanus, & tandem Idibus Iunij exercitum propius ad vrbem admouit, locatisque castris in Episcopi monte, qui vrbi imminet, per aliquot dies vrbem maioribus machinis cœpit disturbare. Ernestum quoque VVeigerum, equitum Germanicorum præfectum misit, qui maris vsum ad ostium Vistulæ oppidanis adimeret. At oppidani duce Ioanne Coloniensi erumpentes, Polonos adoriuntur, primoque cæsis quàm plurimis

mis

minis in vrbem repelluntur. Secunda verò eruptione facta Poloni cæsi, aut in Vistula submersi, castra & tormenta omnia amiserunt. Acceptis deinde alijs quibusdam incommodis, Rex, cùm videret se parum proficere, tandem ex vrbis vicinia exercitum abduxit, & Mariæburgum se recepit, vbi pax inter Regem & Gdanenses conciliata est, de qua postea dicetur. Ad Belgium reuertatur prius narratio. 1577

Antequam Mechlinia discederet Austriacus, Terlonium Arscotani in arce Antuerpiensi vicarium, aliosque præsidiarios sui officij & fidei Regi debitæ admonuit, imò, vt alij volebant, ei præceperat, vt capta occasione, qui non essent à parte Regis, omnes eijceret, arcem suæ potestatis faceret, & in vsum Regis (cuius vnius & solius arces & propugnacula esse, & milites eius vnius imperium pati debere dicebat, cuius solius merentur stipendia) defenderet. Idem vt facerent Germanicis legionibus, qui oppida & arces alias tuebantur, præcepit, ne scilicet ijs exirent, antequam maior spes continuādæ pacis affulgeret, aut à se euocarentur. Tenebant autem Germani eo tempore præter alia loca Montes ad Zomam, Bredam, Syluamducis, Tholam, Dauentriam, Campos, Ruremundam, Teneræmundam. At huius oppidi præsidiarij, sub imperio Polvvilleri militantes, accepta vt exirent ab Ordinibus pecunia, Austriaci iussa, missis illius ad Ordines literis, contempserunt. Vt autem Terlonius commodius perficere posset quod constitutum erat, iussit Austriacus Cornelio Embdeno, vt cum sua legione Antuerpiam se reciperet, Fronsbergio & Fuggero, qui adhuc in vrbe erant, se coniungeret, & in omnem occasionem intentus esset. Non ignorabant hoc Ordines, quare nonnullos sibi à secretioribus consilijs ad Champignium, qui legionem suam in Brabantia habebat, miserunt, eumque eò permouerunt, vt Dominum de Vers Embdeno obuiam ire, & manus cum eo conserere iuberet. Embdenus nihil minus quàm de pugna cogitans, cùm vim & hostilitatem animaduerteret, suos in ordinem redigere voluit, quod priusquam facere potuit, eius milites fusi fugatique sunt. Atque hoc initium fuit secūdi belli inter Regem Hispaniarum & Belgas eius subditos.

Teneræmunda Ordinibus reddita.

Embdeni copiæ cæsæ ac dissipatæ à Champignio.

Hoc dato classico, Lidekerkius Ordinum mādato Antuerpiam venit, ciues armauit, & denuò in signa cē-

1577

Antuerpiensis arx Ordinibus tradita.

turiasque distribuit. Idem ope VVilhelmi Ronckij, Pauli Toncharsij, & aliorum Ponto Noyello Boursij Domino, vni è Tribunis militum in arce auctor fuit, vt auxilio trium centuriarum, qui sacramẽtum à Terlonio propositum dicere nolebant, Terlonium caperet, eius milites arce eijceret partim, partim cæderet, arcemque potestati Ordinum traderet. Chiliarchi Fronsbergius & Fuggerus, cùm tumultum hunc rescivissent, tota nocte in armis fuerunt. Quia verò catastrophen tragœdiæ, quæ in arce agebatur, exactè scire non possent, Meerpontem primò occupârunt, sed confestim mutato cõsilio in noua ciuitate sese munierunt. Sed à ciuibus, cùm oblatam certam pecuniæ summam recusarent, vrbe secundo Augusti die eijciuntur. Cùm enim in armis ad pugnam parati starent, appulsæ sunt aliquot Hollandorum naues, multi ex arce ciuibus suppetias venerunt, allata est fama Egmondanum & Hesium cum suis copijs in procinctu esse. Quibus omnibus territi Germani, relictis omnibus impedimentis, sese in fugam coniecerunt Fronsbergius se Bredam, Fuggerus Montes ad Zomam se contulerunt. Paulo post Champignius arcem VVoudam, non procul ab ijsdem Montibus sitam, occupauit, Montes ad Zomam obsedit, præsidiarios certis conditionibus ad deditionem compulit: inter eas vna erat, vt Fuggerum Chiliarcham suum captiuum traderent, vti & fecerunt. Inde Steenbergam, quæ ab vna centuria Fuggeri custodiebatur, idem Champignius in fidem suam recepit, vti & insulam oppidumque Tholense, ope tamen & auxilio Holachij & Principis Auraici. Nulla interposita mora Holachius & Champignius Syluamducis mouerunt, eamque obsederunt, statimque certas conditiones pacti, milites Obersteinij vrbem imperio hostium tradiderunt Bredam deinde, in quo oppido Fronsbergius cum suis erat, circumfuso milite presserunt. Præsidiarij vt ampliores conditiones impetrarent, Fronsbergium catenis constrictum post multa ludibria vnà cum oppido hostium arbitrio tradiderunt. Talibus tantisque officijs gratiam Belgarum, quam fratris Granuellani factione, vt illi interpretabantur, amiserat, sibi denuò conciliauit Champignius.

Germani Antuerpiã turpi fuga relinquunt.

Ordines oppida & arces recuperant VVoudam arcem. Montes ad Zomã. Steenbergam. Tholense oppidum. Syluamducis. Bredam. Frõsbergius captus.

Hæc quidem armis agebantur, cùm interim legationes & literæ minimè cessarent, vt si quo modo fieri posset, res consilio & pace transigeretur. Austriacus itaque

itaque, misso Rassingemio & Grobbendunkio, sequentes conditiones ab Ordinibus XXVII. Iulij postulauit. I. Vt Ordines pactis stent, icta fœdera non violent, sed vniuersas & singulas pacis conditiones, & earum appendices suis numeris absolutas & perfectas integrè conseruent, & quod tam sanctè promiserunt, & conceptis verbis religiosè iurârunt, vt Religio Catholica integrè colatur, & debita Regi sua obedientia maneat. Et quia videbat dictos Ordines oneri in se suscepto impares esse, paratum se offert Austriacus ijs sua auctoritate sedulò adesse, vt hoc modo Regis voluntati & desiderio satisfiat, ipsis verò quies & optata traquillitas conseruetur. Non aliò se respicere, neque ad alium scopum tendere. II. Propterea, vt dicta auctoritas stabiliatur, petit Austriacus, vt ex decretis factæ pacis conditionibus suæ Celsitudinis auctoritati tribuatur, maiorumque & suorum secũ sanguinis antecessorum exemplo permittatur tale satellitium, ex prouincialibus deligendum, suo corpori præsidiarium adhibere, quali vbique locorum & se, & suam familiam tutò possit committere. III. Vt præfecti ciuitatum, quæ antea gubernatores habere non consueuissent, vsurpato officio defungantur. IV. Vt omnes & singuli harum prouinciarum Præfecti, Tribuni, & milites vocati suæ C. se sistant, & eidem tanquam suo supremo Gubernatori & Capitaneo generali dicto audientes sint. V. Vt penes se tanquam Regis auctoritate fungentem de omnibus muneribus, officijs & dignitatibus, si quæ vacent, omnis disponendi potestas sit, saluis tamen semper patriæ priuilegijs & omnibus pacis conditionibus. VI. Cùm Statuum Ordines constituissent superioribus diebus catalogum conficere, in quem omnium nomina conferrent, quos pro idoneis & dignis habituri sint, qui futuris Comitijs prouincialibus interessent, vt quàm posset citissimè dictus catalogus sibi transmittatur, vt iudicet atque despiciat, an in eo nulli sint scripti, qui de officio non bene faciendo, aut de opera Reipub. malè nauanda suspecti sint, eã ob causam non admittendi. VII. Vt si fortè Auraicus, Hollãdiæ Zelandięque Ordines in omnibus pacis inter se & Ordines generales factæ conditionibus non maneant, dicti Ordines ab Auraico eiusq; cõplicibus desciscant, neq; in posterum sua cum illis consilia communicent, sed partes suas & Regis sequantur, vt ita ad præscriptas

1577

Austriaci ab Ordinibus postulata.

1577 factæ pacis conditiones, id quod ratio exigit, ab illis extorqueri queat.

Ordinum Belgij ad Regem literæ. Nō placet istæ Ordinibus cōditiones, sed à quibusdā aduersæ factionis hominibus incitati, tantū in Austriacū odiū conceperunt, vt nequaquā sibi cū suspecto Principe paciscendū esse arbitrarentur. Abiecto igitur *24. Augusti.* omni pacis cū Austriaco ineūdæ cōsilio IX. Cal. Septēbris prolixas ad Regē Hispaniarū dederūt in hanc sententiā literas: Magnā se iam pridē concepisse spē, Bel- *Ordines se Regi purgant.* giū opera & cōsilio Austriaci pacādi: eius enim diligētiæ specimē quoddā ab illo in dimittendo milite Germano exhibitū. At subsequētibus illius machinationibus factū, vt Ordines iā omni ea spe deciderint: eum enim ope quorundā factiosorū hominū, quorū fides in præteritis tumultibus cœpit laborare, vrbē arcemq; Namurcēsem inscijs Ordinibus occupasse, & nūc insidias sibi structas prætendere, cùm tamē nec insidiatorū nomina exprimere, nec satellitiū ad corporis sui præsidiū ab Ordinibus voluerit acceptare. Interea malle peregrinū militē conscribere: quæ omnia iamdudū eum meditatū ex eius secretarij Escouedi, imò ex ipsius ad Regē datis literis, arcanis quidē notis scriptis, sed in Gallia interceptis, & quorundā industria expositis, quas à se scriptas nō negaret, sed in quibusdā locis malè descriptas, harū apographū Regi se mittere. Præterea Austriacum arcē Antuerpianā occultis machinationibus suæ potestatis fecisse, inscio Gubernatore ab Ordinibus cōstituto, qui secundū decreta pacis Gādauensis illud custodiret, quousq; Ordinū Comitia cogerentur. Alium ab eo arcis istius præfectum contra priuilegia Brabantiæ surrogatū. Omnia hæc eius studia captiuitate Caroli Fuggeri detecta, apud quem multæ Austriaci literæ ad Fronspergium & eundē Fuggerum scriptæ Ordines inuenēre, ex quibus publicum factum quàm falsè ac simulatè Mechliniæ in exauctorando Germano milite egisset, dum sub prætextu missionis Germanos omnes nouo sibi sacramēto deuincit, quò suam auctoritatem tueatur & augeat. Comitiorū generaliū diē eum accelerare, & Religionem Catholicā in Hollandia & Zelādia restaurare oportuisse. Vt aūt Germanos milites facilius in suas partes pertraheret, persuasisse illum Ordines, non tantū eos stipēdio debito frustrari cōstituisse, sed & vitæ ipsorū insidiari. Adhæc cū Chiliarchis cōuenisse, vt aliquot signa in vrbē Antuerpiensem, præter illud,

illud, quod in eo erat, præsidiũ introducerẽt: eũ in finẽ 1577
Corneliũ Embdenũ missum, sed ne in vrbẽ reciperetur impeditũ fuisse. Inter literas Escouedi vnas repertas, ex quibus facile potest intelligi, eorũ institutũ fuisse, Belgas ex improuiso obruere. Regẽ ex his posse cognoscere, quã iusta & æqua sit Ordinũ expostulatio, & contra occultas iniurias defensio, præsertim cũ dictus Escouedus insigni impudẽtia ausus fuerit Belgas oẽs, & in ijs primarios quosdã proceres apud Suã Maiestatẽ & Ioãnẽ Austriacũ falsò traducere. Quod crimẽ vnà cũ incõmodis, quæ ex eo possunt oriri, se nõ Austriaco, sed vni Escouedo imputare, cõtra quẽ vt iure agat Rex deprecãtur. Quod si Ioannes Austriacus saniora quã hactenus consilia respuat, sed in proposito perseueret, protestari se corã Sua Maiestate, si vulgus, harũ turbarũ fraudium & falsarũ criminationũ impatiens, noui quid moliatur, quo omnia in antiquas miserias & calamitates relabantur, Religioq; Catholica & obedientia Regi debita periclitetur, se extra culpã fore, cùm iam semel suo studio & diligẽtia res Belgicæ eũ in statum fuerint reductæ, vt nisi falsis istis criminationibus & perniciosis obsequijs iterũ labefactatæ fuissent, iam pristina tranquillitate Belgiũ frueretur, & salus Reipub. reddita esset. Monent tandem Regem Ordines, vt Austriaco imperet ab huiusmodi cõsilijs abstinere, sancto Regis proposito in cõseruatione pacis Gandaui cũ Auraico Hollandis & Zelandis initæ, & à Rege confirmatæ atq; approbatæ, perpetuiq; Edicti XVII. Feb. Bruxellis publicati satisfaciat. Horũ fœderum pacta Austriacũ iureiurando prius se obseruaturum, absque omni dolo & effugio, ad salutem prouinciarum & clientum fiduciariorum, qui in ijs sunt, qui nihil præter Religionem & Regis obedientiam desiderare aiunt, promisisse. Omnibus tamen constitutum esse, nullam tyrannidem admittere, quam inuehere ad proprium suum quæstum conati sunt ij, qui iam his prouincijs dimissi sunt, & alij nonnulli, quorum acta & consilia testantur, se eiusdem esse indolis & opinionis: quos etiam vt aula eijciat Austriacus, & à se dimittat illi seriò mandari à Rege postulant. Hæc Ordines ad Regem, quibus quid Rex responderit exactè sciri non potuit, eò quòd Ordines Regis literas publicari noluerint. Nam & non ita pridem veredarium quendam ex Hispaniã venientem Cameraci in-

1577 uaserant, & spoliârant, literarum fasciculum ei eripuerant, & literas à Rege ad Austriacum scriptas resignârant. Legerunt quidem eas, & prout potuêre (notis enim mysticis erant exaratæ) exposuerunt, argumentum tamen earum publicari noluerunt; non aliam ob causam, quàm (si Austriaco credamus) quòd nihil in illis deprehenderetur, quod possent criminari, præter piam Regis mentem erga suos subditos harum prouinciarum incolas bene affectam, & conseruandorum factæ pacis decretorum valde studiosam.

Regis ad Austriacū literæ interceptæ.

Præcedentium verò literarum suarum apographū Ordines Austriaco miserunt, vt magnanimitatem suam, & quanti ipsum facerent ostenderent. Habebat eo tempore Austriacus quinque tantùm signa legionis Fuggerianæ, & septē ex alijs legionibus, quę in fide Regis permanserant, Reliqua omnis militia dimissa dilapsaque, aut in Italiam, aut in Germaniam redierat. Auraicus itaque videns hostem suum exarmatum, Ordinum verò castra quotidie augeri, anxiè vrget, vt Namurcum obsideant, maxima contentione & celeritate expugnent, ipsumque Austriacum aut viuum aut mortuum in suam potestatem redigant: hanc solam viam esse partæ iam penè libertatis conseruandæ At nō placuit hoc consilium ijs, qui moderati erant ingenij, non ignorantes quò illud spectabat: qui verò turbulentiores erant, nihil intentatum relinquentes, omnia hostiliter agebant, ciuitates inuadebant, manus in illos inijciebant, quos à Rege stare suspicabantur. Quinimò spolijs inter se dispertitis, aliquot Regis ministros, & nobiles, omnibus bonis & fortunis exutos, domibus agrisque suis expulerunt: coniuges etiam & liberos abductos latrocinantium more spoliârunt, tam vrbanas quàm eorum domus rusticas expilârunt, etiamsi eæ in territorio Leodiensi, aut in aliqua neutrius partis ditione sitæ essent.

Austriaci copiæ.

Auraici de capiēdo Austriaco consilium.

Nouis rebus studētium in regios hostilitas.

Interea vltrò citroq; mittendarum literarū nullus erat finis, quarū pleræq; tam ab vna quàm ab alia parte typis editæ tunc circūferebantur. Inter vtriusque etiam partis legatos studiosè laboratum est, vt controuersia omnis extingueretur, priusquam in apertum bellum erumperet. Erant autem legati isti viri prudentes, politicarum rerum experti, & patriæ amantes è Prælatis, Abbas Geleinius, & Marollius, D. VVilleruallius,

nallius, & Scetus, D. Grobbendonkius, & alij, vnà cum legatis Cæsareis. Austriacus in omnibus literis & legationibus suis semper testabatur, se nihil aliud ab Ordinibus postulare, quàm vt Catholica & Romana Religio conseruetur, & Regi sua obedientia auctoritasq; maneat integra: his duobus saluis, omnia iura, immunitates, pacta, priuilegia, consuetudines perpetuò Belgis inuiolata fore pollicebatur. Mirari etiam se aiebat, Ordines tam iniquè interpretari suum in castrum Namurcense ingressum, cùm potius hac in re suam laudare deberent prouidentiam, vt qui tanta cum solertia & sibi cauerat, & hostium consilia eluserat. Postulabat insuper debitum sibi honorem exhiberi, & proregiam auctoritatem, quæ apud decessores suos fuerat, restitui: animaduerti etiam in eos, qui quoquo modo Religionem Catholicam offenderent, aut in eam datis scandalis peccarent. Vt literarum suarum interceptores, resignatores, & lectores ad se veniant, vltro aut inuiti mittantur. Vt Aldegondius, * Theronius, & similis farinæ homines confestim Bruxellis exigantur, tāquam homines perniciosi, Dei Regisque aduersarij. Vt Princeps Auraicus Hollandi & Zelandi pactis Gandauensibus satisfaciant: conciones, scholas, & nouarum sectarum exercitia Harlemi, Schonhouiæ, alijsque in locis ei post pacificationem traditis abroget, ac cessare iubeat, præsidiaque inde deducat. Vt Auraicus eadem loca munire desinat, nouas munitiones Seuenburgi nuper excitatas denuò demoliatur, nouamque munitionem Neucastellensem restituat. Vt Monasteria templaque omnia ei statui, nitori, & integritati reddat, in quo tēpore pacificationis Gandauensis fuerant. Vt naues bellicas, quæ Amstelredamensibus imminebant, reuocet, indeque deducat, atque oppidanos diuexare desinat. Vt confestim oppidum Neoportum iuxta pacta conuenta reddat. Quòd si Auraicus his conditionibus nolit satisfacere, sed obdurato animo in suo maneat proposito, vt Ordines suas partes sequantur, & communibus viribus eum ad officium faciendum cogant. Vt Ordines arcem Antuerpiensem eo in statu, quo tempore pacificationis erat, Regi restituant: Terlonium, aliosque captiuos reddant. His omnibus ab Ordinibus peractis, pollicetur Austriacus, se etiam omnibus fœderibus, pactis, conuentis, & transactionibus satisfacturum.

1577

Austriaci ab Ordinibus postulata.

**Terlonius alijs*

De Auraico querelæ.

Ad hæc Ordines; Se hactenus in omnibus vrbibus

1577 & pagis Catholicam Religionem sartam tectam conseruasse, adeò vt Nuntio Apostolico, Episcopo Leodiensi, & Legatis Cæsarijs abundè satisfactum sit: petulantiores, & in eandem Religionem iniurios tam seuerè punijsse, vt Hollandos, &c. istis supplicijs offenderint. Regi debitum obsequium & obseruantiam nullo se vnquam tempore negasse: sed & Austriacum ipsum magna pompa & lætitia Regis nomine excepisse, licet à ministris Regijs, ipso dissimulante, imò eorum flagitia amplissimis muneribus remunerante, digna atq; indigna passi essent. Imò se maiorem obedietiam Regi exhibuisse, quàm ipsi Hispani vnquam exhibere voluerunt, qui nunquam passi sunt arces in suis vrbibus absque suo consensu ædificari, noua mandata nouasq; leges rogari, priuilegia & consuetudines violari, nouam Reipub. faciem institui, res politicas à peregrinis administrari, tributa ea, quæ à Belgis cõcessa sunt, imperari. Præterea Regis auctoritatem & potestatem in Inquisitionem, in Statum Ecclesiasticum, in nobiles & Magnates in Belgio multo maiorem esse, quàm in Hispanijs: eandem auctoritatem se libenter Regi relicturos, si Belgis certam ac stabilem pacẽ permittere, ipsis priuilegia, iura, & antiquas constitutiones consuetudinesque conseruare voluerit. Deinde cæteris Austriaci postulatis respondent, & quidem primò: Interceptores interpretesque literarum se tradere non posse, eò quòd rem Reipublicæ vtilem & necessariam præstitissent. Secundò: Aldegundo & Teronio vrbe Bruxellensi interdicere tutum non esse, cùm legationem Auraici & Hollandorum obeant: si quid perniciosum moliantur, eius se rationem habituros. Tertiò: Auraicum se & Hollandos Zelandosque ad ea, quæ Austriacus petit, cogere non posse: neque hoc rerum statu expedire arma contra illos ob Religionem mouere, cùm ex Escouedi literis satis manifestè intellexerint, hoc esse consilium Hispanorum, vt nouis ob Religionem diffidijs inter Ordines & Auraicum sibique fœderatos dissemi-natis, ipsi arma denuò in Belgium inferant, tyrannidem suam stabiliant, & Belgas perpetuæ seruitutis iugum induant. Quartò: Arcis Antuerpiensis custodiam Duci Arscotano & Principi Chimæo commendatam, non Terlonio, qui ei muneri, secundùm priuilegia, non erat idoneus. Imò Austriacum voluisse in arcem peregrinum militem, Germanum scilicet, introducere:

Ordinum ad Austriaci postulata responsum.

In colloquio Bre-

ducere: id pugnare cum Brabantiæ priuilegijs, & pa- *1577*
ctis nuper initis, quæ Terlonius iureiurando se obser- *dano Ger-*
uaturum promiserat. Dignum igitur esse, & optimè *mani Hol*
promeritum, vt quo statu nunc est, detineatur, & quo- *landis nō*
modo nunc, ita deinceps tractetur. Denique se pacis *sunt pere-*
transactioni abundè satisfecisse, nec Gubernatori suo *grini.*
querelarum occasionem dedisse. Rogare nunc tantummodò, vt ipse Austriacus deinceps saniori vtatur consilio, & prouincias iudicio Dominorum Concilij Statuum administret, prouinciarumque constitutiones, priuilegia, iura, immunitates, & approbatas consuetudines sibi in omnibus obseruanda proponat.

Quotiescunque huiusmodi literæ mittebantur, semper addebatur aliqua protestatio, qua Deum atque homines testabantur, si quod bellum oriretur, aut, quæ bellum comitari solent, multa & magna incommoda consequerentur, culpa sua nihil eorum accidisse. Sic Austriacus, sic Ordines: interim negotium eo modo agitabatur, vt bellum iam certo certius subsecuturum omnes animaduerterent. Austriacus cùm intelligeret ex Ordinum responso, eos magis in Auraici & Hollandorum, quàm in Regis partes propendere, & suam personam ipsis minus gratam esse, aliud è vestigio scriptum ad Ordines misit, quo significabat, æquum & iustum esse, vt id, quod de obedientia Regiæ Maiestati debita bonis verbis toties iteratis pollicerentur, reipsa tandem præstent, & quam diffidentiam causabantur, in eorum esse manu & potestate illam tollere, si nimirum factum suum & mentem dextrè interpretarentur, & candide iudicantes expenderent, quàm iustis de causis saluti suæ consulere, & sibi de loco tutiore, qualis Namurcum est, prospicere coactus est. Sed omnem inter ipsos ex eo natam esse controuersiam, quod hactenus sua minus vtrinque essent intellecta. Itaque se paratum esse omnes & singulos obuios excipere, & ad se fide publica admissos liberè dimittere, qui se de his rebus aut alijs negotijs eodem pertinentibus conuentum velint. Præterea si sua persona Ordinibus minus grata sit, placere sibi ostendit, & non abs re fore iudicat, si è suo & Ordinum numero aliquot viri deligantur, qui ad Regem profecturi legationis munus obeant, & omnem in his prouincijs rerum statum exponant, deque omnibus negotijs bene & fideliter admonitum rogent, vt è suo aut cognato san-

1577 guine procreatū virum aliquem alium, vel Principem fœminam Belgio gubernando præficiat. Hæc primò Ordinibus Bruxellis congregatis obtulit: postea verò ad singulos Statuum Ordines, Episcopos, Senatus & ciuitates perscripsit, quæ literæ, cùm plurima ad rem pertinentia contineant, quid vetat, quò minus hoc loco inserantur?

Austriaci ad Ordines literæ.

Intelligimus, inquit, *dilectissimi, non sine magno animi cruciatu, vndique falsos rumores in populum spargi à quibusdam hominibus pessimè perditis, & publicæ quietis perturbatoribus, passim diuulgantibus, nos bello gerēdo operam dare, qui Hispanos in Italiam profectos, & alios maiori numero iam iam itineri accinctos reuocemus. Non satis esse eis visum est, quòd tam ante, quàm post nostrum in istas prouincias aduentum perniciosam Reipublicæ, quam omnes nôrunt, operam nauârunt, eo audaciæ tandem progressi, vt etiam nobis capiendis insidias moliti sint, nisi & hoc ipso tempore adhuc laxatis temeritati habenis cælum terræ misceāt, & nihil non faciant, vt nouum seditionis & ciuilis belli incendium multo quàm antea flagrantius mouerent, & concitarent. Et quantum ad nos attinet, licet nostrum officium faciamus, & pro viribus conemur, vt omnia in pace & trāquillitate conseruentur, & quanquam scripsimus, & per nostros legatos Ordinibus Bruxellis congregatis nuntiari curauimus, nobis nihil æquè odiosum & detestabile videri, ac inimicitias & bellum: propositis iustis rationibus, quibus ostendebamus, nihil aliud nos petere & postulare, quàm vt Catholica illa Romana Religio obseruetur, & debita Regiæ Maiestati obedientia exhibeatur, omnibusque edicti pacificatorij conditionibus satisfiat, id quod omnes iurisiurandi religione obligati se facturos sanctißimè promiserunt. Intelligimus autem hæc ad vos non esse perlata, imò ipsam rei veritatem à vobis cælari cognouimus, quare etiam ignoramus, an literas nostras acceperitis, & nescimus, an aliæ fidelibus nostris subditis, ad quos eas miseramus, fuerint redditæ: cùm nuntij, quos in omnes partes ablegabamus, vt de nostra sincera voluntate, & (quemadmodum actiones nostræ testantur) de confirmato animi nostri proposito cunctos certiores redderemus, sint aut impediti, vt ijs ire vel redire non liceat, aut in itinere spoliati vel detenti, literis partim apertis, partim suppreßis, adeò vt ex omni numero Præfectorum, Senatuum & bonarum in istis prouincijs ciuitatum, ad quos de omnibus rebus scripseramus, vix vnis literis responsum sit. Exitiale profectò facinus, & scelus plus quàm*

detesta-

detestabile, adeò nefarium, vt neque subditi Regiæ Maie- 1577
statis mentem poßint intelligere, aut nostram: neque ipsi possimus de subditorum erga nos volũtate certiores fieri. Atque hæc in causa sunt (licet nuntij spoliãdi de literis amittendis denuò periclitaturi sint) quòd has nostras præsentes literas iterum mittimus, per quas vobis significatum esse volumus, quòd expectamus definitam & absolutam Ordinum Bruxellis congregatorum sententiam, ad ea nobis rescribendam, de quibus ante decem dies proximos ad eos scripsimus, & vnà qui cum ijs agerent misimus, per quos exposuimus, nos eorũ bonam & promptam voluntatem cum magno animi gaudio accepisse, qua erga duo ista capita bene se affectos testarẽtur, vt qui parati sint Romanam illam Catholicam Religionem obseruare, & Regiæ Maiestati debitam suam obedientiam præstare, quæ quidem duo omnibus Statibus & iustis bene instituendæ Reipub. constitutionibus iaciẽda sunt. Præterea significauimus, nobis auditu fuisse quàm gratißimum, quòd polliciti essent se omnibus modis curaturos, vt dicta duo capita per omnia obseruentur, & ita demum supremo Gubernatori sua auctoritas conseruetur, omni tandem scrupulo diffidentiæ sublato, quemadmodũ nos de vniuersis Statuum Ordinibus, sicuti & de harum prouinciarum subditis hactenus semper bene sperauimus, & in posterum perpetuò bene sperabimus. Sed cùm manifestè deprehendissemus, & quasi digito insidiosas fraudes tetigissemus, quas quidã maleuoli & temerarij homines contra personam nostram machinabantur, & cùm obseruassemus Auraici eiusque ministrorum auctoritatem & fidem apud plerosque dictorũ Ordinum magni fieri, cumque animaduertissemus, criminationibus & calumnijs maiorem fidem haberi quàm nostris actionibus, negare non volumus per hæc & alia nobis persuasum fuisse, vt personæ nostræ in tuto ponendæ (cuius in obsequij Deo & Regi præstandi & patriæ conseruatione tantus vsus est) consulere debuerim, donec nobis de omnibus difficultatibus, quæ accidere potuissent, cautum esset. Atqui non potuimus induci vt crederemus, Ordines iudicaturos in hoc peccatum esse, imò confidebamus futurum, vt perspicacem nostram prudentiam commendarent, qui licet essemus à nonnullis admoniti, non paßi simus nos capiendos incautè opprimi, aut etiam præueniri, quemadmodum ipsis significauimus, fusè & sigillatim cætera omnia ostensuri, si quando eos coram præsentes conuenerimus. Interea eos denuò nuntiari mandauimus, nos nihil aliud optare, quàm vt factis edicti pacificatorij decretis satisfiat, & ipsi promißis stent.

Siqui-

1577 Siquidem Regia Maiestas nequaquam bellum vult, neque petit (si vllo modo aliter fieri possit) contra suos clientes & subditos vires suas experiri, ne illos huc denuò reuersuros adducere cogatur, quos hinc dudum pro quiete & trãquillitate patriæ ablegauerat. In hoc omnes boni & fideles subditi deberent conquiescere, & mutua vicissitudine pijs nostris conatibus bene erga omnes bonos affectis pro virili respondere. Sed videmus quosdã nouatores & vitilitigatores esse, quorum alij malè volunt Religioni Catholicæ, alij sibi malè conscij diffidentiæ stimulo inquietantur, alij (vti & vltimò bello fecerunt) militaribus studijs & stipendijs cupiunt ditescere: qui omnes & singuli cùm apud plerosque ex Ordinibus, vt dictum est, magnam auctoritatem habeant, omnibus modis & rationibus conantur vos in noua bella, eaque intestina & ciuilia conijcere: planè ignorãtes iustam & legitimam eorundem causam, ex quibus, vt scitis, nullũ commodum aut emolumentum patriæ, sed omnis miseria, sempiterna calamitas, & perpetuum exitium potest expectari. Et demiramur, quòd hominum malè conciliatorum, numero tam paucorum auctoritas tanta sit, vt ea viri tam illustres, graues, Antistites Ecclesiastici, nobiles, optimates, prudentes, conspicui, & optimi ciues adhuc Catholici in eorum sententiam pertrahantur: & eò pessimis rationibus adducantur, vt contra propriam suam religionem, contra Principem suum naturalem, contra suos parentes, amicos, patriã, & contra seipsos, proprium sanguinem, & sua viscera arma capiant. Hoc ipsum bellum, quod illi videntur inchoaturi, (nam nos non inchoabimus, tantùm nos, si impetamur, defendemus) si quis bene perpendat atque consideret, deprehendet hoc ipsum necessariò geri aut contra religionem, aut contra Regem supremum nostrum Dominum & Principem naturalem, aut contra personam nostram. Ex quibus necessariò consequitur, quòd velitis mutare aut Religionem, aut Principem, aut Gubernatorem, aut Religionem Principem & Gubernatorem simul. Si contra Religionẽ, vbi sunt magnifica illa vniuersorum Ordinum toties iterata promissa, quibus etiam proposito vniuersi mundi pretio se illam mutaturos negabant? Atque ita pugnaretis contra Deum & eius religionem, contra eius doctrinam, contra sanctas Traditiones sanctæ matris nostræ Ecclesiæ, in qua estis baptizati, instituti, & enutriti. Pugnaretis etiam contra propriam vestram salutem in gratiam sectariorum & hæreticorum inimicorum vestrorum, vt qui vestræ perniciei atque exitio perpetuò studuerunt, & student adhuc. Quin imò, si, quod

nun-

nunquam credemus, apud vos constituissetis veram Religionem perdere, pro certo habetote, quòd Rex omnibus vtetur adminiculis à Deo illi concessis, quibus hoc impediat, vt dictam Religionem Catholicam assertam cõseruet, cui ipse nomen suum debet, & cuius ipse verus defensor & propugnator est. Si (quod itidem non credimus) contra Regem supremum vestrum Principem bellum moliri, & dominum vestrum naturalem mutare est animus, profectò ante omnia considerare vos oportet, an ius hoc humanum & diuinũ permittat, & an causas iustas & satis idoneas habeatis, propter quas id vobis licere putetis, & in quo Rex contra vos aut patriam peccauerit. Quinimò per vos intelligetis & experimini, quid post vltimum edicti pacificatorij ex huiusmodi mutatione lucrifeceritis, & si quando hoc futurum sit, vtique credendum est, quòd Regia Maiestas non patietur. Cogitate autem hoc ipsum fieri non posse, nisi & rebellionis & læsæ Maiestatis crimen committatis, quo nomine credimus vos accusari, aut apud omnes malè audire nolle. Quòd si contra nos bellum mouere decreueritis, profectò etiam dicendum erit, vbi factas edicti pacificatorij conditiones violauerimus, an promissis omnibus non satisfecerimus, Hispanos dimittendo, arces in potestatem prouincialium tradendo, priuilegia in pristinum gratiæ locum vindicando. Denique an non extrema quadam patientia & animi tolerantia tam multa passi simus, vt etiam à priuatis quibusdam hominibus plurima indecentia atque indigna pertulerimus: non enim eo tempore res patiebatur, vt ad iustitiam receptum haberemus: sed (quia pro libidine & temeritate populi omnia passim gerebantur) vt ad nouos tumultus euitandos plurima dissimularemus. Quòd si peculiare quid aduersus nos habeant, in quo ipsis contra pacis decreta peccare visi simus, de eo conueniant nos, & oportunum ad singulis daturos responsum non imparatos inuenient. Nihilominus, si omnia dicta & facta, quibus patriæ benefecimus, tam ante aduẽtum nostrum in Hispania, quàm per decretum pacis à nobis factum, quod postea suis numeris absolutum reipsa præstitimus, & vt illud à Regia Maiestate confirmaretur impetrauimus: Si, inquam, ista omnia nondũ possint eos pacare, qui existiment se ab alio plura beneficia accepturos, auertat Deus Opt. Max. vt nostra causa nouum bellum moueatur. Ordinibus enim Bruxellis cõgregatis nuntiauimus, sicut etiam & nunc vobis nuntiamus, si nostra præsentia generalibus Belgij Ordinibus non sit grata, desiderantibus sibi dari alium aut aliam ex eodem nobiscum sanguine

1577

1577 guine Principem, qui in gubernando melius eorum ingenijs conueniat, aut magis placiturus sit: Si vobis ita visum esse cognoscamus, parati sumus vnà cum illis Regi supplicare, vt eius bona venia in Hispaniam vel Italiam redire liceat, & in locum nostrum alius supremus harum prouinciarũ gubernator succedat: sic tamen, vt armis & cæteris hostilibus vtrinque cessantibus, nullæ eruptiones aut impreßiones fiant, & nulli milites conscribantur. Imò vt subditi tantis vexationum oneribus oppreßi subleuarentur, & populus amplius non exederetur, tamque multos sumptus inutiles facere non cogeretur, proposuimus, vt milites conscripti & iam militantes sacramento soluantur & dimittantur, à quibus ob res præteritas nullum obsequium præstandum expectaretur. Atque hæc est conditio, quæ nullis displicere potest, præterquam ijs, qui omnem concordiam oderunt, & rectas ineundæ pacis rationes auersantur. Siquidem nullo modo dandum est, quemadmodum quibuslibet sano iudicio præditis liquet, vt res ad bellum deducatur, cùm multo sit facilius de re controuersa conuenire, quàm bellum gerere. Quantum autem ad nos attinet, denuò affirmamus, nos de bello gerendo nunquam cogitasse, multo autem minus de Hispanis reuocandis statuisse, quemadmodum sparsis in populum rumoribus vestræ quietis & tranquillitatis perturbatores aiunt. Sed & ipsi apud vos cogitare potestis, & firmiter credere, quòd si tale quid facere constituissemus, nemo è manibus nostris arces & propugnacula extorsisset, neque quisquam à nobis impetrasset, vt eos, qui ipsa occupabant, extra patriam mitteremus. Sed è diuerso pro certo habetote, nos nihil aliud desiderare, quàm patriæ tranquillitatem, cupientes nos in gubernanda patria componere ad exemplum normam & laudabilem illam consuetudinem à gubernatoribus sanguinis nostri antecessoribus obseruari solitam tempore Caroli V. olim Imperatoris, domini & patris nostri ante omnia obseruandæ verè Catholicæ & Romanæ Religionis, adeoque obedientiæ Regi (vt dictũ est) præstandæ studiosißimos. Quapropter rogamus omnes & obtestamur, vt non patiantur se decipi, aut falsis excogitatisque aduersariorũ calumnijs fascinari: sed vt se componant, & ad eum viuendi modum se gerant, ne Regia Maiestas, & nos eius officio fungentes cogamur inuiti experiri, quod communi omnium bono & felicitati non expediat. Vobis enim ipsis perpendendum relinquimus, quàm detestanda & horrenda res sit bellum ciuile, quod in patria, imò intra patriæ viscera, inter Regem & eius clientes geritur, si id, quod

quod in vicinis regionibus geritur, tam atrox exitiosum & calamitosum sit. Ponite ergo vobis ob oculos Ecclesiarum & templorum profanationes, ciuitatum euersiones, exitium interitumque patriæ; cædes insuper, stupra mulieribus, & vitia inferenda virginibus; seruitutem denique & oppreßionem populi. Considerate quàm omnia opificiorum mercimoniorum & cæterarum omnium artium exercitia frigebunt, iacebuntque, & quòd tandem fames pestilentia & ira diuina in omnes ingruet, quæ omnia & singula facile tolli & euitari possent, si iustis adminiculis adhibitis, & mutuis rationibus in id incumberēt, vt ipsi sese intelligerēt. Videntes etiam insolentias militum, sine omni disciplina ex rapto violentis oppreßionibus & grassationibus viuentium, recolite apud vos, & mementote eos postulare quod necessariò soluendum erit stipendiū. Deinde obseruate quàm exigua habendarum pecuniarum spes hinc inde refulgeat. Attendite quòd malitia inualuerit, iustitia oppressa iaceat, & quòd plebs magistratui, mali bonis imperant. Ex quibus diuinare licet quis finis, & quis rerum istarum futurus sit exitus. Memineritis etiam quo cum Rege, & quanto cum Magistro vobis sit negotium. Quod si faciatis, vtique cognoscetis eos, qui vobis belli gerendi auctores sunt, vestros esse capitales hostes & inimicos, qui vos vnà cum vestra Religione perditos, & vestras pertinaces contra Regem rebelliones videre optant, scientes haud dubiè & conspicientes, quòd sua tranquillitas in nouis tumultibus rerum perturbationibus & bellis contra Maiestatem Regiam & nos gerendis consistat. Itaque Deum testamur atque homines, quòd si ad bellum gerendum, quod Deus pro sua misericordia auertat, arma accipere aliquando cogamur, non id Regis aut nostra culpa futurum esse, sed eorum insolentia, qui nos, patriam nostræ fidei commissam defensuros, armis suis ad arma capienda impellent, & ipsum Regem in eam neceßitatem cogent, vt gladio (diuinitus sibi ad Religionem bonosque defendendos, malos verò puniendos dato) contra proprios subditos, ad officium faciendum compellendos, vti adigatur.

1577

Hæc Austriacus ad Ecclesiasticos, nobiles & magistratus vrbium in singulis prouincijs, quibus etsi plurimi permoti pacem quàm bellum, Austriacū reconciliatum quàm vlterius offensum maluerint, vicerunt tamen eorum persuasiones, qui hæc omnia ab illo scribi & dici aiebant non alio fine & proposito, quàm vt temporis prorogationem impetret, vt interea nouas copias in Gallia, Italia, Germania colligat, & veteres

1577 Hispanorum in Belgium reuocet: nihil minus cogitare quàm de pace conseruanda, aut edicti pacificatorij conditionibus satisfaciendis. Obtulit & alia Ordinibus Austriacus, nimirum vt omnia, quæ promittebat, certa & rata sint, se paratum ostendit iureiurando sanctè præstito singula confirmare, imò se permissurū ait, vt & ad se ab Ordinibus idonei & ipsis fideles viri mittantur, qui rei veritatem exploraturi, videant num secus fiat ac futurum esse promiserat. Ea tamen conditione & lege, vt idem apud illos fiat, & idem ipsi facere liceat, vt certò scire possit, num idem apud eos fiat & obseruetur, quod apud suos factum sit, vt ita securus de ea re consistat, & omni scrupulo sinistræ suspicionis sublato, vniuersa & singula bona fide vtrinque gerantur. Et, vt omnia sint quàm tutissima, præter iusiurandum præstandum, in manus Episcopi Leodiensis, qui neutram partem sequitur, Hui, aut aliquo alio in loco obsides vtrinque dari postulabat. Legationem quoque in Hispaniā mitti cupiebat, quæ à Rege alium huic patriæ præficiendum peteret. Hanc Comitem Bossutium, & Abbatem Maroillium, aut quales ipsi iudicarent, obire cupiebat. Vt autem negotium hoc felicius succederet, se illud suis literis adiuturum, ac quanto posset studio ac fauore apud Regem commendaturum promittebat. Sed tanta erat diffidentia, vt nihil, nisi quod in oculos incurrebat, manifestumq; erat, crederetur. Quare nihil his omnibus oblationibus efficere potuit Austriacus, sed omnia eius acta dicta consilia obseruabantur, & pro cuiusque affectu aduersarij interpretabantur. Tandem quarto Septembris ad eum literas dant Ordines, quibus vt satisfaceret vrgebant, priusquam vlterius cum illo transigere vellent. Harū argumentum erat. Vt omnes domesticos & consiliarios Ordinibus suspectos à se remoueret. Vt oppidum & arcem Namurcensem, Carolomontium, Mariebugum, Sampsonium, Tyriam, aliasque arces imperio Ordinum restitueret. Similiter & totum Ducatum Luxenburgensem. Vt omnia præsidia Germanorum vrbibus & locis munitioribus educat, Ordinibusque ea loca tradat, donec Rex alium Principem sui sanguinis prouincijs Belgicis gratiorem supremum Gubernatorem constituat. Si verò ipsi visum fuerit, prouincijs expedire, vt confestim ijs exeat, & quò velit proficiscatur, licere id ei per Ordines ea lege, vt Senatui Ordinum

Quæ Ordinib. ab Austriaco oblata.

Aduersariorū de Austriaco sinistra iudicia.

Ordinum ab Austriaco postulata.

Ordinū imperium tradat, cui se parituros pollicentur. 1577
Orant denique Austriacū, vt deinceps laboribus parcat, nullas posthac literas mittat, nec indigne ferat, si ad iurati inter se fœderis, quod Vnionem appellabāt, executionem progrediantur.

Austriaci de Ordinum postulatis iudicium.

Iniquæ atque absurdæ videbantur Austriaco istæ Ordinum conditiones & postulationes, quales nequaquam vlli, quamuis mediocris fortunæ Principi, nedū augustissimo tantæ Maiestatis Regi proponi debuerūt. Illud verò iniquissimum iudicabat, quòd eos omnes, qui se secuti, & muneri suo probè præclareque functi erant, Regi & Capitaneo generali dicto audientes, suis officijs, præfecturis, prouincijs, ordine & honoribus deijceret, atque ita pro constantia seruata, & fide præstita, qua merebantur in altiori dignitatis gradu collocari, dedecus & ignominiā reportarēt. Hanc tamen rei indignitatem dissimulabat, & Nonis Septemb. Ordinibus nunciauit, Regem in suum abitū consensisse, & alium Gubernatorem suo loco missurum esse. Pro inde se constituisse Legatos Principum Leodiensis & Cliuensis ad illos mittere, quo de armorum posit one cum ipsis transigerent. Nec mora, veniunt Legati isti ad Ordines, admittuntur ad colloquium, sed nihil quod operæpretium esset ea legatione effectum est.

Legatiō Leodiēs. & Cliuēs. ad Ordines Belgij.

Quæ dum fiunt, Ordines Domino Boursio, cæterisque Tribunis præsidij, quod in arce Antuerpiana erat, ingenti pecuniæ summa numerata, annuoq; stipendio promisso, præsidiū euocârunt, arcemque ciuibus euertendam exscindendamque tradiderunt: qui summa cum lætitia mutuaque congratulatione opus hoc vicesimo octauo Augusti auspicati, sequētibus diebus absoluerunt. Antuerpiensiū exemplū secuti sunt post biduū Gandauenses: inde Vltraiectenses, Insulani, Valenceenēses, & alij: Tornacensi arci, vt gratificarētur Præfecto, parcitū est: Cameracensi, tum quia limitanea, tum quia vrbs erat Imperialis. Huic præfectus erat Lykerkius Ordinibus suspectus, quem Ainsius dolo inde expulit, Ordinibusque tradidit. Corraserant iam Ordines vndique nō contemnendas militum copias, quas in VVaueren, tertio ferè à Namurco lapide conuenire iusserunt, eo animo vt castra istic figerent, Austriacū obsiderent, cumque commeatu per Mosam ad uehendo paulatim intercluderent. Cumque quotidie maiores è militibus conscriptis vires conciperent, suos feren

Arces in Belgio dirutæ. Antvverpiæ. Gandaui. Vltraiecti. Insulis. Valencenis.

Ordines exercitū mittunt versus Namurcum.

1577 ferentarios Namurcum miserunt, qui in cõspectu Austriaci multa hostilia exercentes, sæpius velitabãtur, vt metuendum fuerit mox conserta manu & aperto Marte vtrinque decertatũ iri. Subijciebat huic incendio fomentum Auraicus, qui è latebris suis Hollandicis Ordinibus per literas & legationes suadebat, triã Germanorum equitum millia conscriberent, qui diribitoria Austriaci facile possent turbare, eumque adhuc imparatum Namurco & Luxenburgo expellerent. Displicuit hoc consiliũ his, qui rerum bellicarum erãt expertiores, quibus expedire visum est Campos, Ruremundam, & alia loca, quæ adhuc ab hostibus tenebantur, expugnare, & internum hostem eijcere, priusquam in externum ducerent. Dato iam classico Ordines vnanimi consensu decreuerunt Auraicum Principem ad se vocare, vt sanis suis consilijs rebus tam deploratis opem ferret: neque enim in tanto Regulorum ac Procerum Catholicorum multitudine quisquam potuit inueniri, cui tantum inerat cerebri, vt hãc obiret prouinciam. Legati ad illum sunt Ioannes à Linden Abbas S. Gertrudis, Fredericus Perenottus, Baro Ronzæus, & Dominus Champignius, Elbertus Leoninus seu Longolius, & Liesfeltius, qui multis rationibus & insigni sua facundia reluctantem scilicet Auraicum eò permouerunt, vt relicta Hollandia in Brabãtiam cum vxore sua Carolotta Borbonia venerit. In itinere Bredanos veteres suos subditos & amicos inuisit. Inde XVII. Septemb digressus, Antuerpiã profectus est: vbi cum maximo populi applausu multisq; lætitiæ signis exceptus est. Ordines cùm illius aduentum intellexissent, Abbates Villerensem & Maroillensem, Dominosque Fresinium & Caprium ad eum ablegãrunt, qui eum nomine Ordinum salutarent, ei felicem aduentũ gratularentur, & Bruxellas deducerent: quod quidem IX. Calend Octob. factum est, comitantibus eum in vna ripa (per canalem enim seu nuper factam nauigationem vehebatur) Antuerpiensibus, in altera Bruxellensibus ciuibus armatis. Ordines & Senatus amplissimo eum triumpho non aliter quàm Iudam quempiam Machabæum exceperunt. Tunc Senatus frequentior haberi cœpit, cui Auraicus præerat in omnibus, quæ Ordinibus placebant, consilio & ope ipsis gratificans. Nunquam tamen Ordines ab eo impetrare potuerũt, vt in Hollandia & Zelandia Religio Catholica postliminio

Auraici de Austriaco opprimendo cõsilium.

Ordines Auraicũ ad concilium suũ euocant.

Auraicus in Brabãtiam venit.

23. Sept.

minio reduceretur, id in sua potestate non esse asse- 1577
rens, sed ad communem Ordinum istarum prouinciarum eius postulati cognitionem pertinere.

Magna hoc tempore lis erat de Frisiæ gubernaculo: dum alij Arscotiæ Ducem, alij Comitem à Bossu, ad illud promouere; alij verò Comitem Renneburgum, qui tunc in administratione erat, retinere vellent. Fauebat tunc Renneburgius popularium factioni, & Hispanos vehementer oderat, quas ob causas erat populo gratissimus. Interea scribit Austriacus ad Concilium Regium in Frisia, Consiliariosque monet, populū in officio retineant: quod quidem illi, sed frustrà, facere conabātur. Quod cùm intelligeret Reinerus Dekema, qui à Rege stabat, propugnaculū in Oostmahorn munire cœpit. Frisij, reclamantibus Consiliarijs, illud obsederunt, & paulo pòst interueniente Doco Martena, inito pacto, obsidionem inuitis Ordinibus patriæ soluerunt. Interea Vvibe à Goutum astutis rationibus Matenessio persuaso, clam arcem Leovvardiensem ingressus est, quam tamen, postquam ciues ingenti pecunia emunxisset, iterum deseruit: & Reinerus Cammiga ciuium præsidium postridie induxit: prius tamen quàm illi admitterentur, concilio regio fidelitatis iuramentum præstiterunt. Inde Renneburgius Bossuuij ambitionem metuens, milites illius omnes, qui in vrbibus & munitionibus relicti erant, pacto cum iis inito, & stipendij parte numerata, dimisit: in eorumque locum rusticos armauit, magistratus & ministros regios officijs suis deiecit, nouosque creauit. Paulo post antiqua illa simultas, inter vrbē Grœningēsem, eiusq; territorij pagos, atque oppida vicina, recruduit. Vrbis enim Magistratus, atque ciues, pactum anno 1482. cum pagis initum seruari oportere sustinebant: Pagi verò negabant, atque hoc dissidium intestini belli dedit occasionem. Paulò enim post pagorum legati à Grœningensibus capti, & munitio in Delfzijll inuitis illis disturbata.

Lis de gubernatione Frisiæ.

Austriacus cùm videret Ordines quotidie maiora audere, & iam nihil amplius de reconciliandis vtrarūque partium animis posse sperari, Luxenburgū cogitabat, vt & ipse aduersus hostes sese armaret. Antequam tamen Namurco discederet, literas ad Ordines in hanc sententiam transmisit: *Cùm scripto vestro, quod nobis Episcopus Brugensis & D. VVillervallius tradiderunt, mira*

Austriaci ad Ordines literæ.

1577 *noua vnà allata sint: siquidem inter cætera nobis vestra iniqua & absurda postulata actionesque ponderantibus, non visi estis (quod tamen officium vestrum requirebat) studere aut cupere vt Catholica illa & Romana Religio conseruetur, aut Regi sua obedientia & auctoritas integra maneat, sed potius in hunc scopum collimare, vt omni occasione captata, vtramque tam Religionem, quàm auctoritatem Regi debitam extinguatis perdatisque, eò vsque progressi, vt videamini præter nudum titulum nihil Regiæ Maiestati in istis prouincijs relicturi: erecto scilicet nouo quodam concilio, in quo ad votorum & suffragiorum multitudinem omnia constituuntur. Accedit & hoc, quòd Auraicum ad vos euocastis, quod Regi omnino non placiturum scio: maximè cùm illæ castrorum euersiones & multa alia indigna præcesserint, quæ tales Principes, qualis quidem Rex est, ægerrimè ferre solent. Quare etiam apud nos decretum est eiusmodi facta ei significare, cùm illius plurimum intersit, & res non exigui momenti videatur. Interim verò cùm videamus vos parum circumspectè exiguam nostri gradus & dignitatis rationem habere, & sine vlla dissimulatione malignæ vestræ erga nos voluntatis plurima indies hostilia ostendere, nos iam Luxenburgum proficiscimur, ex qua vrbe gubernationi nostræ vacabimus, & officio nobis demandato satisfaciemus, ibidem vlteriora Regis mandata expectantes. Quòd si interea nobis illic existentibus obtemperaueritis, vestrum officium facietis, quod Regi naturali vestro Principi debetis, qui vt aliter faceretis ne minimam quidem vobis occasionem præbuit: imò in pluribus rebus vos nimis benignè & clementer habuit: ita vt ei vel hac sola ratione tam multa debetis, vt perpetuò vos obsequentissimos ministros fidelissimosque clientes præstare meritò oporteret.*

Austriacus Luxẽburgum proficiscitur.

Hæc Austriacus iam itineri accinctus Ordinũ oratoribus & Legatis præsens præsentibus viua voce respondit, & totidem verbis scripta ad eos transmisit, promittens etiam, vbi de Regis voluntate & decreto certior factus esset, se omnia ipsis fideliter nuntiaturum, ac paulo post relicto Namurci sufficienti præsidio, ipse exiguo cum comitatu Luxenburgum se contulit. Hactenus de rebus Belgicis, nũc aliorum Regnorum gesta vt commemoremus temporis ordo & ratio postulat.

De bello Gdanensi, & quomodo Polonorum Rex Stephanus obsidione vrbis soluta Mariæburgũ initio Septem-

Septembris se recepit, dictum est antea. Cùm autem 1579
Mariæburgū venisset, conuocatis Poloniæ Borussiæq; Ordinibus ibidem aliquot menses desedit, ac inter varia negotia legati Electorum Saxoniæ, Brandenburgēsis, & Hassiæ pro Gdanensibus apud Regem intercedunt, ac tandem post multa colloquia ipsis pacem impetrârunt, iisdem fere conditionibus, quas ipsis Rex ante bellum motum XXV. Ianuarij Bidgostiæ obtulerat. Erant autem huiusmodi: Vt supplices Gdanenses veniam deprecentur, iuxta formulam conceptam. Vt ducenta millia florenorum (alij bis mille auri pondo) intra quinquennium soluant. Iuramentum fidei Regi præstent, militem dimittant, ad restaurationem monasterij Oliuæ viginti millia florenorum contribuant. Vt annuam pensionem, & illa quæ mere regalia sunt, quæ ex priuilegijs ciuitas Gdanensis regiæ Maiestati pendere debet, ea quotannis exoluant. De ijs, quæ sibi à Regno Poloniæ deberi prætendunt, in Comitijs Regni proximè futuris deliberetur. Rex vicissim ex pura gratia & beneuolentia proscriptionem abolet, priuilegia & iura ipsorum vigore iuramenti Cracouiæ in coronatione præstiti confirmat. Religionis Augustanæ conseruandæ declaratio suo loco & tempore pronuntiabitur. Damna Regis subditis tempore belli illata condonantur. Bona immobilia fisco addicta Rex restituit. De mobilibus, & in fiscum redactis triginta millia florenorum tantummodò retinebit. Cæteræ donationes & decreta tolluntur. Ciuitatis & priuatorum actiones in aula vel alijs iudicijs pendentes partes saluæ & integræ manebunt. Militibus, & alijs, qui ciuitatem consilijs vel armis iuuerunt, delictum ignoscitur. Omnes articuli, omnia grauamina, omnes actus commissoriales, inter quos & portorij negotium est, ad futurum Regni conuentum reijcientur. De ratione ingressus Regis in vrbem nihil sibi Rex voluit præscribi: cùm autem ingredi voluerit, securitati ciuitatis, vt antecessores fecerunt, auctoritate sua cauebit. Pace hac cum Gdanensibus icta, Rex in Poloniam rediit, omniaque ad futura Comitia præparauit.

Pacis Gedanensis conditiones.

Salentinus Comes ab Isenburg, Elector Coloniensis, cùm decem annis summa cum laude Ecclesiæ præfuisset, & diœcesin à graui, quo premebatur, ære alieno, penè liberam reddidisset; arces quoque collapsas per

Salētinus Elector Coloniēsis ab Archi-

1577 *Episcopatu discedit.* per ditiones restaurâsset, multaque egregia & magnifica ædificia diuersis in locis construxisset: conuocatis Ordinibus hoc anno, XIII. Septemb. in pleno conuentu Archiepiscopi & Electoris titulum, honorẽ, & administrationem deposuit. Nam cùm Isenburgici generis nullus, præter eum, masculus superesset hæres, ne id penitus extingueretur, animum (nondum enim sacris erat initiatus) ad matrimonium adiecerat. Hanc ob causam paulo post Antoniam VVilhelmam, Comitis Arenbergij filiam vxorem duxit.

Gebhardus Truchsesius fit Elector Coloniensis. Huic Salentino in Paderbornensi Diœcesi, cuius etiam Administrator erat, Henricus Dux Saxoniæ & Lavvenburgi, Archiepiscopus Bremensis successit. In Coloniensi verò Electoratu Gebhardum Truchsesium, è Baronibus à VValburg successorem habuit, qui postea vxorem ducens, cùm exemplo decessoris sui vltrò cedere nollet, armis Archiepiscopatu deiectus est. *Salentini in diœcesin Coloniensem merita.* Idem hic Salentinus in VVestphalia ditionem, quam Vestam Recklinckhusem vocant, Lippa fluuio à Diœcesi Monasteriensi disiunctam, quam Theodoricus à Moërs, Archiepiscopus olim Coloniensis, cum Duce Cliuensi de Susato bellum gerens, septendecim millibus florenorum quingentis quinquaginta Comitibus Scouvvenburgensibus pignori dederat, post CXXX. annos reddita Comitibus pecunia, & Augustam Traianam vrbem, quam nunc Cæsaris VVerdam appellant, præfecturas etiam Ordingensem, Erprodensem, aliasque similiter oppignoratas redemit.

Atque hæc quidem in Belgio gerebantur, dum in Gallia Catholici de Rupellensibus in ordinem redigendis consilia captabant. Visum est insulas & Broagium expugnare, ne quid commeatûs Rupellam posset aduehi. *Broagiũ obsidetur.* Lansaccus cum classe 60. nauium missus est, vt oram maritimã, Rupellæ proximã, cum insulis occuparet. Rupellẽses, visa classe regia, naues aliquot & ipsi adornant, cui Clarmontium præfecerunt. Lansaccus iuxta Rhetiã insulam in anchoris stans, ab incolis deditionem postulauit: sed quia milites littora tuebãtur, nihil impetrauit. *Bellũ nauale inter Catholicos et Hugonottas.* Verso itaque cursu ad Garumnæ fluuij ostium peruenit. Rupellenses rem in celeritate positam esse existimabant, ideoque confligendũ cum Lansacco, priusquam maiori classe augeretur: expectabat enim Lãsaccus triremes, & celsam nauim 1200.

culleo-

culleorum capacem. sed Lansaccus, donec eæ suis con- 1577
iungerentur, prælium detrectabat. Aucta paulò post regia classe, Rupellenses consternati, ideo quòd se impares agnoscerent, in Zelandiam ad Auraicum mittunt, qui tunc nouam classem instruxerat, opem implorantes: sed quia Auraicus domi nondum tutus erat, foris bellum gerere non audebat, Cœnomanius interim nouos apparatus facit, vt Broagium expugnaret. erat in oppido commeatûs copia non magna, & ciuium non occulta dissensio, ob Mirembellum dominum suum eiectum. Condæus id non ignorans, eò proficiscitur, & Mongomerio oppidanis inuiso destituto, Manducagium oppido præfecit, præsidioque nouis cohortibus adaucto, ipse Rupellam reuersus est. Paulò post Cœnomanius cum copijs Broagium venit, occupatoque molendino, fossas ad vrbis mœnia ducit, & pluteos erigit, vt tormenta propius ad oppidum promoueret. Interea nuntiatum est Rupellensibus, prætoriam nauem in Cantabrico pelago velificare, & triremes regias in Ligeri instructas in mare venisse, vt se Lansacco coniungerent. Condæus conscendens nauim cum classe Rupellensium, eas intercipere voluit: sed vt obsessis animum adderet, cùm prope Broagium venisset, aliquandiu ibi substitit. In hac vana interim virium ostentatione, naues regiæ coniunguntur, & Condæi conatus eluditur. Qui in terram descendens, Clarmontio negotium classis mandauit.

Cœnomanius crebro tormentorum reboatu Lansacco indicat, vt classem propius Broagium admoueret: qui sublatis anchoris, in conspectum Rupellensium venit: ibique iterum iactis anchoris consedit. Clarmontius ei magna celeritate obuiam aduolat, adeò vt prætoria cum tribus alijs nauibus in sabulum impegerint, vnde tamen, vna excepta, accedente æstu, sunt expeditæ. Aliquot post diebus inter vtranque classem maiori sumptu, quàm damno, certatum est. Clarmontius se nihil proficere videns, aliquot minora nauigia fasciculis, pice, resina, sulfure, & alia materia, quæ facilè flammam corripit, impleuit, & rudentibus inter se alligauit, æstuque maris, ventique impetu in hostium classem immisit, sperans eam aut incendi, aut perustis rudentibus dissipari, & in sabulosum littus illidi posse. Sed nec isto stratagemate quicquam profecit Clarmōtius. Nouæ interea triremes conspectæ, quæ Lansacco

1577 iungerentur, has Clarmontius intercipere conatus, aliquandiu Carentæ fluminis ostium obsedit, vt eas ab exitu prohiberet, sed nec illud consilium successit. Indignabantur Rupellenses, tantis sumptibus tantoque tempore nihil præclari actum esse: quare Clarmontius primo æstu accedente, ad regiam classem properauit: Triremes aliquot illi obuiam procedunt, tantamque globorum procellam in Clarmontij classem effundunt, vt multis occisis, prætoria & Florescente (sic appellabatur secunda post prætoriam) vix salua, ægrè manus Lansacci euaserit.

Ollerēses ad Regem deficiunt. Ollerenses, intellecta Rupellensium clade, sese Regi dedunt, & ab eo præsidium accipiunt. Lansaccus non ignorans hostium perturbationem, eos insequitur, depressaque primùm, & post incensa prætoria Florescente cum multis alijs nauigijs, naucleris etiam, epibatis & militibus captis, reliqua classe dissipata, Broagium cum maximo triumpho venit. Terra iampridem obsessis nihil aduehi potuit, classe nunc Rupellensium disiecta, nec è mari commeatus expectabatur. Cœnomanius vrbem arctius obsidere, & muros tormentis verberare non destitit. Oppidani tandem inedia domiti, & metu fracti, cùm hostis quotidie acrius instaret, ipsorum res deterior fieret, iterumque Condeus subsidium mittere nequicquam tentâsset, vitam & fortunas pacti, sese Cœnomanio dediderunt: quæ deditio Hugonottas, præcipuè Condæum & Rupellenses, vehementer consternauit.

Broagium in potesta tẽ Regis venit.

Pax in Gallia. Mompenserius animum Regis solicitare non desijt, donec tandem pacem vtcunque honestam exorsit, ea quadraginta capitibus expressa est: quæ omnia, quia nimis prolixum esset hîc recensere, ea tantùm ponemus, quæ ad Religionem pertinent. Et quidem in primis, vt Religio Catholica Apostolica Romana in omnibus Regni prouincijs, vrbibus, & pagis, vbi eius exercitium intermissum fuerat, restauraretur. Ne quis Ecclesiasticos in celebratione diuini cultus, fruitione, vsu, perceptione decimarum, fructuum, sacerdotiorum, iurium, & officiorum, quæ ad eos pertinent, interturbet, aut aliquo modo impediat. Qui belli tempore Ecclesias, ædes, facultates, reditus pertinentes ad Ecclesiasticos occupassent, eorum integram & pacatā possessionem dominis relinquerent. Omnibus Hugonotticæ Religionis hominibus pacatè viuere, & habitare in omnibus

Pacis cō-ditiones de Religione.

vrbi-

vrbibus & pagis totius Regni permittitur, ita vt à nemine cogi possint aliquid in Religionis negotio contra conscientiam facere. Nobilibus Caluinianis summam iurisdictionem habētibus, aut liberum feudum, exercitium suæ Religionis habere admittitur eo in loco, vbi suam habitationem præcipuè elegerint, siue illi præsentes fuerint, siue familia tantùm: In alijs ædibus, quādiu ibi præsentes fuerint, & hæc non solùm pro familia & clientibus, sed & pro omnibus eò venientibus. Inferioribus nobilibus idem conceditur, sed pro familia tantùm. Si tamen ex amicis ad eos venerint vsque ad decem, aut alij homines pro baptismo faciendo, modò denarium numerum non excesserint, fraudi id illis aut crimini non erit. Sic tamen Rex hæc intelligi voluit, vt eæ ædes non sint in vrbibus aut pagis, qui sunt Nobilium Catholicorum, liberum feudum habentium, sine quorum licentia aliud exercitium habere non licebit. Permittit etiam Rex Caluinianis cuiuscunque conditionis continuare suæ Religionis exercitiū in omnibus vrbibus & pagis, in quibus erat XVII. Septemb. illis exceptis, qui ad Catholicos pertinent. In quacunque Eparchia in suburbia vnius vrbis, aut in pago vno Religionis nouitiæ exercitium conceditur. In alijs locis prohibetur. Item in aula Regis, & finitimis à quatuor milliaribus locis, in Transalpinis regionibus, vrbe Lutetia, & ab ea xx. milliaribus nullum quàm Catholicæ Romanæ Religionis sit exercitium: Caluinianis tamen libertas conscientiæ permittatur, ita vt ad Catholicorum sacra non compellātur. Omnibus concionatoribus & professoribus mandatur, vt à conuitijs verbisque seditiosis abstineant. Iubetur Caluinianis, vt festa in Ecclesia Catholica Romana indicta obseruent, ita vt illis nec operari, nec vendere, nec væniam exponere tabernis apertis liceat, nec in diebus, quibus esus carnium est interdictus, macella aperire. Similiter vt seruent leges Catholicæ Ecclesiæ, in Regno Galliæ receptæ, quo ad matrimonia contracta, aut contrahenda in gradibus consanguinitatis & affinitatis. Hæc sunt quæ vtraque pars in negotio Religionis à Rege stipulata est, & obtinuit. Reliqui pacis huius articuli ferè cum iis conueniunt, qui in præcedentis anni pacto continentur. Pax hæc sub finem Septembris Condæo, qui tum Angeliaci erat, tradita est, cùm dies iam in tenebras abijsset, quam eadem ipsa hora tædis

1577

Pax Angeliaci et Rupellæ promulgata.

1577 tædis & facibus incensis publicari curauit, & die sequenti Rupellæ promulgata est. Erat enim omnibus regnicolis gratissima, præcipuè Hugonottis, & inter hos omnium maximè Rupellensibus, quos belli iam maximè tædebat, quòd multos inutiles sumptus fecerant, quòd insulis amissis omnis illis nauigatio esset interclusa, quòd neque suæ factionis Principes auxiliares copias, neque Angla mutuatitiam pecuniam, neque Auraicus cum Hollandis naues mitterent: Regis autē exercitus terra mariq; res feliciſſimè gerebāt. Quare plurimi mirabantur, Regem vbique victorem nulla necessitate coactum in hostes suos tam indulgentem fuisse, pacemque illis tam commodam dedisse. Ad Belgica reuertatur narratio.

Hugonottis & Rupellēsibus quàm accepta.

Austriacus iam Luxenburgum venerat, ibidemque responsum ad postremas suas literas ab Ordinibus expectabat, sed nullum adferebatur. Interea literas à Rege accipit, quibus ille mentem voluntatemque suam Ordinibus explicandam ostendit. Austriacus igitur XIIII. Octobris Ordinibus denuò sese erga pacem optimè affectum cùm exposuisset, significat se Regis literas XXV. Septemb. scriptas accepisse, in quibus ad omnia capita, de quibus copiosè ad eum scripserat, Rex respondisset. Harum autem hanc esse sententiam: Quòd Regia Maiestas decreuit, omnes & singulas pacis conditiones obseruare, iisque exactè & incorruptè satisfacere, modò & Ordines duabus, in quas iurârant, conditionibus satisfacerent, Romanam scilicet Catholicamque Religionem obseruando, & debitum Suę Maiestati obsequium præstando: quod quidem obsequium violatum conquerebatur, ideoque Regem optare, imò mandare, vt quod hac in parte peccatum est, corrigatur & instauretur, disertis expressisque verbis edicere, vt sibi exhibeant quæ omni iure humano & diuino debentur, quæ omni tempore habuit & vsurpauit, quæque ex scriptis factæ pacis conditionibus Regem habere conuenit. Vt arma, quæ ipsius iniussu sine ordine sumpserant, deponant, & in posterum ab imperio in milites abstineant, nec alios conscribant: sed id Regi relinquāt, cuius solius est suis clientibus subditis Tribunis, Centurionibus, & aliis in ista patria militibus imperare. Vt non patiantur Auraicum, eiusque complices fautores & administros vllum locum inter se habere, vt quos sciant capitales Catholicæ Religionis

Regis Hispan. ad Austriacū fratrem literæ.

Regis ab Ordinibus postulata.

nis & obsequij Regi præstandi hostes esse, quietisque 1577
publicæ perturbatores. Eò autem magis eos pro inimicis habendos, quòd Auraicus factæ pacis decretis stare neque voluit, neque Regis confirmationem ratam habuit, neque vnquam induci potuit, vt illa publico præconio promulgaretur: in plurimis etiam capitibus vim faciens fœderi Gandauensi, quod ante omnia sertum tectum obseruari oportebat, ostendendo non solū verbis, sed reipsa quàm bene & sincerè, quod dicerent, Ordines erga pacem affecti, hunc in finem omnia dirigerent. Vt eos omnes, qui post edictum pacis prouinciarum, vrbium, castrorum, magistratuumque præfecturas vsurpârunt, aut conscribendi vel ducendi exercitus auctoritatem sibi vendicârunt, suo gradu & officijs vsurpatis moueant: hæc omnia autem administrari sinant per eos, qui à Rege ad eas dignitates adsciscendi sunt. Vt arma sumpta populus deponens, ad sua consueta opera redeat, & in pristina tranquillitate positus artes suas exerceat. Vt omnes captiuos, & cum primis Terlonium, & Carolum Fuggerum, aliosque dimittāt. Vt euestigio cessare curent omnes vexationes, impressiones, & cætera hostilia, quæ Auraicus aduersus Amstelredamenses exercebat. Vt decreto pacis Germanis stipendium exoluant, vt illi quàm primùm ad patriam redeant, & ipsi quoque Ordines ad suas quique domos reuertantur, ibique generalia vniuersorum Ordinum Comitia expectent, quæ Rex intra paucos dies iustè & legitimè omnibus Ordinibus ex omni prouincia singulisque membris indicturus esset, vt ita tandem omnibus pacatis sub auctoritate & Regis potestate per Magistratus ab ipso deligendos in iuris & iustitiæ præsidio bona & laudabilis Respub. constituatur. His ita ex literis Regis expositis, Austriacus Ordines hortabatur, vt ad præscriptas conditiones sese cōponerent: omnes petitiones duobus illis capitibus de Religione & Regis obseruantia contrarias omitterent. Id si faciant, Regem pro sua clementia benignè illos tractaturum demōstrat. Se autem nunc primo quoque tempore, vti & prius fecerat, omnes externos, qui pro Religione & Maiestatis defensione reuersuri pugnaturique sunt, procul ab ista patria discedere curaturum & effecturum pollicetur. Quæ postulata Regis cùm æqua sint, pacique Gandensi consentanea, & talia, quæ à nullo Catholico aut fideli Regis subdito possint aut contem-

Austriacū ad Ordines monita.

1577 contemni aut reijci. sperare se ait Ordines ad ea, quæ scripta sunt, breui responsuros: sin minus, se (vti à Rege in mandatis habebat) ad remedia à Deo data recepturum habiturum, quibus Catholicam Religionem Regique debitum conseruet, atque in pristinum honoris dignitatisque locum vindicet. Tandem Deum testatur & homines neque Regis, neque sua culpa calamitates illas & incommoda, quæ consecutura sunt, accidere; sed Ordinum vitio & improbitate.

Cùm autem Ordines neque ad has, neque ad præcedentes literas quicquam responderent, XVII. Octobris tertias misit, in quibus præterquam quòd præcedentia obiter repetit, grauiter conqueritur de quorundam hominum factiosorumque temeritate improbitateque, qui literas vbicunque & quascunque possunt intercipiunt, ne fideles Regis clientes & subditi de volūtate sui Principis & supremi Domini tam benigni & clementis fiant certiores. Tandem illos iterum ad pacem, & tranquillitatem hortatur, & in optimis æquissimisque Regis, nihil ab illis præter Religionem Catholicam & obedientiam sibi debitam postulantis, promissionibus iubet conquiescere. Dum tam auidè responsum ad suas literas expectat Austriacus, Ordinum tandem literæ ad illum perferuntur, sed longè aliæ quàm expectârat. Nam inter cætera demonstrant, se libertati & quieti Belgarum patriæque deesse non posse, cùm tot iniqua per auaritiam & crudelitatem regiorum ministrorum passi essent. Addebant & alias expostulationes, querelas, minas, & conuitia. Quinimò sub idem tempus apologiam quandam ediderunt, in qua causæ suæ iustitiam & æquitatem demonstrare studebant: & tabellarios quosdam, qui literas Austriaci Bruxellas attulerant, carceri mancipârunt. Tantum enim erat quorundam in Religionem Catholicam & Regem suum odium, tantaque eorundem apud Ordines etiam Catholicos auctoritas, vt nullus promissionum aut minarum Regiarum locus esset reliquus: diffidentia enim, pessima tranquillitatis & pacis conciliatrix, tam altas in quorundam animis radices egerat, vt nullam dictorum factorumque sinceritatem & constantiam sibi possent persuadere.

Ordinum ad Austriaci & Regis petitiones responsum querelarum plenum.

Ordinum Apologia.

Spretis itaque omnibus Regis & Austriaci literis & monitis, Ordines Brabantiæ ad belli cōsilia se cōuerterunt: sibi enim magis quàm cæteri metuebant, eò

Ordines Brabātiæ de bello cogitant.

quòd

quòd belli hostilis sedi essent viciniores. Cùm autem Brabantini Gubernatorem, vt cęteræ prouinciæ habere non consueuerint (Prorex enim totius Belgij in Brabantia sedem habens, ei cum imperio Gubernatoris præerat) de Gubernatore nouo creando consulentes, XXII. Octobris Auraicum latrunculatorem Brabantiæ, quem patrio idiomate Ruardum, quasi tranquillitatis custodem, solent appellare, creârunt, vti & eodem tempore Flandri Ducem Arscotanum suum Gubernatorem renuntiârunt. Mox de nouo Concilio Statuum, penes quod summa rerum esset, constituendo actum est. 1577

Auraicus fit Ruardus Brabantiæ.

Dux Arscotanus Gubernator Flandriæ.

Cùm primarij Belgarum Proceres & Reguli, quorum maiores à multis seculis in Belgio nati, nobilissimis familijs oriundi, quorum egregia in Duces Brabātiæ extabant merita, quique pacis Gandauensis auctores, & libertatis patriæ, vt ipsi se venditabant, vindices extiterant, viderent Auraicum Principem insititium, qui paucis ante annis publicus hostis patriæ & Religionis habebatur, ad tantos honores tam subitò euehi, &, vt videbatur, summum Belgij imperium affectare, æmulatione inuidiaque exstimulati, se negligi existimârunt, quasi inter Proceres patriæ nullus tantæ auctoritatis, fidei, prudentiæ, experientiæque & consilij esset. Consilijs igitur collatis Proceres isti, numero circiter XX ex primarijs, honori suo derogatum existimantes, si ipsi Auraici imperio subessent, minimeque Catholicæ Religioni consultum fore iudicantes, si iuratus hostis eiusdem Religionis protector & vindex constituatur, de communi sententia decreuerunt, & honestius & tutius esse, si alius maioris dignitatis & auctoritatis Princeps, isque Catholicus, ad imperium prouinciarum Belgicarum euocaretur. Duo erant, qui hanc prouinciam iam pridem affectârant, se suaque ad defensionem Belgarum obtulerant: Archidux Austriæ Matthias, Rudolphi Cæsaris frater, & Alenconius, germanus Henrici III. Galliarum frater, Henrici II. filius, natu minimus. Non placuit Alenconius, propter vetus illud & Vatinianum inter Gallos & Belgas odium. Decretum igitur, vt Archidux Matthias ad gubernaculum Belgij adscisceretur: eum enim è regio sanguine procreatum, & Belgis fore amicissimum, cuius electionem Regi non displicituram propter sanguinis propinquitatem credebant. Dominum itaque Maelstedi-

Proceres Belgij, Auraico inuidētes de alio Gubernatore deliberant.

man

1577 um in Austriam ad Archiducem legatum miserunt, qui ipsum magnis promissionibus ad imperium prouinciarum Belgicarum inuitaret. Facta sunt hæc omnia Auraico, eiusquè fautoribus inscijs, qui postea de hac Procerum temeritate grauiter conquesti sunt. Maelstedius ita coram Archiduce orauit, vt ei persuaserit, prouinciam hanc non contemnendam, sed extemplò cum Legato in Belgium proficiscendum esse.

Matthiā Impp. fratrem aduocant.

Matthias Archidux, inscio & inuito Imp. fratre Vienna discedit.

Matthias itaque inscio & inuito fratre Cæsare Vienna Austriæ, portis clanculùm reseratis, de nocte exiuit. Id autem vbi Imperator cum animi dolore & cruciatu intellexisset, euestigio tam ex familia Archiducis, quā ex suis ipsius ministris multos ad eum insequendum & reducendum ablegauit. Misit præterea huc illuc literas ad omnes Principes Electores & alios, vt eum in itinere interceptum detinerent, & detentum nullo modo iter cœptum perficere paterentur, sed ad se reducerent. At Archidux cum exiguo comitatu (præter Cubicularium enim suum Dominum Danvvitzium, & paucos famulos secum neminem assumpserat) citatis equis magnis itineribus Coloniam, inde Liram in Brabantiam sub medium Octobris peruenit. Etsi frater cum per literas reuocaret, etsi Austriacus Ordines ab hoc instituto deterreret, scribens neminem posse aut debere Regis clientibus & subiectis imperare, nisi prius à Rege admissus & eius literis instructus, illi tamen in cœpto perseuerârunt. Admirabantur hoc factum supra modum Auraicus & eius asseclæ, grauiterquè de hoc conquerebantur. At illius auctores hoc vnum conabantur, vt Matthiam ad supremi Gubernatoris dignitatem eueherent, vt haberent quem nimium populari fauore crescenti Auraici auctoritati obijcerent, eumquè in officio continerent. Demonstrabant autem hanc vnicam esse viam, eamquè tutissimam conseruādæ Religionis Catholicæ & obedientiæ Regiæ, quæ alioquin periclitabantur. Addebant hac re minus Regem fore offensum, si videat Ordines non externum aliquem Principem, sed sanguine sibi proximè agnatum ad hoc munus assumi. Sufficiebant hæc plerisque ex Ordinibus, sed qui Auraico studebant, Religionisquè & Reipub. mutationem optabant, non sufficiebant. Quare auctores huius facti promotoresquè Archiducis vt vindicarent, omnem quærebant oportunitatem. Inter eos primarium Ducem Arscotanum constitue-

Coloniam primùm, deinde Liram venit.

bant.

bant. Ab hoc igitur initium huius vltionis ſumendum videbatur. 1577

Arſcotanus itaque iam Flandriæ Gubernator electus, in ſuam prouinciam profecturus, collectis multis nobilibus CCC. equitibus & XXIII. ſignis peditum V. Calend. Nouemb. Gandauum venit, & pro Gubernatore exceptus eſt. Mox Primores vrbis eum adeuntes cum tumultu importunoque clamore antiquorum ſuorum priuilegiorum reſtitutionem poſtulabant. Dux illorum videns inſolentiam importunitatemque, cùm lenitate eos placare non poſſet, increpauit, verba quædã intermiſcens duriora. Id cùm ſeditioſiores quidam, atque inter alios D. Oheynius, cognouiſſent, Rihouium & Embieſium, quorum ſumma erat ea in vrbe auctoritas, multis verbis incitârunt, vt aduigilent, ne quid Reſp. detrimenti accipiat. Ducem enim Arſcotanum, eiusque fautores incommodi aliquid machinari. Rihouius & Embieſius, vt erant ingenij turbulentioris, & nouarum rerum ſtudioſi, mox populum omnem conuocant, arma corripere, & ſe ad expeditionem parare iubent. Collecto populo de nocte ædes Ducis inuadunt, eumque cum omni conſilio captum cuſtodiæ dederunt. Capti ſunt in eodem tumultu Epiſcopi Ipereníis & Brugenſis, qui iſtuc nouo Gubernatori gratulatum venerant. Raſſigemius etiam, Sueuigemius, Eikius, Monſtronius cum filio, Iacobus Heſſelius, Præſes Flandriæ, & Ioannes de la porta conſiliarius. Ne autem hoc temere feciſſe viderentur, mox apologiam typis excuſam diſſeminârunt, cuius ſumma erat: Se Proceres iſtos comprehendiſſe, eò quòd Auraico Ruardatum, vt vocant, Brabantiæ inuiderent, eò ſpectare ipſorum conſilia, vt eundem Auraicum hac dignitate deſtituant: hunc in finem Archiducem inconſulto Rege & Ordinibus generalibus è Germania vocaſſe, hoc fine, vt ſupremum tandem Belgij creent gubernatorem. Eos etiam militares copias in vrbem introducere conatos eſſe, reſtitutionem priuilegiorum incolis negaſſe, ciues rebelles & ſeditioſos (antiquo epitheto) appellaſſe, arma in Auraicum ſumere, ni vltrò à magiſtratu latrunculatoris Brabantiæ decedat, communi conſilio decreuiſſe. Quid multis? hac tota Apologia nil aliud egerunt, quàm vt vulnus animi, ex eo conceptum, quòd viderent Auraico viam ad ſummum imperium perueniendi præcluſam, detexerint.

Arſcotanus Gandauũ proficiſcitur. 28. Octo.

Gandauenſes Arſcotanũ cum omni ſuo cõſilio, et alijs capiunt.

Apologia hoc factũ ſuum defendunt.

1577 At Ordines generales cùm intellexissent Archiducem, Regis è sorore nepotem, & Cæsaris Germanorum filium, Cæsaris item fratrem in Belgium venisse, sui muneris arbitrati sunt, eum salutare, & ex ignobiliori oppido ad vrbem nobiliorem transferre: miserūt, qui eum post magnificam salutationē secum Antuerpiam deducerent: vbi insigni pompa vndecimo Nouembris exceptus est, magnificentissimeque habitus donec conditiones, quibus ad supremum gubernaculum esset admittendus, conciperentur. Interea Ordines ad diuersos Principes suos mittunt legatos, partim vt se à suspicione seditionis purgent, partim vt eos in societatem belli pertrahant. Inter alios missus est ad Anglam Carolus Philippus Croyus, Marchio Hauereus, cum Adolpho Meetkerkio, qui ex mandato fœdus cum Regina pacti sunt, & ingentem pecuniæ vim ab ea obtinuerunt, ea lege, vt Ordines vicissim certas quasdam vrbes, quas ipsa nominaret, Anglis pignori obligaret. Quinque etiam millia peditum, & mille equites in vsum belli certis conditionibus promisit. Sunt & alia huius fœderis capita, vti & illud: Ordines cum nullo alio Principe contracturos nisi cum consensu Anglæ, aut in qua transactione ea comprehenderetur, quod suo staret arbitrio. Si autem Ordines cum Rege pacisci voluerint, ante omnia cauebunt, vt ei pacto omnia huius fœderis capita & alia, quotquot Anglæ placuerit, inserantur. Icto hoc inter Reginam & Ordines fœdere, Regina volens huius negotiationis æquitatem, vtilitatem, & necessitatem Regi Hispaniarum demonstrare, in principio mensis Decembris in Hispanias nobilem quendam suum VVillekes cum prolixa instructione legauit, primò conquerens se suamque fidem falsò apud Regem traduci, non se eius consilij vnquam fuisse, vt regios subditos ad seditionem moueret: quidquid à se hactenus in Belgio actum sit, id omne ad vtilitatem Regis à se factum. Negare tamen nolle, si Rex subditis suis pacem recusauerit, se à proposito minimè resilire decreuisse. Multa in Regem collata sua commemorat beneficia: Austriacum grauiter criminatur, vt qui occultas insidias cum captiua Regina Scotiæ in caput & perniciem suæ personæ machinatus esset: Ordinum promptam voluntatem ad conser-

Matthias Archidux Antuerpiam venit. 11. Nouē.

Ordinum Belgic. ad Anglam legatio.

500000. Angelos aureos.

Fœdus inter Anglam & Ordines Belg.

Angla per legatum Regi Hispan. de fœdere inito se purgat.

uandam pacem plurimis verbis commemorat: per 1577
vnicum Austriacum stare docet, quò minus optata diu & iampridem facta pace Belgæ non fruantur. Si itaque Rex pacem & tranquillitatem suis non inuideat, hanc vnicam esse viam eam restaurandi, vt Austriacus reuocetur, & alius supremus Gubernator è sanguine suo progenitus, Ordinibus & sibi gratior in eius locum remittatur. Id nisi Rex faciat, metuendum Belgas externi cuiusdam Principis imperio se submissuros, ad Regis & Regni Anglicani maximam perniciem. Quod tamen ne fiat, se omnibus modis aduigilaturam, &c. Hæc summa est istorum mandatorum, quæ Regina legato suo dedit in Hispanias perferenda. Sed neque legatus valde magnificè acceptus, neque purgatio Reginæ Regis animum affecit, vt qui thus aulicum nôrat, & quo loco huiusmodi purgationes armatæ habendę sint non ignoraret.

Austriacus Belgij hostis declaratur.

Interea Ordines generales metuentes, ne Austriaci partes plures & incolæ & vrbes sequerentur, eiusque vires quotidie augerentur, VII. Decembris Bruxellis Ioannem Austriacum fœdifragum, perturbatorem publicæ tranquillitatis, & hostem patriæ publico edicto declarârunt, reuocantes & citantes quotquot eius factionem sequebantur intra quindecim dies compareant, non comparentes hostes & rebelles patriæ haberentur. Decimo eiusdem mensis, vt arctiori se inuicem fœderi obligarent, pactum nouum condiderunt. In hoc Catholici Caluinianos aliosque sectarios in suam protectionem assumebant, iisque pollicebantur, se non permissuros, vt quæ ipsis iniuria causa Religionis fieret, aut insidiæ in ipsos intentarentur, conuicia in ipsos conijcerentur, aut quoquo modo irritarentur; sed vt quietè & tutò, iuxta pactum Gandauense vbique viuerent. E contrario Sectarij (non enim vno nomine ob sectarum diuersitatem appellare possum) Catholicos in suam defensionem accipiunt, tam Ecclesiasticos quàm seculares, vt vnusquisque in suis bonis, dignitatibus, honoribus, priuilegijs, & possessionibus, qualiacunque ea esse possent, permaneat, in quibus se mutuò tuebuntur & conseruabunt. Promittunt se communibus viribus Priuilegia, consuetudines, & iura communis patriæ pro-

Vnio inter Catholicos & Sectarios in Belgio iurata.

1577 pugnaturos: si quæ antiquata, collapsa, & violata sint, ea restauraturos. Iurant denique, se communibus suffragijs Archiducem Austriæ Matthiam pro supremo Gubernatore suscepturos & agnituros, donec Rex de communi Ordinum sententia aliud hac in re statuat, eius imperio quoque obtemperaturos secundùm conditiones illi, antequam ad hanc dignitatem euehatur, proponendas. Hoc iuramentum aduersarijs Regis Catholicæque Religionis commodissimum, Catholicis verò minimè vtile (quid enim Ecclesiasticis in Hollandia Zelandia &c. illud vnquam profuit?) ab omnibus Prælatis, viris Ecclesiasticis, Nobilibus, Iudicibus, vrbibus, & oppidis Ordinum generalium membris est approbatum, & iureiurando confirmatum.

17. Decēb. Matthias Archidux Belgij Gubernator decernitur.

Rebus omnibus è voto compositis, & conditionibus, quibus Archiducem ad imperium admittere constituerant, in formam iuramenti descriptis, XVI. Calend. Ianuarij ad eum Antuerpiæ adhuc agentem misere Abbates S. Gertrudis & Marolleum, Ducem Arscotanum, & Baronem de Fresijn, cum alijs, vt ei conceptis iam conditionibus gubernaculum Belgij offerrent, ingentemque pecuniam ad sui sustentationem pollicerentur. Lectis conditionibus Archidux oblatam prouinciam minimè contemnendam arbitratus, illam conditionibus propositis accepit. Quæ conditiones, cùm nouam quandam Reipub formam, Belgis hactenus, vt multis videbatur, inusitatam, referre videantur, hoc loco attexere non grauabor.

Conditiones gubernationis Matthiæ Archiduci à Belgis propositæ.

Principio ipse patriam gubernabit cum consilio Status, ab vniuersis Ordinibus constituendo, & eligendo ex eorum numero, qui sunt in his prouincijs oriundi, addicti & fideles patriæ, & ad hoc munus maximè idonei. II. Omnia negotia, in dicto Consilio agitanda, & tractanda, pluribus dicti Consilij suffragijs transiguntor & definiantor, neq; dictus Gubernator pro ijs mutandis ad aliqua consilia priuata aut secreta receptum habeto. III. Si deprehēdatur, q aliqui Cōsiliariorū, vel alij, qui cū officio aut dignitate sunt, aliter se in suis munijs gesserint, quā decuit, aut grauiori pondere negotiorum premātur, ad petitionem Ordinum generalium res determinabitur. IV. In rebus magni ponderis & momenti, ad patriam vniuersam spectantibus, ipse inscijs & inconsultis vniuersorum Statuum Ordinibus nihil attentato. V. Simi-

liter

liter & ipsi Ordines generales tractaturi res graues & 1577
arduas,omnibus prouincijs cõmunes, vt sunt constitu-
endæ exactiones,æs alienum & mutuũ petendũ, bellũ,
pax,pacta fœdera cum Principibus aut populis ineuda,
vel inita,aliaq; his similia priusquã res definiatur, aut
certi aliquid de ijs statuatur,tã ad cõspicuos magnę au-
ctoritatis viros,quã ad plebeios homines referunto,cũ
æquum sit illud ab omnibus probari, quod ad omnes
pertinet:præcipuè cùm illud ipsum antiqua priuilegia
& vsus patriæ requirant. VI. Præter communem & vsi-
tatam rerum consuetudinem,inscijs &inconsultis Or-
dinibus generalibus, legitimè propterea conuocandis,
ipse edicta & nouas cõstitutiones per se ne facito. VII.
In summa,Gubernator in omnibus rebus hisOrdinum
generaliũ suffragia consulito,in quibus Princeps natu-
ralis,tanquã Dux Brabantiæ,tenetur Ordinũ Brabãtiæ
sententias rogatas colligere, sic tamen, vt delegati di-
sceptatoresque prius ordine & debitè ea cõmunicent cũ
suis,à quibus missi sunt superioribus. VIII. Omnium
literarũ,quas accepturus est, quocunq; modo de patriæ
rebus tractantiũ, dictũ Consiliũ particeps esto, vt col-
lectis consiliariorũ suffragijs,quid de illis faciendũ sit
definiri possit. IX. In dicto Cõsilio nulla negotia tra-
ctantor,quæ sunt alicuius momẽti,aut quæ ad Reipub.
statũ pertinent, nisi maior numerus consiliariorũ ad-
sit.X. Omnia in dicto Consilio acta,transacta,expedita,
& iudicia annotabũtur & subscribentur.XI.Dictus Gu-
bernator restituito & confirmato omnia quæcunq; &
qualiacunq; antiqua priuilegia,vsus,cõsuetudines,quę
ipsi læsa,violata.aut violenter erepta fuisse possint o-
stendere.XII,Disceptatores & legati Ordinũ cõgregati
simul manento,quãdiu ipsis cõmodum videbitur,pro-
ut negotia postulabũt, & generales Ordines toties quo-
ties ipsis visum erit congregantor. XIII. Ad preces &
petitiones alicuius prouinciæ, in qua aliquid inspera-
tũ accidet,propter quod debeant prouinciales cõueni-
re,necessariò statim congregantor, non expectato mã-
dato,aut potestate eis à Gubernatore facienda, XIIII.
Alicuius singularis prouinciæ Ordines toties congre-
gantor,quoties libebit,aut quoties ipsi iudicabũt expe-
dire. XV. Fœdera pacis Gandauensis in omnibus & sin-
gulis articulis obseruantor, neq; vsquã sub aliquo cu-
iuscunq; rei prætextu violantor. XVI. Et ne quisquam
cauillatione vel insigni aliqua captione decipiatur,aut

1577 ratione interpretationis dicti decreti Gandensis incõmodum aliquod aut damnũ accipiat: Articulus ille de ſcandalis per Ordines declarator, quemadmodũ & cæteri omnes, qui in dicto decreto continentur. Quoties autem diſſidium orietur, aut quando erit controuerſia de vera & genuina alicuius capitis ſententia, ea ad Ordines legitimè congregatos refertor, per eoſdem cõponenda. XVII. Sæpe dictus Gubernator neq; habeto, neq; petito aliud ſuo corpori tuendo præſidiũ, quàm quod pro temporis ratione Ordines iudicabunt conuenire. XVIII. Electiones creandorũ Tribunorũ exercitûs, ſiue ille terra, ſiue mari ducendus ſit, vt ſunt Archithalaſſi, Magiſtri equitũ, duces, legati, & alia honoratæ militiæ nomina conſentientibus Ordinibus penes Gubernatorẽ & eius cõſiliarios ſunto. XIX. Gubernatorẽ nullum alicui prouinciæ dato abſq; voluntate Ordinũ eiuſdem prouinciæ: eſto idẽ, ſi poſſibile ſit, eius prouinciæ incola, ſiue poſſeſſiones annuosq; fructus in ea habeto, aut vt minimũ prouincialibus gratus eſto, & acceptus. XX. Gubernator ſua auctoritate milites vllos pedites aut equites ne conſcribito, neq; præſidiũ aliquod in vlla ciuitate collocato, niſi id prius ab Ordinibus probetur, & ciuitates, quæ ſunt præſidiũ recepturæ, audiantur. XXI. Tempore belli omnia, quæ alicuius momẽti erunt, per rei militaris conſiliarios, ab Ordinibus illi adhibẽdos, ipſe adminiſtrato. XXII. Ipſi, qui de belli cõſilio appellantur, nihil certi de belli conſilio definiũto, priuſquã ea, quæ cõſtituerint, ad Ordines referãtur. XXIII. Gubernator, hic & oẽs, qui poſt eũ gubernatores futuri ſunt, pro priuilegijs, quæ ſunt, aut aliquãdo eſſe potuerunt, itẽ Tribuni & præfecti militũ, & alij honoratioris nominis milites, Regi ſuo Principi naturali, & Ordinibus patriæ fidelitatis iuramentũ dicent. XXIV. Dicto quoque iureiurando ijdem ſanctè promittunto, ſe omnes articulos & capita commemorata, & præcipue omnia, & quæcunque priuilegia, iura, vſus, & patriæ conſuetudines erigendas, reſtaurandas, & ſtabiliendas curaturos, eademque obſeruaturos. XXV. Milites tam communis patriæ Ordinibus, quàm Regi Principi ſuo naturali ſacramentum danto. XXVI. Stipendium & æs militare diſpertiuntor, quemadmodum ipſis Ordinibus viſum erit, aut quemadmodũ illi iudicabũt expedire, penes quos eorum diſtributionẽ eſſe volunt: ſiquidem Regis & vniuerſæ patriæ bona præter modũ

ſunt

sunt obærata. XXVII. Ordines ea, quæ à Regnis & vicinis Principibus deferentur, si necessitas postulet, accipiunto, & maxime si ipsis bellum inferatur: & Gubernator omne id mutuū, quod hactenus sumpserunt, & adhuc sumēt, ratum habeto. XXVIII. Extremo iure absq; omni misericordia actiones instituūtor, & cōtra eos supplicia decernuntor, qui arma contra Ordines & patriam sumpserunt, aut qui à partibus D. Ioannis Austriaci stant. Iudiciū sententiaq; in eos lata, eiusq; executio à nemine differtor, aut impeditor, vt deinceps nō sit, qui Reipub. statū & tranquillitatē perturbare audeat. XXIX. Gubernator iurato, quòd si permoueri se sinat, vt promissionē suam, qua se omnia prædicta capita obseruaturū promisit, aut ex parte, aut ex toto violet, atq; infringat, se Ordines iureiurando solutos habiturū, nec Ordines teneri in posterum ipsi audientes esse. Quòd si fortè eos ad obediendū velit cogere, priusquā priorē culpā expiauerit, potestas ipsis erit arma corripere ad legitimam sui defensionē, secundū priuilegiorū patriæ præscriptum. XXX. Arces, quæ nondū destructæ sunt, sed tantùm destrui cœperunt, citra omnem controuersiam destruuntor, & radicitus extirpantor. Quod verò ad alias arces, à qbus patriæ & his prouincijs aliquod periculum aut detrimentum est metuendū, de ijs Ordines suo tempore pro æquitate & ratione disponēt. XXXI. In ea, quæ sub vltimis tumultibus peccata, aut admissa sunt, nulla habetor inquisitio: siquidem sub illa sempiterna obliuione in pacificatione Gandauensi decreta comprehenduntur, exceptis ijs, de quibus tertius ab hoc agit articulus. Et quæ per Ordines generales post discessum Ioannis Austriaci in arcem Namurcensem gesta sunt, ea omnia Gubernator tanquam bene, approbato rataque habeto, neque in minimo his contrarium facito. 1577

Hæ sunt cōditiones, hi articuli, hæc capita, quibus Archidux supremi Gubernatoris munus in Belgio suscepit. Sed quia adhuc adolescēs erat, (vix enim xx. annū cōpleuerat) minimeq; tāto oneri ferendo par, vt qui nunquam militiā tractârat, nunquam Rempub. administrârat, visum fuit ei dare pædagogū, à quo instrueretur. Dum omnia despiciunt, nemo isti muneri obeundo aptior visus est Principe Auraico, vt qui semper in Repub. Belgica versatus, ita ad Principum voluntatē se componere, ita popularibus studijs se accommodare

1577 nouerat, vt à Cæsare & Rege præsentibus semper amaretur, iis in Hispaniam profectis à populo tantùm non pro Deo quopiam coleretur, semper tamen populi quàm Principum suorum (vt ipse in sua contra Regem Apologia gloriatur) studiosior. Vt igitur Ordines Auraico gratificarentur, & populo satisfacerent, Auraicum Archiducis legatum seu vicarium, instructorem & factorum dictorumq; illius inspectorē creârunt. Hactenus originem, fontes, & causas secundi belli ciuilis in Belgio cōmemorauimus, ea fide & sinceritate, qua potuimus, in qua narratione si prolixiores fuerimus, considerate materiam hanc prolixitatem postulasse; magni enim belli magnum & firmum iaciendum erat firmamentum. Ex plurimis ea desumpsimus tantùm, quæ videbantur necessaria. Si quis plura desideret, habet Apologiam D. Ioannis Austriaci, habet Apologiam Ordinum Blegicorum, has consulat.

Auraicus Matthiæ Archiducis Vicarius.

Dū hæc aguntur in Belgio, Hispani, per spē pacis ab Austriaco dimissi, in territoriū Genuense adhuc morabantur. Genuēses verò metuentes sinistrū Hispanorū consilium, cùm fauore Veterum ob superiores dissensiones niterentur, omnia eorum acta & consilia obseruabant: verebantur enim, ne aut vrbem ex improuiso inuaderent, aut aliquod munimentum ad eam diuexandam extruerent. Supplicabant igitur Regiis administris, & Mediolanensi præfecto, vt ipsos eo metu liberaret, & Hispanicas copias agro Genuensi educeret. Parata iam erat classis, quæ Hispanos in suam transportaret patriam, cū ecce veredarii velocissimis equis accurrunt, nuntiantes omnia in Belgio iterum turbata esse, vasa extemplò conclamarēt, & Luxenburgū redirent. Atque ita Ligures omni metu liberati sunt. Eodē tempore classis Turcica, quæ CCC, constare dicebatur triremibus, & breui ad exitiū Christianorum exitura, Venetorū animos vexabat. Magnæ quoq; copiæ ad Castrū nouum conuenerant. Sub id naturæ cōcessit Aloysius Mocenicus Venetorū Dux, cui inusitato Patrū fauore omniū suffragiis suffectus est Sebastianus Venerius, vir nō solū integritate vitæ & prudētia clarus, sed & quem rerum bellicarum gloria, & in primis nauales victoriæ illustrabant. Qui consentiente Senatu Gussoniū equitē Florentiā misit, Magnumq; Hetruriæ Ducē & Sublimitatis, & Serenissimi titulis cohonestauit, quòd iam res Cæsareo decreto esset comprobata.

Hispani in Belgiū reuocantur.

Turcica classis.

Sebastianus Venerius Venetorum Dux.

Nec

Nec ita multo post incredibili incendio Palatiũ Venetum deflagrauit, quo magna copia nobilium & antiquarum picturarum, publicorum priuatorumq; scriptorum perijt, non sine magna vrbis trepidatione, magna vi ventorum sollicitante incendium. 1577

Amstelredamẽses adhuc in fide Regis, eiusque obedientia permanentes, comprouincialium suorum conatus improbabant: Regem legitimum suum Comitem, Austriacum Gubernatorem agnoscebant: Matthiæ imperium, & Auraici impotentem dominationẽ repudiabant: Catholicam religionem incontaminatã seruabant. Quamobrem digna atque indigna ab Auraico & suis complicibus patiebãtur. Tandem 23. Nouemb. chiliarcha Helling, & capitaneus Ruich hauer per insidias, cum aliquot militibus vrbem ingressi, cæsis in porta excubitoribus, ad forum procurrunt, obuios quosque occidunt, Senatoriam domum occupare tentant, vrbemq; suam esse vociferãtur. Ciues attoniti confestim ad arma ruunt: fit atrox multis in locis pugna. succedunt nouæ hostium copiæ: ciues in eos impetum facere, retardare, in fugam vertere; hostes audacius resistere, munitiones ligneas extruere, in ciues glandium imbrem effundere, multi vtrinque cadere. Sed cùm iniuria vẽti expectatæ vires tardius aduentarent, post aliquot horarum pugnam, Geusij vrbe eiecti, in naues, vtroq; Capitaneo interfecto, multisq; suorum desideratis, se turpiter receperunt.

Geusij Amstelredamum per insidias ingressi, accepta clade reijciuntur.

Auraicus nunc ex hoste factus amicus, & tot dignitatis titulis auctus, Bruxellis Gandauum profectus est, fratre suo Ioanne Nassouio comitatus, vbi incredibili pompa XXIX. Decemb. exceptus est. Inter alia corde aureo adaperto, cum inscriptione SYNCERITAS, donatur, & Comœdia Iudæ Machabæi salutatur.

Auraicus Gandaui honorificè exceptus.

In Gallia hoc anno Parisijs Chirurgi à Medicorum schola defecerunt, & seorsim sua omnia agere, publicè Chirurgiam docere, priuatum denique corpus conficere cœperunt, Medicis frustra reclamantibus, & se ipsorum Patres esse demonstrantibus. In eadem vrbe Parisiensi hoc tempore Grassinorum Collegium absoluitur, pecunia testamentaria Grassini Senatoris: quod Collegium prioribus additum, efficit vt nunc Parisijs LIIII. Collegia existant, eaque omnia ferè ab Ecclesiasticis vel condita, vel locupletata.

Graßinorũ Collegiũ Parisijs.

1578 *Cometa.* Multum curarum & trepidationis hoc tempore attulit Cometa, qui III. Iduū Nouemb. primùm magnitudinis inauditæ inter circulum Arcticum & Tropicum Cancri in Nouilunio apparuit. Nam cùm inter Aream & Aquilam arderet, ita erat incensa, vt Aquilam comburere videretur, & flammas siue comam in Austrum conijceret, quæ ad Cancri vsque Tropicum protendebatur. Apparuit ignis primùm quasi amplissimæ fornacis: sed cùm Luna succreuisset, factus est languidior, & communibus Cometis similis. Deinde cùm Saturni stella coniūgebatur, eratque eiusdem penè coloris, Turcarum terror, & Belgicarū calamitatum prænuntius.

ANNO M.D.LXXVIII. pacata nunc vtcunque Gallia, cæterisque Christiani orbis prouincijs & regionibus alta pace fruentibus, tota penè belli moles Belgis & Polonis incubuit. Cùm enim in Belgio anno præcedenti Austriacus cum omnibus, qui ab illo stabant, hostes essent proclamati, & iam Austriacus videret necessariò ad bellum veniendum esse, magnas vndique vires coëgit. Erant iam in procinctu Hispani, nuper ab Austriaco dimissi, vnà cum Alexandro Farnesio Parmensium Principe, & multis Italis. Carolus quoque Mansfeltius magnas Gallorum adducebat copias. Burgundiones & Germani magnis etiam itineribus in Belgium contendebant: qui omnes Marchiæ in Faminia conueniebant, constabatque totus exercitus peditum millibus sedecim, equitum verò duobus. Antequam verò Austriacus hostile quid tentare voluit, publico edicto typis excuso Belgis demonstrauit, se nullam aliam ob causam bellum hoc necessarium auspicari, quàm vt rebelles ad conseruationem Catholicæ, Romanæ Religionis, & Regi debitam obseruantiam cogat. His duobus saluis, nec Regem, nec se quicquam præter pacem & tranquillitatem petere. Saperent igitur, & imminens bellum à suis ceruicibus depellerent: Regem omnibus regionibus, vrbibus, pagis, nobilibus, & viris militaribus omnem beneuolentiam offerre: quam si contemnerent, secutura belli incommoda, non sibi, sed Regi rebellibus imputari debere protestatur.

Austriacus exercitum vndique cōgat.

Comes ab Hoënloe adhuc in obsidione vrbis Ruremundēsis hærebat, quā magnis aggeribus, multisque

propugnaculis clauserat. At Pollevvillerus cum suis, qui in præsidio erant, vrbem fortissimè propugnabat. Cæterùm cùm obsidio in longum protraheretur, Austriacus veritus, ne quid tādem obsessis deesset, Hirgiū & Mondragonium eò cum lectissimis aliquot copijs misit, ea celeritate, vt iam adessent, priusquam venire nuntiarentur. Obsidentes ad hostis conspectū omnibus tormentis atque impedimentis relictis, sese in fugam coniecerūt. Hirgius liberata obsidione Ruremūda, misit ex suis trans Mosam, qui eadem facilitate VVartæ Comitatus Hornensis Metropoli annonam subuexerunt.

1578 Ruremūda obsidiōne liberatur.

VVartensibus commeatus aduehitur.

Interea XVIII. Ianuarij Archidux Matthias cum Principe Auraico Bruxellas, veterem Principum Brabantiæ sedem profectus, regali cum pompa, magnificis epulis, & vario ludorum genere exceptus est. Post biduum in publico foro Gubernator supremus Belgij declaratur, & è curia multa cum solennitate in conditiones paulo ante commemoratas iurauit.

Archidux Matthias supremus Belgij Gubernator.

Austriacus iam ante Marchionem VVarenboniū in Austriā ad Cæsarem, & quosdam alios Germaniæ Principes miserat, rogatum, vt excusationē suam aliquo facto iustam declararent. Id autē fieri posse ostendit, si prohiberent, ne rebelles Belgarum Ordines in Germania nouos equitatus aut peditatus conscriberēt. Ad Ordines quoque idem Austriacus scripsit, demonstrans Archiducis inaugurationem pugnare cum Ordinum dicto sacramēto, cum pace inter se & illos inita, cum Regis auctoritate: postea quam ista inauguratio absque Regis consensu facta esset. At Ordines has Austriaci literas contemnentes, ad Regem ipsum scripserunt: addiditque Archidux literas suas, electionis & gubernationis confirmationem flagitans. Quia verò Ordinum capita erant multa, & inter Proceres quidam oculatiores, videbant quorsum hæc noua tēderet administratio, & quem esset habitura finē, si ex Hollandorum, Zelandorum, Auraici, & qui illorum partibus studebant omnia gererentur arbitrio: variabant eorum sæpe cōsilia, & certi nihil potuit cōstitui. Cunctanter itaque agebant Ordines contra Auraici voluntatem, cuius consilium erat, totis viribus, nulla mora hostem oppugnare: multo enim facilius esse inermē eijcere, quàm armatum exterminare, eiectumque postea minori cum negotio ne redeat arcere, quàm tum demum,

Marchio VVarēbonius Austriaci ad Cæsarem legatus.

1578 demum, cùm auctus sit viribus, expellere. Paulò post datis quibus debebantur stipendijs Ordines copias omnes conuocârũt, & Namurcũ seriò, præmissa Montignij legione, obsidere cœperunt, sub imperatore Laleinio peditum præfecto, & Vicecomite Gandauensi equitum magistro.

Namurcũ ab Ordinibus obsidetur.

Comitia Polon. de bello Moscico.

Dicebamus anno præcedenti Poloniæ Regem Comitia VVarsauiam in mensem hunc Ianuarium indixisse. Aderat iam tempus constitutum. Cùm ad Comitia ventum fuisset, primo die solẽni sacro peracto, altero de Repub. & præcipuè de Mosci & Tartari injurijs ad Ordines Rex fert; bellumque ne cum vtroque, aut cum alterutro istorum velint, rogat. Nam & Tartarus sub discessum Henrici Regis fines sæpe hostiliter ingressus, populationibus eos, rapinis, omnique immanitatis genere sæpe vexârat, & Gedanensis obsidionis tẽpore magna manu facta, prædas egerat, in Volhiniam excurrerat, Ducẽque Ostrogiæ obsederat. Cum Tartaro nihilominus in præsens bellum dilatũ, cum Mosco decretum, eò quòd ex hoc opibus, vrbibusque florentissima olim prouincia Liuonia, & cum alijs oportunitatibus, tum maximis maris commodis affluens, præter maiorem gloriam, victoriæ præmium sperabatur. Actũ deinde est in ijsdem Comitijs de pecunijs ad idem bellum necessarijs, de iure dicundo, de controuersijs quibusdam inter Regem & nobilitatem, inter Ecclesiasticum etiam & ciuilem ordinẽ, de proscriptionibus. Quibus omnibus placidè cõpositis, auditi sunt Principum legati. Georgius Fredericus, Marchio Brandenburgensis, ad valetudinarij agnati sui Alberti Frederici, Alberti Prussiæ Ducis filij curã admissus fuit: inuestitura (quam vocant) accepta solenne iuramentum Regi præstitit. Interfuerunt his cæremonijs Saxoniæ Electoris, & VVirtẽburgici Ducis legati. Aderant & Pomeraniæ Ducum legati, qui Principũ suorum nomine in Bithouiensem, Leoburgensemque tractum ius, maiestatemque Regni agnoscebant, literasq; inuestituræ accipiebant.

Inuestitura.

Legatio Polonica à Mosco malè habita.

Interea legati Regis Poloniæ, quos in Moscouiam miserat, ad Magnum Ducem venerũt, à quo contumelijs, ludibrioque excepti, indignissimè habebãtur. Multa in nomen Polonicum & Lituanicum cõtumeliosè audire, multa pati cogebantur: adeò, vt nisi sordida, vilissimaque cibaria per summam indignitatem ijs

Dux

Dux ministrari iusserit. Ad colloquium tandem admissi, cùm se de inducijs tantùm mandata habere dixissent, trium annorum inducias ipsis dat. Fiunt duplices literæ: quas legati subscribere iubebantur, puræ erant, nulla addita conditione: quas Regi perferendas sub sigillo suo legatis dabat, ijs has conditiones adiecerat, vt vniuersa Liuonia, vnà cum Riga & Churlandia, quæ in potestate Regis adhuc erant, & quicquid ad fines vsque Russiæ pertineret, Rex sibi cederet: Liuonē nullū, subsidium suum implorantem, multo minus ciuitatem vllam in fidem suam susciperet. Vtrasq; cùm ex more iureiurando confirmare deberet, remotis ijs, in quas legati ante iurârant, solas posteriores proferr, dictoque sacramento in eas se obstringit, statimq; legatos Moscouia exire iussit. Hæc Ducis impostura Polonorum animos magis irritauit. Dux interim nouas copias in Liuoniam ad expugnandam Vendā misit, quam tamen irrito conatu diu oppugnauit, Dembinio fortiter illam defendēte, donec Vere nouo Mosci obsidionis partem soluerent. 1578

Fraus Mosci.

Moscus Vendam frustra obsidet.

Sub idem ferè tempus Magnus Daniæ Regis frater à Mosco defecit, cuius fratris patruelis filiam in vxorem duxerat. Territus verò crudelitate Mosci, quodq;, ademptis ei, quæ tenebat in Liuonia, castellis, ad fines Scythiæ deportare illum in animo haberet, per indicium cognito, cùm quanto in periculo versaretur cogitaret, abeundi ab eo consilium cepit, paulatimque è potestate eius se subducens, Lempsaliam inde propius Rigam, ac fines regios se recepit, Regemque per Ducē Churlandiæ, crebrosque internuntios ac literas, vt in fidem se reciperet, solicitabat. Id licet Rex initio, re tam dubia, facere noluerit, pòstea tamen misso ad eum Nicolao Radziuilio, certis eum conditionibus in fidem recepit. Interea Rex certior de euentu legationis Moscicæ factus, statim misit ad Magnum Ducem Georgium Haraburdam, qui non aliter inducijs ijs teneri se velle Mosco renuntiaret, quàm si de Liuonia conditionem, quæ à legatis accepta non esset, remisisset. Moscus retento Haraburda legationem ad Regem, quæ ad rata habenda pacta induciarum, iuramentoq; confirmanda eum adduceret, destinat, & præcipitante iam æstate exercitum alium, multo priore validiorem ad Vendam, quam adhuc obsidione premebat, mittit. Reliquum anni tempus in Polonia, consilijs, pecunijs,

Magnus Dux à Mosco deficit.

Vēda iterum obsidetur.

1578 pecunijs, & apparatibus cogendis absumitur.

In Belgio iam omnia ad bellum erant parata. Cùm verò Ordines intellexissent, Austriacum è Luxenburgo mouere, & toto cum exercitu Namurcum contendere, eius aduentum minimè expectandum esse decreuerunt, sed conuasatis omnibus, relictisque castris, in interiorem Brabantiam sese recipere constituerunt. In fronte agminis constituerunt legiones Montignij & Hesij, in tergo legiones Egmondani & Lumæi, medium occupabant Bossuitius & Champignius, cum XIII. signis Scotorum, & multis Anglis. Præfectus armamētarij designatus erat Mottæus: totus exercitus LVI. vexillis peditum, quatuor cataphractorum equitum, CCCC. ferreolis, & duabus cohortibus sclopetariorum equitum constabat: qui omnes à Domino Gonignio Archistratego, & Marchione Haureo ducebantur.

Namurcū obsidione liberatur.

Austriacus interim, tentato Mosæ fluminis vado, exercitum traducit. Erant in eius castris variarum nationum peditum millia sedecim, equitum verò duo. Præmissis aliquot equitum turmis Austriacus, quid in castris Ordinum ageretur, iubet explorari, ipse cum Parmensi subsequitur. Cognitum est ex captiuis, hostē castra mouere, & se in tutum recipere decreuisse. Misit itaque Austriacus ante solem exortum Hernandum Acostensem, Antonium Oliueram, & alios nonnullos, qui vias, quâ ituri essent hostes, lustrarent, diuisoque equitatu peditatuque in tres globos, ipse nemus propinquum cum reliquo equitatu, peditatuque ingreditur, vt terga tueretur.

Austriacus Mosam traijcit.

Manè succensis castris Ordines sese mouent: præmittunt pedites, equites subsequuntur. Cùm verò in Octauium Gonzagam incidissent, cœptum est prœliū leue initio, sed increscente paulatim, nouis ab Austriaco turmis submissis, Parmensis cùm Gonzagam & Mondragonium eò processisse cerneret, vt sine periculo pedē retrahere non possent, ipse cum equitatu Bernardini Mendocij, Curtij, Martinengi, Fernandi Toletani, Camilli, & Ioannis Baptistæ Montiorum, Alonsi Vargæ, Georgij Macuræ, Antonij Auilæ, Ascotensis, Oliueræ, Falconeti, custodijsque Austriaci aduolat, & tanta contentione in equitatum hostilem irruit, vt vim eius sustinere hostes non possent. turbato itaque agmine fugientes, peditatum suum citatis

Ordines ad Namurcum cadūtur.

equis perrumpunt, ordines interrumpunt, & socios 1578
equinis vngulis conculcant. Cæsa sunt (vt quidam scribunt) hoc prælio à duobus tantùm equitum regiorum millibus, 10000. pedites, equites non pauci. Captus dominus Gonignius, & in gratiam receptus; capti 600. milites Belgæ, qui Namurcum ducti, extemplò suspendio necantur, eò quòd ipsi paulò ante captis Austriaci militibus nares, aures, ac digitos præcidissent, immanique in eos crudelitate desæuijssent. Venerunt quoque in manus Austriaci 30. vexilla peditum, & 4. equitum, cum tormentis campestribus, alioque apparatu non contemnendo.

Parta hac victoria, Austriacus hostem, qui se ad oppidum Gemblacense receperat, insequi iubet: vbi prælio redintegrato, superati tandem qui Ordinibus militabant effusa fuga Bruxellam versùs properârunt, regijs eos insequentibus, & passim trucidantibus, donec profunda nox eos, qui supererant, ex hostium conspectu exemerit. Desiderati sunt (vt quidam scribunt) vtroque hoc prælio ex Austriacis tãtùm decem. Austriacus interim Gẽblacense oppidũ deditione capit: in quo multa tormenta bellica, commeatus in multos mẽses, omnisque apparatus bellicus inuentus est: erat enim oppidum hoc, vt Namurco vicinum, ab Ordinibus electũ, vt eorũ esset & penus & armamentariũ. Acta sunt hæc 31. Ianuarij, 1. & 2. Februarij. Curia, quæ Bruxellis erat, cum Matthia Archiduce, Auraico, cæterisque aulicis, omnibus conuasatis, audito nouo infortunio, sese Antuerpiam transfert.

Gemblacum capit Austriacus.

Ad hanc Austriaci victoriam consternatis Belgarũ animis, Louanium, Arscotum, Diesthemum, Thenæ, & Levven oppida Brabantiæ, confestim se Regis fidei commiserunt, eius præsidia accipientes. Sichemenses, cæteris peruicaciores, obsidionem expectant: in quos Hispani expugnato oppidulo insigne temeritatis exemplum statuerunt.

Austriacus multa oppida deditione capit.

Misit deinde Austriacus Mansfeltium Carolũ cum quibusdam Gallorum copijs ad expugnandam Niuellam, quam Villersius tuebatur, cum quinque peditum centurijs. Stratæ sunt ruinæ, pugnatum quartò: sed cùm oppidani nullũ subsidium expectarent, XII. Martij oppidum certis conditionibus dediderunt. Recuperata Niuella Austriacus exercitũ Reulxiam misit, & Sognesiam, quæ oppida mox deditionem fecerunt. Inde Bin-

chcum,

1578. cheum, Beaumontium, VValcourtium, Maubuga, & Chimæum sese Regis fidei reddiderunt. Oppidum Hannoniæ Sangeleinium astu penè in manus Austriaci traditum fuisset: at vigilantia Harnisartij impeditum fuit, qui clam militem introduxit. Circa initium Aprilis Austriacus ope Baronis Cheureau, & Baptistæ de Montibus præsidiarios nonnullos vrbis Traiectensis ad Mosam pecunia corrupit, qui vrbem sibi tradituros se receperant. Hi capto Hesio è familia Hornana, & Gaesbekia, vrbis gubernatore, omnibusque Tribunis & præfectis suis, opportunitatem vrbis tradendæ quærebāt. Quod cùm suboluisset ciuibus, mox correptis armis, & in auxilium vocatis alijs signis, qui in fide Ordinum permanebant, in quibus multi erant Angli, sese tumultuantibus opposuerunt. Austriacus quidem eò copias nonnullas ire iusserat, vt suis opitularentur: at tardius aduenēre, cùm Ordines Nicolaū Dalmierum, Dominum Melroyum cum stipendio & quinque peditū signis præmisissent, qui animos militum pacauit, captos liberauit, & vrbem omni metu exemit. Auctores verò istius tumultus capti, partim suspensi, partim in Mosa præterfluente submersi sunt.

Traiectū ad Mosam proditione frustra tentatum.

De nouo tumultu Grœningensium, contra circūiacentes pagos, quorum legatos captiuos detinebant, diximus ante. Quare ijdē pagi in Vvinsum noua Comitia indixerunt, & post multas disceptationes, Bartholdo Entio auctoritatem & mandatū dedēre, duodecim peditum signa conscribendi. Quod cùm ille fecisset, Grœningam contendens, primùm in Velua cæditur ab Hegemanno. Deinde à Zuollensibus ei transitus negatur: causa erat, quia Entius nullum mandatū ab Ordinibus haberet, militem colligendi: paruis tamen copijs in territoriū Grœningense traductis, monasterium Asch inuadit, illudque munit. Sed Grœningenses sub centurionibus Vinkenburgio & Suartzio eruptione facta, monasterium capiunt, milites cædunt, capiuntque: Entium fugientem insequuntur, & in Coeuerden capiunt, cæterosque centuriones, qui cum eo erant.

Bellū intestinum Groningense.

Porrò cùm fama de victoria Austriaci ad Namurcūm in Frisiam esset perlata, Rennēburgius, qui in disponendo præsidio arcis Harlingensis, cōtra P. Sikingam ab Archotio præfectum arcis creatum, occupabatur, Consiliarios, Regisque ministros Læovvardiæ com-

Consiliarios Regis Leovvardiæ cum Episcopo

comprehendit, & in eorum locum Eisingam, Raldam, Steueren, & istius farinæ homines alios surrogauit. Deinde & Episcopum Petrum Cunerum, virum eru ditum, grauem & pium, capi iubet: sed ille nefarioru hominum manibus elapsus, Coloniā venit: vbi cùm Academiam restaurâsset, piè in Domino obdormiuit.

1578
capit Rẽnenburg.

Adhuc Amstelredamenses in obedientia Regis persistebant. Consul eorum Petrus Petri apud Austriacum diu multumque intercedebat, vt subsidium ipsis mitteretur. Austriacus literis obsessos consolabatur, viā tamen modūque illis succurrendi non inuenit. Sed & arctissimè terra marique itinera ab Auraico intercludebantur, vt nihil oppidanis commeatûs aduehi posset. Cùm itaque multum solicitarentur, & rerum necessariarum copia deficere inciperet, magistratus inter se ciuesque dissentire clanculū cœpêre: his pacem petendam esse suadentibus, illis verò reclamantibus. Vicit opinio illorum, qui pacem desiderabant: mittuntur Consules & Senatores in Hagam Comitis, qui conditiones paciscerentur. Diu multumque deliberatum, licitatum, oblatum, repudiatum est, antequam partes inter se potuerint conuenire. Tandem inuentum est medium, atque Amstelredamenses vtcunque voto & religioni suæ accommodatam pacem acceperunt, si apud aduersarios fides atque integritas fuisset. Vt autem, quod pactum erat, ratum esset, facta sunt publica instrumenta, ea ab Archiduce Matthia, & Principe Auraico sigillis muniuntur. Ordines quoque Hollandiæ, Zelandiæ, atque Vltraiectensis diœceseos, tanquam fideiussores sua sigilla adiungunt: quàm autem huic hominum generi fides, religio, iuramentū, acta publica, subsignationes & sigilla sint sancta, paulò post Amstelredamenses suo malo didicerunt, vt in sequentibus ostendemus. Illi tamen sua synceritate Ordinū fidem dimetientes, exules in vrbem recipiunt, Auraico tanquam gubernatori iuramentum præstant: singulisque reconciliationis capitibus satisfaciunt, multis id ægrè ferentibus, & quosdam non sine proditionis nota sugillantibus. Atque hoc modo nobilissimum emporium mensis Febru. die 5. in manus hæreticorum rebelliumque peruenit.

Amstelredamū venit in potestatem Geusiorū.

Conditiones autem, quibus in fidem Auraici venit, erant hæ: Caluinianis facultas esset extra vrbem cœtus habere, & concionari, mortuos suos loco profano desig-

Conditiones, quibus Am-

1578 designando sepelire: sex signa ciuium, qui hactenus vrbem custodierant, exauctorarentur: eorum loco quadringenti aut sexcenti legerentur, quibus vrbis custodia sub centurionibus oppidanis committeretur. Sagittariorum collegia, vulgo *Scutterein* restaurarentur, in loca demortuorum alij tam exules, quàm non exules sine discrimine adlegerentur. Erant & plura, sed minoris momenti capita.

Astelredamum in potestatē Auraici venit.

Literæ Philippi Regis ad Ordines.

Sub finē anni præcedentis ad literas Ordinum responderat Rex Hisp. Philippus: sibi, si Ordines in Catholica religione permaneant, Suæq; Maiestati debitā obedientiam præstent, satisfactum: de cæteris nullam inter ipsos & S Maiest. fore quæstionē. Has literas Domino de Selles in Belgium dederat perferendas, cum additamento, cætera Ordines ex ijs, quæ idem Dominus in mādatis habebat, intellecturos. Sub hoc itaque tempus inter Ordines & Dominū de Selles de pace agi cœpit componenda. Sed post multas disceptationes, absque vllo fructu colloquium est diremptum. Quid verò actum esset, Ordines per literas Regi nuntiârunt.

In hoc autem cardine omnis controuersia versabatur, quòd Rex vellet Religionem Catholicam eum in locum & statum reponi, quo tempore Caroli V. fuerat: hoc enim ipsos promisisse dicebat. Ipsi autem constanter negabant, nec id fieri posse aiebāt, nisi Hollandos, Zelandosque offenderent: quod minimè consultum ipsis videbatur. Offerebatur & Parmensis, vt is inermis ad Ordines proficisceretur, tētaretque, si omnia in antiquum statum reducere, & Belgis pacem conciliare posset. Interea Auraicus obses daretur. Sed nec illa conditio placuit, tum propter Auraicum, quē anxiè custoditum cupiebant: tum propter Parmēsem, quem propterea, quòd in castris Austriaci fuerat, suspectū sibi simulabant. Sed locus & ordo temporis hîc exigit, vt quibus gradibus ad extirpationem Religionis Catholicæ Ordines, instinctu quorundam, quos in Conciliū suum vocârant, ascenderunt. Diximus, & repetitum est iam frequenter, quanta cōstantia verborum coram vniuerso mundo semper testati sunt Ordines, se nihil aliud propositum sibi habere, quàm Catholicæ Religionis & obedientiæ Regiæ conseruationē. Sub hoc tempus Imperator, misso ad eos Ottone Comite Schvvartzenburgio, orat Ordines, vt in hoc proposito maneant,

Quibus gradibus Ordines ad extirpationem Religionis ascenderunt.

ant. Omnem eis opem promittens, & Legato præci- 1578
piens, vt diligenter aduigilet, ne Belgæ vel per fratrem Matthiam, vel per externos Principes quicquam agãt, vnde Austriaca domus aliquod detrimentum accipiat. Hîc Ordines viua voce, scriptoque prolixo iterum demonstrant, quantus semper fuerit, & adhuc sit ipsorum zelus erga Catholicam Religionem, & Regis obseruantiam, quas se obseruaturos omni tempore pollicentur. Similes literas & promissiones ad Regem Lusitaniæ miserunt. Interim prohibent, ne consueta annata Romam ad Pontificem mittantur, sed in ærarium suum inferantur, edicunt. Deinde omnes præfectos, consiliarios, iudices, & Regis administros, qui Catholicam Religionem profitebantur, officijs quibus fungebantur, priuârunt, & Caluinianos in eorum locum surrogârunt: aut sicubi id fieri statim commodè non posset, octodecim viros constituerunt, penes quos istorum officiorum esset administratio. Saltem id cauebatur diligenter, ne Catholici publicis munijs fungerentur. Rationem hanc reddebant, debere hæc officia nullis, nisi patriæ fidelibus committi, Catholicis autem fidem haberi non posse, Caluinianos igitur cõstituendos, de quorum fide nulla esset dubitatio: quasi ijs, qui Deo fidem non seruant, sed toties periuris, maior sit fides habenda, his, qui Deo, qui Regi, qui patriæ tot iam annos fidem suam probârant: sed saltationi, quam meditabantur, apti quærendi erant citharœdi. His quomodo diximus peractis, aperta est ianua, per quam omnes exules, sacrilegi, fures, homicidæ, decoctores, quique ob æs alienum foro cedere debuerant, seditiosi, & alijs criminibus obnoxij, sub prætextu Religionis reuertebantur, ita vt numerus istorum hominum quotidie cresceret. Hi cœtus occultos prius facientes, tandem libellum supplicem Ordinibus & Archiduci obtulerunt, quo publicum suæ Religionis exercitium flagitabant. Per eosdem dies Ordines edicto cauerunt, ne quis cum hoste consilia communicaret: ne quis siue Ecclesiasticus siue laicus prædicaret, loqueretur, aut proferret aliquod verbum offensiuum, aut seditiosum, quo existimationi & auctoritati Archiducis, vt Gubernatoris; Auraici, vt eius legati; aut Ordinum aliquid derogetur, aut Ioanni Austriaco aliquis honor deferatur: præuaricatori maxima pœna constituta est. Præcepe-

Iuramentum Belgis propositum.

1578 runt etiam, vt omnes Iudices, & Magistratus omnes ad suam iurisdictionem pertinentes, etiam Ecclesiasticos & Monachos ad se vocarent, examinarent, & in pactum Gandauense iurare facerent. Adhæc vt Regi & eius Gubernatori Archiduci Matthiæ obedientiam & fidelitatem exhibeant, vita, fortunisque omnibus defendant: Ioanni verò Austriaco communi patriæ hosti resistant, & omnem hostilitatem ostendant.

Antuerpienses cogunt Iesuitas & Frãciscanos ad iuramentũ.

Propositum est hoc iuramentum Patribus Societatis Iesu, & Franciscanis in vrbe Antuerpiensi: qui post maturam deliberationem, responderunt; se Pontifici obstrictos teneri; eius hostes, suos esse; eius amicos, hos & suos: Pontificem autem non Austriacum, quem milite & pecunia iuuabat, sed Auraicum hostem habere. proinde hoc iuramentum suæ professioni non conuenire. A quo proposito cùm nec intercessione Abbatum, Nobilium, aut Magistratûs abduci possent, ipso Pentecostes à signo peditum, ne ab externo milite (qui eos per triduum ad supplicium poposcerat) in itinere occiderentur, ad Scaldim deducti, & naui impositi, Mechliniam, atque inde Louanium, sub fide publica proficiscuntur.

Catholici, qui Vltraiecto eijciuntur.

Fœdius adhuc & proteruius Vltraiectensium facinus, qui 15. Aprilis, indicta causa, ornatissimos, consultissimosque viros, Susium Hollandiæ præsidem, Ratingium, Grisperum, & Ioannem Lentium Vltraiectensis curiæ Consiliarios; Fredericum Vtenhammium Nobilem, D. Voeselium Decanum S. Petri, illorum per quinquennium in Hispan. legatum, Bartholomæum Gousæum, Vvikerstotium Canonicos D. Mariæ, & M. Euerardum Molengratium Ecclesiæ ciuilis pastorem, eijcientes, vrbe interdixerunt. Vt autem populo, id ægrè ferenti, satisfacerent, insulsus quidam asinus anonymus scriptum edidit, quo eas causas referebat, quæ ab omnibus meritò ridebantur: dignus ipse qui pileo, quod Geusijs vitio datum conqueritur, insignitus, auriculis etiam & nolis ornatus, in proscenio illudendus omnibus propinaretur.

Libellus supplex Caluinistarum.

Vicesimo secundo Iunij Caluiniani (vt dicere cœperamus) libellum supplicem Archiduci & Ordinibus obtulerunt, in quo testabantur, se iuxta præscriptum Reformatæ (si Dijs placeat) Religionis optare vitam insti-

instituere, à Religione Catholica multas ob causas, in ipsorum libris commemoratas, defecisse, & ad Reformatam, quam multi suo sanguine confirmârant, animum adiecisse: quæ quanto maiores persecutiones patitur, tanto magis crescit & dilatatur. Id conspectum tempore Ducis Albani, qui circiter XVIII. millia hominum per carnifices sustulit. Visum sub imperio Requesenij, qui tot incolas Belgio eiecit, & artes omnes vnà cum hominibus in exteras terras deportari iussit. Post enarratam Hispanorum tyrannidem, pergunt ostendere, metuendum esse post partam suo sanguine & pecunia victoriam, antiquam tyrannidem reuocatum iri, ad carnificinam & macellum se reuocandos, & excarnificandos esse: eo ex metu discordiam & simultatem inter indigenas oriri posse. Vnam igitur hanc esse viam, tam ad metum illum tollendum, quàm ad concordiam conseruandam, si liberum & publicum reformatæ Religionis exercitium admittatur. Illud autem si negetur, suspiciones malarum intentionum vitari non posse. Quantum ad Religionem Catholicam, magnificis verbis pollicebantur, se eam non exstirpaturos aut oppressuros: Catholicis Ecclesiasticis bona aut possessiones nullas ablaturos, aut quicquam sinistri in eos tentaturos: sed vt conciues decet cum ipsis acturos esse. Sperasse quidem sese, quòd iampridem ab Ordinibus Religioni suæ cautum fuisset, modusque institutus & norma, secundùm quam vnusquisque viuere deberet. Cæterùm id hactenus impeditum fuisse. Orare se, ne eorum querelæ audiantur, qui aiunt, vtramque Religionem simul in vna prouincia, aut vrbe consistere non posse: neque securitatem dari Ecclesiasticis. Quantum ad fœdus Gandauense attinet, hostem illud iam satis superque violasse. Licere etiam prouincias inter se violare & rumpere interpretationibus, expositionibus, & declarationibus ad defensionem patriæ & hostium propulsationem vtilibus. Hæc summa istius libelli, quorum primaria argumenta rationibus & exemplis multis confirmare conabantur: præsertim autem illud quod de vtraque Religione simul admittenda dixerant: quod exemplis primorum Christianorum sub Imperatoribus Romanorum, item quatuor Romanorum Imperatorum nostri temporis, Regum Poloniæ & Gallorum, Imperatoris Turci-

1578
Multò plures cados sanguinis pro Catholica effusos, quàm guttas pro Caluiniana quis nescit? O exigua manus Martyrū. 20000. Catholici vno die in vna vrbe Nicomediæ sublati sunt. Fistula dulce canit.

1578 ci, & Regis Maroccæ, qui omnes diuersas admittunt Religiones. Imò ipsius Pontificis, qui Romæ Iudæis permittit Synagogas. Hæc illi. Sed rogati: An eo loco, quo Christiani sub Imperatoribus Ethnicis fuère, quo nunc sub Sultano Othomannico, & Rege Maroccæ, quo Iudei Romæ sunt, etiam ipsi inter Catholicos esse velint, viderunt quàm inualidum ipsorum esset argumentum. Quia verò Ordines non statim ad hũc libellum responderunt, auctores huius factionis subornârunt, qui alterum libellum exhiberent: in quo varias conditiones proponebant, quibus Catholicis caueri posset, ne qua in ipsorum Religione fiat mutatio. Huiusmodi conditiones erant, diligens Magistratuum inspectio, optimorum vtriusque Religionis ciuium ad certum numerum in eundem finem electio, reciproca vtriusque Religionis ministrorum promissio, iusiurandum quo sese obligarent, quòd nullum virum Ecclesiasticum offendent, nulli iniuriam in bonis, possessionibus, exercitijs facerent: quòd certos Principes monebunt, vt pro se fideiubeant. Nihil enim sibi propositum, quàm vt sub tranquilla Magistratuum tutela Deo seruire possint. Quæ verba quid ponderis habuerint, & quamdiu hæc simulata pietas durauerit, ex sequentibus fiet manifestum.

9. Iulij. Alius libellus supplex pro libertate religionis.

Libertas Religionis concessa.

Ordines, Archidux, Auraicus, &c. cùm vidissent Caluinianorum ardorem & varios conatus, quibus ad exercitium suæ Religionis aspirabant, nec obscuris argumentis intellexissent, qui essent huius factionis impulsores, communi consensu Pacem Religionis, hoc est, formulam, secundùm quam vtriusque Religionis homines pacificè viuerent, cuderunt: ita tamen, vt Brabantini, Flandri, Atrebates, & Hannones ea non nisi voluntarij comprehenderentur: sed in negotio Religionis agerent, quod è re sua fore iudicarent. Confestim itaque Antuerpiæ, Mechliniæ, Bergis ad Zomam, Bredæ, Liræ, Iperis, Brugis, & alijs quamplurimis vrbibus Caluinianis Catholicorum templa sunt permissa, neque ignobiliora, aut obscuriora, sed vrbium primaria: vt Antuerpiæ templa B. Virginis, Andreæ, Iacobi, &c. Catholici in angulos reiecti sunt. In eadem vrbe & Lutheranis templum Sancti Georgii, & Carmelitarum apertum est. Ne talis ataxia Bruxellis committeretur, Dominus Champignius, Hessus, Marchio Bergen-

Bergensis, & Glymæus cum alijs Proceribus Catholicis libellum supplicem obtulerunt: docentes vrbem esse Regiam, in qua Principes aulam, sedem & domicilium suum habere consueuissent. Hanc mutationem causam fore, cur vrbs hanc prærogatiuam amitteret. Proinde minimè consultum, vt Religionis in hac vrbe aliqua fiat mutatio. At ciues nonnulli, quorum aures ad nouum Euangelium pruriebant, huic Procerum consilio reclamabant, & Champignium, præteritorum beneficiorum immemores, captiuum per conciues suos Gandauum miserunt. Tunc, sed serò suo malo didicerunt primores Belgij, se in suam perniciem populum armasse. 1578

Obsidebat interea Austriacus Philippopolim, quæ vulgò Philippi villa dicitur, oppidulum munitissimum, in finibus Hannoniæ, quod à Florinæo Eburone defendebatur. Sed annona tandem compressi præsidiarij, cùm Ordines per Rossellium frustra commeatum importare tentâssent, sese Austriaco dediderunt. Quo tempore Dominus Billius ex Hispanijs rediit Namurcum, nuntians in Hispania singulis mensibus trecenta coronatorum millia esse decreta, ad hoc bellum continuandum; Regemque totum in hoc propendere, vt tumultus Belgicos, si non pace, bello atque armis tandem componat. *Philippopolis capitur.* *Billij reditus ex Hispania.*

Nascitur circa idem tempus in Hispania Philippo Regi, ex Anna Austriaca coniuge filius, quem Venceslaus Cæsaris frater è sacro fonte suscepit.

Auraicus verò & sui complices, per omnes passim ciuitates primùm Franciscanos, aliosque mendicantium Ordinum Religiosos, deinde etiam Pastores, Consiliarios, Nobiles, Magistratus, & quotquot suo minus fauebant instituto, indicta causa, aut armata manu in exilium eijciebant, aut missis libellis, vrbibus sponte excedere mandabant. *Catholici eijciuntur in exilium.*

Regij interea obsessum aliquandiu Limburgum ciuitatem, totumque Ducatum, & cætera Transmosana dominia, partim armata manu, vt Dalen; partim deditione recuperabant; & frendentibus nequicquam Hæreticis, magnis fortunæ fauoribus, bellique successibus vtebantur. *Limburgum recuperat Austriacus.*

Dum hæc in Belgio aguntur, in superiori Mysia quoque tumultuatum est. Scander & Bogdanus fratres erant, Mysiæ Despotæ, Scandero principatus *Scanderi & Bogdani Mysiæ*

1578 iure competebat, Bogdanus tamen initio cum fratre de eo contendebat; at postea captus Hierapoli est asseruatus. Scander custodes corporis sui Turcas delegerat: sed cùm illi insolentiores essent,quàm vt à populo, vel ipso Despota ferri possent, dimissi sunt. Indignè ferebant hoc Turcæ, & querelas, accusationesque varias apud Imperatorem de Scandero instituebant. Quod cùm in vinculis nuntiatum esset Bogdano, is hanc opportunitatem non negligendam sibi ratus, varijs muneribus animos Turcarum solicitauit, vt eiecto fratre, ipse in Despotiam admitteretur. Scander cùm Turcarum fratrisque machinationes intellexisset, ad Murathen proficiscitur, partim vt se purgaret, partim vt muneribus cum fratre contenderet. Cumque ad suburbia Byzantina venisset, præmisit qui munera cum tympanorum pulsu ad Imperatorem deferrent: sed Turcæ obuiam miserunt, qui tympana fregerunt, munera diripuerunt, ipsumque Scanderum captiuum Byzantium adduxerunt. Bogdanus extemplò libertate donatus, & in Mysiæ præfecturam missus est. Sed quia multi Proceres iniuriam hanc grauiter accipiebant, parum aberat, quin res ad ciuiles discordias deuenisset. Interea Mustapha purpuratus, metuens Regis Catholici classem, & Persicos apparatus, cum Hispanis de inducijs agere cœpit, quæ res Persarum animos nonnihil labefactauit, eo quòd crederent Regem, Belgicis tumultibus defatigatum, has inducias non repudiaturum.

Principū controuersia.

Vigesimotertio Maij, pius atque eruditus Laurentius Surius Carthusianus, cùm diuina illa de Sanctorum vitis volumina absoluisset, lenissima morte in Domino obdormiuit. Patria Lubecensis erat, inter hæreticos natus & educatus: de quo tamen dici potest, quod olim de Malachia dixit Diuus Bernardus, quòd nihil magis de hæresi contraxerat, quam pisces de sale marino. Quantos labores in veterum Conciliorum decretis, & Patrum scriptis emendandis, recudendisque, & in lucem proferendis exantlauerit, frequentissima ab eo relicta monimenta testantur.

F. Laurētij Surij mors.

Dauentria & Campi in Transiselania adhuc in officio Regis, propter præsidia, quæ in ijs erant, manebāt. Quare Transiselani Renneburgium vocant, petuntque

vt

vt ipse gubernaculum ditionis arripiat, easque ciuitates ad obedientiam Ordinum compellat, quod ille non inuitus fecit. Mittit itaque Hegemannum, hominem quendam obscurum, Harderuicæ natum, sed bello notum, qui Campensibus insidias strueret. quæ cùm detectæ essent, obsidionem aperto Marte auspicatur. Hagam suburbium inuadit. Sed qui in vrbe erant erumpentes, acerrimè cum ipso dimicârunt, multosque trucidârunt: adeò vt Hegemannus, quò periculum euaderet, suburbium incendere sit coactus, & Germanos igne à suo capite propulsare. Postea Renneburgius Campos veniens, ad Brunopium, virginum monasterium, castrametatur. Paulò post venit Vlietius, Snoius, VVingardus, & Dunenvvortius, qui suis vexillis Renneburgij castra auxerunt. Præsidiarij frequentes eruptiones fecêre, & multi vtrinque ceciderunt. 1578

Cāpi obsidentur.

Suollani, qui initio in admittenda Renneburgij gubernatione tergiuersabantur, tandem certis cum eo conditionibus conuenerunt. Deinde conuentus Zuphaniæ habitus est, cui & Transiselani interfuêre. Definitum est in hoc conuentu, obsidionem Camporum & Dauentriæ communibus Geldrorum, Zutphaniensium, & Transiselanorum sumptibus faciendam esse.

Conuētus Zutphaniensis.

Mense Iunio, cùm Amstelredami alta pax esset, & summa, vt putabatur, ciuium concordia, Geusij clam introductis multis suæ factionis hominibus nequissimis, Catholicos ex improuiso adoriuntur: in Minoritarum cœnobium irruunt, Monachos (quibusdam vulneratis, alijs grauiter pulsatis) vrbe eijciunt: Magistratum, optimatesque Catholicos, cum furore arreptos, ad mare trahunt, in naues coniectos exportari iubent, nulla honestate, pietate aut veneranda illorum canitie moti. Non effugere illorum truculentas manus potuit D. Martinus Dunkanus, Hagæ Comitis Decanus, Amstelredamensium pastor, vir octogenarius in sacris & prophanis scientijs doctissimus: sed & ille cum cæteris exterminatur. Inde cum impetu in reliqua monasteria, templa, sacella, locaque alia sacra phanatico spiritu acti feruntur: Altaria exscindunt, Sanctorum imagines deijciunt, frangunt, exurunt. Sacram supellectilem diripiunt: Sacramenta polluunt, in Deum impij, in homines scelerati, in proprium

Insignis perfidia Geusiorū Amstelredamensium.

1578 iuramentum,& conscientiam periuri. Æquis hæc oculis intuebatur Auraicus, cæterique, qui pactum Amstelredamensium subsignârant, & sigillis suis, dignis quæ catastæ affigerentur, confirmârant: æquis oculis hanc perfidiam intuebantur, qui fidem suam interposuerāt, Vltraiectenses.

Quomodo Muleius Mahametus, Fessæ & Maroci Rex, regno à patruo Abdelmelecho sit expulsus, & in iuga Clarij vel Atlantis montis sese receperit, diximus antea. Cùm verò septem aut octo mensium spatio in hoc monte cum suis prædonibus, latrocinio atque rapina loca viciniora infestâsset, Abdelmelechus Muleium Hametum fratrem iuniorem contra illum cum expedita militum manu misit, omnesque copias Mahameti deleuit, ipso vix pugnæ elapso, annumque integrum densissimis tesquis latitante. Frigore tandem, niuibusque tantùm non enectus, Mahametus legatos ad Sebastianum Lusitaniæ Regem misit, opem eius (ante bis oblatam, sed contemptam) vltro implorauit. Sebastianus iuuenis belligerandi in Mauros percupidus, accepta Mulei legatione gauisus est, & dissuadente plurimum Rege Catholico, 5000. peditum Germanorum conscribit. Veteranos ex Andalusia vocat, regium exercitum in Lusitania cogit 600. quoque Itali ductore Comite quodam Hiberniæ illi in auxilium tribus nauibus Vlyssiponam aduenêre. Omnes clientes, fiduciarios, atque vasallos regni euocat, iubetque, vt nisi redditibus & priuilegijs à Rege concessis spoliari mallent, sese in Africam comitarentur. Instructa itaque ingenti classe, comportatisque tormentis, commeatu, cæterisque rebus necessariis, ad Iunij 24 omnes vndique copias conuenire mandat. Quod cùm Abdelmelechus per nuntios intellexisset, vehementer, Christianis non infensus, doluit: præsagiens quodam modo optimum Regem iuuenili & imprudenti sua magnanimitate, ad iniustæ causæ defensionem incitatum, in suum, suorumque exitium præcipitem ruiturum. Per totum itaque regnum bellum Christianis publicè iussit denuntiari: conuocatisque Mauris suis, exercitum corradit, & Arzillam versus sub signis agmen promouet.

Bellū Africanū, in quo Sebastianus Lusitaniæ rex occubuit.

Sed & vigesimoquarto Iunij, post celebrem supplicationem Vlyssiponæ habitam, exercitus regius nauibus imponitur: postridie oram cum 1300. nauigijs sol-

Sebastianus in Africā nauigat.

ſoluens, vbi aliquandiu Gadibus ſubſtitiſſet, tandem 9. Iulij Rex Tingin appulſus eſt, vbi Mahametus eum ſolicitè expectabat. Habito inter eos pacti cuiuſdam colloquio, datoque filio Muleio Xequo Regi Luſitaniæ obſide, quem ille Mazagam miſit, ſimul Arzillam perrexêre. Abdelmelechus interim, ex lacte auidius ſumpto & in ventriculo coagulato, languidus, exercitum ſuum luſtrauit, & 15. millia peditum, & 44. millia equitum, cum 26. campeſtribus tormentis, in caſtris inuenit: omnes pro ſalute Regis erant vitam cum ſanguine profundere parati: ſed quòd valetudinarius eſſet, grauiter ferebat, ardentiſſimumque Caniculæ ſydus morbum augebat. Sebaſtianus quoque luſtrato ſuo exercitu, inuentisque quatuordecim peditum millibus, & equitum duobus, foſſorumque tribus, præter eos, quos ad cuſtodiam claſſis & Mazagæ reliquerat, præter inconditam quoque & maximam lixarum, calonum & mulierum turbam, caſtra poſuit ad Alcazarem. Potuiſſet quidem plures copias Rex Luſitanus eduxiſſe, ſed conſilio Mahameti, qui Abdelmelechi exercitum ad ſe defecturum perſuadebat, multos dimiſerat, & ad ſua reuerti mandârat. 1578

Sebaſtianus à Mahameto deceptus.

Abdelmelechus, cùm per exploratores cognouiſſet, quis militum numerus, quæ militaris diſciplinæ ataxia eſſet, & quid in caſtris ageretur: infortunium hoſtis non obſcurè præuidens, miſertusque iuuenilis Luſitani ætatis, per mercatores clam ei perſuadere conabatur, vt ab inſtituto deſiſteret, nec Mahameti præpoſteris conatibus patrocinaretur. Idem quoque Conſiliarij Regis Luſitani ſuadebant: ſed fatum & magnanimus Regis ſpiritus obſtabant, quo minus ſaniori huic conſilio acquieuerit. Perſuaſus tamen ne acie cum Abdelmelecho confligeret, claſſem Lariſſam verſus nauigare iubet, ipſe cum exercitu ſubſequens, ad fluuium vrbis Lariſſæ Mazagam conſedit, vt Lariſſam oppidum munitum occuparet: quod Abdelmelechus permiſiſſet, ſperans ea occupata, Luſitanum, vnde venerat, eò reuerſurum, ideoque caſtra non mouit. Sed Mahametus, intellecto conſilio Luſitani, metuens ne occupata Lariſſa, cognitaque exercitûs hoſtilis multitudine, Rex prælium detrectaret, ſeſe mœnibus contineret, & à ſuſceptæ cauſæ defenſione reſiliret; vafris atque ementitis rationibus eum ab hoc itinere retraxit, & vt Alcazaram verſus tenderet, perſuaſit. Abdelmelechus

1578 chus igitur, cùm hostis consilium nuntiatum esset, suos quoque educit, & in monte, in conspectu Lusitanorum castrametatur.

Pugna Marocensis.

Ad diem 4. Augusti, postquam Rex Sebastianus, Commissarius Pontificius, & Episcopus Conimbricēsis, atque Portuensis, qui Regem secuti erant, totum antemeridianum tempus adhortationibus diuersis militum animos erigendo contriuissent, aciebus vtrinque ordinatis, hora circiter duodecima prælium est initū. Dux de Auero cum quingentis equitibus primam in sinistrum Maurorum cornu impressionem fecit, plurimisque Alarbis occisis, plus quàm octo millia sclopetariorum, & viginti millia equitum in fugam coniecit. Abdelmelechus suorum fugam cernens, confestim accurrit, è fuga retrahit; stare, ordines reparare, & fortiter dimicare iubet. Sed cùm vehementer ægrotaret, hac diligentia tantum se defatigauit, vt ex equo sublatus, & in lecticam repositus, paulo post animam efflauerit: cuius mors ad exitum prælium est dissimulata. Lusitani victores, cùm nemo esset, qui consilium daret, nemo qui subsequeretur, ad suos reuersi, optimā victoriæ occasionem prosequi non potuerunt. E Mauris itaque mille Argoleti in Christianos emissi, tanta vi victores antea in fugam coniecerunt, vt in peditum aciem irruentes, eam penitus perturbarent. Res in conspectu Regis gerebatur: qui extemplò cum Auero aduolans, impetum Maurorum quidem repressit, eos tamen in fugam vertere non potuit. Interea omnes Maurorum copiæ, è monte tanto cum furore in nostros irruerunt, vt fugientium suorum equis pedites Christiani passim protriti sint. qua in pugna Dux de Auero, aliique multi viri strenui ceciderunt: equus quoque regius, Rege tamen saluo, globo traiectus est. Dextrū Maurorum cornu indesinenter glandium procellas in nostros effundebat, & seruata perpetua Lunæ forma, reliqui Mauri Lusitanorum exercitum circuire, postremāque aciem adoriri cupiebant. quam cùm laborare vidisset Rex, raptis 500. equitibus, Mauros, qui sub Hameto erant adortus, strauit, & inordinata fuga cedere coegit: sed cùm nemo è suis sequeretur, dolens ad suos reuertitur.

Abdelmelechus moritur.

Dux de Auero cadit.

Mauri, captis Lusitanorum tormentis, cæsisque ijs, qui in ripa fluminis erant, in exercitum Mahameti incidunt, Maurisque, qui sub illo erant, cæsis, atque fugatis,

gatis, magnam quoque Christianorum stragem edunt. 1578
Muleius Mahametus fugiens, dum fluuium tranare voluit, equo cœnoso vado infixo excussus, aquis absorbetur. Mauri victores, cùm ad Hameti stationem venissent, principes Christianos, quasi indagine cinctos vel occiderunt, vel captiuos abduxerunt. In hac necessitate Christiani puluere tormentario destituti, tanto impetu fugerunt, vt plures è suis, quàm ex hostibus, conculcârint, atque extinxerint. Tunc tandem Rex seriùs didicit, nullum hastatorum equitum in Mauritania esse vsum. Ipse tamen fugere indecorum existimans, cum paucis Tingitanis equitibus, tam strenuè contra hostes rem gerebat, tot cędes faciebat, tot Orco demittebat, vt multi fulmen ipsum appellarent: pauci adspicere, & contra tueri auderent. Tandem à 60. hostibus circunseptus, cùm nullam elabendi rimulam videret, candidam fasciam erigi iubet, deditionem offerens: sed hostes hoc signo auxilium vocari existimantes, impetu in eum facto, crudeliter occidunt. Hametus receptui canens, cùm cadauere fratris sui Abdelmelechi in castra reuertitur: publicataque morte fratris, ipse in eius locum rex proclamatur. Cæsa sunt hoc prælio 12. Christianorum millia, capta verò 14. inter primos Sebastianus Rex, Episcopus Conimbricensis, & Portuensis, Commissarius Pontificis, Comes Hiberniæ, & Dux de Auero. Ex hostibus quoque multi ceciderunt: agniti & sepulti mille quingenti. Cadauera Lusitani Regis, & Muleij Mahameti inuenta, & ad regem Hametum delata in tentorium, vbi Abdelmelechi quoque cadauer iacebat. Triste erat spectaculum trium Regum cadauera loco tam indigno conspicere. Cumque captiui Lusitani Regis sui cadauer, non nisi Tingis, aut Arzillæ cessione redimere possent, id impetrârunt, vt Alcazaræ sepeliretur. Muleio verò Mahameto Hametus, eius patruus cutem detraxit, eamque stramine suffultam, & salitam, ad deterrendum alios, ne similia tentarent, per omnes regni prouincias iussit circunferri.

Sebastianus Rex occiditur.

Mahameto cutis detrahitur.

Veterum Germanorum, & maximè Aquilonarium populorum, mos olim erat, vt reges & principes, vxores ducturi, sibi aut duello sponsas vincerent, aut matronas bello raperent. Belgica sponsa prædiues, nobilis, & formosa, nunc sponso suo ab Auraico erepta: cùm is ignobilior, superbum eius dominatum ferre,

Vide Krãtzium in Dania li. 1. c. 5. & in Suecia lib. 1. cap. 12.

1578 ferre, nec solus aduersus sponsi vires tueri posset, tres competitores euocat: è Gallis Alenconium, ex Pannonia Matthiam, & Casimirum è Germanis, vt de huius Virginis thalamo decertent. Sed ad rem. Cùm Auraicus & Ordines viderent, quantos bello progressus faceret Austriacus, veternum excutiētes, & ipsi suis rebus aduigilare cœperunt: ne ipsi sua negligentia & se, & suos perderent. Coacto igitur concilio, decreuerunt hostem iusto exercitu persequi, eumque toto Belgio eijcere. De magnitudine deinde exercitûs, deque sumptibus diu deliberatum est: quibusdam ingentē exercitū, alijs mediocrē cogendū cēsentibus. Tādem communibus suffragijs sexies centena aureorum millia singulis mensibus in vsum exercitûs decreta sunt, præter militem & pecuniam, quæ ex Anglia expectabatur. Extemplò missi sunt ad Ioannem Casimirum Palatinum, cuius eo tempore nominis, quàm rei, in bellicis maior erat gloria, qui ab illo peterent Ordinum nomine conscribi tria equitum millia, totidemque millia peditū: pecuniā autē Francfurti in nundinis vernalibus eius delegatis numerârunt. Collegerunt etiam tria millia equitum sub Scvvartzenburgio, mille quingentos sub Marchione Haueræo, mille sub Volmenckhausio, & totidem sub Barone Schenckio: legionem denique peditum sub Lazaro Mullero. Expectabant autem ex Anglia promissa quinque peditum millia, & equites mille, iuxta stipulationem antea factam. At Regina mutato consilio loco istorum militum Haueræo & Famarsio iam secundò missis octoginta aureorum Angelorum millia se Casimiro missuram pollicetur, vt duo millia equitum & tria peditum hac pecunia cogeret, atque ita maiori cum exercitu maiorique auctoritate in Belgium veniret. Quæ consilij repentina mutatio Auraico & suis magnopere displicebat, & Reginam, Casimirū, & alios Religionis socios suspectos habebant. Nec minor suspicio erat apud Gallicas prouincias, quæ sibi persuadebant, Anglam & Casimirū prouincias sibi subijcere, & inter se partiri constituisse. Quare ad bellum quicquam contribuere detrectârunt. Hinc prima cum Gallis fœdus ineundi nata occasio. Rumore enim de Ordinum clade Gemblaci accepta in Galliam perueniente, Dux Alenconius, Regis Galliarum frater, missis legatis Ordines consolatur, ijs se, suamque auxilium liberalissimè offerendo. Quòd cùm

Ordines de milite conquirendo deliberant.

Ordi-

Ordinibus summopere placeret, miserunt ad eum Baronem Aubignium, & D Mansartum, qui ei Regique fratri de oblato subsidio gratias agerent, aliaque Prouincijs Belgicis vtilia cũ ijsdẽ tractarent. Venit deinde 12. Iulij Alenconius (animũ studiumq; suum reipsa declarare volens) Montes Hannoniæ, paucis suorum comitatus: vbi à Comite Lalainio Hannoniæ gubernatore, & Ordinum deputatis, honorificè magnificeque excipitur: hostemque se Hispanis ipso facto ostendere volens, arcem Hauregam tormentis oppugnatam 26. Iulij deditione capit, cumque Soigniam, Mabusam, Reusam, oppida deserta, aliaque vicina loca præsidijs munijsset, per legatos Antvverpiam missos 13 Augusti cum Ordinibus generalibus paciscitur: se pro viribus ac facultatibus auxilium Ordinibus laturum: trium mensium spatio suis sumptibus peditum decem, & equitum duo millia ad bellum suppeditaturum: sique interea temporis bellum confectum non fuerit, exercitum trium millium peditũ, & quingentorum equitũ continuaturum. Ordines reciproca obligatione spondent, se Duci titulum Defensoris Belgicæ libertatis cõtra Hispanorum tyrannidem concessuros, ac promulgari curaturos: belloque hoc finito similibus copijs & conditionibus Duci præsto futuros, contra omnes & singulos eum inuadere volentes. Sed & multa alia inter Alenconium & Ordines transacta sunt, quæ xxiij. articulis seu capitibus comprehensa erant, in quibus tam magnifica, tam liberalia, tam copiosa vtrinque promittuntur, vt Archiducis imperium ijs non parum diminutum videretur. Ipsa autem capita hoc loco referre longum nimis esset minusque necessarium, cùm transactio ista paulo post rescissa, & Alenconius in Galliam reuersus sit. Alenconius autem, vt omnia iure fecisse videretur, publicum scriptum edit, quo casum Belgij deplorat, tyrannidem Hispanicam exaggerat, & quanti intersit Galliæ, Belgium esse pacatum, demonstrat.

1578

Alenconius in Belgium venit.

Fœdus inter Alenconiũ & Ordines Belgij.

13. Aug.

Mense Augusto Imperator Comitem Schvvartzenburgium ad Austriacum mittit, eum ad pacem adhortaturum. Idem ad Ordines fecit Rex Galliæ per Bellieurum, & Angla per Cobhamum & VValsingamum. Vtrinque se pacis studiosos ostendere volentes, per legatos & internuntios, quid fieri posset, experiuntur. Proponit Austriacus conditiones, proposuerant

Legationes in Belgium.

&

1578 & Ordines. Horum examinat Austriacus, illius Ordines expendunt. Ponderant, consulunt, offerunt, recipiunt, abijciunt, licitantur vtrinque diu: tandem re infecta, ad arma reuertuntur.

Conditiones pacis ineundæ Austriaco ab Ordinibus propositæ. Inter conditiones, quas Ordines Austriaco proponebant, erant hæ præcipuæ: Quidquid ab Ordinibus actitatum esset ab occupato Namurco vsque in illum diem Rex probaret & confirmaret: ipsis liberum esset toto mense Augusto cum Alenconio transigere, cœptumque pactum conficere. Vt Austriacus toto Belgio, omnibusque eius prouincijs excedat, & Archidux Matthias supremus Gubernator maneat. Vt Austriacus ante discessũ suũ omnes vrbes, arces & munitiones à se occupatas Ordinibus restituat. Negotiũ Religionis voluntati & arbitrio Ordinũ generalium relinquatur: captiui, & in his Buranus Comes restituantur, pactoque hoc Angla, Alenconius, Nauarræus, Casimirus, & alij socij comprehendantur. *Conditiones Austriaci Ordinibus oblatæ.* Austriacus verò ante omnia arma deponi, & Auraicum in Hollandiam ablegari stipulabatur: deinde de pace agi volebat. Nullam in Religione mutationem fieri permittebat, inducias postulabat, vt earum tempore de firma stabilique pace transigatur.

Ordinum interea copiæ vndique colligebantur: equites Schvvartzenburgi & Henrici Brunsvvicensis iam in Brabantiam venerant, castraque inter Liram & Heerentalam locauerant: hisque se pedites aliquot Hollandi, Angli & Scoti iunxerant. *Austriacus Ordinum exercitum inuadit.* Hunc exercitum, à Matthia Archiduce lustratum, prope Rymenantam vallo fossisque cinctum, ac Casimiri reliquas copias aduentantes expectantem, antequam viris viribusque augeatur, Austriacus inuadere cogitans, copijs potentissimis instructus prope Arschotum venit. Primarius totius militiæ Legatus Princeps Parmensis, equitum Magister Octauianus Gonzaga, castrorum præfectus Petrus Ernestus Comes Mansfeltius, armamentarij Tribunus Comes Barlaymontius erat. Sed hostes per exploratores certiores facti, in armis excubabant, dispositisque loco opportuno tormentis aduenientes Hispanos grandioribus pilis ita excipiunt, vt non pauci miseris modis dilaniati occubuerint: pugnatum dein est leuioribus prælijs non sinè leui partis vtriusque damno, in qua pugna Scoti & Angli, sub Norits & Stuart, egregiam Belgis operam præstiterunt.

Inde Namurcensem regionem petit Austriacus, castra ponens in propugnaculo admodum forti supra Bugeum montem prope Mosam, Ordinumque milites Arscotum oppidum occupatum & direptum iniecto igne exurunt. 1578

Gandauenses pro solita sua consuetudine tumultuabantur. Ioannes enim Imbyesius, Boucleus illius frater, Borluytius, Triestius, & eius farinæ homines alij per hos dies Religionem Gandaui mutârunt, vulgo gratificari, & populū in suas partes protrahere volentes, qui Imbyesium cum summo imperio vrbi præfecerunt. Hic, vt homo erat ambitiosus & auarus, ope duorum Gallorum Haugriæi & Saraffini cum fece plebis in Diuorum templa irruit, omne sacrum aurum, argentum, cruces, calices, aliaque Ecclesiarum cimelia sacrilega manu rapiens, spreta Aldegundi, qui eò ab Ordinibus erat missus, vt gliscens malum impediret, protestatione. Omnes etiam viros Ecclesiasticos, clericos, & religiosos vrbe expulerunt. Prætextus huius seditionis erat imminens bellum & necessitas se muniendi. Paulo post vi partim, partim dolo alias primarias vrbes Flandriæ, vt Brugas, Iperas, &c. occupârunt: vbi eos homines in Magistratum adoptârunt, quos suæ factionis studiosos nouerant. Idipsum & in minoribus oppidis Teneræmunda, Aldenarda, Alosto &c. fecerunt. Hoc pacto id effecerunt, vt quatuor Flandriæ membris dominarentur. Equitatum, peditatumque sua auctoritate conscripserunt, vrbemque incredibili arte & sumptu munierunt. Ex ære & metallo, è turribus & templis ablato, maximum omnis generis tormentorum bellicorum numerum conflârunt. Quod residuum erat, numerata pecunia vendiderunt: similiter & omnem supellectilem Ecclesiasticam, templa pleraque & Monasteria vili pretio. Emptores ea demoliebantur & diruebant, lucrum inde & quæstum non exiguum facientes, siluas & viridaria exscindebāt, omniaque in vastam solitudinem redegerunt.

Gandauenses tumultuantur, & Caluinismum amplectuntur.

Hoc Gandauensium impium exemplum vicinæ vrbes imitabantur, & tandem vltra Rhenum in Geldriam, atque Vltraiectensium meditullia proserpsit. Vltraiectenses enim Minoritas vrbe mox eiecerunt, sublatisque altaribus & imaginibus, templum contaminârunt: hominem Caluinianum intro-

Vltraiectenses Minoritas expellunt.

1578 duxerunt, eique munus concionandi dederunt.

Amorfortia cõmune exulũ Catholicorum asylum.

Erat tunc temporis Amorfortium commune Hollandorum atque Vltraiectensium exulantium receptaculum, sacrumque Asylum, eò quòd Magistratus & ciues penè omnes Catholicæ religioni, eiusque professoribus plurimum faueret. Latitabat hîc R. ac Nobilis D. Ioannes Bruhesius, Decanus templi Metropolitani Vltraiectensis, quem illi odio plus quàm Vatiniano persequebantur: latitabant exacti Amstelredamenses Ecclesiastici, & seculares, multique eorum, qui Vltraiecto vel vltrò excesserant, vel erant expulsi. Partim itaque ob hanc causam, partim ob id, quòd

Amorfortiorũ & Vltraiectensium contentio.

Amorfortij in multis Vltraiectensium noua studia, & præcipuè religionis mutationem improbarent, à vicinis Vltraiectensibus multis molestijs, falsisque criminationibus incessebantur. Cumque Vltraiectenses omnes suos conatus eludi viderent, (Amorfortij enim sese præscripto Satisfactionis, ab Auraico anni superioris mense Decembri impetratæ, defendebant) tandem apud Auraicum instant, vt Magistratus pro suo voto crearetur, & ciues sub certos capitaneos & signa militaria legerentur. Erat tunc temporis supremus

Petri VVestrenensis laus.

in oppido Consul Petrus Clemens, ex antiqua VVestrenensium familia, vir senex, constans, grauis, & imperterritus Catholicæ religionis assertor, is neutrum eorum, quæ petebantur, admittere voluit: priuilegijs enim oppidi, in Satisfactione Auraici renouatis, vtrunque palam aduersari demonstrauit. Missus est

Paulus Busius.

ab Auraico ad Amorfortios aliquoties hac de re Paulus Busius, ipse Amorfortius: quo conciues ad ea quæ petebantur quoquo modo induceret. Et vt erectio signorum militarium fuco aliquo tegeretur, petitum est, vt sodalitates duas, quæ antiquitus Schutterien appellabantur, conflarent. Responsum est à Consule: si sodalitates has more antiquo erigi cuperent, se non obstare: eum fuisse, vt sub vno curione sodales toto anno quietè viuentes, semel quotannis auem in altissimo fastigio positam sagittis, proposito præmio, deijcerent: inde conuiuaturi coirent. quo peracto, singuli ad sua munia reuertebantur, nullum in Reipub. administratione ius, nullamue auctoritatem habentes. Hæc si restaurari peteret Auraicus, se non denegaturos. Cæterùm vt ad eum modum, quem Vltraiecti, quem Amstelredami, cæterisque in locis hac tempestate in vsu

esse, cernerent, has sodalitates instituerent, id facere non posse. didicisse huius anni plus quàm Tragicis motibus, quàm inconditam licentiam horum signorum erectiones in Respub. introduxerint, quamq; Magistratus exiguæ sint auctoritatis, vbi ciues sub his signis hactenus militârunt. Nec propitium magis responsum Busius ad Magistratûs alterationem tulit. Re itaque infecta ad suos redijt. Vltraiectenses cùm viderent persuasionibus Amorfortios molliri non posse, insidijs rem tentârunt. In suburbanos agros milites mittunt, qui captata occasione oppidum inuaderent, & ciues ad mandata capessenda compellerent. tentatum id aliquoties, sed irrito conatu, aduersariorum consilio semper patefacto 1578

Hannoniensium & Atrebatensiũ Apologia & querelæ de Ordinibus.

Hanc Gandauensium aliarumque vrbium seditionem & in Religionem impietatem maximè displicebat nobilitati Hannoniæ & Artesiæ, quæ, vt frequentissima est, ita & bellicosissima, sine cuius ope & consilio pax Gandauensis nunquam coaluisset. Horum nobilium, vti & magistratuum, nunquam aliud fuit in ista pace propositum, quàm Religionem Catholicam & obedientiam Regis sartam tectam conseruare, Hispanicam dominationem tantùm exterminare. Qui cùm iam viderent & Regem contemni, & Religionem pedibus conculcari, Catholicos officijs moueri, hæreticos substitui, se omnino negligi, & omne imperium vni Auraico, nondum Regi reconciliato, deferri, Ordines non legitimè conuocari, pro sex Gallicis Statibus vix duorum suffragia rogari, omniaque ad arbitrium Caluinianorũ geri, grauiter de hac Ordinum leuitate & inconstantia questi sunt, non tantùm verbis, sed publico etiam scripto typis excuso, in quo demonstrant Ordines maculam, qua se aspergerant, nunquam posse eluere. Cùm enim tota æstate ad Cæsarem, ad Reges, ad Principes scripsissent, se mordicus Religionem & Regi obedientiam conseruaturos nullam vnquam ob causam eos permutaturos esse, nunc tam subitò mutato consilio Religionem extirpare, Regem etiam negligi. Huic se periurio assentiri non posse ostendunt. Sed decretum sibi esse, vxores, liberos, facultates, vitam ipsam pro Religione Catholica deuouere. Nec mora primus Valentinus Ferdienius, Dominus Motteus Greuelingensis oppidi Flandriæ, parui quidem, sed munitissimi clade Gallo-

Valētinus Motteus Regi reconciliatur.

1578 rum nobilis ad mare Britannicum non procul à Caleto siti præfectus ab Ordinibus ob dictas causas defecit, oppidumque validissimo præsidio, vallis etiam & propugnaculis muniuit. Vt autem iusto id titulo facere videretur, sese Regi reconciliauit, potestatemque ab eo accepit, alios ad similem reconciliationem permouendi.

Paulo post cùm VValonicarum prouinciarum Ordines viderent, seditionis auctores non puniri, & licentiam quotidie crescere, exercitum quoque conscribi ex solis ferè Hollandis, Anglis, & Germanis, omnibus Caluinianismo initiatis, & Auraico addictis, aucta est suspicio de Religione Catholica funditus exstirpanda, & Caluinianismo introducendo, nec non & prouincias Belgicas inter hæreticos distribuendo. Quare vehementer institerunt, vt Alenconio tanquam Catholico maior deferretur auctoritas. Sed cùm nec hoc se impetrare posse viderent, legiones, quæ sub imperio Montignii, Hesij, Egmondani, Caprij, & Boursij, aliorumque Chiliarcharum etiam ab Ordinibus deficientes, in agro Gandauensi castrametati sunt, sub prætextu quòd stipendia, quæ ipsis magna debebantur, non soluerentur, pagos & villas opulentissimas spoliârunt, incenderuntque, & incolas ingenti pecunia mulctârunt, vt octo aut nouem mensium spatio tercentena millia florenorum istis hominibus emunxerint. Omnes vndique pulsos Ecclesiasticos in suam tutelam assumebant. Erat hæc tertia tunc factio, quæ Malecontentorum dicta est, quòd neque Regis, neque Ordinum administratio ipsis satisfaceret. Multæ velitationes & leuia quotidie prælia inter Gandauenses & hos Malecontentos conserebantur, in quibus hi tanquam veterani semper superiores extiterunt: semel autem succumbentes, à multitudine Gandauensium in agrum Insulanum reiecti sunt, quo tempore Domina de Glaion cappta est. Quam ignominiam vt vlciscerentur, opulentissimos quosque pagos & municipia occupârunt, quosdam spoliârunt, alios ad graues contributiones soluendas compulerunt, Menenem in finibus Cortracensium intercceperunt, munierunt, & belli sedem constituerunt. Bellam deinde, Poperingam, & alios vicinos pagos sub finem Septembris occuârunt. His rebus magis irritati Gandauenses, duos è

Malecontentorum origo.

Quæ loca à Malecontentis occupata.

os è captiuis suis viros celeberrimos, Iacobum Hesselium Consiliarium, iam senem, & Vischium Balinum in Ingelmunster extremo supplicio affecerunt. Hos carceribus extractos, indicta causa, nullo iudicio damnatos, currui impositos, & extra vrbem raptos, ab arbore suspenderunt. Quidam non infimæ auctoritatis mox barbas abscissas, pileisque affixas in vrbem retulerunt. Quod facinus omnes cordatiores cuiuscunque factionis detestabantur, reliquis autem captiuis ingentem timorem incussit. Ipsi autem Christi Martyres ad extremum vsque spiritum in professione fidei Catholicæ, pro qua vna patiebantur, constantissimè perseuerârunt.

Iacobi Hesselij & Vischij indigna mors.

Auraicus & Ordines, cùm hanc Gandauensium factionem sibi exitiosam tandem fore conspicerent, tum quia eorum fides nunc apud externos Principes, quibus se Religionem conseruaturos tam constanter promiserant, nunc laboraret; tum etiam, quòd pecuniam ad bellum gerendum defuturam viderent. Flandria namque, quæ tertiam partem totius omnium prouinciarum contributionis pendere consueuit, nunc intestino bello ardens, militum rapinis exposita erat, vt nihil in ærarium conferret. Hannonia & Artesia, cum cæteris VValonicis præfecturis, ob violatam Religionem à fœdere deficiebant: hæc, inquam, cùm Auraicus & Ordines animaduerterent, Gandauensibus multis argumentis persuadere conati sunt, vt Ecclesiasticis bona restituant, Religionem Catholicam restaurent, captiuos in locum securum, & neutræ factioni addictum mittant, vim illis nullam inferant, quod iuris est in eos statuant. Respondent ad hæc 27. Octo.
Gandauenses: Velle se Ecclesiasticis templa, Religionem, & facultates reddere, si in omnibus totius Belgij vrbibus Caluinianis publicum Religionis exercitium permittatur. Captiuos se custodire decreuisse, donec omnis miles peregrinus Belgio decessisset: interim se illos ab omni vi & violentia defensuros, in causam eorum iure inquisituros. Tandem instant Ordinibus, vt Flandriam ab omni iniuria & vi Malecontentorum tueantur. Non satisfecit hoc responsum Ordinibus, sed nouas literas legationesque miserunt, qui indictum Flandris tributum postularent.

Auraici & Ordinũ à Gandauensibus postulata.

Gandauẽsium ad postulata responsum.

Dum Gandauenses ita tumultuantur, Casimirus Palatinus cum septem equitum & octo circiter pedi-

Casimirus cum exer-

1578 tum millibus in Belgium venit, tardius quidem, quàm Ordines præscripserant; sed citius, quàm quæ in aduētu eorum requirebantur parata essent. Cùm enim ad limites vsque Belgicos processissent, tam equites quàm pedites stipendium postulabant. Sed cùm omnia, quæ Angla & alij quidam miserant, absumpta, ærariumque vacuum esset, iis satisfieri non potuit. Quamobrem vlterius progredi detrectârunt, sed in finibus Gelriæ diu substiterunt, donec Casimirus tandem eos precibus & promissionibus eò permouerit, vt Mosam traiecti, Riminantiam contenderent, Ordinumque exercitui se iungerent. Erat iam exercitus Ordinum numerosissimus, qui paruis expensis ali non poterat: vt autem sumptuum aliquam rationem haberent, conuocatis Tribunis, Concilio bellico coacto, subductisque calculis compertum est octies centena millia aureorum singulis mensibus ad belli sumptus fore necessaria. Cæterùm tumultuantibus sic Flandris, & Malecontentis, vix quater centena sex mensium spatio colligi potuerunt: quæ etiam potissimum in sola vrbe Antuerpiensi coacta sunt. Hinc summa erat in exercitu Ordinum miseria, magna ataxia, magna militum inobedientia. Comes Bossutius toti peditatui, Vicecomes Gandauensis equitatui cum summo imperio, præerant: & Noëum, quem Lanuuium & ferreum brachium vocant, nuper e Gallia vocatum, Tribunum militarem seu Marescallum creârunt. Tandem cùm exercitus vnius mensis stipendia percepisset, se mouit, & in itinere cum præsidio Louaniensi, quod XXII. signorum peditum, & aliquot equitum erat, manum conseruit. Sed vtrinque nonnullis desideratis, pugna breui dirempta est. Multorum erat consilium, Louanium vicinaque oppida vt obsiderent & expugnarent: sed quia Austriaci exercitus peditatu Ordinum superabat, & tantus esset in castris Ordinum equitatus, vt pabulum iumentis non sufficeret, aliaque incommoda se offerrent, mutato consilio in Brabantiam Gallicantem omnis exercitus rapitur, vti regionem planam, & equitatui magis aptam: vnde etiam facilis erat ad Alenconiana castra transitus. In itinere Niuellam recuperant, & castella quædam ignobilia. Deinde Gemblacum exercitū ducunt, specie quidem oppidū illud obsidendi, reuera autem vt Austriacum è munitione sua Bongermontensi elicerent. At Austri-

Situ in Belgium venit.

Ordinum copia.

Copiarum Duces.

Ordines Niuellam recuperant.

1578

Austriacus dolum animaduertens, & summam rei periculo committere nolens, se in sua munitione continuit, non ignorans futurum breui, vt exercitus hostilis dilaberetur: facultatibus enim suis multo maiorem exercitum collectum intellexerat. Decretum igitur Namurcum totis viribus expugnare, & de Austriaco aut viuo, aut mortuo triumphare: sed quia deerant cunicula, maiora tormenta, puluis sulfureus, & quod pręcipuum est in bello pecunia, etiam hoc consilium mutatum est.

Alenconio Bintzium & Maubuga dedita.

Alenconius cùm Gallos suos in Belgium duxisset, confestim Bintzium obsidione cinxit, cumque dies totos XIIII sedecim machinis verberâsset, oppidani septimo die Octobris se dediderunt, quos Maubugenses statim secuti sunt, Quercetum verò, & Landrecesium, quæ duo oppida Alenconio in fœdere promissa erant, nullis verbis induci potuerunt, vt eius præsidium admitterent. Quare Ordines Duci Mechliniam, & alia loca obtulerunt. Interim Alenconius oculos in Montes Hannoniæ coniecerat, sed oppidani insidias eius animaduertentes, diligentissimas egerunt excubias, ne à Gallo inopinatò opprimerentur. Alenconius itaque cùm sibi non satisfieri videret, indigneque ferret, se tam iniquè tractari, constituit vires suas cum viribus Ordinum coniungere, vt Austriacum facilius opprimerent, ac debellarent. Cumque iam conuasatis omnibus itineri se pararet, intellexit Casimirum cum aliquot copijs castris excessisse, & in Flandriam venisse. Motus huius rei nouitate substitit, misitque ad Archiducem & Ordines rogatum: an Casimirus propria auctoritate, an verò suorum mandato in Flandriã venisset. Cui responsum: A se eò missum non esse, & se hanc illius temeritatem improbare. Gandauenses enim, cùm viderent Malecontentorum exercitum quotidie augeri, se publicos hostes ab illis proclamari, nisi præter debitorum stipendiorum solutionem Ecclesiasticis bona sua reddant, & captiuos liberos restituant, neque sibi tantum à Malecontentis, sed etiam ab Archiduce, Auraico, & Ordinibus, quos non minus, quàm illos offenderant, metuendum esse, Casimirum, vt ipsos protegeret, vocârunt: qui spe consequendæ solutionis confestim aduolauit, & Gandaui cum ingenti lætitia X Octobris exceptus, centum septuaginta aureorum millia accepit. Displicebat, vt di-

Casimirus inuitis Ordinibus Gandauũ proficiscitur.

1578 cebamus, hæc res Alenconio, Belgij Protectori; displicebat Auraico & Ordinibus, qui promittebant se effecturos, vt Casimirus relicta Flandria in castra reuerteretur. Sed cùm audisset Casimiri mentem longè aliam esse, & quotidie maiores copias ad se vocare: Galli etiam similiter grauiter quererentur, se vbique malè haberi, ciuitatem nullam sibi ad infirmos & vulneratos procurandos aperiri: Bintzium oppidulum esse absque omni annona & ægrotantium commoditate: nusquam sibi fores patere, vt emant necessaria: ab agricolis passim multos trucidari, multos se ægros & vulneratos habere, quos deserere nefas erat, Alenconius excusauit se quo minus ad Ordinum castra veniret. Relictis, autē in locis quibusdam suis præsidijs, reliquas copias à se dimisit, quarū maior pars ad Malecontētos defecit. Misso paulo post Rocho Sorbiesio Domino Primeauxio, Archiduci, Auraico & Ordinibus suum consilium latius exposuit, seque & suos purgauit, grauiterque cum Ordinibus de non obseruatis pactis conuentis expostulauit. Exposuit etiam, se intellexisse Ordines cum Rege suo pacisci velle, id se nullo pacto impedire velle, etiamsi eundem Regem propter Ordinum causam sibi inimicum reddidisset, & in se prouocasset: at potius quibuscunque rationibus negotium illud pacis promouere velle, si stabilis aliqua & secura pax speranda sit. Ad hæc Ordines, quòd si pax ante Calendas Martias non componatur, se vlterius cum Alenconio transacturos esse pollicentur. Discedente Alenconio Montignius ope Gallorum, qui ab Ordinibus ad se defecerant, Mortaignæum, aliaque loca quædam munita occupauit.

Alēconij cum Ordinibus expostulatio.

8. Nouēb.

Montigius Mortaignæum occupat.

Moritur interea in Hispanijs Cæsaris frater VVenceslaus, cuius cùm ætas adhuc immatura esset, minus erat mors eius deplorāda. Sed lamētabilis & plangenda magis erat obitus D. Iohānis Austriaci, qui initio Octobris est subsecurus. Varij de eo erāt rumores, dum alij eū mortuum esse, alij viuere asseuerarent: quidam clam in Hispanias profectū, quidam in insidijs esse assererēt: nonnulli eum peste sublatum, alij ardentissimo febre extinctum dicerent. Cordatiores verò, & qui in castris erant, mera phthysi emarcuisse, quam ex animi dolore contraxerat, eo quòd Rex Ordinum phaleratis verbis potius, quàm suis fidelibus narrationibus crede-

VVenceslaus Rudolphi Imp. frater moritur.

Luctuosa mors Iohānis Austriaci.

crederet: quodque benignitate & clementia vti iube-
ret, cùm armis opus esset, si Belgæ in ordinem redige-
rentur. Cùm vltimum vitæ terminum instare senti-
ret, in lectica decumbēs, per totum exercitum sese cir-
cunferre iussit, & singulos milites suaui voce compel-
lauit, eos ad Catholicæ religionis, Regiæq; Maiestatis
defensionem hortabatur, & vt, se defuncto, nepoti suo
Alexandro Principi Parmensi, non secus atque hacte-
nus sibi fecerant, deinceps pareant atque morem gerāt,
obtestabatur. Prorupêre milites in vberrimas lachry-
mas, durissima pectora mota sunt, atque optimi Ducis
fatalem diem deplorârunt eiusque vltimæ voluntati
audientes se fore promittentes, cum suspirijs & lachry-
mis lecticam in hospitiū deduxerunt. Paulo post mo-
ritur, iuuenis dignus qui Nestoris annos vixisset, mo-
ritur inquam, Maurorum terror, Turcarū fulmen, Hæ- *Parmēsis*
reticorum pestis, Catholicorum defensor, Asiæ, Afri- *Princeps*
cæ, & Europæ domitor: atque in Gubernatione post se *Austriaci*
Illustrissimum Principem Parmensem relinquit: de *successor.*
quo Genebrardus non insulsè vaticinatur, in eo com-
plendum illud Esaiæ: *Ne læteris Philistæa tu, quòd com-* Cap. 14.
minuta sit virga percussoris tui (Iohānis Austriaci:) *de ra-
dice enim colubri egredietur Regulus, & semen eius absor-
bens volucres.*

Spreto tamen hoc vaticinio, Matthias, Alenconi-
us, & Casimirus cum Ordinibus plurimum Austriaci
morte lætati, omnes vires ad ciuitates ab hoste occu-
patas, recuperandas, hostilesq; copias Belgarū finibus *Ordinum*
eijciendas converterunt. Gemblacum, Niuellam, Bin- *victoriæ.*
sium, Mabuge, aliaque loca non munita, confestim,
sed non sine suorum sanguine receperunt.

Austriaci mortem doctissimus & elegantissimus *Leuini*
Poëta Leuinus Torrentius S. R. E. Protonotarius, & *Torrentij*
Archidiaconus Leodiēsis, postea verò Episcopus Ant- *Nœnia in*
uerpiensis hac lugubri nœnia deplorauit. *mortem*
Ioannis
Austriaci.

Laus magna magnis debita. Quis tuas
Speret canendo, ô Austriadum decus,
Æquare virtutes? sed olim
Vt cecini pia gratus arma,
Cùm victor vdos Ionij sinus,
Fuso inquinatos sanguine barbaro,
Emensus, æternum tulisti
Thracibus à domitis triumphum:

1578 Sic magna adauctum nuper adorea,
Dum prisca nobis restituis sacra,
Diuûmque calcatos honores,
Fratris & imperium Philippi,
Laudare fausto cùm aggrederer pede,
Dicturus acri prælia dextera
Pugnata Gemblaci sub altis
Turribus, ac reduces tot vrbes,
Quas tute malles composita frui
Quiete: quanto viribus altior,
Et bellica virtute, tanto
Iustitia ac pietate maior:
Iniecit atras mox Lachesis manus,
Nec passa plantam crescere, proh ! , mala
Cum falce primo incidit æuo,
Quæ solitos veniens ad annos,
Formosa densis luxurians comis,
Altoque tangens sydera vertice,
Excesset omnes, quas vel Indi
Horriferis aluêre syluis.
Quæ pulchra rarò serius occidunt:
Nec te parentis vincere gloriam
Decreuerant fas esse, quæ sic
Ante diem rapuêre Parcæ.
Hac lege terris nascimur, vt mori
Quacunque visum sit Superis die
Necessitas nos cogat: illa
Et teneris rapit orta cunis.
Nam fata prudens occuluit Deus,
Nec scire refert: quæ mihi, quæ tibi
Decreta dum celantur, acri
Mens vigilat stimulata cura.
Exempla nos hoc ritè docent tua.
Quæ blanda molli cùm gereret sinu
Fortuna tot plenum benigna
Muneribus cumulante dextra:
Hic tu futuri non ideo magis
Securus æui, aut desidia fluens:
Sed impiger, sed mente tota
Te studijs moderans honestis,
Cælique rectorem ante oculos ferens,
Qui solus addens imperijs decus
Quàm pace, tam mirandus armis,
Suppositum sibi torquet orbem.

Post-

Postquam suprema tempora senseras
Instare vitæ, non genus ac bonam
Causatus ætatem, aut pudendum
Militibus sine clade lethum,
Fortes vt hostes intrepidus soles,
Sic irretorto visus es horridæ
Sperare mortis tela vultu,
Cùm socij comitesque mœsti
Nec fronte luctum, nec lachrymas genis
Celare possent, magnanimi Ducis
Tam firma & illibata virtus
Ingenitum exacuit dolorem.
Quid Marte posses certa diu fides:
Victo sed hoste vt te quoque vinceres
Restabat, hanc mors ista tantam
Accumulat generose laudem.
Cur ergo magnos sollicitem Deos?
Turbemve inani funera næniâ?
Qualem Herculem vidêre quondam
Thessaliæ iuga saltuosæ
Proferre Nessi vulnera tristibus
Curata flammis, vltimus hic labor,
Ac cæteris maior, per omnes
Emeritum vt celebraret annum:
Talem Camœnæ te memorant meæ,
Occlamet atrox inuidia vt libet,
Tam dura constanter ferendo
Ætherium penetrasse Olympum.
Nec morte quisquam gaudeat improbus,
Non deerit vltor perfidiæ Deus,
Qui Caroli stirpem fouendo,
Indomitos populi furores
Castiget alto verbere, nec sinat
Dari efferatæ fræna licentiæ.
Plorabit auctor cum nefandâ
Tot scelerum artifice officina.
Hanc spem potentis iustitiæ soror
Afflicta firmat Religio Dei.
Clementia oppugnata iustus
Fit furor. O miseri quis illi
Obsistat? atro turbine quàm citò
Voluuntur vndæ, vel stipulæ leues,
Vos ipse, vos vnà tremendâ
Præcipites feriet ruina.

1578 *At tu beatis eximium Iubar*
Adscripte Diuis dein precibus iuua,
Quos hactenus tutaris armis,
Nos meritos referemus hymnos.

Hac tam eleganti Nœnia mortuum Austriacum luxit Torrentius. Corpus defuncti cùm aromatibus conditum esset, in templum Namurcense regali pompa lugubrique comitatu illatum est Inde in Hispanias mittitur, & tali Principe digno tumulo sepelitur.

Ordines Atrebatũ frustra occupare tentant.

Deficientibus paulatim à fœdere Gallicantibus Prouincijs Ordines subornârunt quosdam, qui Atrebatum ipsorum imperio subijcerent. Huius expeditionis princeps designatus est quidam Ambrosius le Duc, centurio, qui cum suis complicibus Magistratum nihil tale opinantem apprehendit, & in carceres abduxit. Sed cùm suæ factionis vires imbecilliores essent, quàm vt cœptum facinus exequerentur, Catholici ope Caprij & Concilij Arthesiæ captiuum Magistratum liberauit, proditoresque captos confestim dignis supplicijs affecerunt, inter quos erat Consiliarius Gosson, vir alioquin doctus, multæ experientiæ, & magnæ auctoritatis, iam septuagenarius, qui huius proditionis auctor extitit, secundò in iudicium adductus damnatur, & capite plectitur.

Gosson capite plectitur.

Controuersia de Regno Lusitaniæ.

Cæso, vt diximus antea, in bello Africano Rege Lusitaniæ Sebastiano, Henricus Cardinalis ei in Regno (dispensatione Pontificis accepta) succedit. Sed cùm is iam senex & matrimonio ineptus esset, a proceribus regni, vt vxorem duceret, non potuit persuaderi. Petitum igitur ab eo, vt viuus successorem nominaret. Erant autem duo Regiæ stirpis competitores, Antonius Lodouici Henrici Regis fratris filius, sed illegitimus: & Hispaniarum Rex, Regis è sorore Nepos, sed toro natus legitimo. Cæterùm cùm inueteratum inter Lusitanos & Castilianos sit odium, procerum animi in Antonium magis illegitimum, quàm in Philippum legitimum propendebant. Henricus tamen non obscurè ei fauebat, cui ius ipsum naturale subueniebat. Ad hanc quæstionem 24 è primarijs Iurisconsultis ab Ordinibus nominati sunt, ex quibus Rex 11. elegit, qui controuersiam deciderent, & sine vllo affectu, ei, cui iustiori titulo regnum deberetur, adiudicarent. Qui Antonij partes sequebãtur, electionem & nominationem Regis, vetus esse ius in Lusitania,

non

non successionem sustinebant. Hispani contra multorum seculorum exemplis successionem ostendebant. Sed cùm Iudicum definitio protraheretur, & Henricus in ipso mortis limine esset constitutus, rogatus est, vt septem gubernatores crearet, quos penes interregni tempore summa rerum esset. Acquieuit Rex, & quinque nominauit, inter quos primus erat Archiepiscopus Vlyssiponensis, qui regni gubernationem viuo adhuc Rege susceperunt. Sed & cùm tres Lusitaniæ sint Ordines, quorum alij Principes & nobiles, quos Fidalgos appellant; alij Antistites, atque inter hos etiam quidam Fidalgi; alij Populares: Fidalgi plerique iustiori causæ fauebant, Castiliæque Regem legitimum regni successorem iudicabant. Populares affectibus plus nimio indulgentes, vt Philippum excluderent, ad electionem adspirabant. Quare factum est, vt hoc anno certi nihil de nouo Rege sit constitutum. 1578

Mustapha, cui à Murathe Persicũ bellum erat demandatum, Scytharum Ottomannicis rebus studiosorum multa millia iussit fines Persarum, ad Derbentum inuadere: ipse in regnum Sirnanum irruptionem parabat. Cumque illi per fines Georgianorum, gentis amplæ, cuius imperium ab Hyrcano mari ad Mœotin extenditur, transeundum esset, multis beneuolentiæ significationibus ab ijs exceptus, & ponte extructo, per latissimum fluuium deductus est. Mustapha, sinistra de Georgianis suspicione concepta, 30. armatorum millia ad pontis custodiam reliquit. id grauiter accidit Georgianis. Ipse populabundus ad Sammachium, eius regni metropolin, nullo resistente procurrit, vrbemque facili negotio capit; relictoque Achmete cum vigintiquinque millibus hominum, ad illius vrbis custodiã, in Armeniam pergit. Persæ de aduentu Mustaphæ & Scytharum certiores facti, diuisis copijs, alteram partem in Scythas, alteram in Mustapham immittunt. Pugnatum est cum Scythis acriter: sed victi Scythæ paucis fugientibus, reliqui trucidati sunt. Qui Mustapham insectabantur, eum altissimis aggeribus inclusum inuenerunt: cumque oblata pugna, in campum non descenderet, varijs contumelijs atque conuitijs à Persis proscinditur. Turcæ contumeliarum quotidianarum impatientes, pugnam sinè tormentis bellicis accipiũt, inque planitiem venientes, sese aduersum Persas sistunt, manumque conserunt. pugnatur totis viribus

Persarum de Turcis victoria.

vsque

1578 vſque in multas horas: ſed ſuperiores Perſæ, Turcas fundunt fugantque. Cuius victoriæ Georgiani certiores facti, collectis ilicò copijs, ab altera parte, & qui ad pontis cuſtodiam relicti erant, & qui ex acie profugerant, omnes occiderunt. Cæſa ſunt ea victoria 80. millia Turcarum, proceres omnes aut capti, aut trucidati: Sammachium recuperatum, bellicus apparatus interceptus è Perſis 44 millia deſiderabantur. Murathes, accepto cladis nuntio, multa per imperium lætitiæ ſigna edi iubet, & Perſas debellatos iam eſſe diuulgat, ne animi ſuorum à Perſico bello abhorrerent.

Circa idem tempus Veneti, vt iratum numen placarent, & huius, præcedentisque anni luis cauſas præſcinderent, leges in ſubditorum ac procerum vtriuſque ſexûs luxum, tam in menſis, quàm in veſtibus ac ſupellectilibus vſitatum tulerunt, eum certis limitibus circunſcribentes, & ad moderationem reuocantes.

Alenconius Belgio excedit. Hyems erat iam proxima, quod anni tempus in Belgio militiæ, propter pluuias ac niues, cœnique profunditatem, eſt ineptum. Ordines itaque & temporis iniuria, & pecuniæ preſſi penuria, de milite dimittendo cogitare cœperunt. Quod cùm Alenconius animaduertiſſet, tria Gallorum millia per fines Sequanorum, magno prouincialium detrimento, in Galliam remiſit: ipſe paulò poſt ſubſecutus eſt. Caſimirus quoque, cùm vix magna importunitate aliquid pecuniæ ab Ordinibus extorſiſſet, in Angliam proficiſcitur. eius milites, qui ex tot millibus, gladio, fame, dyſenteria & peſte mortuis, pauci ſupererant, qui non ſolùm ipſi, ſed & eorum calones, & lixæ, pretioſiſſimis veſtibus, aureis catenis, argenteis de more gentis pugionibus, (vt ipſe aliquoties ex ducibus audiui) in Belgium venerant, fame enecti, ſeminudi, peſſimè nummati, conſumptis omnibus, tumultuabantur, & ad ſuos redire cogitabant. Mirandum ſanè, in regione Aquilonari, tantum hac æſtate ardorem fuiſſe, vt omne hoc aurum, omne argentũ, tam repentè liquefactum, diffluxerit, non Solis fortaſsè, ſed belli Hiſpanici feruore exuſtum.

Variè hoc tempore populus de Auraico muſſitabat, varia clam conuicia in illum iaciebat: ſed & palam aliquando criminabatur, quòd tot ſumptibus, tam inſtructo exercitu, tanto tempore nihil præclari geſſiſſet. Ille contra vt effugium haberet, prouinciarum

in numerandis pecunijs tergiuersationes obijciebat. 1578

Ordines patriæ conditionem deploratam conside-rantes, animum Imperatoris solicitârunt, vt pacē Belgio à Principe suo exoraret. Fecit id Imperator nō il-libenter. Sed & Rex Cæsari omnē suam in pacis com-positione tradit per literas auctoritatem, spondetq; se rata habiturum omnia, quæ Cæsar in hoc negotio sta-tueret. Legationem quoque hac de causa ad omnes Principes Imperij decreuit, eamque Raymiro Guzma-no dedit. Missus quoque ad Pontificem ab Ordinibus Elbertus Leoninus, eius apud Regem intercessionem petiturus. Ad id confestim tam promptum se Pontifex exhibuit, vt statim Baptistam Castagnam Episcopum in Belgium miserit, vt pacis transactioni interesset. Interim ab armis non desistitur. Ordines Thenas recipi-unt: Malecontenti Gandensium duo millia peditum, & octingentos equites occidunt. *Ordines Belgici Cæsaris intercessionem implorant.*

Parmensis Princeps, occupato Limburgo, cæte-risque vltra Mosam ditionibus, vna Karpena excepta, hanc quoque expugnare, licèt hyems esset, decreuit. Le-gatum itaque Coloniam Agrippinam misit, qui à Ma-gistratu petijt, ne exercitui regio commeatum, cæte-raque ad obsidionem arcis Karpenæ necessaria, quæ-cunque data pecunia sui possent redimere, denegaret. id non grauatè in gratiam Regis concessum est. Aura-icus cùm se viribus regijs imparem sentiret, oppida Flandriæ & Brabantiæ, Hollandis, Zelandisque vicini ora munit. Lanuuium Britonē, bello Rupellensi Hu-gonotico clarum, nouis copijs recens collectis præfe-cit, eique oras istas defendendas commisit. Mottæus Greuelingæ præfectus, acceptis à Rege literis, quibus ei potestas quosuis ex Ordinibus ad se venientes, in gra-tiam recipiendi conferebatur, trecentaque florenorum millia, ad nouum exercitum conscribendum assigna-bantur, oppidum S. Vinoci obsedit, Montegnium quo-que regulum, Ordinum archistrategum, proposita ve-nia ad defectionem solicitauit. cuius petitionem ille, vt immaturam, tunc contempsit. *Auraicus oppida maritima præsidijs munit.* *Regis ad Mottæum literæ.*

Renneburgius totus erat in oppugnatione Dauen-triæ. Est autem Dauentria Transiselaniæ vrbs prima-ria, ad Rheni brachium Orientale, quod Iselam vocāt, sita, & Hansaticarum ciuitatum fœderi adscripta: mu-nita satis loci natura & arte. Erat in ea gubernator Mauricourt, Centuriones Augustinus Rijc à Richen-stein, *Succincta Dauentriensis obsidionis narratio.*

1578 stein, Michaël Ieger, & vicarius Frederici à Schonauvven: ipse enim ante obsidionem discesserat hi nongentis penè militibus Germanis imperitabant. Ciues plerique, partim quia Ordinibus fauebant, partim quia metuebant, vrbe excesserant. Sed quia pulueris tormētarij maxima erat militibus raritas, rem pro voto agere non potuerunt. Snoius Augusti 6 colliculos duos, qui singuli singulas molas habent, occupauit. Sed oppidani molarum alteram disturbârunt; quæ dum caderet, multos milites oppressit. Est & ad vrbis mœnia turris excelsa, quam Norimbergensem vocant: ex ea obsidentibus multum detrimenti inferebant. Hanc cuniculis euertere frustra contendebant obsidentes. Augusti 14. præsidiarij butyrum caseumque ad certum pondus quotidie distribuendum decreuerunt, vt obsidionem diutius ferre possent. Calendis Septemb. Hegemannus metu potius, quàm consilio, pontem, quo Isela sternebatur, incendit. Post octiduum verò præsidiarij erumpentes, multos cunicularios, Ordinumque milites occiderunt, quo metu territi rustici, qui in castris erant, diffugientes, operam imperfectā, à Snoio institutam, reliquerunt. Quare cùm cuniculi non succederent, 20. Septembris obsidentes maioribus tormentis turrim Norimbergensem concutere cœperunt, sed 24. eruptione horribili facta, Germani tātam stragem in Ordinum castris ediderunt, vt oppugnatio aliquandiu iterum sit intermissa.

Buscoducum, proditione tentatur. Interea nouus miles Buscoducis, quam vrbem astu occupare, & proditione Ordines irrito conatu tentârāt, in castra Renneburgij venit. Tertio itaque Octob. cuniculi eò producti erant, vt hastis cominus sub terra res ageretur. Oppidani iniectis materijs venenosos fumos excitârunt, qui hostem cuniculos deserere compulerunt. *Pugna subterranea.* Postridie, etsi induciæ erant in castris, tamen horribilis subterranea pugna commissa est. victores oppidani cuniculi os ianuis ferreis obstruxerunt. *Hollandi militē suum reuocant.* Hollandi audientes periculosam obsidionem, atque veteranos suos paulatim cadere, suas copias in Hollādiam reuocârunt. Aegerrimè ferebat Renneburgius, Hollandos, limitibus suis Camporum occupatione iam tutis, communem causam deserere. Die 12. & 13. Octobris iterum in cuniculis pugnatur, victores iterum oppidani. *Pugnæ subterraneæ.* Postea Renneburgij milites per cuniculos in turrim Norimb. venientes, Germanos ibi compotantes in-

ses inueniunt. qui exilientes maiora aliquot tormenta explodunt, multosque hostium, qui in cuniculis erant, occidunt, cæteri fugiebant. 1578

Eodem tempore Leovvardiæ templa diripiuntur, & Campis ob militum petulantiam ciues tumultuantur. quare Renneburgius præsidia reuocauit. Interea mors D. Iohannis Austriaci in castra venit. In diœcesi Coloniensi milites conscribebantur, qui obsessis subuenirent. stabat in anchoris Coloniæ nauis armis onerata, quibus isti milites instruerentur: sed ab hostibus præcisis rudentibus nauis abducitur. Paulo post copiæ istæ auxiliares inermes cæduntur. Quod cùm Renneburgius intellexisset, 11. mensis Nouembris muros sternere, & v[illegible]rbem aggredi cœpit: cæterùm cùm latæ ruinæ iam [illegible]atæ essent, & hostis foris oppugnationem pararet, intus verò pulueris tormentarij, commeatusque esset penuria, auxilium nullum speraretur, ciues tumultuarentur: Germani deditionis conditiones Renneburgio proposuerunt, quas ille, reclamante Corenputtio, paululum mutatas, 19. Nouembris acceptauit, vrbemque in Ordinum fidem recepit.

Leovvardiensium iconomachia.

Dauetria deditur.

Orator Cæsaris Comes Schvvartzeburgius cùm intellexisset Ducem de Noua terra, aliosque legatos Cæsareos, breui Coloniam cum plena de pace agendi potestate venturos, nomine Imperatoris pacis negotium apud Ordines pro virili promouit: impetrauitq;, vt illorum consensu Louanium ad Parmensem proficisceretur. Parmensis verò expugnationem arcis Karpenæ maturabat, vt ea occupata, initio anni futuri, Traiectum ad Mosam tutius obsidere posset. misit itaq; ad huius arcis expeditionem Octauium Gonzagam, & Mondragonium, viros militares, omultisque victorijs claros. Moritur interea Maximilianus Comes Bossuuius, per æstatem summus Ordinum exercitûs Imperator.

Schvvartzenburgius ad Parmensem proficiscitur.

Mors Comitis de Bossuy.

Acta sunt hæc mense Decembri, ad cuius diem 24. qui Natalitijs Domini profestus erat, quidā Minister Caluinianus Amorfortijs ab æmulis clam submissus est, vt postridie, tranquillam alioquin Remp. suis concionibus interturbaret. exceptus is hospitio à quodam suæ factionis homine (quales hoc oppidū paucissimos habet) quid, & quomodo postridie negotium institueret meditabatur. Venit ad Consulis Vvestreni aures, eius in vrbem aduentus. is statim Senatum cogit, ali-

Amorfortij Ministrū Caluinianum expellunt.

1578 quot ciues in armis adesse iubet, per apparitorem hospitem & Ministrum vocat. Qui cùm in publicũ prodirent, ita ciuium exacerbati sunt animi, vt vix se à cęde potuerint cohibere, in Senatum venientes, & examinati, hospiti, ne quid in posterũ simile audeat, addita pœna, prohibetur. Ministro statim vrbe exire mādatur. at ille furorem populi metuens à satellitibus ad portam deduci petit: id illi denegatum non fuit, sed ab ipso Consule, alijsque nonnullis, fremente interim populo, extra oppidum ductus, cùm se viaticum non habere quereretur, dalero donatur, & ne hoc rerum statu rediret, illi interdicitur. Hinc Vltraiectensium in Amorfortios creuerunt odia, cùm Vnioni à se nuper fabrefactæ id facinus aduersaretur, quam quia Amorfortij acceptare nollent, Vltraiectenses de bello ipsis sequenti anno inferendo consilia captârunt: de quo suo loco dicemus.

XXII. Nouemb. Reliquum anni huius tempus in rebellione Gandauensi sopienda consumptum est. Auraicus enim XXII. Nouembris Teneremundam cum magno comitatu profectus, delegatos Gandauenses ad se vocauit, vt cum ijs omnia negotia, de quibus erat controuersia, transigeret. Missi sunt & delegati Antuerpienses, qui Gandauenses ad commune fœdus reducerent. Misit eum in finem Andegauensis Dominum Bonniuetum, quem arbitrum huius litis constitui cupiebat. Ausonius quoque Reginæ Angliæ nomine huic conuentui interfuit, multisque rationibus rebelles Gandauenses ad quietem inducere conatus est. Hunc secuti sunt Bruxellenses, qui varijs argumentis Gandauensibus idipsum persuadere voluerunt. Sed incassum erat labor omnis, omnis oratio & disceptatio infructuosa. Cùm omnes omnia tentârant, Auraicus negotij executionem in se recepit, vt cui eam gloriam populus magis, quàm alteri fauebat, tantũ apud Gandauenses effecit, vt his conditionibus ad fœdus redierint.

Auraici & aliorũ in sopiēda rebellione Gādauensi studia.

Catholicis certa quædam templa restituerentur, in quibus Religionem suam exercerent, stationes & processiones haberent, Venerabile Corpus Christi sine tumultu per plateas circunferrent. Religiosi in Monasteria sua redirent. Qui apostatare vellent, ijs id licitum esset, alimentumque ipsis è bonis Monasterij secundùm Magistratus iudicium decerneretur. Mendicantium Ordines in commodum pauperum vrbe interdi-

Quibus conditionibus rebellio sopita.

O Iuda.

terdicerentur. Quædam Monasteria in scholas pro vtraque Religione verterentur. Vnius Religionis homines alterius non irritarent, vexarent, aut in exercitio impedirent. Conuitijs quoque, libellis famosis, cantilenis, aut picturis non offenderent. Caluiniani templa Catholicorum non frequentarent, nec Catholici Caluinianorum, nisi iuxta præscriptum illius Religionis viuere decreuerint. Diebus festis nemo laboraret, aut venum quidquam exponeret. In macello antiqua vrbis consuetudo obseruaretur. Vtriusque Religionis homines Magistratui fidelitatis & obedientiæ iuramentum præstarent, ei in puniendis reis, potissimum huius contractus transgressoribus opitularentur. Magistratus vicissim vtriusque Religionis homines tueretur. Omnes præfecti, chiliarchæ, qui sunt, aut futuri sunt, vnà cum magistratu, iureiurando promittent, se omnia & singula hæc capita obseruaturos. Idem faciet Decanus: Ministri quoque & Consistoria Caluinianorum, cum Collegijs, Conuentibus, & Capitulis Ecclesiasticorum. Acta sunt hæc XVI. Decembris: sed non fuit ista pax diuturna, vt initio sequentis anni dicetur. De captiuis nihil singulare statutum, præterquam eorum causam opportuniori tempore cognoscendam. His peractis Ordines omnē mouerunt lapidem, vt Malecontentos & prouincias Gallicantes pacarent. Tentârunt id primò per eos, quos VValonicis militibus norant esse acceptissimos; deinde per Marchionem Haueræum, & Consiliarium Meetkerkium. At illi in sua sententia perstiterunt, dicentes Religioni datam pacem directè pugnare cum pace Gandaui facta, & illam secuti vnione. Idcirco eas in integrum restitui vrgebant, sed impetrare non potuerunt.

1578.

Ordines Malecontentos pacare conātur, sed frustra.

ANNI M.D.LXXIX. primo die Henricus Gallorū Rex Ordinem equitum S. Spiritûs instituit, cuius approbationem anno superiori (cùm Poloni Regis Orator Romæ suæ Sanctitati de more obedientiam præstaret) à Pontifice per legationem impetrârat. Institutus est Ordo iste ad defensionem Catholicæ religionis hoc modo: Post vespertinas preces Rex in templo Augustinianorum manu Episcopi ductus, ante altare in genua procumbit, acceptoque religionis ordine, tunicam talarem induit, torquem sumpsit, &

Rex Galliæ Ordinem S. Spiritûs instituit.

1579 cruce crocea pectus armauit. quo facto, Magister summus Ordinis dicebatur. Deinde postquã iurâsset se vitam & regnum pro fide Catholica quibusuis periculis expositurum, in throno panno aureo tecto consedit. Accesserunt ad eum istius Ordinis candidati, stolis argenteis induti, qui acceptis insignibus Ordinis singuli, talari scilicet tunica, torque aurea, sacroque libello cum integumento aureo, iurârunt se promptos fore, ad Catholicæ Romanæ fidei defensionem: nec in Regem vnquam arma sumpturos. Aderant solenni huic actui Bandinus Apostolicus Nuntius, & Oratores Scotiæ, atque Venetiarum. Equites qui creabantur erant numero 26. inter eos Dux Augustonemetanus, Mariscallus Rentius, Philippus Strozza, Comes Piliscus, &c. Peracta solennitate discessum est hoc ordine: Custodiæ Heluetiorum præcedebant, eas Germanorũ subsequebantur, inde nobiles 200. Heraldi, æneatores & tubicines festiuo sonitu actum condecorabant. post hos equites aulici, & magistri instruendarum acierũ, quos noui Equites S. Spiritûs bini & bini, pallijs aureis lilijs intertextis conspicui sequebantur. postremo loco Rex auro fulgidus incedebat, quem multi Principes & Nobiles Galli à tergo comitabantur.

Karpen expugnatur. Beilius quidam Cõsulis Traiectensis filius, qui Ludouico Nassouio nuper militârat, astu superiori anno arcem Karpenam occupârat, Bloemiumque Regis præfectum laqueo strãgulârat. Erat hic Beilius homo magnanimus, multi vini potens, & crudelis. is arce munita, prædas circunquaque plurimas agebat, agrosque latissimè vastabat, & villas, pagosque, inter alios etiã pagum Karpenum, cum magnifico, in quo celebre erat Canonicorum collegium, templo, incendebat. quare Ordinibus gratus fuit, vt qui ex prædis multum in ipsorum fiscum inferebat. Ad arcem hanc expugnãdam missum à Parmensi Octauium Gonzagam & Mondragonium diximus antea. hi ad arcem castrametati, postridie trium Regum, tribus in locis 12. maioribus tormentis muros verberârunt, stratisque ruinis latissimis, vno assultu sequenti nocte inuadunt. milites in vicina salicta ex arboribus suspendunt. Beilium verò ad 13. diem post captam arcem reseruatũ, in patibulo ab ipso ponti sublicio superstructo, suspendio necârunt. Referunt Bloemium, cùm ab eo laqueo suffocandus esset, hunc infra annũ ante supremi iudicis tribunal citâsse,

vt in-

vt iniusti supplicij redderet rationem: atque diuina dispositione factum, vt eodem die, sequentis anni, eodem supplicij genere, eodemque loco, sit enecatus. 1579

Occupata Dauentria, Renneburgius in Brabantiam profectus, magna omnium illic gratulatione acceptus est. Audiuit hic competitorem suum Bossuuium ardenti febre extinctum esse: cuius officium nonnulli Renneburgio demandare voluerunt. Paulo post alius ei adfertur nuntius: Milites nimirum suos sub centurionibus Vlitio, Vtervvik o, VVarmelo, & VVeda, à rusticis in Drenta, eò quòd nimiam petulantiam atque violentiam exercerēt, cęsos partim, partim fugatos esse. Præterea tanta erat præsidiariorū Dauentriæ relictorum, tamque inaudita insolentia, vis, atque impietas, vt hostes improbitate vincerent, nec ciues diutius ferre possent. quare coacti sunt scribere ad Renneburgiū, vt nisi suos periclitari velit, præsidium ex vrbe vocet, eamque pristinæ restituat libertati. quod ille non tam volens, quàm coactus fecit.

Mors Comitis à Bossu.

Dauentrienses præsidio exonerari postulant.

Pace inter Groningenses & circuniacentes regiones, vt diximus, inita, cùm hæ minus fideliter eam colerent, sed præter ius & æquum nouū fœdus cum alijs prouincijs, nimirum cum Vltraiectensibus & cæteris Vnitis percuterent, idque non parum in Groningensium (qui se Duci Mathiæ & generali confœderationi submiserant) præiudicium, simultas est renouata. Dum enim Grœningenses se isti Vnioni adscribi recusarent, statim mādatum est Renneburgio, vt Grœningenses obsideret, atque in suam potestatem redigeret, cùm tamen ipsi & in officio manerent, & omnia facerent, quæ pacis conditionibus erant cauta, Entium dimisissent, & Archiduci omnem obedientiam pollicerentur.

Grœningensium cum vicinis secunda simultas.

Vnio, cuius hic mentio fit, Vltraiecti cudebatur, & post multorum dierum labores tandem XXIX. Ianuarij huius anni prodijt articulis XXVI comprehensa, quorum primarij erant: Omnes prouinciæ sic in vnū corpus coalescerent, vt nullo vnquam modo siue per donationes, cessiones, permutationes, venditiones, siue per testamenta, pacis transactiones, aut matrimonia poterunt separari. Mutua opera sese defendent contra omnē vim, quæ sub prætextu nominis Regij aut Religionis inferetur. Vrbes limitaneæ cōmunibus sumptibus munientur. Indictiones, quæ vino, cereuisiæ,

Vnionis Vltraiectensis cōditiones.

1579 frumento, sali, pannis laneis, pecoribus, & aruis consitis imponentur, plus offerentibus elocabuntur, & hinc sumptus belli colligentur. Ciuitates limitaneæ præsidijs necessarijs munientur. Incolæ omnes tam in vrbibus, quàm in pagis & agris recēsentur, in catalogos redigentur, à decimo octauo ætatis anno ad sexagesimum, vt de numero illorum Ordinibus cōstet. In caussis ad armorum depositionem, pacis transactionem, belli continuationem, & tributorum indictionē pertinentibus communis omnium prouinciarum interueniet consensus. Si autem consentire non possint, hæc ipsa arbitrio gubernatorum relinquentur. Minora negotia iuxta numerum suffragiorū constituentur. Nulli harum confœderatarum prouinciarum potestas erit cum aliquo vicino Principe aut regione fœdus inire sine consensu reliquarum prouinciarum. In negotio Religionis Hollandi & Zelandi suo agent arbitrio: Reliquis prouincijs licitum erit viuere secundùm præscriptum pacis nuper Religioni datæ, aut in Religione vbique, vel in quibusdam locis seorsim ea constituere, quæ ad prouinciæ vrbium, aut alicuius membri prosperitatem, & tranquillitatem, cōseruationemque iurium & possessionū vniuscuiusq;, siue is Ecclesiasticus sit, siue secularis, conducere videbuntur. In his reliquæ prouinciæ nullam habebunt potestatem quicquam mutandi aut impediēdi. Hac tamen lege, vt vnicuique licitum sit secundùm Religionem suam liberè sine vllo impedimento viuere, ita vt nemo causa Religionis apprehendatur, aut supplicio afficiatur. Hunc articulum Calend. Februar. Ordines ipsi ita exposuerunt: Suam hac in causa mentem & voluntatem non esse, aliquam prouinciam aut vrbem, quæ nullam aliam præter Catholicam Roman. Religionē habet, aut admittere vult, ab hoc fœdere excludere, sed promptos se esse etiam eas admittere, si modò cæteris capitibus subscribant, & se, vt fideles *Patriotas*, id est, patriæ amatores gerant. Omnibus Religiosis & Ecclesiasticis, qui iuxta pacem Gandauensem vitam moresque instituunt, bona, vbicunque ea sita sunt, restituentur. Similiter & his, qui tempore belli in Hollandia & Zelandia gesti Monasteria sua deseruerunt, honestum alimentum quoad viuent assignabitur. Similiter & his, qui in Monasterijs & sacris Collegijs harum prouinciarum sunt, postea verò eadem Monasteria

nasteria & Collegia prægnantes & iustas ob causas deserunt, aut iam deseruerunt, quamdiu viuent, ex bonis eorundem Monasteriorum honestum alimentum subministrabitur. Qui verò post hoc fœdus Monasterium ingressi fuerint, & postea Ordinem relinquant, his nullum dabitur alimonium, sed quod in Monasterium intulerunt, illud vt secum exportent licebit. Qui verò modò in Monasterijs sunt, aut postea ingredientur, his liberum erit suam Religionem colere, habitum quoque consuetum retinere, & in omnibus alijs suis superioribus obtemperabunt. Si lis inter aliquas confœderatas prouincias oriatur, ea à reliquis componetur: si id fieri nequeat, negotium ad Gubernatores referetur. Cauebunt omnes & singulæ prouinciæ, ne quam exteris Principibus belli causam dent. In causis grauioribus prouinciarum delegati Vltraiecti conuenient, vbi de ijs decernetur. Si qui vocati non comparuerint, hi eodem decreto tenebuntur, nisi res magni sit momenti, & moram pati possit, vt secundò vocentur, & nisi accesserint, sua suffragia amittant, nisi ea scripto comprehensa transmiserint. Si aliquod huius fœderis caput mutandum, si nouum addendum, communi fiet prouinciarum suffragatione. In hæc capita iurarent Magistratus & præfecti cuiusque prouinciæ, vrbis, aut membri, tribus, confraternitates, Collegia, conuentusque tam vrbium quàm pagorum. Primi, qui hoc fœdus inter se fecerunt, Vltraiectenses erant, Hollandi, Zelandi, Gelri, & Frisij Occidentales inter Amisin & Lauicam. His deinde aliæ vrbes, vt Antuerpia, Gandauum, &c. accessêre: quod quoties fieret, campanarum sonitu populo significabatur. *1579*

Casimirum in Angliam profectum dicebamus anno præcedenti. Appulit eò XVIII. Ianuarij, & à Regina magnificentissimè exceptus est. Post paucos dies à Regina fibulato baltheolo donatus, in Garetteriam sodalitatem adiectus est. Multa deinde arcana de Belgicis negotijs cum eo contulit Angla: quæ res Belgis magnas dedit suspitionis occasiones. Tandem Casimirus regalibus donatus muneribus dimittitur, & classe regia Vlissingam transportatur: quò cùm venisset, intellexit equitatum suum iam reditum in Germaniam parare. Omnium enim rerum laborabât pe- *Casimiri in Angliam profectio.* *14. Febr.*

 nuria,

1579 nuria, nec ab hostibus erant securi. Capta enim Karpena, Parmensis Ruremundam reuersus est, traductoq; Mosam exercitu, Helmundam & VVartam capit. Deinde missis aliquot copiis Tournholtium, Rastam, & Endouiam, quotidie cum hoste leuibus prælijs decertauit. Cùm autem omnes vires suas Arschotium duxisset, Casimiriani inferiores se animaduerterũt, supplices ad Parmensem venerunt, aliquantulum pecunię flagitantes, & è Belgio discessum promittetes. At Parmensis, videns eos tumultuari inter se, ipsisque necessariò abeundum esse, nihil ipsis offerre voluit. Crescente paulatim necessitate & periculo, in quo versabantur: Parmensis enim vitæ necisque potestatem in eos habebat, turpiter potestatem Belgio excedendi à Parmense deprecati sunt: quam ea conditione impetrârunt, vt infra quindecim dies omnes omnibus Regis ditionibus exirent. Hunc finem habuit gloriosa illa Casimiri in Belgium expeditio. Ordines cùm equitum Casimirianorum abitum intellexissent, miserũt ad eos, qui duo aut tria millia vt in fide permanerent inducerent. At illi tam indignis modis habiti, precibus & promissionibus omnibus contemptis discesserunt, quos Lazari Mulleri peditum legio secuta est.

Casimiri exercitus Belgio excedit.

Iohannes interim Comes Nassouius, Auraici frater, Geldriæ nuper Gubernator fratris promotione factus, nulla studia, nullos ve labores intermittebat, vt ad exitiosam illam Vltraiecti conflatam Vnionem, nouos quotidie proselytos adduceret, eamque venalem quibusuis regionibus & oppidis obtrudebat. Tergiuersabantur Flandri, Brabantini, Geldri &c. Cùm autem Nassouius partim dolo, partim persuasionibus Geldros huic Vnioni subscribere compulisset; Auraicus, cùm integras prouincias ad eam suscipiendam adigere non posset, singulas ad eam approbandam ciuitates solicitauit, suaque diligentia effecit, vt in Flandris Gandauenses, in Brabantinis Antuerpienses, Vnitorum albo sese adscripserint. quoties autem noua ciuitas adlegeretur, magna lætitiæ signa Vltraiecti, alijsque in locis confœderatis, audiebantur, videbanturque.

Ioannes Nassouius Vnionis Vltraiectẽsis promotor.

Amorfortij, Zutphanienses, & Montfortii, qui Catholicam adhuc religionem incontaminatam seruabant, omnemque nouitatem exosam habebant, huic

Vnioni

Vnioni se aggregare noluerunt. Ea de causa quotidie 1579
Ordines coadunati conuentus agebant: literis, internuntijs, blanditijs, minisque eos ad se pertrahere nitebantur. Habebant Montfortij Dominum, qui illos defendebat. Habebant Zutphanienses munitam, & ad vires Ordinum repellendas, firmam satis ciuitatem. Ab Amorfortijs igitur initium faciendum esse arbitrati sunt.

Amorfortiorum et Vltraiectensium controuersia.

Cùm ergo iam sæpius illos ad Ordinum conuentus, quos singulis penè septimanis habebant, vocâssent, & quæ ad nouitates, consensumque Vnionis facerent proposuissent, Amorfortij iustis semper rationibus ea diluerunt, quibus in legationibus obeundis Gerardus, ex antiqua & nobili familia Spueldiorum, & Guilielmus Pilanus, egregiam sæpe operam patriæ præstiterunt. Tandem in hunc finem iterum in XX. Ianuarij diem euocantur, vtque Vnioni subscribant, iubentur. Respondent Amorfortij, se non ante de Vnione probanda, vel improbanda, agere posse, quàm liquidò constaret, Geldros, Transiselanos, & Frisios eam amplexos, eamque tam ab Ordinibus Generalibus, quàm ab ipso Archiduce Matthia approbatam esse: Generali fœderi se subscripsisse, & proinde, sinè communi sociorum consensu, nouum fœdus inire non posse. Vbi ab his approbatam esse Vnionem demonstratum fuerit, velle se, salua tamen Religione Catholica, saluis antiquis iuribus, immunitatibus, ac priuilegijs suis, cum Vltraiectensibus, de Vnione recipienda seriò tractare. Debebat hæc responsio, vt æqua, ipsis satisfecisse: sed inuidia & æmulatio inter vtranque vrbem, omnem rationem explosit.

Legatio Amorfortiorum.

Venit sub finem Ianuarij Arenaco Vltraiectum Comes Iohannes Nassouius, huius Vnionis prodromus. Suboluit Amorfortijs nouas insidias sibi strui, codicillos, libellosque ad ipsorum immeritam atque iniustam accusationem ab occultis hostibus concinnari, Nassouio exhibendos. Decernunt itaque nouam legationem, dant eam primario Consuli M. Gerardo Scadikio, & nobilissimo viro Ottini ex Comitũ Egmondanorum prosapia, nunc Sallandiæ Satrapæ, duobusque Scabinis, Antonio Brantio, & Iohãni VVestrenensi: mãdatum est iis, vt inimicorum calumnias coram Nassouio diluerent, & æquitatem suæ causæ demonstrarẽt: peterentque, Nassouius adlaboret, vt, so-

1579 pitis inter vtranque vrbem controuersijs, in vnitate & concordia coalescant.

Vltraiectenses Amorfortiorũ legatos capiunt.

Cùm itaque qui ab Amorfortijs missi erant, ad Comitem venirent, causam legationis proponerent, audiri se ad inimicorum calumnias postularent, priusquam Comes acerbius aliquid in oppidum Amorfortium statueret; respondit Comes, ad se singulares aut capitales criminationes delatas non esse, tantùm nonnullos ad se venisse, qui quod in mandatis habebat, cuperent expediri. id se facturum, postquam P. Busius, sibi adiunctus, aduenisset: redirent itaque legati ad hospitia sua, & postridie reuerterentur. quod & factum est. Reuersi ad ædes, in quibus diuersabatur Comes, captantes illum conueniendi occasionem, à militibus eum in finem missis appræhensi sunt, & in captiuitatem, solo Egmondano dimisso, abducti. Cumque in itinere dicerent, se in legatione esse, iniquum & omnium gentium iuri contrarium legatos violari: respondit Pilius Canonicus, qui huius auctor erat: se in mandatis habere, vt eos abduceret: ignorans homo, chorum, non forum sibi commissum. Cùm Amorfortij rogarent, à quo id mandatum esset, & quam ob causam caperentur: nec auctorem, nec causam potuerunt extorquere. In carceres itaq; aut publicam custodiam abducti, ibique detenti sunt, donec data dextera, & decem florenorum millium fideiussione facta, quòd vrbe non exirent, in publicum hospitium dimitterentur.

Vltraiectẽses nec causam, nec auctorẽ captiuitatis dicere volunt.

Magistratus Amorfortius iniuriam conquestus, literas ad Vltraiectenses scribit, suos liberos dimitti cupit, aut causam dici. Responsum est, se auctores captiuitatis non esse, nec suo mandato illos posse dimitti. Similes literæ datæ sunt ad Nassouium: sed & ipse negat, se auctore illos captos esse. Detenti sunt itaque optimi viri per aliquot septimanas, nec cuius mandato, vt cum eo iure agerent; nec ob quam causam, vt se purgarent, indagare potuerunt. Interea Nassouius interpellatus, ad Amorfortios scribit, se iam diuersis locis de Amorfortijs querelas audiuisse; Vltraiectenses, & vicinos populos, eos suspectos habere: nolle eos cõmuni Ordinum conclusioni acquiescere: mandatis Auraici nõ satisfacere: factis & verbis indicare, se Auraicum, eiusque mandatum floccifacere: ab iis tam in Principem, quàm in suam personam contumelias varias proferri: indictos census nolle pendere: quosdam

Ordi-

1579

Ordinibus militantes vrbe expulisse: contra pacis Gandauensis præscriptum concionatorem eiecisse, & cum hostibus patriæ clandestinas conspirationes fouere. Eadem & vocatis captiuis exposuit, illud tanquam capitale addens: quòd Amorfortij D. Decanum Ioannem Bruhesium, aliosque exules Catholicos, in vrbem recepissent, & adhuc sustinerent. Senatus, acceptis literis, ad singulas calumnias grauiter, prudenterque respondit, eas irrefragabilibus argumentis diluens. Horum omnium, literarumque & actionum præcedentium, authenticæ apud nos apographa reseruantur. Sed postquam Senatus cerneret, nullum apud vicinos iustitiæ locum reliquum esse, Doct. Godefridum Stegium, & Assuerum Santvvichium, ad Archiducem, & Auraicũ (vbi adhuc vmbra iustitiæ relicta esse videbatur) eis iniuriam expósituros legârunt.

Parmensis, debilitato iam Ordinum exercitu, per agros vbique victor, ad mœnia vsque Antuerpiensium excurrebat. Præmittit Ioannem Baptistam de Monte cum aliquot equitum cohortibus, & occupatis aliquot castellis vrbi vicinis, tandem in Burgerholtium venit, vbi bona pars exercitus Ordinum hyemabat, cui præerant Noæus, Argentlinius, Mouyus, Noresius, & alij, qui cùm hostis aduentum intellexissent, suos eduxerunt, & acriter cum Regijs pugnârunt. Sed cùm Parmensis numero militum superaret, Ordinesque equitatum non haberent, cæsi, fugati, & sub mœnia Antuerpiensium retro reiecti sunt. Antuerpienses verò maioribus suis tormentis regios à muris depulerunt. Postridie Parmensis occupatis incensisque castellis nonnullis, Traiectum ad Mosam contendit, quã vrbẽ vt maximi momẽti totis viribus 12. die Martij obsedit.

Parmẽsis Ordinum exercitũ cædit.

Traiectũ obsidet.

Ordines & Auraicum interea mirificè solicitos tenebant Prouinciarum Gallicantium & Malecontentorum consilia. Quare Abbatem S. Bernardi, Marchionem Haueræum, & Consiliarium Meetkerkium in Hannoniam Artesiamque miserunt, vt Ordinibus istarum prouinciarum persuadeant, ne se à communi fœdere separent aut disiungant. At illi Ordinibus Antuerpiæ congregatis per literas respondent: Sibi huiusmodi admonitionibus opus non esse, vt qui pacẽ Gandaui factam religiosè semper obseruârunt. Eos potius ad officium reuocarent, qui illam tam fœdè violârant, vti per literas V. Ianuarij datas conquesti erant, peten-

Malecontenti ad Ordines scribunt.

1579 tes ſatisfactionem,& vt omnia ad normam pacis Gãdauenſis reſtituerentur,oſtendentes non tantùm rebellionem Gandauenſium,ſed & pacem Religioni nuper datam, & ſimiles nouitates cum pace & vnione pugnantes in cauſa eſſe. Iniquiſſimè igitur Ordines ſecum expoſtulare,& admonendi ipſos rationem non habere,cùm ipſi contra fidem & iuſiurandum diſſimulabant,& communicabant cum his, qui turpiſſimè delinquerent,iram Dei & Regis in ſe prouocarent, eamque ignominiam ſibi ipſis inurerent, quam nulla vnquam ætas abolere poterit. Iccirco ſe à verbis generalis Vnionis diſcedere nolle, etiam ſi vita cum ſanguine eſſet profundenda. Cælaré ſe Ordines nolle, quòd ſingularem ſeu particularem cum Rege pacem inire non cuperent, ſed generalem, & eam,quæ fœdere Gandauenſi, vnioni ſubſecutæ, & edicto perpetuo conſentanea eſt,nulla re addita aut mutata, præſertim in ſancta fide & Catholica Romana Religione. Certiores etiam Ordines faciebant,ſibi à Rege reconciliationem oblatam tam æquis conditionibus & ſecuritate, quam ipſi optare poſſent. Imò ſe literas ab ipſo Rege VII. Februarij accepiſſe, in quibus optimum ipſorum inſtitutum,& ſtudium in obſeruanda Religione Catholica & ſua obedientia vehementer commendabat. Regem magnopere lætatum, & pro hac conſtantia gratias agere,orare vt perſeuerent, & promittere quidquid vlterius cum Epiſcopo Atrebatenſi & Domino VValhunio,iuxta mandatum,quod illi à Parmenſe habent, tranſacturi ſint,ſe firmum ratumque habiturum. Hæc etſi offerantur, nunquam tamen acceptare voluiſſe: quia ſperabant breui fore,vt vniuerſalis pax componatur. Orare igitur ſe Ordines, vt opportunitatem hanc non negligant, ſed ſecum perpendant nullam diuturnioris belli cauſam nunc ſupereſſe. Cupiunt tandem, vt ante XV. diem Martij ad hæc reſpondeant, an omnia ſecundùm præſcriptum pacis Gandauenſis velint reſtituere,& reparare. Quod niſi Ordines faciant,ſe eorum ſilentium pro negatione habituros. Additũ erat his literis apographũ ſcripti Regij, cuius paulo ante fit mentio,cum demonſtratione Epiſcopi Atrebatenſis,Baronis de Selles, & VValhunij, qua oſtendebant Regis mentem & voluntatem non aliam eſſe, quàm vt Catholica Romana Religio & Suæ Maieſtati debita obedientia,Pax Gandauenſis ſubſecuta, Vnio & Edi-

ctum

ctum perpetuum conferuentur. 1579

Ordines ad hæc III. Martii respondent, suum instiTutum etiam non aliud esse, quàm pacem Gandauensem obseruare, & tranquillitatem concordiamque prouinciarum procurare. Eam propter Religionem nō esse turbandam, sed partes dissidentes pace & libertate Religionis in officio continendas. Ad permissionem vtriusque Religionis, se Ioannis Austriaci bello compulsos esse. Hanc libertatem vnicum esse remedium ad pacem Gandaui initam conseruandam, cùm iam omnibus communicetur, quod pax illa Hollandis & Zelandis permittebat, eo fine, vt pax in Belgio conseruetur, & peregrini eijciantur. Rogare se itaque Hannonios & Atrebates, vt in fundamento substantiali & primariis capitibus Pacificationis Gandauensis secum permaneant, reliquis prouincijs consilio, pecunia & expulsione peregrinorum opitulentur. Multis deinde verbis ostendere conantur, Religionis Caluinianæ permissionem non pugnare cum pace Gandaui facta: potestatem ipsis esse Religionem tempore necessario mutandi, eamque mutationem non debere esse causam à fœdere discedendi. Orant igitur secundò, vt in fœdere maneant, ipsis succurrant, nec offendantur alteratione Religionis in suis prouincijs facta, ne se ab hoste fuco pacis decipi patiantur: sed Vnioni adhæreant, & ab ignominia periurioque sibi caueant. Se propositis ab Hannonijs & Atrebatibus conditionibus satisfacturos, ea excepta, quòd omnes cuiuscunque Religionis in fœdere compræhensos velint. Nullo etenim pacto se causa Religionis à suis fratribus discedere decreuisse. Id si & ipsi facere in animos inducant suos, & nullā pacem seorsim cum hoste conficiant, sperandum fore breui, vt hostis vltro meliorem & securiorem omnibus pacem offerat. Maximam sibi doloris causam fore, si pergant sine suo consensu cum hoste pacisci, segregantes se à socijs, eò quòd Religionem, quàm fratrum vitam, saluam magis cupiant. Scriptum hoc Ordinum magis Gallicantium animos irritabat, cùm ex eo præfractum & obduratum Ordinum animum in abolendis nouitatibus, post pactum Gandauense introductis, & quàm parui Religionem facerent manifestè satis perspicerent. Quod Ordines generales impetrare non potuerant, id se Bruxellenses consecuturos sperabant. Miserunt hi ad Atrebates Thesaurarium suum

Ordinum ad Malecontentorum literas responsum.

Præclarè.

Sed cum infidelibus iugū ducere. 2.Cor. 6.

Bruxellensium

1579

ad Atrebatenses legatio malè accepta.

VVilhelmum Heckenum, & Cornelium Arnoldum Secretarium: Atrebates enim ad hanc defectionem procliuiores cæteris D. Odoardo de Capres præfecto vrbis, & Vicecomite Gandauensi totius prouinciæ Gubernatore incolas ad eam exhortantibus. Bruxellensium legati minus quàm putârant benignè excepti, vt seditiosi habiti, eoque nomine appellati, absque vllo responso ad suos reuerti iubentur.

Vltraiectenses Amorfortios hostes proclamant.

Vltraiectenses, vt ad libidinem suam in Amorfortios diuexandos commodius peruenirent, ad diem 14. mensis Februarij, publico edicto Amorfortios hostes patriæ declarârunt, & ne quis cum eis negotiaretur interdixerunt. Ne quis autem hoc mandatum violâret, aliquot manipulos sicariorum & prædonum emiserunt, qui quicquid ipsis adueheretur interciperent. Tulêre patienter illud Amorfortij, & apud Gubernatorem iniuriam conquesti sunt. Septimo deinde mensis sequentis, collectis aliquot copijs, profunda adhuc nocte, ante oppidum Amorfortium castrametati sunt.

Vltraiectenses et cõfœderati Amorfortiã obsident.

Erat tunc temporis secundarius in vrbe Consul Cornelius Reinerus. is, capto collega ab hoste, vrbis tuendę curam suscepit: iubet confestim in armis adesse ciues: dein quicunque suspecti erant, in curiam duci mandat, ibique in libera custodia asseruari: post ad mœnia defendenda simul cum reliquis ciuibus aduolat. Hostis gerras ex vasis vinarijs disponit, iniectaque terra complet: dum alij liberius ad mœnia procurrentes, ciues prouocarent, hi è mœnibus ac turribus eiaculantes, multos interfecerunt. atque ita leuiter pugnatum est, ad horam secundam pomeridianam. Tunc globo facto, aliquot signa hostili impetu in mœnia ducunt, fossam exteriorem tranant, vallumque occupant. Oppidani, emissa glandium maxima procella, ingenti illos tempestate è vallo proturbant, & pedem referre cõpellunt. qua in pugna multi ex hostibus ceciderunt, vno tantùm ex oppidanis vulnerato. Accrescebant hostium copiæ, Geldris, Hollandisque nouas submittentibus. Circa vesperem septem maxima tormẽta, ad muros concutiendos, eosque aperiendos, in castra hostium attracta sunt. Erant frequentes eo die pluuiæ, ita vt hostis puluere madefacto, extinctoque fomento igniario, ad pugnam ineptus esset. Id non ignorantes oppidani, Consulem rogant, vt ducentos aut trecentos (qui operam suam offerebant) emitteret in hostium castra: non

redituros se aiunt, nisi hoste castris exuto, tormenta, omnemque apparatum bellicum in vrbem referent. Sed Consul prudentior vrbem, ciuesque periclitari noluit: non ignorans hostium damna, nouis accitis copijs resarciri posse, obsessos à nemine subsidium expectare. 1579

Interea qui in obsidione erant, literas ad Magistratum mittunt, quibus deditionem oppidi postulabant, in medio leuiter Ordinum diœceseos mentio fiebat: initium & finis illam postulationem ex nomine Nicolai Zulenij, Frederici Vtenengij, & Henrici Buttij, priuatorum hominum, fieri arguebat. Magistratus, lectis literis, respondet, se immeritò ab inuidis & clancularijs hostibus accusari, iudicio Archiducis Austriaci & Auraici principis se sistere velle, coram his sese purgare, & illorum decisioni acquiescere: petere itaque, ne quid hostile in oppidum moliantur.

Auctores obsidionis.

Media nocte Doctor Godefridus Stegius, legatus oppidi ad Principem Auraicum, ad portam magno suo periculo venit. in vrbem receptus est, ciues bono animo esse iubet: ingens oritur in vrbe lætitia. Is literas Auraici attulit, quibus Vltraiectensibus mandabat, omnem hostilitatis denuntiationem abrogare: captiuos Amorfortios cauta fideiussione dimittere: vtrinque legatos ad se cum auctoritate sufficienti amandare, qui coram se & Archiduce arbitro litem exponant, iudiciumque & sententiam audiant. Dum leguntur literæ, hostes in suburbium ignem coniiciunt, & ædes quasdam incendunt, maiusque tormentum explodũt. Magistratus literarum copiam cum certis hominibus in castra mittit: legunt qui præclaræ huic præerant expeditioni. Respondent illi, se Auraici mandato nolle refragari, placere sibi vt vtrinque ad ipsum legati mittantur: interim oppidum ad suum imperium, aut vi, aut deditione cogere velle. Mane expeditis atque dispositis machinis, ita ad oppidum fulminabant, ita intonabant, vt circa meridiem portam vnam disturbauerint. Venit interea Comes Nassouius in castra, cuius aduentus non minimas turbas in oppido concitauit. qui enim antea, visis Auraici literis, credebant Vltraiectensium priuatam esse factionem, nunc literas istas fictitias, & Auraici mentem longè aliam esse existimabant: & sanè Auraici synceritatem non parum aduentus iste reddidit suspectam, dum scriptum à mente discrepa-

Auraici literæ de hostilitate reuocanda.

Nota.

1579 creparet. Adduxerant & hostes Consulem, cæterosque Senatores in castra captiuos, ijsque dira minabantur, ni se dederent oppidani.

Magistratus cùm synceritatem nullam, nullam fidem aut iustitiam, neque apud Principes, neque apud subditos inueniret, nec aliunde se auxilia expectare, nec hostis violentiam sustinere posse, facilè animaduerteret; satis se in defensionem iustissimæ causæ suæ fecisse arbitratus, de deditione facienda cœpit cogitare. Interea hostis dato signo impressionem facit, totisque viribus muros oppugnat. Ciues accurrunt, fortiter resistunt, fit atrox pugna, multi ex hostibus cadunt, è ciuibus nullus desideratus.

Oppugnatur Amorfortia.

Reiecto hoste, Magistratus in castra mittit, qui conditiones acciperent, priuilegiorum obseruationem paciscerentur, de Religione nullam facerent mentionem: si vltrò Catholicæ conseruationem hostes offerrent, eam acceptarent. Prudenter enim Magistratus sibi persuadebat, id quod factum est, statim Caluinismũ introducendum: ne ergo sub prætextu vtriusque religionis pacti, Magistratus in illam consentire videretur, cum qua suam diu stare non posse, aliorum exemplo didicerat; maluit vim sustinere, quàm aliquid in suæ fidei præiudicium statuere.

Magistratus de deditione consiliũ.

Transacto deditionis negotio, acceptisque conditionibus de conseruandis priuilegijs, promissaque liberaliter Catholicæ Religionis conseruatione, oppidum Vltraiectensibus traditum, ac decimo die Martij præsidium acceptum. Mox patibulum medio foro erectum, ex quo suspenderentur ij, qui in Catholicos (scilicet) insolentiores essent. Mox Senatum, contra præcedentis diei pactum, mutârunt; Prætore officio suo deiecto, alium in eius locum surrogârunt, vbique ab eo tempore huc vsque pro sua libidine dominantur.

Deditur Amorfortia.

Hæc ideo latius referre volui, vt patriæ meæ innocentia toti mundo constaret: nihilque ab eo tempore in administratione Reipub. actum, quod non ab Vltraiectensibus directè aut obliquè sit profectum, quæ si laudanda vel improbanda sint (id enim iudicium aliorum esto) præmium libenter illis condonamus. Id autem non de omnibus dictum velim, sed de quibusdam: magna etenim Vltraiectensium pars, viri probitate conspicui, & tranquillitatis amantes, quorundam con-

civium suorum studia detestabantur. *1579*

Per eosdem dies Gandauenses iterum, & quidem fœdius quàm antea tumultuati sunt. Contra pactum enim XVI. diei Decembris anni præcedentis Ecclesiasticos omnes vrbe denuò expulerunt, & templa eorum spoliârunt. Prætextus huius sceleris erat, quòd quidam Monachi concionati erant ijs in templis, in quibus Sacerdotes seculares concionari consueuissent. Idem factũ est Aldenardæ, & Teneremundæ, quæ vrbes ad arbitrium Gandauensium regebantur. Hac tam turpi rebellione maior, quàm antea inter Ordines orta est omnium rerum ataxia. *Gandaui nouus tumultus.* *Magnum piaculũ.*

Interea Emanuel Lalaignius, Baro Montignius, summus Malecontentorum imperator VI. Aprilis fœdus cum Motteo Grauelingensium Gubernatore, à Rege ad hoc constituto, pro se, Domino Hesio, & omnibus militum Tribunis, equitum magistris, centurionibus, gregarijs militibus, & equitibus, cum iam in octauum mensem tam in Flandria, quàm alijs locis secutis, numero circiter octo millibus peditum, & quadringentis equitibus pactus est his conditionibus. Quòd Regi deinceps fideliter militarent, Catholicam Apostolicam Romanam Religionem defenderent, Regiæ Maiestati debitam obedientiam propugnarent, iuxta præscriptum pacti Gandauensis, subsecutæ Vnionis, & Edicti perpetui. Promittunt se fideliter pugnaturos contra omnes Regis hostes, & eius Proregi seu Gubernatori, quemcunque Suæ Maiestati constituere in his prouincijs reconciliatis, aut aliquando reconciliandis placuerit, obtemperaturos. His tamen legibus, si Rex Prouincijs sufficientem securitatem non dederit, aut Hispanos, Italos, Albanos, Burgundos, aliosque peregrinos milites è Belgio tempore constituendo nõ vocauerit, dicto sacramento non obligarentur, neque ante Hispanorum &c. abitum quidquam tentare aut exequi tenerentur. In prædicta capita non tantùm ipsi, sed & milites omnes iurarent. Sed & Menenen, Cassellam, alias munitiones ab ipsis occupatas, cum omnibus tormentis bellicoque apparatu Regi traderent, vt ijs vtatur quandocunque & vbicunque voluerit. Vt autem militibus debita stipendia soluantur, promptioresque ad omnia reddantur, & in bona disciplina contineantur, promisit Valentinus de Pardiu, Dominus Mottæus nomine Maiestatis Regiæ se Mon- *Malecontenti cum Mottæo paciscuntur, & Regi reconciliantur.*

1579 tignio repræsentaturum & numeraturum bis centena & quinque florenorum millia. Quadraginta scilicet millia in promptu, sexaginta quinque millia ante VI. Mai, & centena millia circa VII. Iunij subsequentis. Qua pecuniæ summa Montignius vicissim pollicetur, se prædictos milites totos duos menses Aprilem & Maium in castris alere & sustentare velle. Eos etiam lustrabit & recensebit, vt omnes ad Calendas Iunij parati sint ad nouam pro Rege militiam æquo stipendio adeundam. Quibus promittit Mottæus se procuraturum, vt ipsis vnius mensis stipendium ante XV. Iunij numeretur.

Rebus sic inter Mottæū & Malecōtentos trāsactis, Montignius postridie in pleno Ordinū Artesię, & delegatorum Hannoniæ, ciuitatumq́; Insulensis, Duacensis, & Orchinij cōsessu ostendit se pactum hoc cum Mottæo percussisse, cuius finis non esset alius, quàm obedientia Regis, pacis Gandauensis, Vnionis generalis, & Edicti perpetui obseruatio, præcipuè autem Hispanorum & aliorum peregrinorum militum è Belgio reuocatio, & firmæ stabilisq́ue pacis securitas. Ante biduum oppidum S. Audomari ad obedientiam Regis reuersum est.

Audomarenses se Regi dedunt.

Legati ad pacificationem Coloniensem missi.

Paulo post Pontificis, Imperatoris, Regis Hispaniarum, Belgarumq́ue Legati Coloniam venerunt, vt negotium pacificationis Belgicæ tractarent. Pontifex eò cum potestate legauit D. Io. Castaneum Episcopum Rossensem; Cæsar Coloniensem & Treuirensem Electores, Herbipolensem Episcopum Iulium, Comitem Ottonem Henricum Schvvartzenburgium; Dux Iuliacensis VVernerum Gymnicum. A partibus diffidentibus, & quidem à Rege Catholico missus est Carolus Arragoniæ, Princeps Castri veteris, Nouæque terræ Dux, Marchio Abulæ, Comesque Bergedij. Ab Ordinibus autem Dux Arscottanus, Abbas S. Gertrudis, Abbas Marollius, Bucho Ayta Præpositus S. Bauonis, Caspar Scetz D. in Grobbendonk, Adolphus Meetkirchē, & alij nonnulli. Dies Comitiorum ad 29 Martij dictus erat: sed quia non omnes tunc conuenerant, terminus est prorogatus.

Traiectū oppugnatur.

Princeps Illustrissimus Parmensis toto pectore expugnationi vrbis Traiectēsis incumbebat. Initio Aprilis vtranque Mosę latissimi fluminis ripam tribus stratis pontibus iungebat, vt exercitum ducere ac reducere

posset, quam in partem velit. Castris deinde dispositis, 1579
aggeribus inclusis, propugnaculis, apparatuque bellico munitis, occultum iter Bruxellensis portæ intercipit, impeditque, ne munitione iuxta eam excitata oppidani vti possent. Dispositis tandem tribus in locis maioribus tormentis, vrbem concutere cœpit ad diem Aprilis octauam.

Malecontenti ad Ordines scribunt.

Hannonienses & Atrebatenses, cum confœderatis, vltimò ad Ordines Antuerpiæ congregatos scribunt, si fortè eos ad saniorem mentem reuocare possent; sin minus, saltem omnibus testatum relinquerent, se non præcipitanter, aut temerè à fœdere Belgico resiliisse. Eodem tempore & Parmensis Ordines ad pacem admonebat, & Legati Principum Coloniæ Belgarum legationem expectabant: quæ quia non mittebatur, Colonia nuntius cum literis ad Ordines expeditur, in quibus, vt legationem maturarent, hortabantur. Multis enim procrastinatio hæc suspecta erat, scrupulumque iniiciebat, verum esse, quod Sant Aldegundus Senatori Gandensi nuper scripserat. Sed priusquàm literæ Antuerpiam allatæ sunt, Archidux & Ordines, ijs, quos paulò ante enumerauimus, legationis negotium dederant. Sed Auraicus intellecto, quòd in pleno Senatûs Ordinum Hannoniæ, Artesiæ, & ciuitatum Flandriæ Gallicæ consessu, articuli pacis & reconciliationis regio Gubernatori proponendi concepti & definiti essent, eosque suis studijs parum conuenire, scribit Arscottano indignabundo stomacho, non Coloniam, sed Atrebatum legatos mittendos esse: ibi enim & citius & facilius pacis negotio per Parmensem, quàm Coloniæ per Cæsarem, finem impositum iri. Qui autem Coloniam legati erant, 8. Marij tandem ad Comitia venerunt.

Traiectũ oppugnatur.

Parmensis cùm iustam ruinam strauisset, Traiectum oppugnauit. Duo Germanorum signa mœnia iam superârant: sed præsidiarij tanto in eos impetu ferebantur, vt retrocedere cogerentur. plumbi liquefacti, & feruentis olei tantam vim in oppugnantiũ densissimos cuneos effuderunt, vt receptui canere regij compulsi, plurimos è suis desiderauerint. Cui incommodo hoc accedebat, quòd puluis tormentarius malè custoditus, igne correpto, Hispanis non leue damnum intulerit.

Sub idem tempus Antuerpiæ in publica supplica-

1579 tione, quam & Archidux Matthias sua præsentia condecorabat, subitus tumultus à Caluinianis concitatus est, & postridie decretum, vt omnia templa occluderentur, diuinus cultus cessaret, 18 sacerdotes & religiosi in exilium eijcerentur.

Tumultus Antuerpiæ.

Causa huius tumultus erat, quòd Catholici supplicationem solito more per plateas celebrare (id quod in Religionis pace etiam Gandauensibus data concessum erat, nec vsquam interdictū) voluerūt. Quod Caluiniani impedire volentes, virū & fœminam interfecerunt, omnem clerum, populum, imò ipsum Archiducē in templū reiecerunt, templiq; valuas ita occluserunt, vt nulli pateret exitus, donec veniret Auraicus, qui tumultū volens cōponere accurrit, tantumq; impetrauit, vt Archiduxcū comitatu aulico è tēplo dimitteretur hac lege, ne quem virum Ecclesiasticū secum educeret. Grauissimè hanc insolentiam accepit Archidux, & ab administratione sua statim discedere voluit, asserēs se priuatū viuere, quàm tam seditiosis hominibus imperare malle. Hæc & huiusmodi, quæ quotidie diuersis in vrbibus contra iura, priuilegia, pacta & iuramenta fiebant, Malecontentos magis magisque irritabant & exacerbabant. Sed & multi nobiles atque Reguli, in quibus adhuc fides, constantia, & cura honoris erat, ab Ordinibus defecerunt: inter quos etiam fuēre Comes Egmondanus, Dominus de Fresijn è familia Gauriæ, Boersius, & alij. Mechliniæ quoque inter ciues & præsidiarios tumultuatum est: sed intercessione Domini de Merode, controuersia sine cæde sopita, sic tamen vt præsidiarij vrbem relinquere cogerentur.

Mechliniæ tumultus.

Dum hæc apud Ordines geruntur, Auraicus nullū non mouet lapidem, vt consilium Hannoniensium & Atrebatensium de reconciliatione cum Rege impediat. Quod cùm ab Ordinibus istarum prouinciarū impetrare non posset, per singulares amicos id efficere conatus est. Inuenit ad hoc idoneum instrumentum Comitem Lalainium, Gubernatorem Hannoniæ, qui infensissimus Austriaci dum viueret hostis semper fuerat, Ordinum studia consilio, & ope promouerat, & Auraico tam bene volebat, vt eum patrem appellaret suum, cui etiam non adeò nuper literas Alphonsi Curielij ad Parmensem interceptas transmiserat. Is se à generali Ordinum fœdere non discessurum promiserat.

Auraici studia, ne Hannonienses et Atrebatēses Regi reconcilientur.

Sed

Sed enormibus fœderatorum flagitijs & seditionibus tandem irritatus, & consilijs admonitionibusque Comitum Mansfeltij, Arenbergi, Montignij quoque affinis, fratris, & aliorum persuasus, X. Calendas Iunij cum alijs de conciliatione consensit. Pactum itaque initum est inter Episcopum Atrebatensem, Dominum de Selles, & VValhunium à parte Regis & Parmensis, & inter Ordines Artesiæ, Hannoniæ, Insulensisque, Duacensis, & Orchinij, quod & confestim à tribus Gubernatoribus, Vicecomite Gandauensi, Comite Lalainio, & Domino VVileruallio subsignatum est. Huius reconciliationis XXVIII. erant capita, quorum præcipua fuere: Omnium præteritarum offensarum obliuio: Pacificationis Gandauensis, Vnionis eam subsecutæ, & Edicti perpetui obseruatio, ad Catholicæ Apostolicæ Romanæ Religionis & obedientiæ Regi debitæ defensionē. Infra sex menses à promulgatione huius pacti omnes Hispani & peregrini milites Belgio excederēt, omnesque munitiones vrbes & oppida indigenarum custodiæ traderentur. Hæc reconciliatæ prouinciæ extemplò exercitum sumptibus Regis conscriberent, siue ex indigenis, siue ex alijgenis, gratis tamen Regi & populo hominibus, eo fine, vt Religio Catholica & obedientia regia conseruetur, iuxta pactum Gandauense, & alias transactiones. Parmensis sex septimanas in Administratione sua permaneret, aut donec Rex alium Gubernatorem miserit, &c. Iidem Ordines intercedebant pro Archiduce Matthia, vt Rex eum in Gubernatione Belgij confirmet, si se ad reconciliatos transferre voluerit. Orabant etiam, vt Comes Buranus ex Hispania remittatur, si prius iurauerit in Religionis Catholicæ & Pacti Gandauensis obseruationem. Reliqua capita ijs, quæ in conuentu Coloniensi proponebantur, consonant. Hæc pacis transactio postea XXIX. Iunij in castris ad Traiectum rata facta & subsignata, in omnibus Artesiæ, Hannoniæque locis promulgatur, & mense Septembri magna populi lætitia, campanarum pulsu, Cãtici Augustiniani & Ambrosiani modulatione, varioque triumphi genere accepta est. Princeps interim Espinoius Tornacum, Ainsius Cameracum, & Iodocus de Soete D. Villarsius Boucheiniam in fide generalium Ordinum continuerunt.

1579 | *23. Maij.* | *Artesia, Hannonia, cæteræq; Prouinciæ Malecontētæ quibus conditionibus Regi reconciliatæ.*

Vltimo Maij Gebhardus Elector Coloniensis, vt felix faustumque daret pacificendi Belgico negotio auspi-

Supplicatio Colo-

1579 *…pienſis pro felici pacificatione.* auſpiciis, inſignem Coloniæ, aſſentiente ampliſſimo vrbis Senatu Supplicationem inſtituit. in qua; præter infinitum vrbis Clerum, præter Magiſtratum, innumerabilemque piorum hominum multitudinem, Pontificis, Imperatoris, Regis Hiſpaniarum, aliorumque Principum Legati, viri Illuſtriſſimi, ſumma humilitate, deuotione, raraque pietate videbantur, benignitati Domini ſupplicantes, vt ſuæ indulgentiæ clementiſſimis oculis, in ſuam perniciem præceps ruens Belgium reſpicere dignaretur.

Egmōdanus captis Bruxellis cum dedecore expellitur. Comes Egmondanus iam ad partes Malecontentorū propendebat. Habebat is ſub ſuo imperio legionem peditum, quos Ordines ad ſolutionem obſidionis Traiectenſis mittere decreuerāt. Egmōdanus verò vrbem Bruxellenſem ſuæ poteſtatis vt faceret meditabatur. Vocauit igitur clā milites ſuos, quibus XIII. Iunij centuriam equitum obuiam miſit, tanquā exploraturos, hoſtesne an amici eſſent. Ipſe interim cæſis excubitoribus, qui in porta erant, eam occupat, & ſuos introductos in forum compoſitis Ordinibus ducit, forumque occupat, & aliquot munitiora vrbis loca. Sed dū mittit, qui Palatium occuparent, iiq; impedirentur, & ipſe tardius quàm oportuit negligentiusque ageret, ciues ad arma proruunt, ſub ſignis ſuis conueniunt, portas & propugnacula recuperant, & Comitem cum ſuis in foro obſidēt, vbi tota die ac nocte ieiuni detinebantur. Poſtridie aduenientibus aliquot militibus Mechlinia miſſis, Comiti & ciuibus minitantibus, certis conditionibus inter ſe tranſegerunt, & Egmondanus cum omnibus ſuis vrbe dimiſſus eſt, non ſine magna ignominia, quam apud vtramque factionem incurrit, vt qui tam valida manu vrbem occupārat, tam facile ſibi victoriam è manibus eripi pateretur.

Tumultus in Normannia. In Gallia, præſertim Normannia, noui tumultus circa idem tempus exorti ſunt. Nam cùm Rex, ob continua præcedentium annorum bella, multa nomina feciſſet, vt tandem nonnihil ſe expediret, grauiq; ære alieno regnum releuaret, indictiones fecit: quæ quia fortaſſis grauiores erant, & ſubditis ſuperioribus bellis penè exhauſtis intolerabiles, Normanni tumultuari cœperunt. quod cùm Rex ægrè ferret, magnam equitum, peditumque manum miſit ad eos compeſcendos. hæc Natalis.

In

In Lusitania Regni Competitores inter sese certabant. Vt autem, quale cuiq; ius fuerit, lectori aliquo modo constet, hic Regū Lusitaniæ genealogiam lubet paucis recensere. Alphonsus sextus Hispaniarum Rex, spuriam habuit filiam, nomine Teresiam. eā Lotharingo Henrico Gallo in vxorē collocauit: idq; ob egregiam in bellis operā nauatam. Dedit huic in dotē Lusitaniæ Ducatum, qui postea in regnum cōuerso nomine mutatus est. Multis intercedentibus regibus, & annis interiectis, tandem Regnum successione ad Emanuelem deuoluitur. cuius filij, filiæq; ordine fuêre Iohannes, Isabella, Beatrix, Lodouicus, Alphonsus Cardinalis, Henricus Cardinalis, qui huius anni initio vitę fabulam Rex vltimus peregit, & Odoardus. Iohanni primogenito nati sunt Iohannes, & Maria, quæ Philippo Hisp Regi nupsit. Iohannes Sebastianum genuit, quem Maurorum armis occubuisse diximus Ex Isabella, Carolo V. nupta, Philippus Hisp. Rex natus est. Lodouicus legitimam sobolem non reliquit; filium tamen Spurium, Antonium nomine, quo cum Philippus postea bellum gessit, ex Iolenta ignobili fœmina procreauit. Natæ sunt tamen fœminæ ex Odoardo, Maria, Raynutij Principis Parmensis vxor, & Catharina Brągantiæ Ducissa Ex Beatrice natus est Allobrogum Dux: sed is de Regno noluit cum Philippo contendere, eò quòd mater posterior esset nata. Antonius itaque Spurius, & Bragantiæ Dux, iura sua colligunt, & postulant regni successionem. Antonius famulum testē produxit, qui illum non spurium, sed legitimo natum toro demonstrare conabatur. Quod cùm Antonius patruo suo significaret, successionemque peteret, Henricus eius impudentiam adeò indignè tulit, vt eum confestim in exilium eiecerit. Lusitani interim sublata successione, vrgebant electionem: & quia Comitiorum de nouo Rege creando dies iam instaret, Philippus eò misit, qui sua iura tueretur.

1579

Competitorum regni Lusitanici genealogia.

Portugallia olim Ducatus.

Antonius testimonio serui se legitimum probare vult.

In Belgio, qui in obsidione Groningensi erant, varias ex suburbanis prędas agūt, multæ eruptiones, multæ fiunt velitationes. Cumq; Groningenses 5. & 6. Iunij parum feliciter pugnâssent, de pace cogitârunt, & legatos in castra miserunt. Quod cùm audissent Reinerus Azuuijn, Loesius Verhaer, & Reinerus Cant, qui Vltraiecto Leovvardiam missi erant, vt Leovvardiam, Franckeram, Sneekam, Bolsvverdam, Ylst, Staueren,

Groningēses cū Renneburgio paciscuntur.

1579 *Frisij Vnioni subscribunt.* aliaque oppida Frisiæ ad fœdus suum adducerēt (quod & Iunij primo fecerant) statim in castra proficiscuntur. Fama enim erat Traiectenses extremè periclitari, & Malecontentos Regi esse reconciliatos. metuentes igitur ne Groningenses Parmensem inuocarent, suadent quoquo modo cum illis paciscendum esse. Transacto itaque pacis negotio vndecimo Iunij, dati sunt ab oppidanis obsides Ioachimus Vbbena, Christophorus Deest, Ioan. à Ballen, Euerardus Simonius, Gerbrandus Heynents, & Popko Euerardus, qui XIIII. die traditi Campos abducti sunt. Eodem ferè tempore Renneburgius Vnioni subscripsit in VVinsum: eique promissio sex florenorum millium, à Florentio Tin paulo ante oblata, nunc est confirmata. atq; ita XVIII. Iunij obsidio Groningensis soluitur, & exercitus in vicinos pagos, illis nequicquam frementibus, tantis sumptibus nihil aliud actū esse, distribuitur. Rēneburgius, dissuadentibus Vfkens & Kornputtio, suadentibus verò Oyenbruggio & Gruytero, ipso die S. Ioannis Baptistæ (quo Maria Regina, quo Comes Buranus, quo Arenbergius Gubernatores vrbem hanc ingressi erant) cum familia sua intrauit: Magistratū mutauit, Ordinū partes sequētes cōstituit Inde Religionis vtriusq; permissio promulgatur, & Caluinianis templa conceduntur.

Idem facit Renneburgius.

Rēneburgius Groningā ingreditur.

Vltraiectensium sacrilegia & Iconomachia. Initio mensis Iunij, in ferijs Pentecostes, per diœcesin Vltraiectensem incolæ templa violârunt, Sanctorum imagines deiecerunt, structis medijs templis lucullentissimis ignibus, omnē in eos Ecclesiasticam supellectilem coniecerunt, Catholicæq; religionis exerciti um interdixerunt. Vbi hîc pactum Gandauense? vbi Religionis concordia? vbi tua, Florenti, quam enixa es Chimæra? Vnionem dico Vltraiectensem. Vbi conscientia? fides? iuramenta tactis Euangelijs, augustissimique Dei nominis appellatione confirmata? Deus, ô Belgæ, non irridetur. Quarto post die sententia in me, aliosque nonnullos fertur, ante occasum solis oppido cederemus. Ego non obscuris indicijs præuidens futurum, quod tunc euenit, triduo ante quàm sententia ferretur, rus me contuli, è longinquo furoris euentum expectans. Profectus deinde Amstelredamum, in ipsa hora, qua in vrbem veni, mihi nuntius exilij est allatus, in quo decimum septimum iam annum finè magno tædio aut molestia dego. Duo enim me consolantur; primum, quòd non magis

Auctoris exilium.

vbi

vbi nunc sum exulo, quàm ibi, vbi me ciuem esse pu- 1579
tabam. patriam vnam agnosco, vnā expecto, ad quam anhelamus omnes: vnde vbicumque terrarum sum, æquali me credo distare interuallo. Secundum: quia 1.Pet.4.
etsi patiamur, non tamen patimur vt homicidæ, aut fures, aut maledici, aut alienorum appetitores. sed vt Christiani ideoque nō erubescimus, sed glorificamus Deum in isto nomine. Quid enim non patiamur pro Ecclesia Catholica, quæ nos Christo, & æternitatis gaudio regenerauit? Sed ad historiam reuertamur.

De obsidione oppugnationeque vrbis Traiectensis *Traiectū obsidetur.* quædam diximus antea. Erant in vrbe, cùm primùm obsideretur, mille præsidiarij Galli, Angli, Scoti, mille circiter ducenti ciues, viri natura bellicosi, & duo millia (quorum opera obsessis erat vtilissima) rusticorum, qui ex agris cum vxoribus & liberis in vrbem commigrârant. Horum dux erat quidam Heerlensis. cum summo autem imperio vrbi præerat Sebastianus Tappin. Parmensis muros LIIII. maioribus tormentis verberabat, breuique temporis spatio eas ruinas strauit, vt mœnia solo æquarentur. Sed qui in vrbe erant eadem sedulitate nouos muros fossasque excitârunt. Parmensis nihilominus bis vrbem oppugnauit, & multos è *Oppugnatur.* primarijs belli ducibus amisit. Multi quoque ex oppidanis ceciderunt. Videns itaque Parmensis se hoc modo parum proficere, terream molem montis instar iuxta portam Bruxellensem extrui mandauit, planā & gerris vndique cinctam, in quam machinas aliquot trahi iussit, quibus præcipuas vrbis plateas adeò infestabat, vt nulli per eas liber esset transitus. Ante hanc portam oppidani munitissimum habebant propugnaculum, quo Regij tandem post multas pugnas & velitationes potiti, muros vrbis occupârunt. Non ceciderunt hoc infortunio oppidanorum animi, sed eadem qua ante fortitudine se tuebantur. Parmensis toto obsidionis tempore XXII. cuniculos à peritissimis fossoribus actos incendit, quorum eruptione ingens hominum numerus perijt. Insulam quoque vrbi imminentem occupauit, sed mox deserere coactus est. Non destitit interim Parmensis continuis machinarum excussionibus leuibusque pugnis oppidanos, quorum numerus quotidie minuebatur, defatigare, vt iam nullus ipsis aut somnus, aut quies concederetur. Huc accedebat variarum rerum, & quidē potissimum pulueris sul-

1579 furei inopia. Despondentes itaque animum, iam maiorem in pace Coloniensi, quàm in armis spem habebant. Dum itaque obsidentes iam mœnia & vallum tenerent, & obsessi numero pauci continuè excubarēt, à stationibus discedere non auderent, in suis munitionibus ederent, biberent, dormirent, vires eorum exhaustæ sunt. Tandem cùm die XXIX. Iunij Petri & Pauli sacro in castris nuntiaretur oppidanos dormire, excubias aut nullas aut raras esse, Parmensis tacitè scalas admoueri iussit, vrbemque varijs locis oppugnari, quod tanto cum silentio factum est, vt iam vrbe potiti essent, antequam de oppugnatione ciuibus constaret. Occisi quotquot in armis inuenti sunt. Qui fugere potuerunt, in oppositum oppidulū VVicam, quod ponte lapideo Traiecto coniungitur, tanto tumultu se receperunt, vt multi è ponte decidentes, à Mosa fuerint absorpti. Qui in VVica erāt, cùm commeatum non haberent, statim deditionem fecerūt. Sebastianus Tappin ob egregias ingenij dotes vita donatus est, Svvartzenburgius ab Heerl in habitu coci euasit. Præclara in huius vrbis expugnatione Gerardus à Groesbeeck, Episcopus Leodiensis, cuius iurisdictionis altera pars vrbis est, Parmensi præstitit officia, vt qui ei, præter alia necessaria, tormenta bellica, & IIIICIↃ. cunicularios ad hanc expeditionem misit.

Expugnatur.

Ordinum studia, vt Parmensem ab obsidione Traiectēsi depellant.

Grauissimè hanc rem accipiebant Ordines, qui nihil intentatum reliquerunt, vt Parmensem ab hac obsidione depellerent. Sed quia variæ difficultates Gandauensium, Malecontentorum, Buscoducensium, Brugensium, &c. de quibus mox dicetur, impediebant, ne indictiones & tributa soluerentur, vi nihil potuerunt, Coloniæ itaque legatis Cæsareis institerunt, vt Parmensem à Traiectensium obsidione reuocarent, sed Dux nouæ Terræ sibi ait negotiū pacis, Parmensi verò belli mandatum esse. Sed cùm importunius vigerentur, vt inducias facerent, responderunt ambó: Inducias, armorumque suspensionem fieri non posse, cùm à parte Ordinum tam exigua spes pacis esset: non esse in more institutoque maiorum positum, vt induciæ fiant, nisi certissima spes pacis præcedat. Præterea Regis plurimum interesse, vt hæc vrbs ad obedientiam reducatur, minimeque consultum esse, vt quam vrbem nunc pro capta haberent tam facile desererent.

Legati, qui Coloniæ ad pacem componēdam conuene-

generant, quotidie ad colloquia veniebant. Ordinum autem legati certo temporis spatio alijsque conditionibus circunscriptum mandatum habebant, quæ res Cæsareis displicebat. Initio Confœderatorum Ordinum legati certa quædam capita proposuerunt, ad quæ responsum est. Deinde Dux Nouæ Terræ illis vicissim quasdam conditiones obtulit. Tandem decimo Iulij Legati Cæsaris quandam pacis formulam conceperũt, quam Ordinibus commendabant, & quam Regij approbabant. Continebat autem hæc formula capita XX. quæ hoc loco recensere quid iuuat, cùm nullus ex his fructus sit subsecutus: Ea tamen, de quibus potissimũ contendebatur, referemus. Erant hæc reuocatio & dimissio Hispanorum aliorumque peregrinorum militum: Obedientia Regi debita & Religio. Quantum ad primum, Rex omnes Hispanos, Italos, Germanos, Gallos constituto certo post pacis promulgationem tempore è Belgio euocaret. Similiter & Ordines Anglos, Scotos, & omnes peregrinos milites, qui tempore huius belli in Belgium venerant, dimitterent. Secundò auctoritas, maiestas & obedientia extemplò Regi à subditis restitueretur, iuxta præscripta iuris Canonici & ciuilis, iuxta decretum pacti Gandauensis, subsecutæ Vnionis, Edicti perpetui, & huius transactionis: iuxta priuilegia quoque & antiquas consuetudines. Sed & qualis ea obedientia olim fuit, vt iustitia rectè administretur, & populus in æquitate obseruantiaq; & pace conseruetur, vti factum est non tantùm ab hominũ memoria, & tempore Caroli V. sed & huius Regis vsque ad tumultum hunc exortum. Sine huius enim auctoritatis & obedientiæ subditorum restitutione populus in pace concordia & mutua beneuolẽtia non potest cõseruari. In causa Religionis, quæ vt sana saluaq; sit magnopere Principum interest, aiunt legati Regem non posse non vestigijs maiorum suorum Regum Catholicorum insistere. Ideoque petere & seriò mandare, vt in omnibus prouincijs suis hæreditarijs Catholica Apostolica Romana Religio obseruetur, quæ in ijs non tantùm à primis initijs in vsu fuit, sed & sub qua earundem prouinciarum incolæ quondam adeò floruerunt, & in omni prosperitate vixerunt: imò in quam Rex ipse, vti & omnes illius maiores (quod plurimis notum est) cùm inauguraretur, & in naturalem Principem assumeretur, solenniter iurauit. Quæ Religio,

1579 Pacificatio Coloniensis.

Pacificationis præcipui articuli.

1579 gio omnibus alijs, quales quales illæ fuerint, exclusis, deinceps liberè pacificè, & absque omni impedimento in dictis prouincijs colitur & obseruabitur, vti se facturos Ordines ipsi in Vnione generali & Edicto perpetuo iurârunt, & in plurimis ad Regem literis promiserunt: quin & breui ipsi Cæsareæ Maiestati polliciti sunt, vti sine graui dedecore & ignominia totius politicæ administrationis, proprijs scriptis in re tanti ponderis contrauenire nequaquam possint. Quantum ad Hollandiam, Zelandiam, & oppidum Bommeliū, in ijs locis negotium Religionis pacto Gandauensi reseruatur: ita tamen, vt quibus locis in dictis prouincijs tempore illius pacti Catholica Religio exercebatur, denuò restauretur. Aliarū Belgicarum prouinciarum incolis, qui à Catholica Romana Religione defecerāt, Rex propter statum præsentem Belgarum per suum delegatum permitteret, vt in dictis prouincijs habitent absque vlla vi & persecutione causa Religionis secundùm edicta antiqua instituenda, quæ edicta suspendentur donec vel per Regem ipsum, vel per supremū eius Gubernatorem generalis Ordinum in loco tuto, vbi suffragia erunt libera, fiat congregatio, in qua de rigidiorum edictorum moderatione certi aliquid constituatur. Hac tamen lege, vt ijdem Religionis Catholicæ desertores ab omni scandalo, tumultu, & alterius quàm Catholicæ Religionis abstineant. Interea fruerentur omnibus bonis suis mobilibus & immobilibus, iuribus & actionibus: liceret etiam, si voluerint, eadem bona aliò transferre, vendere, & alienare. Si autem ea retinere voluerint, etiam absentes eadem per indigenam Catholicum procuratorem, quemcunque elegerint, administrare liberū esset. Præterea potestas ipsis esset, quotiescunque voluerint, in dictas prouincias redire, ea cōditione, vt secundùm ceremonias Catholicis vsitatas tanquam Catholici viuant. Qui in sua reditus & bonorum vsus ipsis bona fide concederetur, mox vbi pastoribus & magistratibus loci, ad quem diuerti constituerint, suam voluntatem significassent. Ex hac Regis indulgentia omnibus manifestum fieri, Regem nihil minus quàm confiscationem bonorū & exitium suorum subditorum quærere, aut vnquam in animum induxisse, vt rigore mandatorum præteritorum vim illis inferret, vt qui promptus est & paratus eadem mandata cum Consilio Senatus Statuum Ordinum-

dinumque moderari & lenire, omniaque facere, quæ 1579
ad Dei omnipotentis gloriam, ad salutem & tranquillitatem prouinciarum conducunt, & quæ clementem benignum & Christianum Principem decent. Hactenus legati Cæsaris, quorum formulam pacis legati Regij approbârunt.

At legati Ordinum sola induciarum bimestrium postulatione occupabantur. Interim propositam formulam ad singulas prouincias Belgicas mittebant. Sed cùm nihil responderetur, ipsi Legati Cæsaris suas etiam literas cum his capitibus additis etiam literis Ducis Terræ Nouæ, in quibus omnem illis beneuolentiam offerebat, ad generales Ordines, singulas prouincias, quasdam etiam vrbes & personas destinârunt, vniuersos & singulos ad pacem inuitantes. Quod multis, quibus è bello quàm pace quæstus erat vberior, maximopere displicebat.

Polonorũ contra Moscos expeditio prima.

Dum in Belgio pacis negotium ventilatur, in Polonia fremunt arma, & bellici inhorrẽt tumultus, exercitus coëunt, signa explicantur. Sub finem Iunij Rex agmina in Moscum ducturus, Vilna Suirum profectus est. Mensis deinceps Iulij duodecima, edicto publico militibus Germanis, Vngaris, alijsque externis, quos in castris habebat, iustissimas belli suscepti causas exponit. Habito deinceps maturiori consilio, quò primùm exercitus duceretur, decretum est tandem, Polociam esse ducendum; tum quia arx illa hostilis Vilnæ proximè immineret: tum, vt si quando in Moscouiam expeditio suscipienda esset, Rex belli officinam haberet, & Moscis viciniorem, & sibi commodiorem. Est autem Polocia arx munitissima, ad Duinam fluuium, Vilnensibus Septentrionalis, non procul à Nisca lacu posita. Statim itaque Rex Palatinum Vilnensem cum aliquot Lituanorum, & Gasparum Bekkies cum Vngarorum copijs præmisit: vt itinera, nequid auxilij Polocensibus aduehi posset, obsiderent, quod & factum est: licet aliquot pedites & equites ante horum aduentum in arcem essent admissi. Rex cum exercitu propter tempestatis iniuriam, & viarum iniquitatem, cum tormentis bellicis, minoribus itineribus est subsecutus. quo in itinere Kosianam, Krasnan, & Sithnam arces satis munitas cepit, atque incendio deleuit.

Renneburgius Frisiæ gubernator, vt vindicaret Drentanos, eò quòd milites suos initio huius anni malè mul-

1579 lè mulctârant, copias suas in Drentam mouet. Lingensibus & Oldenzalensibus quoque minatur, eò quòd Caluinismum acceptare nollent. sed paulo post Vltraiectum profectus, eos in sua sententia reliquit. Eodem pene tempore Præses & Consiliarij Frisiæ, qui hactenus in carceribus detinebantur, in exilium eiecti sunt. Interea Entius Comitatum Montensem & Zutphaniensem, cum Diœcesi Monasteriensi miserè depopulatur: & Snoy Zutphanienses præsidium accipere cogit. Paulo post mulctæ Casimiri, Henrici Nothi Brunsuicensis, Barcmoorsij, & aliorum Ordinibus militantium copiæ, quæ multo tempore stipendia non receperant, & fame propemodum erant enectæ, in Transisselaniam cum impetu veniunt, atque omnia circunquaque vastant, diripiunt, cædunt Quæ violentia post occasionem dedit Transiselanis, vt rusticos in Ordinum milites armarent, exactiones repræsentare noluerint, & in conditiones pacis Coloniensis viderentur proniores.

Transisselania miserè deuastatur.

Sed ad Polonos reuertamur. Vndecima mensis Augusti Rex cum exercitu Polociā venit, & sub ipsa mœnia castrametatus, tribus in locis ciuitatem atque arcem obsidione cinxit. Postridie impetu in ciuitatem facto, eam incendit, & paucis horis euertit, eò quòd accessum Polonis ad arcem prohiberet. Castris deinde propius ad arcem admotis, summis eam viribus oppugnabat. Erant autem continui imbres, qui non parum Polonorum conatus impediebant. Mosci quoque tanta fortitudine tela, ac flammas hostiles, omnemque belli ardorem sustinebant, vt in arcibus defendendis, nullis se gentibus ostenderent inferiores. Vigesima verò nona Augusti, quæ dies cæteris præcedentibus erat serenior, Poloni in fossas desilientes, Polottam fluuium superantes, arduumque cliuum, cui impositum erat propugnaculum, magna contentione, magnoque discrimine subeūtes, ignem in propugnaculum illud inferunt: qui cùm vehementius exarsisset, in anteriori parte, vbi sclopetariorum erat domicilium, aditum patefecit. Poloni in ruinas desilientes, acerrimè inter fumos ac flammas pugnârunt: sed hostili impetu, ignisque ardore sunt reiecti. ex Polonis vigintiseptem ceciderunt, plures vulnerati sunt: è Moscouitis ducenti occubuerunt. Rex nullum quiescendi, aut iterum se muniendi spatium hostibus con-

Progressus belli Polonici.

Polocia oppugnatur.

concedendum ratus, postero die in alias munitionis 1579 partes ignem conijcere iussit, iterumque pars igne correpto deleta est. equites desilientes equis suis, & pedes manusque cum hostibus conserentes, tanta vehementia pugnârunt, vt hostis tandem superatus, in illorum manus venerit. Rex Christianorum sanguini parcere volens (sunt enim Mosci, etsi schismatici, tamen Christiani) omnibus facta vitæ gratia, qui sibi militare velint, stipendia decreuit: qui in Moscouiam redire mallent, viarum præstitit securitatem. Erãt nonnulli ex ducibus & præfectis, qui se dedere noluerunt: hi captiui aliquandiu detinebantur. Atque hoc modo Polonus arcem hanc, quæ à sex millibus (vt postea compertum est) armatorum defendebatur, sibi subiecit. Ingressi tandem victores magnam cadauerum insepultorum numerum reperecũt: tormentorum verò, pulueris, globorumque tantam vim inuenerunt, quanta in arce aliqua Christiani orbis, his rebus instructissima, posset reperiri. Ad huius victoriæ monimentũ, Rex actis Deo summo imperatori gratijs, non statuas vel trophæa (quod Christophorus Vvarseuicius, in sua ad Batorem Poloniæ Regem parænetica, in illo laudat) non mutum, aut tacitum aliquid, sed domum orationis, sacrarium pacis, templum Deo Opt. Max. Patribusque Societatis Iesu, in eodem loco extruxit.

Polocia capitur.

Patribus Societatis Iesu collegium extruit Bator.

Rex belli fortunam prosecutus, Podoliæ Palatinũ Mielecium cum equitatu peditatuque Polonico, atque aliquot Germanorum cohortibus Socolam misit, arcem munitissimam, ad Nisciæ ac Dryssæ fluuiorum complexum exædificatam. quæ tunc a multis Palatinis, propinquitate Ducis Moscouiæ, atque magno nobilitatis numero (qui quòd Pólociam obsessam intrare non possent, hîc consederant) defendebatur. Vngaris verò Torouliæ occupandæ mandatum dedit: ipse Polociam flamma exustam, tormentorumque procellis stratam atque collapsam, curat quàm celerrimè restaurari. Torouliensesp ræsidiarij conspicati turmas aliquot leuioris armaturæ peditum atque equitum, quos illi Cosacos vocant, rati totum adesse exercitum, nouaq; clade Polociæ exanimati, per auersam portam erumpentes, relictis in arce suis Palatinis, fuga saluti consuluerunt. Palatini arcem defendere volentes, ad 4. Septembris ipsi cum arce, belliquc apparatu & commeatu omni, regiam in potestatem deuenerũt. Sed miles,

Toroulia capitur.

1579 les, qui arcem ceperat, custodiæ relictus, igne malè custodito, paucis post diebus eandẽ incendio rursum, magno Regis dolore, amisit. Qui ad Socolæ expeditionẽ missi erant, transmisso Dryssa fluuio, opportunitate cui Socola adiacet syluę, castra propius hostem mouet. Munitionibus perfectis, tormentisque dispositis, globis candentibus rem periclitantur. tribus itaque in hostiles munitiones perlatis, dum restinguendis duobus occupantur, tertius vires cepit, ingentemque fumum, mox flammam excitauit, quæ magnam munitionum partem absumpsit. Præsidiarij dum vim incendij sustinere non possent, erumpunt, fugamque moliuntur: sed à Polonis & Germanis reiecti, rursùm ad arcem recurrunt. Poloni eos à tergo insequentes, se atque signa portæ arcique inferunt. Sed qui supra portam erant in excubijs, cataractam è turri portæ imminentem, in erumpentes demittunt, aliosque receptu, alios verò subsidio atque aditu excludunt. atrox fit pugna, æquata vtrorumque desperatione, ob incendium, quod victos pariter atque vincentes extinguebat. Interea qui foris erant, quanta vi poterant cataractam conuellunt, adituque facto, Poloni, qui supererant, saucij omnes atque ambusti, pariter cum hoste erumpunt. arx ipsa conflagrauit, & Moscorũ quatuor millia ciciderunt. Supererat arx Sussa, ad quam, ob profundissimas, in quibus sita est, paludes, perdifficilis est accessus: tamen cùm obsessi viderent, Polonum nihil remittere de sua diligentia, lapsi animis, in potestatem Regis veniunt, certis conditionibus præscriptis. Rex arcem euertit, inuentaque in ea tormentorum, commeatusque copia cæterorum locorum præsidia comuniuit. Captis tam breui spatio septem munitissimis locis, Battor milites in hyberna dimittit: comitiaque Varsouiam ad Calendas Decemb. indicit. Interea Philo Kmita, Smolensciæ suburbia populatur, & Constantinus Ostrogiæ Dux Czenihouiensem agrum vastat. Mecislauiensis verò præfectus Iaroslauam oppidum cum pagis euertit. Moscouitæ vndique se infestari sentientes, literas ad quosdam Poloniæ Palatinos mittunt, rogantes vt Regi persuadeant, ne Moscouiticas ditiones bello deuastare pergat: idem ne Magnus Dux Polonicis agris faciat, se impetraturos pollicētur. Philo quoque Kmita Orcacensis præfectus, à Smolensciano Palatino literas accepit, quibus

Socola capitur.

Sussa capitur.

Mosci pacem petunt.

quibus significabat, sibi à Duce mandatū esse, ne quàm vim aut iniuriam Polonici regni terminis inferat. Petere itaque à Philone, ne quid & ipse hostile in Magni Ducis prouincijs committat. quas literas Philo Regi transmisit: sed ille deliberationem omnem in proxima Comitia reiecit. 1579

Syluaducis, vulgò Buscumducis, vrbs est Brabantiç ampla, munita, & populosa, vna ex quatuor primarijs in finibus Brabantiæ, Hollandiæ, & Gelriæ sita: ideoq; multum tempore belli ad res gerendas adfert momenti. Erant in ea ciues plerique Catholici cum exulibus Caluinianis permixti. Horum consilia studiaque cùm Auraico essent suspecta, omnibus modis nunc palam, nunc occultè præsidium in vrbem introducere studebat. Sed irritus erat omnis eius conatus. Idem, sed frustra tentârunt Antuerpiani. Ordines tandem Ioannem ab Horn, Dominum Boxtelium eò miserunt, vt esset vrbis gubernator, & ciues in eum ordinem redigerent, vt suo subiicerentur imperio. Sed restitit eius conatibus Henricus Bloymannus, è familia Brechtana prætor vrbanus, & quidam è Senatu viri in ea Repub. magnæ auctoritatis. Cùm Boxtelius se nihil efficere posse animaduerteret, illinc discessit, relinquens filium suum D. in Lokrum. Pax Religioni data iam antea erat in vrbem introducta, & instituta gladiatorum sodalitas, in quam potissimum iuuenes, qui præteritis tumultibus solum verterant, & Auraico militârant, cooptabantur. Hi omnes erant sectæ Caluinianæ, & vrgebant, vt vrbs Vnioni Vltraiectēsium subscriberet. Hinc nata est inter incolas diffidentia. Cùm autem Caluiniani eò rem perduxissent, vt inuitis optimatibus, Vnionis illius publicatio obtruderetur, Catholici aduersæ factionis homines anteuertunt, tormenta bellica, & locum in vrbe commodissimum armati occupant. Ad manus ventum est, in sanguinem ciuilem sæuit ferrum, cadunt ex Caluinianis centum septuaginta, è Catholicis XXX. & centum circiter vulnerati sunt. Acta sunt hæc antequam Traiectū occuparetur. Eo occupato, Parmensis tympanistam ad magistratū misit, vrbemque Regi dedi postulauit. Quæ res mirū in modum labefactauit animos Caluinistarum, erexit verò Catholicorum. Senatus tandem cōuocato populo imperauit, vt è re nata cōsilium peterent, & secum deliberarent. Vtrum præsidium acceptare, an aperire

Buscoducenses tumultuantur, & Caluiniani ex vrbe fugiunt.

1579 portas, & cuique volenti abitum permittere mall'ent. Responsum est, nemini metuenti fugam prohiberi. Quod responsum tantam in Caluinianorum pectoribus formidinem peperit, vt conuasatis omnibus aliò commigrauerint. Quæ res Brabantinorum animos non parum consternauit. Hoc modo ciuitas hæc à fecibus Caluinianorum purgata est, quæ tamen aliquamdiu suæ potestatis, neutri addicta factioni remansit.

Brugensis tumultus.

Idem tentârunt Brugenses in Flandria, sed non simili euentu. Cùm enim Senatus Optimatibus, quos liberos vocant, & populo Vnionem Vltraiectensem proponerent, magnus in vrbe ortus est tumultus. Intellexerant enim iam Catholici Vltraiectensium iconomachiam & sacrilegia, quæ vt ipsi impedirent, à Consule Chiliarcham Hieronymum Mollium D. VVatermalium sibi dari postulârunt. Consul etsi tergiuersaretur, atque ægrè ad id induci potuerit, veritus tamen maiorem tumultum VVatermalium chiliarcham renuntiauit. Qui confestim magistratum hunc acceptans, quatuor ciuium signa exauctorauit: octodecim virorum magistratum abrogauit, alium eius loco substituit, insigniora quædam vrbis loca occupauit, & Ministellos Caluinianorum eiecit. Feruebant initia: sed cùm postea cunctanter agerent, Magistratus, qui ab arbitrio Gandauensium pendebat, exauctoratas quatuor militum sodalitates conuocauit, eorumque duces Ioannem Fleischmannum, Reinerum VVinkelmannum, Remeum, & Antonium Autermannum portam & pontem asininum, macellum in platea lapidea, & alia quædam loca iussit occupare. Quod cùm viderent Nobiles Liberi, & cæteri Catholici, ipsi quoque ad arma proruunt. Stant acies oppositæ, mittuntur ab vtraque parte, qui auxiliares copias adducant. Mottæus cum suis Ronselariam, quæ dimidio abest milliari, venerat. Sed præuerterunt eum VIII. signa Scotorum, & CL. equites ab Ordinibus è Campinia missi, qui summo mane intromissi, Catholicos suis stationibus depulerunt. Quosdam è primarijs auctoribus captiuos in custodiam dederunt, Magistratum liberorum abrogârunt, Ecclesiasticos eiecerunt. Malecontenti cùm paulo tardius quàm oportuerat venissent, re infecta reuersi sunt, & in reditu Ronselariam incenderunt.

Marti-

Martinus Schenkius à Nidecken, vir in disciplina militari exercitatissimus, fortis & imperterritus miles, idem & dux victorijs multis clarus, ad Mosæ ripã, infra Venlonem in castro Blyenbekano stationem titulo Regis habebat. Is occasionem nactus aliquot ex suis militibus Rhenum traducit, & summa celeritate Doetecomium, Comitatûs Zutphaniẽsis oppidulum, occupauit: sed quia satis munitum non erat, & vicinæ ciuitates, antequam muniri potuit, obsidione cinxerunt; tam imperator ipse, quàm milites, in hostium manus deuenerunt: lytroque paulo post annumerato, dimissi sunt. 1579. *Doetekũ occupatur.*

Gandauenses nono Martij contra datam fidem iterum Ecclesiasticos eiecisse diximus antea. Furor ille tota æstate sæuijt, cuius auctor & dux erat Embiesius, qui Ecclesiasticorum bona iterum diripuit, integra templa, Monasteria, & Abbatias militibus & centurionibus spoliandas deuastandasque donauit, vicinas sociorum vrbes, inter quas Oldenburgium per insidias capi & expoliari iussit. Immobilia Monasteriorum bona, agros, ædificia, syluas amicis & socijs vilissimo pretio propria sua auctoritate diuendidit. Quosdam suæ sectæ homines modestiores indicta causa vrbe eiecit. Noæum Tribunum militarem ita tractauit, vt is metu beneficio noctis vrbe decesserit, tandẽ XXVIII. Iulij magnam militum manum clam in ciuitatem introduxit, inscijs omnibus, quorum id scire intererat, & contra priuilegia, tempore & modo consueto, Prætorem & Senatores magistratum abdicare compulit, nouosq; suæ factionis homines creauit, & seipsum secundò Consulem iussit proclamari. Horum omniũ rationes reddere volens, scriptum quoddã typis excusum in populum disseminauit. Cùm autem Auraicus XXIIII. Iulij Gandauensibus scripsisset, se Gandauum venire, & Rempub. reformare decreuisse, hinc variæ natæ sunt ciuium opiniones & sententiæ. Quidam enim rogabant Auraicum, vt aduentum maturaret: alij, vt Embicsius cum suis, nequaquam expedire dicebant, vt Auraicus in vrbem reciperetur. Huius suæ sententiæ XIIII. rationes impressas ediderunt. Rihouij tamen studio, & trium membrorum consilio atque consensu decretũ est, vt Auraicus in vrbem reciperetur, si in quinque conditiones prius iurauerit, quæ omnia cùm typis edita, & nil nisi meræ factio- *Seditiosæ actiones & factiones Gandaui.*

1579 nes sint, conditiones & rationes has ad nihil vtiles recensere noluimus.

Gandauensium contributionum rationes. Paulò ante, cùm Gandauenses ab Ordinibus vrgerentur, vt tributa ipsis imperata penderent, rationem ediderunt eorum omnium, quæ à XXV. Augusti anni M.D.LXXVII. vsque ad diem illum pro defensione communis causæ pensitârant, quæ summam quaterdecies centenorum & viginti quatuor millium florenorum conficiebat, præter ea, quæ Malecontentis nouem mensibus exoluerant Scire autem cupiebant, quem in vsum hæc omnia collata essent. Nam si tres aliæ partes Flandriæ suas portiones etiam exoluerint, ostendunt solam Flandriam tricesies centena florenorum millia dependisse. Quod si reliquæ prouinciæ, quibus incumbit duplum dare coniunctim, (sola enim Flandria trientem omnis tributi exoluit) suas etiam indictiones numerauerint, conficietur summa nonaginta vasorum auri, seu nonagesies centenorum millium florenorum. Si nondum numerauerint, earum prouinciarum incolas, non Gandauenses incusandos. Tacere etiam se, nec ad calculum reducere expensas in munienda vrbe factas, quarum summa ducenta octoginta florenorum millia excedere demonstrabant Aduersarij has rationes aspernabantur tanquam iniustas, reprehendebantque Gandauenses, quòd centum vexilla militum propria auctoritate alebant, quibus in propria causa cōtra Catholicos & Malecontentos, quos ipsi in se prouocârant, contra voluntatem & mandatū Ordinum vtebantur. His copijs Noæum ad communē defensionem vti non posse, cùm maior illorum numerus ad nihil, quàm ad oppugnandos Sacerdotes, Monachos, & Virgines sacras idoneus magis, quàm ad debellandos Malecontētos esset. Causari eos se mandatum pugnandi cum Malecontentis non habuisse, quamdiu spes conciliationis erat, cùm tamen absque mandato contra Ecclesiasticos pugnare, eosque spoliare non vererentur.

Auraicus Gandauū venit. Auraicus his omnibus Gandauensium conatibus, consilijs, decretis, & conditionibus cōtemptis, Calendis Augusti Gandauum venit. Quod cùm Embiesius intellexisset, iram indignationemque eius veritus, fugam capessere voluit, & iam nauim conscenderat. Sed à nonnullis persuasus mansit, & magistratu discedens, modestiorem se præbuit. Cæterùm cùm multos haberet

1579

beret inimicos, metuens ne tandem suæ administrationis rationem reddere cogeretur, Gandauo discessit, & cum Petro Datheno Caluinianorum Psalmista & Catechista, homine seditiosissimo, & apto ad omne flagitium instrumento, ad Casimirum in Palatinatum Rheni profectus est: vbi tam diu mansit, donec eum fatum ad meritas pœnas exoluendas reuocaret, vt postea dicetur. Auraicus interim cùm Gandauensem Rempublicam reformasset, Brugasque profectus ibidē ciues in ordinem redegisset, Gubernatorem Flandriæ seipse constituit.

Fit Flandriæ gubernator.

Duodeuigesimo die Augusti Groningæ rursus tumultuatum est. Venerat eò paulò ante Consiliarius Rorda, vir nobilis, eruditus, prudens, & salutis patriæ suæ studiosissimus. Missus is erat à Legatis regijs Colonia ad Groningenses, cum conditionibus pacis Coloniæ conceptis, vt eas Magistratui, populoque exhiberet. Qui cùm Groningam venisset, statim à Magistratu, qui è Caluinianis erat conflatus, appræhenditur: Rogatur, quæ sit eius audacia, vt eam pacis nūdinationem obtrudere audeat hostibus, quæ ne ab ijs, qui neutri parti fauerent, approbaretur: eam nec ipsos Colonienses ferre posse, qui Typographum, horumq; articulorum impressorem, publico in foro cum omnibus suis libellis exusserint. Obstupefactus Rorda, & impudens hominum mendacium admiratus, rogat quo die id factum esset? nominant diem, nominant horam. At, inquit, Rorda, post id tempus, ego Coloniæ fui, & ne tale quid ibi est somniatum. Illi in sua impudentia perseuerantes, eum in vincula coniectum, miserè habuerunt. XVIII. igitur Augusti, cùm idem Magistratus intolerabiles exactiones à populo postularet, populus partim ob hanc causam, partim ob scelus in Rordam perpetratum, ad arma ruunt, concurrunt, Curiam inuadunt, Magistratum pulsant, cogunt vt pacem Coloniæ factam amplectatur, Rordamque liberum dimittat. Sed dum alij factiosi ciues armati ad forum veniunt, res est composita. Rordam Senatus Renneburgio mittit. qui eum Pipenpoyo arcis Stauerensis præfecto transmisit. Interea Legati Coloniæ congregati, eosdē articulos secundò Groningensibus miserunt, cum seria admonitione, vt eos acceptarent, & Rordam è vinculis liberum restituerent.

Groningæ tumultuatur.

Rorda capitur.

Legati Colonienses Groningenses ad pacem hortantur.

1579 Dum hæc aguntur, Ballius Renneburgio à secretis è Gallia Belgica venit, & pacem inter Malecontentos & Regem pactam, ab omnibusque pene Renneburgij cognatis & amicis subsignatam, secum adfert. monetur à diuersis, huic vt ipse quoque subscribat. Ille quid ageret initiò dubius, tandem cùm conditiones illius pacis tam æquas esse cognosceret, de illis amplectendis cogitauit. Dissimulās nihilominus illud, cum aula sua è Vollenhof, in monasterium Essense, quod est in agro Groningensium suburbano, profectus est, & tandem mense Decembri rebus prius compositis Groningam ingressus est.

Rēneburgius Gallorum Belgicorum paci subscribit.

Dum Auraicus adhuc Gandaui esset, Malecontēti vrbem illam dolo occupare frustra tentârunt: missis enim aliquot equitum centurijs, sub specie amicorū in vrbem recipi cupiebant. Cùm ciues annuissent, & iam portis appropinquarent, Auraicus eius rei fit certior, qui cùm se illis in partibus equitatum non habere sciret, nec vllos equites expectaret, confestim misit qui portas claudi mandaret. Qui nuntius si paulo tardius aduenisset, iam hostis vrbem occupasset. Detectis verò insidijs in sua redierunt. Per eosdem dies Alostum feliciori euentu occupârunt: Ronceum quoque amplum & celebre municipium: Baesrodam verò Alosto finitimam exusserunt, postquam armata manu occupâssent, & aliquot centurias militum Gandauensium trucidâssent. Metuebant Ordines Parmensem Bruxellas venturum, eamque vrbem obsessurum: quare Noæus eum obseruabat, & in omnem euentum duodecim Gallorum signa in promptu habebat, quem, si quid Parmensis moliretur, in vrbem introduceret. Cæterùm Parmensis post captum Traiectum per aliquot menses exercitum quietum continebat, nec victoriam magno Ordinum bono prosecutus est, tum quòd eius exercitus tempore obsidionis Traiectensis valde esset diminutus, tum etiam quòd ipse in grauem morbum incidit.

Malecontentorum stratagema in vrbem Gandauēsem, eorumque felices progressus.

Per eosdem dies Comes de Reulx intercessione D. Petri Lupi Carmelitarum Ordinis prouincialis Mechliniam in fidem Regis Hispaniarum recepit, & Dom. Bouſius ab Ordinibus, quorum administrationis iam eum tædebat, ad Regem defecit. Reconciliatis Mechliniensibus Parmensis aliquot copias misit, quæ Alostum, Herentalium, & Tenremundam

Mechlinia se Regi dedit.

vsque excurrentes, omnes agros depopulabantur. 1579 VVillebroekium, quod situm est in capite nouæ nauigationis Bruxellensis occupârunt, omniaque emissaria, quibus aquæ ad vsum nauigantium retinentur & emittuntur tota nauigatione, cum magno Mechliniensium gaudio, vt quibus ista nauigatio plurimum incommodabat, conuulserunt. Mense Septembri Hispani commeatu propugnaculū VVillebroekense muniuerunt: quod vt impedirent Ordines exercitum eò miserunt. Sed ita ab Hispanis accepti sunt, vt fusi fugatique quid cum Hispanis pugnare sit suo malo didicerint. Erat in ea munitione præsidium Germanicum, quod paulo post metu potius quàm necessitate fugiens, munitionem non sine suspicione proditionis deseruit. Ordines eam occupârunt, & magnis sumptibus ad defensionem nauigationis Bruxellensis muniuerunt.

VVillebroekiū propugnaculum ab Hispanis captum, à Germanis desertum Ordines recuperant.

Hannonienses interea, Arthesij, & confœderati, pacem cum Rege initam promulgant: frequentesque in cæteris prouincijs conuentus quotidie fiebant. expendebantur singula conditionum à Legatis Coloniæ missarum verba: literæ vltrò citroque missitabantur. Quædam prouinciæ, inter quas Transiselania, ad eas acceptandas pronæ videbantur: quædam ciuitates, vt Mechlinia & Buscoducum, sine vlla difficultate huic Regis gratiæ sese condonârunt. Aliæ prouinciæ, quibus saniora deerant cōsilia, hanc pacis formulam fastidiebant. Illi, qui postremæ Vnionis Vltraiectensis nimium vinculo erant colligati, publico scripto eam insectabantur. Nulla verò vrbs petulantius in conditiones huius pacis inuecta est Arnemiensi, quæ ne à maledictis quidem sese potuit temperare, se etiam mortem oppetere malle, quàm has conditiones approbare, contestata. Valencenenses vero ad conuentum Agrippinensem scribunt, sese conditiones Hannoniensium acceptare decreuisse.

Buscoducenses Regi reconciliantur.

Arnemiensium contumax responsum.

In tanta prouinciarū dissensione, Legati quid agerent dubij, ne frustra tempus tererent, & sumptus inutiles facerent, duos præscribunt Belgis terminos: priorem ad decimumoctauum Octobris, posteriorem ad vltimum mensis eiusdem, infra quos, quid de pace decreuissent, absolutè responderent. Expirauit tandem constitutum tempus, nec ab Ordinibus Belgicis quicquam certi ad Legatos est relatum. Quare

Comitiorum Coloniensium euentus.

1579 Principes longioris moræ pertæsi, pacis negotio infecto, colloquium abrumpunt, & ad sua reuertuntur. Nuntius tamen Apostolicus, & Dux Terranouanus, cæteris omnibus abeuntibus, aliquandiu post Coloniæ permanserunt: expectantes, si fortè Ordines resipiscerent, & in æquissimas pacis conditiones tandem concederent. quod quia facere noluerunt, & ipsi re infecta discesserunt. Qui verò ab Ordinibus missi erant, cùm æquitatem Regis, Ordinumque peruicaciam ex Comitiorum actis non difficulter intelligerent, ad suos reuerti noluerunt: sed plerique Regi reconciliati, partes deinceps illius sequebantur.

Cortraco insidiantibus Malecontentis, Menena ipsis adimitur.

Vicesimosecundo Octobris Balfurius Scotorum militum Tribunus ope Briffaultij Consulis Brugensis, & ductu cuiusdam Zytepsæ aut cereuisiarij Menenensis, qui multa indigna à Malecontentis passus erat, munitionem & pagum Menenen primam & præcipuam sub Montignio Malecontentorum sedem occupauit, ea ipsa hora, qua Malecontenti auspicijs Dominorum de Erpe & Alleynes Cortraco insidiabantur. Dum enim tentant fossarum profunditatem, Prætor vrbis Cortracensis procubitorem alta voce interrogat, an nondum aliquid audiret? indicans signum aliquod captæ Menenæ: neque enim ille sciebat, hostem sibi tam esse propinquum. Respondente procubitore: Nondum. Hora tamen, inquit prætor, hæc est. Audiebat hæc omnia Alleynius, & nata est illi suspicio suam expeditionem detectam esse, militesque paululum ab vrbe deduxit, consilium captans quid factu opus esset. Interea fragor tormentorum, & tumultus captæ Menenæ auditur, Alleynius Menenam properat, vt laborantibus opem ferret. Sed iam pagus antequam veniret erat occupatus. Paulo post Noæus VVatuekam etiam hostibus, sed non sine multo suorum sanguine ademit.

Philippus rex Lusitanis bellum parat.

Philippus Hispaniarum Rex, tum quia potiora iura in Regnum Lusitanicũ habebat, tum etiam quia viuens adhuc Henricus Philippũ tanquam legitimum successorem nominauerat, Iurisperitos ad Comitia Lusitanorũ misit, qui suum ius defenderent. Quidã Odoardi filias præferendas iudicabant, & quidem Mariam Principis Parmensis vxorem, Catharinæ Bragantiæ Duci. Populus in Antonium spurium propensus ad

electi-

electionem exclusa successione adspirabat. Quin & 1579
Angla & Galla ius in regnum hoc prætendere, ideoque res Lusitanicas defensuræ, dicebantur. & iam omnes viæ, quibus in Lusitaniam erat accessus, ab armatis obsidebantur, Philippus considerans negotium ad bellum spectare, iubet suos proceres ad omne mandatum esse paratos. Duci Medioli, Albuquercio, Francæuillæ Ducibus, alijsque, vt sese ad bellum accingant, imperat. rationes Siuiliæ & Marchionis Annonij recognoscit: omne aurum, ex America aductum, ad se deferri mandat, magnamque pecuniæ summam à Magno Duce Hetruriæ mutuò, nequicquam Lusitanis apud Gallum conquerentibus, accepit: septuaginta peditum cohortes conscripsit, Lodronius octo millia peditum colligit in regione Tiburtina. Petrus quoque Medices cum decem millibus Italorum, & Prosper Columna cum suis adesse iubentur. In mari Mediterraneo classis centum & quinque triremium, octoginta nauium onerariarum, duarum quinqueremium, myoparonum, aliorumque nauigiorum apparatur, omniaque ad grauissimum bellum necessaria comportantur.

Hoc anno Iunij die XXV. vetulæ annosæ inter Georgianos filius Muselmannissare cœpit. Est inter Georgianos fœmina quædam Princeps, quam vetulam annosam vocant. Hæc anno superiori veniente cum exercitu Mustapha Bassa, cùm de potentia Sultani Muratis multa accepisset, sub fide publica duos suos filios ad Mustapham misit, vt subiectionis & obedientię signum erga Muratem ederet. Illi cùm primùm ad tyrannum venissent, ab eo nulla datæ fidei ratione habita Constantinopolim mittuntur, cum literis ad Muratem, quibus ostendebat, nunquam ditionem Principis Annosæ sub Muratis iugum venturam, ni vel vterque, vel alteruter duntaxat ad amplectendum Religionem Muselmannorum (sic Mahumetanæ sectæ Orthodoxos vocant) permoueatur. Qua quidem in re tam diu laboratum est à Turcis, vt tandem minor natu frater die dicto Muselmannissaret, cui propterea paterna maternaque ditio cum hac lege concessa est, vt eam titulo Beglerbegatus beneficio Muratis possideret. Est autem ea ditio Tschildiri Tephlisioque contermina. Maior natu frater in retinenda Religione Christiana constantem se præbuit, neque ab ea precibus, promissis, aut minis abduci potuit. Die deinde XV. Augusti in patri-

Georgianorum Principis filius fit Turca.

1579 am remittuntur, vbi frater hic Christianus confestim expirauit, non sine suspicione veneni ipsi à fratre, vt quidam, vt alii, à Turcis propinati.

Bellum inter Turcas et Persas.

Osman Bassa cùm magnis pollicitis auarum & regnandi cupidum Muratis animum ad bellum Persicum prosequendum incitâsset, cùm LX. Tartarorum millia à Sultano accepisset, cùm æstas appetijsset, in fines Siruani ex arce Temircapina multis excursionibus Persis incredibilia damna inferebat. Persæ his excursionibus irritati, contractis aliquot copijs, Tartaros ad internecionem vnà cum altero Regis Tartari fratre deleuerunt, altero fratre viuo capto. Osman ipse vix cum paucis saluus euasit. Qui cùm paruas copias reliquas haberet, latronum Turcicorum more quotidie prædas agere cœpit, ex quibus ipse victitabat, & suos alebat. Si aliquando hostis immineret ad arcem Temircapinam, natura & arte munitissimam & inexpugnabilem, receptum habebat. Ab altera parte Mustapha sub initium æstatis ad fines Persicos exercitum duxit, diuersisque prælijs modò cum Persis, modò cum Georgianis confligens, inferior semper insigni cum suorum clade discessit. Carseum hoc anno muniuit, similiter & Tschildirim in Georgianæ limitibus sitam. Vtrique munitioni Beglerbegum cum Dephterdario dedit. Murates etiam classem sub Vluzalio in Mengreliam regionem Colchidis misit, ibique munitionem, cui Fassam nomen dedit, ædificari iussit, eo consilio, vt iter ibi ad Georgianos breuius & securius aperiret. Cæterùm digresso inde Vluzalio, munitionem hanc Persæ diruerunt.

Sinan Bassa in locũ Mustaphæ sufficitur.

Reuocatur interim Mustapha primò in Amasiam, inde Constantinopolim, & eius in locum Sinan Bassa sufficitur, tum quòd bellum parum prosperè à Mustapha gereretur, tum quòd in id exercitus odium incurrerat, vt de eo necando in castris aliquando consultatum sit: cuius odij causæ fuerunt inexplebilis eius auaritia, & supina in procurandis annonis alijsque militum commodis socordia: vnde factum fuerat, vt fames & pestis innumeros milites in castris absumpserit. Mustaphas semel atque iterum accersitus ad Portam proficisci detrectabat, eò quòd iram Sultani in se non obscuris indicijs cognouerat. Diligenter itaque & maturè sibi cauebat. Tandem mittitur in castra Capigilariorum Kihaias, qui ianitorum præfectus est. Hic cùm in castra venisset, & variè circumduceretur, ad Musta-

Mustaphæ colloquium venire non potuit. Tandem 1579
cùm illud seriò posceret, quodam à Mustapha descripto circulo, intra quem nemini ad ipsum accedere liceret, ex interuallo fuit admissus, dispositis vndique satellitib⁹ armatis, quòd procul dubio suboleret, quidnam ea sibi legatio vellet. Nam de illo strangulando Kihaias mandatum habebat. Sed cùm id se commodè facere non posse animaduerteret, alias ei literas tradidit, quibus Sultanus imperabat, vt Nischanzim, id est, Cancellarium suum & Dephterdarum seu quæstorem Kihaiæ traderet. Etsi ille mirificè tergiuersaretur, tamen cùm nullum huic rei remedium inueniret, hac conditione se suos dediturum promittit, si de eorum vitæ incolumitate caueretur. Qua conditione dediti & Constantinopolim abducti, ambo in Iadiculam seu septem turrium arcem, in qua Sultani thesauri reconduntur, inclusi sunt, tanquam singulari seueritate de omnibus Mustaphæ factis examinandi. Interim Persa Casmino, quæ altera imperij eius est regia, Tebrisium cum copijs proficiscitur: ibi de profugis dispersisque Turcis certior factus, in hosticum procurrit, ingentique præda onustus in hiberna militem dimisit.

Dum tam feliciter in Asia à Persis pugnatur, in Gallia Bironius regulus Flauiobrigam ad Pyrenæos montes vrbem, de nocte scalis admotis, tentauit: sed quia scalæ murorum summitatem attingere non potuerunt, conatus eius elusus est. *Flauiobriga frustra tentata.* Fessensis quoque Rex, à Lusitanis, Gallis, & Anglis interpellatus, res Lusitanicas iuuare decreuerat: sed Hispaniarum Rex, missa ad eum legatione, causæ, iurisque sui bonitatem in regnum Lusitaniæ demōstrauit: qua intellecta, Rex omne consilium belli deposuit.

Decimo sexto Calend. Decemb. Noæus cum CCC. *16. Nouē.* equitibus & quadringentis peditibus in hosticum incurrit. Vbi obuias habuit quatuor turmas equitum Malecontentorum, cum quibus vbi diu ancipiti Marte pugnâsset, tandem victor multos trucidauit, reliquos in fugam vertit. Huius cladis Haluinenenses certiores facti, incenso pago fugerunt. Præsidia quoque in Becelaer & VVaestene suas munitiones deseruerunt.

Sub finem anni etsi Nuensis regulus multis in locis feliciter pro Belgarum Ordinibus pugnaret, Malecontenti tamen Parmensem vrgebant, vt Hispanos, *Hispani secundò è Belgio vocantur.*

Italos,

1579 Italos, Burgundos, aliosque exteros à se dimitteret, initæque pacis conditiones obseruaret. Prudentiores, etsi considerantes Malecontentorum imbecilles vires, pugnandique infelicitatem, Ordinum verò potentiam, & in regios odium, Malecontentorum postulata iniqua iudicabant, Parmensis tamen, ne querelarum alicui occasionem relinqueret, Hispanos, aliosque externos milites, ad sua remisit.

Auraici consilium de pace, de tributis, de Alenconio, & administratione prouinciarum.

Vigesimo octauo Decembris Auraicus consilium suum de ineunda pace, de imperandis tributis, de transactione cum Alenconio, & de administratione prouinciarum typis excusum publicauit. Quantum ad pacem, eam modis omnibus dissuadet, nisi libertas Religionis à Rege permittatur. Sciebat enim Regem hanc nullo vnquam tempore permissurum, vt ipse sæpe, eius Gubernatores, & nuper Legati Cæsaris disertis verbis erant testati. Proinde à pacis transactione in posterum abstinendum. In tributis sibi placere ait, quidquid hac de re Vltraiecti pro tempore delegati constituturi sunt. De Alenconio hoc eius iudicium est, vt cùm Rex Hispaniarum hactenus nullum indicium beneuolentiæ erga suos subditos & Religionem Caluinianam ostenderit, sed potius ea signa dederit, quæ maiorem tyrannidem & omnimodam Religionis nouitiæ extirpationem minantur, eum eiurandum reijciendumque suadeat, eiusque loco aut Alenconius, aut Angla, quorum tanta in Belgas extant beneficia, ab Ordinibus recipiatur. Pro Alenconio autem Anglam apud Ordines intercessisse. Vnicum igitur remedium salutem Belgij conseruandi hoc esse iudicat, vt Alenconio prouinciæ donentur, salua tamen Religione Caluiniana, saluisque priuilegijs & consuetudinibus patriæ. Necessarium enim esse, vt Belgæ talem, tam potentem Principem habeant, qui & possit, & velit sua præsentia eos tueri, & hostes omnes Belgio eijcere. Sin autem Ordines nondum ad externum Principẽ transire voluerint, placere & sibi eam sententiam: offerre autem seipsum Ordinibus ad omne obsequium promptissimum. Quartò & vltimò in administratione Belgij ait se sequi Ordinum discretionem. Ad Archiducem quod attinet, se probare delegatorum Vltraiectensium decretum. Porrò & se Administratorem offert, purgans se quòd præcedentibus annis melius Respub. administrari potuit, & conquerens grauiter de populi

puli

puli inobedientia & ingratitudine, vbi multa sua be- 1579
neficia & magnas clades pro salute patriæ acceptas cõmemorat, se etiam ab omni dominandi cupiditate alienum ostendit. Deinde poscit ab Ordinibus, vt si eum Belgij legatum agnoscere velint, etiam ea permittant, sine quibus prouinciæ rectè administrari nõ possint. Hîc initio conqueritur, quòd nulla ciuitas præsidium recipere velit, aut si recipiant, tam paruum admittant, à quo defendi non possint. Petit itaque sibi potestatem dari omnibus Vrbibus, quibus id vtile videbitur, ea præsidia imponere, quæ sibi necessaria videbuntur. Postulat etiam, vt Concilio Ordinum iam constituto, & adhuc constituendo plena detur auctoritas in omnibus, quæ quotidie incidunt, negotijs decernendi quidquid voluerint, vt non sit opus delegatos vrbium & prouinciarum vltro citroque currere, & noua mandata à suis superioribus petere, vt hoc modo occasio multarum rerum gerendarum è manibus elabatur. Tandem cùm bellum sine pecunia geri non possit, & prouinciæ vrbes & membra tardè & difficulter suas indictiones pensitent, vult vt contra huiusmodi in posterum de facto cum rigore procedatur. Hæc summa consiliorum Auraici.

In Sicilia Æthna mons horrendis sub id tempus ignibus, magno fremitu, terræque motu exarsit: apertis quinque hiatibus maxima flammarum vis erupit, quæ ad decem ferè millia passuum, fluminis instar, magno cultorum locorum cum detrimento, profluxit. *Conflagratio montis Aethnæ.*

ANNO M. D. LXXX. Robertus Personius & Edmundus Campianus, sacerdotes Societatis Iesu, Angli natione, cum quibusdam alijs sacerdotibus Anglis, in patriam suam missi sunt, vt Catholicos, quorum in Anglia tunc maximus adhuc numerus erat, auxilióq; spiritale magno cũ ardore sitiebant, verbi Dei Sacramentorũque administratione, alijsque rebus ad functionem Ecclesiasticam pertinentibus, adiuuarent. Erant tunc hæretici Angli in duas diuisi Sectas: quarum altera CaluinoPapistarũ, eò quòd cum Catholicis aliquam haberent in diuinis rebus similitudinem; altera Puritanorum dicebatur, eò quòd puram sectentur Caluini doctrinam, nec quicquam cum Catholicis velint habere commune. Hæ Sectæ licet capi- *Anglicanæ Ecclesiæ status & crudelitas.*

1580 cet capitali odio inter se diffideant, euulgatisque libris sese mutuò dilacerent: in persequenda nihilominus & opprimenda Ecclesia Catholica conueniunt optimè, inque eius propugnatores grauissimis tormentis discruciandis conspirant.

Leges & supplicia Catholicis in Anglia statuta.

Quare cùm vtriusque arbitrio regatur Anglia, rogatæ sunt multæ leges, multa in Catholicos statuta supplicia: quorum alia pecuniaria sunt, alia sanguinaria dicuntur Pecuniarijs mulctantur, qui ad Protestantium Ecclesias venire nolunt, aut exercitio ipsorum interesse: qui Missas audiunt, qui non publicam fecerint Religionis & Pontificis Romani detestationem; qui Reginam Anglicanæ Ecclesiæ supremum esse caput negauerint: qui res à Pontifice Romano consecratas gestârint: qui pædagogum Catholicum, aut ab Episcopo Caluiniano non approbatum, domi aluerint: qui Romanæ Ecclesiæ reconciliatos aut reconciliantes non prodiderint: qui, vt aliquis eidem Ecclesiæ reconcilietur, procurauerint, consilium dederint, aut aliúm dedisse nouerint, nec prodant: qui aliquem sciuerint persuasisse, procurâsse, aut consuluisse alicui, vt Romano Pontifici obediat, nec accusauerint : qui nouerint sacerdotem aliquem alteri absolutionem dedisse, aut dandi potestatem habere, etiamsi non exerceat, aut iactare se eam habere, licet non habuerit: qui absolutum aliquem; qui denique dissuasorem Caluiniani dogmatis cognouerint, nec huiusmodi ad Iudicem detulerint, reumque peregerint. Omnibus his peculiares mulctæ sunt statutæ, alijs pecuniæ, alijs infamiæ, alijs incarcerationis, aliis exilij, alijs duæ simul, tres alijs, alijs omnes. Qui sciuerit aliquem Caluinismum dissuasisse, nec eum viginti dierum spatio ad Iudicem traxerit, amittit omnia quæ hæc vita potest dare commoda. qui verò Puritanismum, Anabaptismum, Arrianismum, aut Atheismum persuaserit, ad nullius tribunal vocatur. hîc leges silent, hîc iudicia aranearum telæ sunt.

Sanguinarijs verò pœnis in Anglia plectûtur, qui Pontificis Rom. auctoritatem confitentur, qui eum appellant, aut eius diploma impetrant: qui res ab eo consecratas in Angliam importauerint: qui abiurationem Pontificis ter oblatam recusauerint: qui Reginam Angliæ dixerint, scripserint, significauerint, aut rogati confessi fuerint, hæreticam esse: qui aliquem Ecclesiæ

Lector hæc cum Inquisitione Hi-

Rom.

Rom reconciliauerint & qui reconciliati fuerint, quique eam reconciliationem procurauerint, aut ad eam instigârint: qui alicui persuaserint, consuluerint, aut si bi persuaderi passi fuerint: vt Rom Pontifici obediant. Sacerdos, qui aliquem absoluerit, qui absolutionis auctoritatem habuerit, eam non exercens: qui habere se falsò præsumpserit, qui absolutus fuerit, qui procurauerit, aut consilium dederit, vt quis absoluatur: tandem qui à Caluinismo aliquem dehortatus fuerit, vltimo supplicio punitur. 1586 *Hispanica, quã multi adeò detestantur. conferat:*

Pœna autem eorum, qui in aliquod horum impegerint, hæc est. Condemnatus terraque protractus ad locum supplicij, in crucem rapiatur; viuus in ea pendeat aliquandiu, nec stranguletur: deposito postea, paululumque respiranti, virilia amputentur, & igne in eius conspectu comburantur: cultro venter aperiatur, erutis illis etiam cor & viscera, spiranti adhuc & reluctanti, manu carnificis euellantur, & in ignem iuxta positum proijciantur: denique vt elixus, & in partes dissectus, ad varias vrbis portas suspendatur. Bona autem eius, & possessiones, ad fiscum transeant, ne eo tum quicquam ad vxorem, liberos, aut consanguineos descendat, sed & ipsi illius ob causam perpetua infamia notentur, & omnis mortui posteritas sanguine degradetur. Antequam autem ad hoc supplicium deueniatur, horrida sunt & inaudita, quæ in carceribus, præcipuè Londinensi, Eboracensi, Hultonensi, & Lansonensi, fidei Catholicæ assertores patiuntur. Quæ omnia latius in libello de Concertatione Ecclesiæ Anglicanæ, Treueris anno 1583. excuso, recensentur.

Non horruerunt immania hæc supplicia, quos modò diximus, Robertus Personius, Edmundusúe Campianus, quo minus in Britanniam transfretarent, & pueris petentibus panem frangerent: qui multos ad fidem Catholicam reducentes, plurimos in ea corroborantes, Ecclesiam Christi mirum in modum amplificârunt, multisq; gloriosissimæ martyrij coronæ causam dedêre: de quibus suo loco dicemus.

Consilia Principis Auraici de difficilioribus quibusdam in Belgio negotijs sub finem anni præcedentis commemorauimus. Præmisit ea, vt ab Ordinibus examinarentur, priusquam in pleno consessu de ijs certi quid constitueretur. Cùm verò Ordinum delegati Antuerpiæ IX. Ianuarij conuenissent, vt de his capitibus delibe-

1580 deliberarent, aduolat & ipse Auraicus: vbi prolixa oratione hæc sua consilia iterum proposuit, & multis rationibus ea vtilia & necessaria esse demonstrauit. Ostendit etiam, in quantas difficultates administratio Reipub. breui incideret, nisi maturè occurratur. Conqueritur nondum Concilium Statuum esse constitutum, in quo absolutè posset de singulis quod vtile sit decerni: sed singulas prouincias, imò vrbes seorsim constituere, non quod generalitati, sed quod priuatis suis rebus expedire videtur. Docet necessarium esse, vt communibus sumptibus exercitus IIII. cIↄ. equitum, & XII cIↄ. peditum omni tempore alatur, qui vbi & quando necessarium erit, hostibus obijciatur. Vnum etiam debere esse ærarium: peccari grauiter in eo, quòd singulæ prouinciæ sua habent æraria, & tributis, quæ colligũt, pro suo arbitrio vtuntur. Necessarium etiam esse, vt ratio sacramenti, quo Tribuni militum, Centuriones, &c. obligantur, deinceps habeatur. Cùm enim in eo mentio fiat Regis, multos existimare se non delinquere, si quid in vsum Regis contra salutem patriæ machinentur. Deliberandum etiam, qua styli formula deinceps in omnibus mandatis & constitutionibus vti oporteat: hoc est, vt expuncto Regis nomine aliud vsurpetur. Cùm autem primaria nobilitas defecerit, & inopia raritasque sit personarum, quibus primaria officia honores & dignitates possunt committi, maturè despiciendum esse, qui & quales ad magistratus, præfecturas, & huiusmodi officia sint vocandi, quibus liberalia & opulenta stipendia decernantur. De his omnibus deliberandum esse, quibus multis malis posset occurri, si suum sequi velint consilium, & certos aliquot homines eligant, penes quos sit auctoritas de omnibus difficultatibus ex tempore decernendi, populusque inducatur, vt eorum decretis pareat, ne opus sit quotidie antiquam illam excusationem audire: NVLLVM DE HOC NEGOTIO A SVPERIORIBVS NOSTRIS MANDATVM HABEMVS. Hac enim excusatione magnas sæpe occasiones amissas esse.

Auraici quæstiones & querelæ Ordinibus propositæ.

Hoc est, vt fratres & cognati Auraici vocētur, & ditentur.

In sequenti proximo conuentu Antuerpiensi, qui fuit Idibus Ianuarij, alia quæstio proposita est: Vtrum expediret Alenconium in Principem & verum Dominum prouinciarum assumere, an Regem Hispaniarum retinere. Pro Alenconio ita disputatum est: Si Belgæ in hac

Quæstio de Alenconio pro Principe Belgarum

hac administratione permaneant, posse fortè eos bellum defensiuum gerere, offensiuum non posse. Defensiuum posse in multos annos duci, quo vires prouinciarum exhauriantur, & cuius tandem multos tædebit, qui cum Rege pacisci magis, quàm in perpetuo bello velint viuere. Deliberandum igitur esse vtrum expediat pacem cum Rege inire, an bellum continuare. Cum Rege pacem iniri nõn posse, quantumuis bonæ præscribantur conditiones. Id ex conditionibus pacis Coloniæ propositis constare, quas accipere minimè consultum sit, præsertim cùm libertatem Religionis Caluinianæ admittere non voluerit. Si autem bellum sit continuandum, geri illud aliter debere, quàm hactenus gestum est. Eijciendos enim esse toto Belgio hostes. Eam potestatem incolas non habere: opem igitur & auxilium ab aliquo externo Principe, qui id facere velit & possit, implorandum. Neque cunctandum, sed sine mora id faciendum, priusquam maiora eueniant incommoda. In toto orbe Christiano ad hanc prouinciam acceptandam nullum Principem magis esse idoneum Alenconio, Regis Galliarum fratre. Deliberandum igitur an Ordines se suosque huius Ducis velint subijcere imperio, & quibus id conditionibus faciendum sit. Prolixa hîc digressione ostendunt, quot modos & oportunitates Rex habeat Belgis nocendi, præsertim cùm iam metuendum sit, ne etiam Lusitania potiatur, atque ita Orienti & Occidenti dominetur. Regem nullam dare posse securitatem tam firmã, cui fidendum sit. Iras enim Regum esse immortales, & iuxta illud Salomonis: *Indignationem Regis mortis esse nuntium*: nunquam enim Reges offensarum memoriam ita deponere, vt non aliquando vlciscantur. Exemplo esse Christiernum Regem Daniæ in suos subditos, Regis Galliæ in Admirallium & Hugonottas, Maximiliani I. in Brugenses. Nihil aliud à Rege Hispaniarum expectandum, qui tam grauiter à suis offensus est. Nunquam illum promissis ac datæ fidei staturum. Omnibus enim cognitum esse, quàm facile Bullæ à Pontifice impetrantur, quarum virtute omnes promissiones & sacramenta soluuntur, hoc prætextu: Hæreticis, quales omnes Belgas iudicant, fidem non esse seruandam. Sed & axioma apud illos esse, Regem promissis Belgij incolis factis non teneri, cùm non sint eius hostes, sed seditiosi, rebelles, proditores, transfugæ, &

1580. assumendo, & Rege Hisp. excludendo.

1580 perduelles. Porrò etsi Rex natura tam mansuetus & clemens esset, vt velit suis ex animo ignoscere, omnia condonare, in gratiam omnes recipere, & pactis conditionibus stare, Pontificem tamen & Inquisitionem Hispanicam id ei minimè permissurum. Regem ad hanc feueritatem & crudelitatem in subditos aut à natura, aut à zelo erga Religionem permotum. Si à natura, nullam ab eo emendationem expectandam. *Naturam* enim *expellas furca, tamen vsque recurrit.* Si à zelo Religionis, indignationem Regis non minui, sed quotidie augeri, imò iam ad summum peruenisse, cùm Religioni Catholicæ ea facta sit iniuria, ea contumelia, vt maior non possit excogitari. Nullam proinde securitatem, nullam dictorum promissorumque constantiam, nullam Religionis libertatem, nullam denique pietatem erga suos à Rege expectandam. His prolixè commemoratis, ad Alenconium reuertuntur, eum commendant, ab eo nihil istorum metuendum multis verbis ostendere conantur, ac tandem concludunt Regi Hispaniarum meritò imperium abrogandum, & in Alenconium vtiliter transferendum.

Non latebant Regem in Hispanijs hæc Auraici consilia, & in suæ Maiestatis contumeliam machinationes. Indignatus itaque se à proprio cliente, & ab eo, qui beneficio patris & suo ad tantos honores euectus erat, tam indigna pati, & auitis ac hæreditarijs prouincijs ab eo spoliari, cui eas Principum fide administrandas & regendas dederat, eum tandem vt proditorem, perduellem, & hostem publicum publico libello proscripsit, & in illius caput his, qui viuum aut mortuum Regi traderent, vel saltem vitam ei auferrent, magnam pecuniæ summam, eorumque familias nobilitandas pollicetur. Auraicus hac sententia se indignum judicans, Apologiam contra libellum Regis edit, in qua nihilo liberalius & modestius Suam Maiestatem habet, quàm ipse ab ea prius habitus esset. Lectorem ad vtrumque scriptum remitto.

Auraicus à Rege proscribitur.

Mense Ianuario Emanuel Philibertus, Sabaudiæ Dux, è viuis excessit: quem insecutus est Henricus olim Cardinalis, tunc Lusitaniæ Rex, vita cum morte commutata, & litigiosa regni relicta successione.

Mors Sabaudi & Regis Portugalliæ.

Cùm

1580

Aquiſgrani hæreticæ conciones.

Cùm Albanus Dux primùm Belgii adminiſtrationem ſuſcepiſſet, multi alterius quàm Catholicæ religionis homines, relictis ſedibus ſuis, Aquiſgranum commigrárunt, eò quòd liberius ibi ſe viuere poſſe exiſtimabant. Qui cùm clam hactenus multos in vicinijs ſuis hęreſeos veneno infeciſſent, rati ſuas iam res optimè ſtabilitas eſſe, apertius concionabantur. Magiſtratus verò partim proprio conſilio, partim vicinorum Principum, Eburonum Epiſcopi, & Cliuiæ Ducis, admonitione motus, puublicis edictis interdicit, ne quis huiuſmodi factioſis concionibus ſeſe immiſceret. quod ſenatusconſultum, paulò pòſt ſingulis familijs ſeorſim eſt denuntiatum.

Cortraci recuperat regij.

Per id tempus quidam ſub Malecontentorum imperio militantes, Cortraci, Centronum oppido, ſeſe occultantes, per noctem apud Scabinum, alioſque Catholicos diuerſabantur. Erat in oppido frequens ſatis Scotorum præſidium, quod in mœnibus ac portis excubabat. Manè facto Malecontenti, qui in oppido erãt, ad portam Inſulanam armati conueniunt, & cuſtodijs, quæ in porta erant, occiſis, incendio ſignum dant Egmondano Comiti, qui in ſuburbanis campis illud obſeruabat. Ille, viſo ſigno, mox cum copijs ad oppidum accurrit, & portam occupat, ſuoſque ad forum ducit. Scoti quoque armis arreptis hoſtem oppido repellere contendunt: fit atrox pugna, regij ſuperiores, Scotos paſſim interfecerunt, & vrbe potiti, ſuam cauſam multò quàm antea reddidêre meliorem: niſi quòd Catholici in hæreticorum vrbibus latitantes, in magno verſabantur metu, aut mortem, aut certum exilium veriti, eò quòd hoc facto Catholici omnes in proditionis veniſſent ſuſpicionem.

Parmenſis felices in Hanonia progreſſus.

Sed & Parmenſis ineunte hoc anno oppidum Hannoniæ Mortaigne, quod à tribus ſignis Scotorum & Anglorum in fide Ordinum tenebatur, armata manu expugnauit. Deinde Fanum S. Amandi, quod etiam ab Anglis defendebatur, aggreſſus, in fidem Regis recepit. Inde Tornacum mouit, & omnes vicinos agros depopulatus eſt, pagos molaſque exurens, & toti illi oræ dira minitans, ni imperata ipſis tributa ſoluerent. Qui aduerſæ erant factionis, ſuis quoque rebus non defuerunt. Ipſius Cameracenſis præfectus metuens vires Parmenſis, & vicinarum prouinciarum, cùm ſeipſum defendere non poſſet, nec ignoraret, ſi obſi-

Cameracum Gallo proditur.

1580 deretur, auxilia sibi difficulter ab Ordinibus missum iri, cum Alencouio transegit, & aliquot Gallorum peditum equitumque centurias in vrbem recepit. Omnes, qui Gallo iurare nollent, inter quos primus fuit Episcopus vrbis, & territorij Dominus, vrbe expulit. Quo tempore Bruxellenses ope sociorum adiuti, arte quadam Niuellam receperunt, & Dominum de Glymes secum captiuum abduxerunt. Gelri per eosdem dies castrum Blienbecanum obsederunt, sed cùm intellexissent Parmensem Schenkio auxilia mittere, re infecta obsidionem soluerunt.

Eodem tempore obsides Groningensium Campos nuper abducti, in patriam vrbem reducuntur, magnaque cum lætitia excipiuntur, cùm vigesimoprimo mensis eiusdem Cornelia Laleinia, soror Renneburgij, cum coniuge suo Barone de Monceau Groningam venit, fratrique reconciliationem cum Rege Hispaniæ attulit. Rustici interea Drentani, equitum Ordinum violentiam diutius ferre cùm nec possent, nec vellent, armati magnis globis conuenientes, Dodonem à Laer, & Rijnsvvondam cum suis Drenta eiecerunt.

Leouuardienses castrum expugnant.

Frisij clandestina consilia Renneburgii suspecta habuerunt. Quare Leovvardienses Calend. Februarij, dispositis in suburbio duobus militum signis, qui à tergo castrum obseruarent, ipsi à fronte, præmissis, qui in vrbe erant monachis, gerras extruunt, & castrum obsident. Scagen præfectus territus, mox castrum dedidit. Ædificârant illud anno 1499. Leovvardienses, compulsi à VVilebrordo Scouuenburgio, archistratego Ducis Saxonis Alberti, & hoc anno partem, quæ vrbem spectat, diruerunt. Paulò post Franciscanos magna cum insolentia vrbe eiecerunt: eorum Monasterium, in quo patris mei olim vrbis huius Medici, monumentum erat, miserè diripuerunt.

Harlingensis arx deditur.

Renneburgius, audito hoc tumultu, atque Leovvardiensium temeritate, Ballium Secretarium suum eo misit, vt populum compesceret, atque in ordinem redigeret: eum in finem dederat ei instrumenta, sigillo & subscriptione sua munita, mundata men, vt ipse, quæ e re essent inscriberet. Sed in vrbem venientem Secretarium capiunt, captumque in mundis istis instrumentis mandatum ad Oyenbru-

brugij arcis Harlingensis Satrapæ Vicarium scribere 1580
compulerunt, vt arcem obsessam in manus obsidentium condonaret, quod cùm Vicarius accepisset, non expectans secundum mandatum, statim hostibus arcem tradidit. Ea anno 1496. à Groningensibus, tunc Frisiæ totius victoribus, erat ædificata, postea diruta, & ab Alberto Saxoniæ Duce reædificata, nunc quoque est maiori ex parte deiecta, aliquando fortè restauranda. Pipenpoius quoque ex mandato Auraici arcem Stauerensem, ab Alberto Bauaro, Comite Hollandiæ, anno 1396. conditam, & 1522. à Georgio Schenkio, ex mandato Caroli V. restauratam, Ordinum militibus dedit, qui eam nimis immaturè atque imprudenter euerterunt.

Vfkens & Korenputtius coniurati Religionis Cathol. & Regiæ Maiest. hostes, quomodo Renneburgium laqueis Auraici inducerent, consilia captabant: videbant enim ciues ei plurimum fauere, ciuitatem esse firmam, & Gubernatorem in partes regias propendere. Accedunt eum, suadent vt ad Auraicum & confœderatos proficiscatur, querelas ibi deponat suas, quòd Frisij rebelles sua mandata contemnant, castra intercipiant &c. sed Renneburgius horum studiorum non ignarus, monitores tales contempsit.

Mittitur interea à confœderatis Abel Frankena, qui in Groningensium portis interceptus est: inuenta sunt apud eum mandata ad Bartholomæum Entium contra Renneburgium, & ciuitatem Groningensem. quæ cùm ad Renneburgium delata essent, atque ipse legisset, Senatum conuocat, ea in pleno Senatûs consessu legit, quæ animos omnium, tam Caluinianorum, quàm Catholicorum, plurimum exacerbârunt.

Campis, Transiselaniæ oppido, ciues in diuersas factiones propensi, inter se dissidebant. Geusijs enim non sufficiebat, quòd publicum & tranquillum suæ Religionis habebant exercitium: sed Romanam, Catholicam funditus eradicatam & eiectam volebant. quare ad finem superioris anni Franciscanos oppido expellere conati erant: sed illi tam alacriter à Catholicis defendebantur, vt si simili sanguinario spiritu vel œstro, quo Caluiniani, perciti fuissent, omnes hæreticos vno die aut eijcere, aut interficere potuissēt. Vitæ etenim necisque eorū potestas erat in manibus Ca-

Campis tumultuantur ciues.

1580. tholicorum. Ægrè ferebant hoc Caluiniani, plurimūque laborabant, vt immisso in vrbem præsidio, coniunctis viribus Catholicos opprimerent. id cōtra ne fieret Catholici aduigilabant. atque hinc quotidianæ lites. Auraicus itaque metuens, ne hæc ciuitas à se deficeret, eò profectus, præsidium sub vmbra sui satellitij introduxit: atque ita Catholicæ religionis exercitium ibidem extinxit.

Ninoua capitur. Eodem ferè tempore Ordines per Lannoium Ninouam recuperârunt, in qua duo fratres Egmondani capti, Bruxellas mittuntur. Nec multo post Anglia, Hollandia, Zelandia, aliaque maritima loca, præter rerum naturam, triduano terræmotu inhorruerunt, adeò vt & tellus tremeret, & supellex in ædibus exposita loco moueretur: cùm regiones istæ paludosæ, nec montes habeant, nec ventos alant inclusos.

Aquisgranenses grauiter ferentes conciones nouitias sibi interdictas esse, cùm neque Senatûs mandato publicè refragari auderēt, nec obedire vellent; sperantes se ad quosdam in Magistratu receptum habituros, libellos supplices Senatui exhibuerunt. Lutherani quidem suæ, & Caluiniani suæ Sectæ publicum exercitium deprecantes. Scabinorum verò præfecti, ipsi Scabini, totaque ciuium Catholicorum communitas, à Principibus vicinis, atque Decano eiusdem vrbis Vossio, viro nobili, pio atq; erudito, admoniti, ne qua nouitas introduceretur, audacter sese opponebāt, donec Senatus preces Protestantium abijceret. Illi quod precibus obtinere non poterant, impudentia atque audacia obtinere se posse rati, contempto Senatusconsulto, publicos conuentus agebant, suamque religionem exercebāt. Quod cùm vicini Principes, & maximè Philippicarum ditionum Gubernatores intellexissent, propter vicinitatem, & veterem Aquisgranensium cum domo Burgundica confœderationem, ad Cæsaream Maiestatē querimonias deferunt, eiusque auctoritatem, vt hæc audacia puniatur, implorant. Cæsar negotij cognitionem Reuerendissimo Episcopo Leodiensi, & Illustrissimo Duci Iuliæ Guilielmo commisit, qui Consiliarios suos magnis suis impensis Aquisgranum legantes, toto penè hoc anno plurimum laborârunt, vt ciuitatem in antiqua Religione continerent.

Constātia Martyris Hispani. Petrus quidam Eleius Madritij in Hispania natus, cùm Maroci in Mauritania Tingitana aliquandiu habitâsset,

tâsset, fidemque Christianam, indicijs quibusdam ex- 1584
ternis religionis Mahometicæ, occultâsset, Hameter ab incolis est appellatus. Hic vitam illam pertæsus, clã fugiens Fessam primùm, inde Azamorum venit, vbi à Mauris captus, in vrbemque protractus, ad Regem mittitur, contigit hoc die 16. Ianuarij anni præsentis. In carcerem detruso Petro venia culpæ promittitur, si ad Mahometica sacra velit redire. Quibus Petrus, se & esse, & semper fuisse Christianum, neque vnquam veri Dei fidem abnegaturum, etsi præ timore antea eius indicia quædam dedisset Refer, inquit, Regi, neque vnquam me corpore circuncisum fuisse, & semper animo meo fidem ac religionem, quam puer in Hisp. professus sum, impressam retinuisse: neque me latere huius rei gratia mihi grauia supplicia, necemq; imminere; sed hæc supplicia & hãc necem vitam mihi allatura sempiternam, quam ego longè pluris æstimo, quàm omnia imperia & regna huius mundi. Inde conuersus ad Christianos, quorum illic erant multi, qui à fide d. fecerant, eumque defixi intuebantur, insigni oratione adhortatus est, vt excusso Mahometano onere, ad suaue Christi iugum redirent. Mauros etiam & Iudæos appellans, simili oratione incitabat. Erat tunc in palatio Regis consobrinus Oratoris Hispani, qui Regem conuentum cupiebat, vt ei literas traderet. Rex putans eum pro Petro intercedere velle, mandat cohortis præfecto cuidam, nomine Manserico, vt postico egressus, ne ab Hispano videretur, Petrum subitò iubeat quàm crudelissimè mactari. Ille imperata facit, producitur Petru., & ad carnificinæ locum abripitur. quo in itinere multa salubria documenta, monitaque pio è pectore deprompsit, quæ ille dum alta voce concionabundus iactaret, pugnis & calcibus, colaphisque tota via tundebatur. Vbi ad locum ventum est, ne amplius loqueretur, linguam ei præciderunt, vestibusque nudârunt; Inde quatuor circiter vlnas solo eleuatum, portæ cuidam vtraque manu clauis trabalibus affixerunt, vnde pendens (mirum dictu) etsi lingua iam carebat, in hæc verba prorupit : O mi Deus bone, esto mei memor. nam hi mihi claui, non claui sunt, sed flores; rosæ, non spinæ; gemmæ & margaritæ, non ferrum durum. Tum satellites vtrunque pedem quoque grandibus clauis confixêre. Et ille: Tu nôsti bone Deus, me in hoc toto supplicio nullum omninò doloris

1580 sensum percipere, quin potius mirificam voluptatem, atque dulcedinem. Omni illo tempore cum solo Deo loquebatur. Exasperati Mauri, præsertim miraculo linguæ tam euidenti, calceos ipsi detractos in os eius coniiciebant: quidam duris fustibus tibiarum eius ossa grauiter tundebant, acclamantes, vt Mahometem inuocaret. Quibus ille: Ne me amplius tentate. Difficile est vincere, qui Iesum Christum habet protectorem, vt ego habeo: & sanctissimam Virginem eius matrem, omnesque Sanctos deprecatores. Percontantibus quis eum seduxisset: Vos, ait, seducti estis, & erratis, qui veritatem non nouistis, & cæci ad infernum curritis. Multò ego maiorem ex vestra miseria, quàm ex omnibus meis supplicijs capio, sentioque dolorem. Mauri magis magisque frementes, caput ingenti clauo transuerberantes, portæ adegerunt, sed ille caput leuiter quassans facilè auellit à porta, ceruicemque modicè flectens, visus est ore pulcherrimo renidere, rursusque oculos in cælum attollens, preces Deo faciebat. Carnifices clauum capiti atq; ossibus infixum, vi quadam extrahentes, iugulum terebrârunt, & tabulis portæ compegerūt. atque ita Martyr egregius felicem animam suo reddidit Creatori. Rex vbi eum expirâsse cognouisset, Hispanum expectantem ad colloquium admisit: qui re intellecta petijt Martyris corpus, quod Christiani clam in sacello B. Virginis, vbi Missas audire, & cætera sacra sua obire sunt soliti, condiderunt.

Groningæ Korenputtius fabulam suam agens, præcipuos Geusios, atque inter hos Iacobū Hillebrandum Consulem adit, suaderque vt Renneburgium apprehendat, se antesignanum fore promittit. Sed Consul, cæterique, quorum fortassis maior erat in vrbe, quàm Korenputtij possessio, metuentes, vitamque & bona periclitari nolentes, tergiuersabantur.

Factio Desperatorum in Transiselania. Interea Rusticorum factio exorta est: per Frisiam enim, Drentam, & Transiselaniam multis in locis, mira confluebant rusticorum millia, qui sub centurionibus & signis militaribus, oras suas contra immanem militum, sub Ordinibus merentium, tyrannidem defendebant. In vexillis ensem cum dimidia oui testa, effuso iuxta vitello, habebant. dicebant enim se hactenus pro ouo integro dimicare noluisse, nunc pro inani testa dimicare compelli. Ad hos domandos missus

missus est Comes Holachius: sed tam probè ab ijs 1580
est exceptus, vt fugiens, & in fuga multis suorum occisis, ipse vix saluus in Comitatum Montensem venerit. Insignis certè illius fuga, sed nec prima, nec postrema. nec id imprudenter, cùm vir fugiens denuò possit pugnare: quod & factum est. Paulò enim post reuersus rusticos loco pellit, & multos occidit. Sed sunt non pauci, qui dicunt Holachium, cùm vi nil posset, astu eos circunuenisse: Satrapis enim aliquot intercedentibus, res inter ipsum atque inter rusticos cùm transacta esset, & rustici nihil mali sibi metuerent, aiunt, Holachium eos ex improuiso adortum occidisse. Coloni tamen, qui in Mastenbroekio pascunt, habitantque, arma deponere noluerunt. quibus ad cataracta nigra (sic enim locus incolis dicitur vbi aquæ nigræ & paludosæ sese in Aam fluuium exonerant) Snoius est oppositus.

Interea fama adfertur, Auraicum Campos venisse, & inde Groningam profecturum. Non ignorans Renneburgius sibi insidias vndique strui, iam tempus adesse ratus, postposita omni simulatione, Regi se fidelem declarandi, merumque Vrbis imperium, antequā Auraicus cum frequenti sua adueñiret familia, ad se pertrahendi; tertio Martij tota nocte consilia captans, familiam armat, milites clam introductos suis iungit, ciuesque Catholicos adesse iubet. Cumque illi nunciatum esset, crepusculum adesse, ciuium excubias, relictis stationibus, domum abijsse; manè quinta hora, cum suis, qui candidis fascijs brachio læuo erant insigniti, prorumpit: in forum equitat, ipse ductor, gladium strictum rotans, exclamat: Adeste, adeste ciues, hodie verus sum vester Gubernator. Satagamus nunc, quæ ad Regiæ Maiest. commodum, & nostram conducant salutem. Classica diuersis in locis canuntur, pulsantur tympana, captæ vrbis imaginem fuisse dixisses. Caluiniani rei insolentia stupefacti, armati prodeunt, & sub Hildebrando congregati, cum furore in Renneburgium feruntur: sed cùm fortè quidam ex asseclis Renneburgij, in Hildebrandum collimans, eiacularetur, eum traiecit, atque prostrauit; cadente duce & antesignano, cæteri diffugiebant: qui vbicunque inueniri poterant, capti sunt & in vincula detrusi. Mox hæreticus Senatus exauctoratur, & Catholicus constituitur. Reconciliatio à Parmensi missa proclamatur, &

Groninga in partes Regis cōcedit.

1580 iureiurando confirmatur. Quod factum cùm hostium expectationem venustè admodum elusisset, attoniti primùm spem abijciunt: Korenputtius tamen ratus aliquam adhuc spem superesse, mox partem copiarũ Olthouij in suburbia ducit, inde Vlitij, Scagenij & Vvedæ signa euocat. Aelke, Oasta & Asinius Entius cum suis quoque Groningam aduolant, vrbemque cingunt, sperantes fore in vrbe, qui seditionem mouerent: sed profunda erat in vrbe pax, & altum silentium.

Insignis Iconomachia. Vicinæ prouinciæ, huius rei fama percepta, furere, & tanquam œstro perciti, debacchari, cùm in homines iram suam effundere non possent, in statuas & Diuorum imagines effuderunt. Sæuitum est in templa, monasteria, Diuorumque simulacra Dauentriæ, Suollæ, Campis, in territorio Groningensi, non tantũ in oppidis, sed & pagis omnibus, ad quos sacrilegorũ rabies potuit peruenire. In Diœcesi Vltraiectensi, erectis signis, mulctaque indicta tam Catholicis quàm hæreticis, qui præclaræ huic pugnæ interesse nollent, in singulas Ecclesias furibundi irruunt, infandoque sacrilegio, quidquid supellectilis Ecclesiasticæ relictum erat, frangunt, conscindunt, & in ignem (maximos enim & luculentos rogos ante sacras ædes extruxerãt) conijciunt. Inde vicatim, ostiatimque Catholicorum ædes scrutantur, & si quid Ecclesiasticum vspiam abditum erat, minis, terroribusque ingeminatis, is qui abdiderat, prodere compellebatur. Vidisses per plateas passim ambusta sanctarum imaginum capita, crura, pectora: altarium pallas, sacras vestes, insignes picturas, aliaque templorum ornamenta, ædibus exturbari, lacerari, per cœnum trahi, & pedibus conculcari. Vno hoc prælio plures imagines, quàm toto belli tempore hostes viuos superârunt. Catholici, qui furijs istis interesse noluerunt, mulctamque non grauatè soluerunt, sannis insuper & contumelijs indignis, ab iconomachis istis subagitabantur. Caluiniani verò non ipsi tantùm, sed & pueros suos ad manus trahentes, etiam eos nobili huic spectaculo interesse voluerunt.

Oppida tamen nonnulla Transiselaniæ, vt Hasletum, in qua tranquilla & optimè constituta erat Respublica, Catholicorum tunc temporis Asylum, Steenvvichiũ, Oldenzalia, & in diœcesi Vltraiectensi Montfortum, profanorum istorum hominum impietatem

imitari

imitari noluerũt. Interea princeps Auraicus Campos deserit, Holachium in rusticos mittit, Snoium Coeuerdæ præficit, qui illam muniuit. Barth. Entius cum tredecim signis peditum, equitumque duobus, Groningam premit, fame ciues se domare posse existimans, cùm alij vim adhibendam esse dicerent. Aprilis decimo Holachius Oldenzaliensibus persuadet, vt præsidium recipiant. Cùm verò Confœderati animaduerterent obsidionis Groningensis tardos progressus, eò quoque Holachium cum suis equitibus, Yselsteinium cum septem signis, & Vuilhelmum Lodouicum, Comitis Ioannis Nassouij filium, cum nouem peditum vexillis miserunt. Cùm autem 27. Maij Bartol. Entij consilio propugnaculum vrbis oppugnarent, temeritate quadam assilientes, Entius globo per craniũ adacto percussus, animam efflauit, pirata omni scelere, omni flagitio, omni libidine contaminatissimus, cui iam penè per decennium mercatorum bona diripere, mercatores ipsos in mare proturbare, fœminas nuptas & innuptas constuprare, ludus erat: eoque impudicitiæ, inuerecundiæque deuenerat, vt Brilis Hollandiæ non erubuerit honestam honesti ciuis filiam tandiu per vim impudẽter detinere, quamdiu Lummæus Comes eam constuprâsset. Narrari solet, inter multos mercatores, quos innocentes aquis suffocârat, vnius cadauer eum, quocunque nauim suam flecteret, esse per aliquot dies insecutum. Hæc, & fœdiora sceleratioraque, ab ipsius commilitonibus narrantur & scribuntur.

1580 *Groninga obsessa.*

Mechliniam, quæ in meditullio Brabantiæ est, Regi reconciliatam esse, rebus Ordinum & vicinarum vrbium plurimum incommodabat. Varia itaque captârunt consilia, vt hanc vrbem sibi denuò subijcerent. Ad hoc magnam spem præbebat, quòd præsidium non habebat: Nam exacto cum suis militibus Boursio, postea induci non potuerunt, vt aliud præsidium, licet illud Parmensis sæpe offerret, admitterent. Præterea in vrbe habebant Ordines suæ factionis homines, cum quibus clam consilia conferebant. Tentanda tandem res erat. Data fuit hæc expeditio Noresio Anglorum militum Tribuno, homini magnanimo, sed nimis fastuoso. Iunxerunt se illi Oliuerius, Templius, gubernator Bruxellensis, & Carolus Leuinus Dominus Famarsius. Hi cum suis V. Idus Aprilis manè ante ortum

Mechlinia rursum ab Ordinibus capitur.

1580 diem Mechliniam conuenerunt, & dum Angli ab vna parte vrbem adoriuntur, Templius ab altera scalis admotis portam Bruxellensem occupauit, & per muros suos in vrbem misit. Hîc cruenta oritur pugna, antequam portæ aperiri, & equitatus intromitti potuit: cæduntur hostes, cæduntur nullo discrimine ciues; plateæ tegebantur cadaueribus, cloacæ sanguine inundabant. Tandem equites ingrediuntur. At necdum ciues quicquam de fortitudine sua remittunt, pugnāt laici, pugnant clerici, pro salute sua omnes certabant: quia de omnium vita agebatur. At hostes tandem superiores, magnam ciuium stragem ediderunt: inter quos Petrus Lupus Carmelitarum Prouincialis, bipenne se acriter defendens, trucidatus est. Gubernator vrbis Ressinguellius, Boeskerkius, & alii nonnulli per portam elapsi, periculum euaserunt. Vrbe iam occupata prædam facere cœperunt Angli, quibus tamen id antea interdictum erat, pro præda menstruum stipēdium accepturis. Tāti enim iam ante Belgæ prædam ab ipsis emerant. Spoliata igitur & direpta est Mechlinia per multos dies, nec vllus ordo constitui potuit, vt nulla vnquam vrbs fœdius diripi vnquam poterit. Tanta erat Anglorum insolentia, vis, immanitas in vtriusq; sexus homines, vt magnum exortum sit dissidium primò inter milites, postea inter Duces. Tēplius enim & Famarsius, qui vrbis constitutus erat gubernator, vrgebant vt Angli post direptionem exirent: at illi claues vrbis suæ potestatis fecerunt, & toto mense pro libidine sua in vrbe turpissimè dominati sunt, omnia rapientes: etiam campanas è turribus, & artificiosum, quod penè miraculo erat, horologium, ne ipsis mortuorum sepulchris parcentes, sed lapides cum inscriptionibus eruentes, cum aliis rebus nauibus impositis in Angliam miserunt, ibique vendiderunt. Quia tandem copiis maioribus opus esset in Flandria, & Noæus periclitaretur, Angli Mechlinia euocantur. Sed quia Noresius sine Templio exire noluit, euocatur & Templius. Hic ingens orta est contentio inter hos duos Tribunos, vter prior vrbe cederet. Templius vt indigena Noresium cum Anglis primò discedere volebat. Noresius se Templio digniorem censebat. Creuit hoc dissidium, adeò vt necesse fuerit aliquot centurias Antuerpiensium ciuium vocare, qui forum custodiebant. Interea campana pulsatur, & duabus diuersis portis

Ab Anglis diripitur.

Simultas inter Noresium & Templiū.

portis Noresius & Templius simul exierunt. 1580

Percommodè accidit hæc mora Regijs: Noęus enim summus Ordinum in Flandria archistrategus Angli monasterium, vulgo Engelmunster, ad Mandram fluuium situm, obsidebat: collegerat namque mediocrem exercitum, & Anglos Mechlinia venturos quotidie frustra expectabat. Positis iam castris, & omnibus ad arcem verberandam paratis, oblata est illi occasio Insulas recuperandi, quam ne neglexisse videretur, cum parte equitatus & peditatus eò contendit, relicto in castris Marquettio. Sed cùm se imbecilliorem deprehenderet, quàm vt istis copijs hanc expeditionem feliciter perficere posset, eò quòd Vicecomes Gandauensis, qui & Marchio Rijsbrockius tunc dicebatur, cum XV. turmis equitum Epirotarum, & aliquot peditum centurijs ei occurreret, mutato consilio in castra sua reuerti secum constituit. Sed cùm cis Leyam fluuium esset, nec exercitum commodè traducere posset, ambages quærit, donec ad Mandræ ac Leyæ fluminum cōfluentiam peruenit, vbi traijciens sub vesperum in pagum VVacnam copias duxit. At Vicecomes Cortraci suos traducens, Noæum anteuertit. Cùm autem Noæi miles ex itinere fessus ea nocte in castra venire non posset, data est ei facultas in dicto pago pernoctandi. Noæus verò solicitus, ne quid detrimenti castra à Vicecomite acciperent, citatis equis Anglimonasterium cōtendit, eóq; sub noctem appulit, statimq; pōtem, quo Mandra sternitur, interscindere iussit. Sed quibus id mandatum erat, suis viribus confisi mandato non paruerunt. Vicecomes non ignorans copias Noæi ea nocte VVacnæ subsistere, suos accelerare iubet, Anglimonasteriumq; veniens, pontem primo impetu occupat, & in Noæi castra irruit. Scoti repentino hostium aduentu territi, post primum impetum omnes fugerunt. Galli partim cæsi & capti, partim fugati sunt. Noæus vel Anglos Mechlinia, vel suos Gallos VVacna in singula momenta expectans, fortiter hosti restitit, donec tandem caperetur, captusque à Vicecomite Regi donaretur. Captus est & Marquettius cum multis nobilibus, quorum maior pars interfecta est. Machinæ omnes cū omni apparatu bellico & multis signis in potestatem Regiorum venerunt. Etsi hæc pugna magnam Ordinibus cladem afferret, tot militibus, tormentis & rebus ad bellum necessarijs amissis, exilem tamen & leuem

16. Maij.

Engelmūsterū obsidet Noæus.

Noæus suis cæsis à Vicecomite Gandauensi capitur.

1580 tiem æstimabant, si vnus Noæus captus non fuisset, qui vnus illis instar multorum fuerat: Erat enim miles imperterritus, prudésque imperator, multis Hugonotticis prælijs clarus, cuius consilio & opera Ordines tam ancipiti bello difficulter carere poterant: eo namque capto rarò feliciter pugnauerunt. Regi traditus, arci Limburgēsi inclusus, ibique in aliquot annos cum magno suorum dolore detentus est.

Diest Ordines recuperant. Interea dum hæc geruntur, Hispanus quidā transfuga, nomine Alphonsus, tunc Auraicas partes sequebatur. is coniuratione inita (vt dicebatur) cum quibusdam malæ fidei ciuibus Diestensibus, clam aliquot Gallorum copias cogit, & admotis ad mœnia scalis Gallos intempesta nocte muros conscendere iubet, portamque Sichemensem aperire, ad quam ipse cum equitatu Herentalensi præstolabatur. Germani, quorū curæ vrbis custodia erat demandata, aut rari, aut nulli excubabant. Quare ingressi Galli, ope coniuratorum ciuium portam nō difficulter aperuēre, & copias, quæ foris erant, in oppidū intromiserunt, Diesthemiūque in suam potestatem redegerunt. Duæ VValonū centuriæ, abiectis armis, fuga sibi salutem quærebant. At tria Germanorum vexilla è legione Comitis Ladronij, qui iam quatuordecim annos in Belgio Regi meruerant, ad extremum vsque spiritum cum omnium hostium admiratione tam fortiter pugnârunt, vt quo loco quisque viuus certaret, eundem mortuus cadens tegeret. Ceciderunt cum illis plurimi ex hostibus, inter quos nonnulli celebres numerantur centuriones.

Sichenam & Arschotum capiunt. Sichena & Arschotum oppidula penè desolata eodem quoque tempore ab Ordinibus capta sunt.

Frisiorū ad occupandam Groningā studia. Frisij nullis sumptibus, nullis parcebant laboribus, vt Groningā recuperarent. Vniuersæ prouinciæ magna tributa imperabant, plures quotidie copias in castra vocârunt, plures machinas attrahebant. Mortuo Entio imperium dedêre Holachio, & in eius absentia Eschedæ. Statum quoque patriæ alterârunt, veteres Magistratus & administros remouerunt, bona Monasteriorum, & quædam dominia vendiderunt. Harlingam mirificè munierunt. Interim Staueram, Slotenam, & Dockomium negligebant, vti & in munienda Couerda, & Bourtangia consentire non potuerunt, cùm tamen loca illa maximi essent momenti ad impediendum, ne qua Groningensibus submitterentur auxilia.

auxilia. Parmenſis interea Grœningenſes per literas & occultos nuntios cõſolabatur, eis breui ſuppetias miſſurum promittens. Vt autem fidem ſuam liberaret, in territorio Karpenſi copias aliquot collegit, quas recenſitas iuxta Noueſium Rhenum traijcere iuſſit. Sed ab Iſſelſteinij & Corenputtij equitibus primò, deinde à nobilitate & præfecturis Ducatûs Montenſis, & tandem ab incolis Diœceſis Colonienſis omnes illi nuper conſcripti fuſi fugatiq́ue & diſperſi ſunt. Qui pugnæ fugæq́ue ſuperfuêre, in Comitatu Manderſchetio denuo conuenerunt. *1588* *Regij Groningæ ſubuenientes diſſipantur.*

Menſe deinde Iunio diſperſi denuò congregantur, plures auctorantur, & diligentia Buchonis Aytæ Præpoſiti Gandauenſis ſub quatuordecim ſigna diſtributi in Friſiam iter inſtituunt. Præerat his ſignis Byllius, & in eius abſentia Martinus Schenkius: dicebatur autem tota hæc cohors Legio Friſica, quæ ferè ex Friſica nobilitate cõſtabat. Erant in ea III.CIƆ. peditũ, & ſexcenti equites ſub Centurionibus Reinardo Decama, Leucama, Camminga, Arnoldo Gemen, Henrico Snater, Eberardo Entio, VVijba à Gontum, VVolphãgo Prenger, Stephano Hellero, Samſone Peſtelio, & alijs. Hi omnes abſque vllis machinis Rhenum traijciunt, & Groningã magnis itineribus, ſummaq; celeritate proficiſcuntur. Addit ſe his Martinus Schenkius, cum ſuo equitatu; & Thomas Epirota Græcus, equitũ ductor celeberrimus, de quo aſſeritur, quòd ex pugnis statarijs ſex victor euaſerit. is tria haſtatorum equitũ ſigna ducebat. Qui in caſtris Ordinum erant, poſtquã intellexiſſent hoſtem in procinctu eſſe, duce Holachio obuiam ei proficiſcuntur, vt in viarũ anguſtijs eum opprimerent, ſed priuſquam locum opportunũ nacti eſſent, regios in ericeto Hardenbergenſi, in Buſactoribus, nunc Tranſiſelania ditione, ſiti, fame, atque æſtu penè enectos obuios habuêre. inſtruuntur acies, galeæ demittuntur, librantur haſtæ, fit equorum concurſus: pedites quoque regij vim hoſtiũ ſuſtinent fortiſſimè. dimicatum aliquandiu ſummis viribus; ſed cùm Holachius ſuos paſſim cædi videret, paululùm initio cedit, inde effuſa fuga ſe in tutũ recepit. Regij terga hoſtium inſequuntur, paſſimq́ue occidunt. Periere hac pugna ex Ordinũ militibus mille quingenti, ex regijs quinquaginta quinque tantùm deſiderabantur: quod tanto illis accidit fœdius, quãto regios peditatûs equi- *Friſica Legio Groningenſibus ſuccurrit.* *Geuſij cæduntur in ericeto Hardenbergenſi.*

tatusq;

1580 tatusque numero superabant. Ex Ordinum exercitu Vvingarden, signifer Niueldius, multi præfecti & nobiles occubuêre. Niueldius alter Centurio, cum Renoyo, atque aliquot vicarijs capti sunt. Ex regijs nullus cuiusquam auctoritatis cecidit, nec captus vllus. Vfkens altera belli huius (prior enim Entius iam erat extincta) fax, non actor, sed pugnæ huius spectator aderat. is curru, in quo sedebat, fugere cùm vellet, à regijs comprehensus occiditur. Omnia tormenta bellica, omniaque impedimenta in potestatem regiorum venerunt. Qui fuga elapsi erant, nullis minis, nullis verberibus sisti potuerunt. Regij interim Couerdam occupant, cuius arcem ab Ordinibus restaurari cœptã, Euerardus Entius Satrapa perfecit. Inde Groningam mouent, quod vbi illi, qui in obsidione erant, intellexissent, relictis omnibus, ipsi quoque fugerunt. Asinius Entius cũ Bormanio & Vogelio, munitionẽ in Delfzijl suscipit defendendã: Iohannes Robertus Harlingam mittitur, alij aliò ablegantur.

Groninga ab obsidione liberatur. Regij victores Groningam veniũt, vbi à Renneburgio totaque ciuitate magno cum triumpho excipiuntur. Post vnius aut alterius diei quietem, Renneburgius cum suis ad obsidionem munitionis in Delfzijl profectus est: prius tamen locum Den opslach vulgò dictum, intercipiendum esse visum est: ad quem defendendum missa sunt ab Ordinibus duo signa, quibus ad internecionem deletis, regij propugnaculũ occupârunt. qui in eo erant, præstito iuramento se trimestri spatio Ordinibus non militaturos, dimissi, ad Holachiumque profecti, ab eo Steenvvichium missi sunt. Renneburgius Collum contendens, Dockomium capere gestiebat: sed Ordines oppidum hoc munierant, & fortissimum præsidium imposuerant. quare post primum assultum Renneburgius suos Collum reduxit. Entius Couerdæ Satrapa dum Meppelium, anno 1536. à Georgio Schenckio deiectum, reædificat, ab Ordinibus cæditur, fugaturq;. Interea præsidiarij, qui in Delfzijl erant, extrema laborabant rerũ penuria: (solo enim caseo & butyro aliquandiu victitabant:) Hollandi eò naues quasdam bellicas mittunt. Holachius 50 naues cogit, easque omni apparatu bellico, omnique commeatu onustas, ad obsessis auxiliandum velificare iubet: ipse quoque illuc proficiscitur, sed & Hollandiæ Archithalassus Duuenuordius, eiusque vicarius subsidio

dio venerũt, die Iulij 23. Sed cùm omnia itinera, ipſeq; portus ita eſſet obſeſſus, vt nuſquã aditus pateret, nauibus in altum reductis, ſpẽ ſuccurrẽdi abiecerũt. Cumq; obſeſſi aliquandiu pullo vexillo erecto, calamitatẽ ſuam ſignificâſſent, tandem cum hoſte paciſcuntur. Depoſitis armis, albis virgulis exirent, tribus menſibus ab omni militia conquieſcerent, Capitaneos omnes in Renneburgij poteſtatem traderent. His confirmatis, Delfzijl in regiorum manus venit. Interea Noritz cum decem Anglorum & Michas cum ſex Gallorum peditum ſignis, & aliquot Germanorum equitum cohortes, ſe Holachio iunxerunt.

1580

Delfzijl occupatur.

Stephanum Poloniæ Regem, rebus ſuperiori anno contra Moſcouiæ Ducem feliciter geſtis, Varſouiam Ordines ad Comitia conuocâſſe, diximus antea. In his Comitijs de bello diutius ſuſtinendo actum eſt. Rex itaque nihil prætermiſit, quod poſſet ad illud rectè adminiſtrandum, & inprimis ad exercitus, cùm veterem retinendum, tum nouum conſcribendum, pertinere, quibus omnibus cùm certo die ad Czaſniciam conuenire edixiſſet, ipſe paulo poſt equum in gyros tortum conſcendens, Vilna egreſſus eſt, & tandem 8. Iulij die in caſtra venit; & congregato Senatorũ, hominumque militarium conuentu, quò potiſſimum arma inferenda eſſent, proponit: tres peramplæ & celeberrimæ ciuitates proponuntur, Smolenſca ad Boryſthenem ſita, Pleſcouia Niemo fluuio impoſita, & Vielicolucum in Louati ripis extructum. Sed priorum duarum expeditio improbata eſt, eò quòd itinera eſſent periculoſa, commeatus deficere poſſet, & Rege in locis nimium remotis militante, ſubditi periclitarentur. quare eò tãdem deſcenſum eſt, vt Vielicolucum cum exercitu mouendum, eamque vrbem & arcem omni conatu oppugnandam concluderetur; tum quòd ex hoc loco Ruſſia defendi, exercitus Lucenſis agri fertilitate ali, ſigna penitius in hoſtilia loca hinc inferri, & hoſtis ad apertam dimicationem prouocari poſſet. Habito itaque exercitûs delectu, ex agro Czaſnicienſi, Vitepſcũ profecti ſunt. Quo in itinere, cùm Rex arces duas hoſtiles, Vieliſium vnam in Dhunæ ripa, Vitepſco ex ſuperiore fluminis loco oppoſitam, atque alteram Vſvviatum, quæ ad amnem eiuſdem nominis in Dhunam illabentem ſita eſt, prohibituras alioquin Polonorum exercitui tormentorum, & commeatûs in caſtra ſupportandi

Polonorũ in Moſcouia victoriæ.

1580 commoditatem, accepisset; Iohannem Zamosciæ, regni Cancellarium, cum suis, alijsque adiunctis copijs, ad Vielisium oppugnandum præmisit. qui tribus in locis arcem verberare volens, vnam Pannonibus, aliam Polonis, tertiam Ridulphino Camerinensi mandauit.

Vielisium capitur.

Qui in præsidio erant, videntes propugnacula sterni, ignem assiduè in arcem intorqueri, Polonos se ad oppugnationem parare, pacti incolumitatē, deditionem fecerūt. Rex loco perlustrato, præmissis Lituanicis copijs, Vsvviatum cum exercitu contendit. Mosci obsidionem expectandam decernentes, oppidum arci subiectum, admissa in arcem oppidanorum turba, succendunt. Cumque Rex obsessos per caduceatorem ad deditionem hortaretur, illi acerbè respondent, & petulanter. Sed postquam hostium in oppugnando alacritatem, atque impetum experti essent, spontè fidei Regis sese condonârunt. Rex, contractis in itinere copijs omnibus, quas duarum istarum arcium oppugnatio diuiserat, Vielicolucum mouit: ac superata locorum à Czasnicia incredili vastitudine, itinereque summo cū labore militum, ac ingenti difficultate, per assiduas densissimasque syluas (quæ in Moscouia frequentissimæ sunt) facto, ad arcem Vielicolucensem 26. Augusti castrametatus est.

Vielicolucum obsidetur.

Dum Polonus ad Vielicolucum subsistit, Moscus Legatos in castra mittit. quos Rex nulla interposita mora audiuit. Verùm cùm ab eo contra omnes illius gerendarum rerum rationes, contraque dignitatem regiam postularent, vt in Lituaniam cum exercitu se referret; negarentque, nisi id ante omnia faceret, se per Principis sui mandata quicquam de ipsa legationis causa dicere posse: Rex, repudiata illorum tergiuersatione, munitis castris, extructisq; propugnaculis, ipsis Calend. Septemb. oppugnationē auspicatur. Cæterùm cùm præsidiariorum summa loci retinendi pertinacia esset, & vltima periclitari coniurâssent, arx quoque & arte, & natura loci esset munitissima: ne suorum maximo detrimento diutius in obsidione permanerent, necessariò Polonis res ignitis globis tentanda fuit. Id quomodo fiat, in gratiam lectoris hîc adijcere visum fuit. Tormento bellico puluis ad solitam mensuram inijcitur: pulueri fœnum, aut alia arida materia superadditur: fœnum multum terræ superintruditur, ne candens globus adactus ignem excitet.

Stratagema nouū.

citer. Deinde tormentum dirigitur ad locum, ad quem globum ferri velint, quo immobili stante, ignitus candensque è furno allatus globus, instrumento quodam in tormentum ad terram illam vsque impellitur. tandem magister igni de more admoto, globum in materiam aliquam aridam, ad quam antea collimauerat, intorquet. Tale incendium cùm magna Pannonū virtute primùm, deinde à cæteris toto penè triduo illatū esset, & obsessi pro viribus flammarū initia restinguerent, tandem pluribus in locis ignis incrementa sumens, ingens excitat incendium. Ab altera parte cuniculi ad ligneas vsque substructiones agebantur, quibus immisso puluere incensis, magnū arcis propugnaculum est euersum, in cuius ruinas Pannones desilientes, acriterque pugnātes, multis occisis repulsi sunt. Spirante autem vehementius Africo, tantas incēdium vires concepit, vt non prius extinctum sit, quàm tota munitio, vallo tātùm exteriori incolumi, flammis fuerit absumpta. Qui in arce erant, partim quia in Polociæ deditione vita donati, nunc de venia desperarent; partim nimia sua pertinacia ignibus absumpti sunt: cæteri omnes occisi. post primum tamen impetum, fœminarum & puerorum habita est ratio. 1588

Vielicōlucum capitur.

Hac ratione Vielicoluco in ipso conspectu legatorum Moscouiæ expugnato, Magni Moscouiæ Ducis oratores iterum apud Regem dicendi potestatem sibi fieri petierunt. qua impetrata, cùm ea exponerēt, quæ honestæ paci minimè satisfacerent, leuioraque omnia quàm Regia dignitas & iura Reip. paterentur, proponerent: ostendit Rex, se ad ea descendere non posse. Cumque illi mandata alia sese hoc tempore non habere dicerent, peterentque, vt ipsis ad Ducem literas mittere liceret, quibus eum de cōditionibus, Regisque voluntate redderent certiorem: Rex vt ne in medio cursu, & quasi ardore belli, se ab honestæ pacis conditionibus alienum esse contestaretur, & proprias dedit ad Moscum literas, & oratores dare suas permisit. Dum responsum Ducis expectatur, Rex ad præcipua regni loca literas mittit, belli felicem successum subditis exponit, supplicationes publicas instituant, Deoq; Opt. Max. propugnatori gratias agant, hortatur. Deinde arcis ruinas recognoscit, opus restaurandum in partes quatuor diuidit: duas sibi reseruat, tertiam Lituanis, quartam Polonis assignauit, vt mutua nationū æmu-

1580 latio conduceret ad celeritatem operis conficiendi. Quinetiam vt victoria prudenter vteretur, belliq; fortunam prosequeretur, Bornemizzam Pannonem, Palatinumque Polociæ ad Neuclam oppidũ expugnandum mittit.

Moritur Patriarcha Cōstātinop. & nouus eligitur. Moritur interea Patriarcha Constantinopolitanus Ieremias, in cuius locum vir sanctissimus (schismate excepto) Metrophones successit. Is ante Ieremiam Patriarchalem sedem occupabat, sed Cantacuzeni priuato odio eiectus, in monte Sancto toto Ieremiæ tempore exulauerat. Reuocatus postea nepotes duos Romam misit, in Catholica Romana religione enutriendos & instituendos, tanti ingenij, pietatisque adolescentes, vt non minima spes affulgeat, horum aliquando laboribus, consilijsque, Ecclesiam Orientalē, sublato schismate, Occidentali fore iungendam. Idem Patriarcha cùm aliquoties à Germanis Lutheri opinionem propugnantibus (sicut & eius decessor) interpellatus esset, tandem videns nullam in illis resipiscendi spem esse relictam, in hanc sententiam ad eos scripsit: *Rogamus itaque vos, ne posthac labores nobis exhibeatis, neque de ijsdem scribatis. Nam Theologos, qui Ecclesiæ lumina fuerunt, aliâs aliter tractatis, & verbis quidem honoratis eos, factis verò reijcitis, armaq; nostra inutilia nobis efficere vultis: excutere scilicet de manibus nostris verba eorum sancta, & diuina, quibus nos ad scribendum, & contradicendum vobis vti potuissemus. Quamobrem quantum ad vos attinet, liberâstis nos curis.* Hæc Patriarcha. Gabriel quoque Archiepiscopus Philadelphensis hoc anno ad Martinum Crusiũ scribens, non multo leuius Lutheranos notauit, inter alia scribens: *Si verò cognoscere cupis, quomodo se res nostræ habeant: scias nos veram doctrinam, & sanctorum Apostolorum TRADITIONES sequi, & non illos, qui verborum ambagibus, & sermonibus in aërem euanescentibus operam dant, & quotidie additiones & detractiones proferunt.*

Status Ecclesiæ Orientalis. Sed quia in Orientalis Ecclesiæ mentionem incidimus, lubet hîc nonnulla de statu eius, qui nunc est, ex literis inde non ita nuper missis excepta, subiungere. Ecclesiasticarum dignitatum gradus & ordo hic est: Patriarcha, Metropolita, Archiepiscopus, Episcopus, Hieromonachus, Presbyter, (his consecrare, id est, Missas celebrare, licet) Monachus, (non consecrans) Diaconus, Hypodiaconus, qui altari ministrant; Anagnostes,

gnoſtes, qui Epiſtolam legit Dominicalē, aliaque non- 1580
nulla; & Archimandrita, hoc eſt, Monachorū Abbas,
Patriarcha ſecundùm antiquos Canones (quos Canta-
cuzenus iam plurimum labefactauit) à Metropolitis,
Archiepiſcopis, Epiſcopis, eligitur, & à ſupremo Baſſa
Regis vicario confirmatur. Metropolitæ proximam à
Patriarcha ſedem, ſed ordine habent. Primus horum
Theſſalonicenſis nunc eſt, qui Metropolin frequentiſ-
ſimam, & decem Epiſcopatus habet. Athenarū Metro-
polis ſex Epiſcopatuum, & 150. Eccleſiarum etiamnū
extat. In ipſa autem vrbe Athenarum infra decen-
nium adhuc 250. ſacerdotes in publica viſi ſunt proceſ-
ſione ſimul incedentes. Eſt & Mitylenæ Metropolita,
ſed Epiſcopos habet ſub ſe nullos. Chalcedonenſis 60.
præeſt Eccleſijs, vbi ruinæ templi D. Euphemiæ, in
quo Concilium celebratū eſt, adhuc viſuntur. Nicæa
Metropolis adhuc, ſed abſque Epiſcopatibus eſt, vbi
etiam templū τῆς παναγίας, vel Mariæ, iuxta quod
Patres in Concilio fuêre congregati, viſitatur. Metro-
polita Epheſinus 50. præeſt Eccleſijs, Philippenſis 150.
Antiochenus in Piſidia 40. Smyrnenſis 80. Eccleſijs
præſidet ſibi ſubiectis. nullos verò habent Epiſcopatus,
ſolo Corinthiaco excepto, cui præter centum Eccleſias,
quatuor quoq; parent Epiſcopi. Horū omniū religio,
pter tres aut quatuor veteres Græcorū errores, per omia
cum Catholica conuenit Romana: vt ex Cēſura Ori-
entalis Eccleſiæ, à Ieremia Patriarcha Germanis ad eo-
rum petitionem nuper miſſa, & ab illis ſuppreſſa, ſupe-
riori verò anno ab Archimandrita in regno Poloniæ
detecta, luculentiſſimè probatur.

Auguſti quarto in Friſia Holachius ſuas copias co- Geuſij cæ-
git, euocârat aliquot peditum ſigna, quæ iuxta caſtrū duntur
Nienort conſederunt. Non ignorans hoc Renneburgi- in Friſia.
us, eò magna cum celeritate cōtendit, manuſque cum
illis conſerens, fudit. qua in pugna Cornelius VVeda
Amorfortius, homo nouus, & ſub Ordinibus centurio
inter alios eſt occiſus. Holachius auctus nouis Anglo-
rum & Gallorum copijs, Renneburgiū inſequebatur:
qui Groningam reuerſus, mœnibus ſe continebat. Or-
dinum milites ad vrbis mœnia excurrentes, ſæpe cum
oppidanis velitabant, & exercitus ipſe diu in conſpectu
vrbis caſtrametabatur. Vrgebant confœderati, vt Ho-
lachius vrbem obſideret: ſciebant enim non magnam

1580 in ea esse frumenti copiam. Sed quia in exercitu Holachij non frumenti solùm, sed omnium rerum esset penuria, & eruptiones hostiũ metueret, Couerdam mouet: Bouvvingam & Reinerum Ietzen cum suis signis in Aduerderzijl mittit, vbi statim superuenientibus regijs cæsi sunt, ipseque Bouvvinga interfectus. Holachius verò Couerdam obsidione cingere volens, dum arcem lustrat, qua parte munita minus esset, Ludolphus Ricoldi, pastoris Bunschotini filius, magni inter illos nominis Tribunus, capitur, & Nassouius Comes in læuo crure globo ferreo grauiter sauciatur. decimo tamẽ quinto Augusti arcem deditione receperũt. Dum Rennebugius in obsidione Delfzilana esset, Holachius munitionem den Opslach dictam recuperârat; propugnacula firmârat, 6 peditum signa in ea deduxerat, commeatu rerumque ad obsidionem sustinendam necessariarum copia instruxerat. Renneburgius, cùm sua plurimum interesset, hostisne an ipse loco isti præesset, eò attractis maioribus tormentis copias aliquot duxit, munitionemque oppugnat: sed præsidiarij trepidantes, mox veniam postulant, & in gratiam recepti, se dedunt. Inde in Slochteren profectus, Nassouij & Michæ pedites inuenit, qui audito hostium aduẽtu fugiũt in Bortangam, locum angustum & paludosum. Regij illos insequentes, eo loco Holachij quoque copias inuenerunt. instructis ordinibus grauissimũ hîc commissum est prælium: initio vtrinque multi ceciderunt, tandem victores regij in hostium aciem impressionem facientes, magnam illi cladem intulerunt. Cæsa sunt 8. peditum signa, & vna equitum cohors, ex alijs signis non pauci, capti plurimi. Acta sunt hæc 3. Septemb. cùm Rennebugius 9. Couerdam iterum oppugnat, quam 20. deinde recepit. qui in arce erant, plerique relictis Ordinibus partes Regis sequebantur. id multis alijs in locis contingebat, ita vt hostium exercitus decresceret, Regisque augeretur. Felices Renneburgij successus cùm Holachiani, qui ad obsidionem Lingensem missi erant, audiuissent, relictis castris fugerunt. Rebus Couerdæ constitutis, Oldenzaliam mouet, quæ metropolis est totius Tvventæ. Erat ibi relictus ab Holachio oppidi præfectus Baro quidam Austriacus Eck, adolescens imberbis, sed præsidium è veteranis erat conflatum. Vexillum enim Domini de Syviten, Vischerus item Amstelredamensis cum suo peditatu,

Oldenzalia obsidetur & deditur.

peditatu, & Ellenbornius Vicarius Gorij cum aliquot equitibus, oppidum custodiebant. Sed cùm Renneburgius illud magno furore oppugnaret, multosque è suis amitteret, obsidionē soluere decreuerat. Oppidani verò deteriora metuētes, præsidiarios in eam angustiam adduxerant, vt oppido exire cogerentur. Mox ad Renneburgium miserunt, eique oppidū XXIIII. Septemb. certis conditionibus dediderūt. Præsidiarij cum omnibus impedimentis dimissi sunt, postquam iureiurādo promisissent, se trimestri spatio contra Regem nō militaturos. Inde Renneburgius exercitum Suollā transportat, quæ iam breui in partes Ordinū trāsierat. Cùm enim vrbs hæc sui iuris esset, nec vllum præsidiū haberet, id vnicè cauerat, ne vtram vt partem offenderet. Cæterùm cùm Regij ductore Schenkio Rhenum traiecerant, & Groningam cogitarent, Caluiniani metu, & Catholici spe incitati, arma corripiunt, vt de vrbis dominio certarent: multa enim Catholici à Caluinianis indigna patiebantur: id quod ipse, qui nunquā eos offenderam, expertus sum, Henrico Ootmarsensi aurifabro, scelestissimo sacrilego vrbe me in pleno Caluinianorum consessu interdicente. Hac occasione ciues in duas factiones diuisi sunt. Caluiniani impulsore Vlgero Centurione forum, templum S. Michaëlis, portam Campensem, & Rubrā turrim occupârunt, & confestim miserunt, qui Dauentriensiū & Campensium opem implorârunt, quorum quidā à rusticis occisi sunt. Nihilominus XVII. Iunij duo signa ciuium Dauentriensiū, & aliquot manipulos è præsidio Campensi in vrbem receperunt. Etsi Catholicorum partes plerique rustici, qui in vrbem commigrârant, ob tyrānidem equitum Germanorum, sequerentur, tamen quia Schenkius iter suum aliò instituerat, Catholici succubuerunt: multi vrbe eiecti, & eorum ædes direptæ sunt. Quo tempore multæ quoque villæ in Mastenbroeck & castrum Geelmudense à Suollanis incendio absumptum est. Renneburgius itaque vt Suollenses in ordinem redigeret, vrbem vndique obsedit. Miserunt eò confœderati maius præsidium cum Pettino Michæ Vicario, & Centurione Cressoniero, qui omnes à Renneburgio capti sunt. Sed cùm Renneburgius certior factus esset noua sibi auxilia mitti, quæ iam Rhenum traiecerant, metuens ne quid damni ab hoste acciperent, relicta obsidione Suollana eis obuiam

1580

Suollæ inter Catholicos & Caluinianos tumultus.

Suolla à Renneburgio obsessa.

1580 am proficiſcitur. In ditione namque Karpena, duobus ab Vbiorum vrbe milliaribus, Regis Hiſpaniarũ iuſſu aliquot ſigna peditum, ſub Chiliarcha Struffio nobili Cliuenſi conſcribebãtur, quæ in Friſiam ad Comitem Renneburgium, Georgium Laleinium proficiſceretur, vt victorias is hactenus feliciter partas, nouis auctus copijs, maioribus ſucceſſibus cumularet. Non latebat hoc Ordines Geldriæ, atque Hollandiæ, qui naues aliquot ad bellum inſtructas Coloniam vſque miſerunt, vt Rhenum infeſtarent, & regios, ne flumen traijcere poſſent, prohiberent. Electores, quorum eſt Rheni tractum defendere, & fluminis nauigationem liberã conſeruare, Moguntinenſis ſcilicet, Colonienſis, Treuirẽſis, & Palatinus, inſtructis tumultuarijs quibuſdam nauigijs, collectoque milite, Ordinum claſſem in fugam coniecerunt. Interea regius miles Rhenum tranſportatus, Noueſium incolumis peruenit. Erant ibi in inſidijs Ordinum aliquot ſigna diſpoſita, quæ regios ex improuiſo inuaderent, trucidarentque. & certè propè illorum exitium erat, niſi per exploratores inſidiæ detectæ fuiſſent. Inſtructa itaque acie Struffius, de numero conſilioque hoſtium certior factus, ſuos accelerare iubet, & manum cum hoſte conferre. qui primo impetu in fugam verſi, à regijs inſequentibus paſſim capti ſunt, & trucidati. Inde Veſaliã verſus iter inſtituẽtes regij, leui accepto damno, in Friſiam magnis itineribus contenderunt. Renneburgius (vt diximus) cùm illorũ aduentum cognouiſſet, relicta Suolla, eis obuiam proficiſcitur. quo tempore Hegemannus Anholtium, eo quòd Dominus oppidi à parte Regis ſtaret, diripuit, atque exuſſit. Coniunctis Friſiorum & Geldrorum (ſic enim Struffij copiæ appellabantur) legionibus Doetechemium, in Comitatu Zutphanienſi oppidulum, obſederunt: ſed quia Friſij extra patriam, in cuius ſalutem ſe militare dicebãt, diuturniorem facere moram noluerunt: contra Geldri, relicta ſua patria, Friſios ſequi recusârunt, orta eſt inter illos contentio: re tamen compoſita, ſimul relicto Doetechemio in Tranſiſelaniam contendunt. Renneburgius mutato conſilio, Suollam reliquit, & ne à tergo relinqueret hoſtem, maiorque ſupportandi commeatûs eſſet opportunitas, Steinvvichium obſedit, die 18. Octobris. Habebat in caſtris quatuordecim ſigna Friſiorum, quorum ſummus vicarius Ioannes Mom-

Nouæ copiæ in Friſiam mittuntur à Parmenſi,

Steinvvichium obſidetur.

Mommius eodem die ictus è mœnibus globo occubuit, cuius in locum Ioãnes Baptista Taxius surrogatur: habebat nouem signa Geldrorum, quinque etiam Tyronum nuper adlectorum, & aliquot equitum cohortes. In oppido 600. erant pedites præsidiarij, præter equites non adeò multos. his præerant Olthouius, Korenputtius, Platius, & Berenbrockius. Eodem quo oppidum obsessum est die, Cometes in Aquario non procul ab Aquila illuxit, qui multis deinde noctibus est visus. 1580

Maritimus quidam locus est in modum portûs, non procul à Steenvvichio, qui Kuinder ab incolis appellatur. Erant hîc in præsidio confœderatorum cohortes duæ, quas Esseda & Lãgius ducebãt. Missi sunt huc ex regijs Gemen & Snater veterani militum duces ambo, qui intempesta nocte vallum superârunt, hostes interfecerunt, & Essedam captum abduxerunt, solo Langio scapha elabente.

Kuinder à Regijs capitur.

Sed nimis longè procurrit hæc narratio, repetenda sunt, quæ alijs interea locis acta sunt. Sub finem Iunij quidam Otto Bakerus, Iacobus Lecourtius, & Arnoldus Pruynen occultum cum Comite Lalainio, Montignio, & Vicecomite Gandauensi pactum ineunt, quo se certis propositis vijs ac modis vrbem Bruxellensem tradituros receperant. Interim cùm Auraico, Aldegundio, & Templio consilium ineunt, quomodo hostem eludere, & insignem ei aliquam cladem inferre possent. Pactum erat cum hoste eum portam inuenturum apertam, per quam suos induceret. Dicta iam nox aderat, cùm sub vesperem multæ machinæ in ciuium ædes, in angiportus & plateas, per quas eundum erat hosti, erant dispositæ. Aldegundo cum valido præsidio porta custodienda traditur, qui quot vellent hostibus admissis cratem demitteret, reliquosque excluderet, ingressos machinis vndique lacerarent. Sed magno Regiorum commodo accidit, vt nocte ea tota ingens pluuia impedierit Regios, quò minus in tempore Bruxellas conuenire simul potuerint: præterea ignis omnium erat extinctus, sclopi madidi, & ad pugnam inutiles. Qui præcesserant, portam quidem apertam inuenerunt, sed cùm minimè expedire censerent, vt periculo se committerent, retro vnde venerant re infecta reuersi sunt. Per eosdem dies Bruxellenses magno equitatu & peditatu comitati Niuellensibus commeatum

Hannonienses Bruxellas capere conati, insidias vix cauent.

1580 aduexerunt, & in reditu Albanos quosdam equites strauerunt. Niuellam tamen paulo post amiserunt, quam Parmensis recuperauit.

Niuellam Parmẽsis capit.

Tumultus Gallicanus.

In Gallia quoque mensibus Iulio, Augusto & Septembri, priora illa vulnera leuiter quidem obducta, iterumque refricata, nouo dolore recruduerunt. Rex enim Nauarrus, Condæus, alijque Hugonottarum antesignani, bellum sibi pace quæstuosum magis existimantes, La Fera Morinorum, seu Picardiæ oppidum inuadunt, illatisque armis in suam redigunt potestatem. Cumque præsidiarij assiduis excursionibus lõgè lateq; vicinas prouincias rapinis incendijs ac cædibus redderent infestas, querelæ prouincialium quotidie ad Regem adferebantur. Decretum est vrbem obsidere: Regiæ copiæ Feram conuolare iubentur, Marsignonius expeditioni præficitur. Ille castris munitis, attractisque tormentis, muros sine intermissione quassari, ruinamque satis amplam sterni imperauit. inde qua parte murus disturbatus erat, milites induxit, fortissimeque vrbem oppugnauit: sed alacritate oppidanorum Marsignonius repressus, receptui canit, & suas in castra ducit. Cùm tamen crebris oppugnationibus vires obsessorum minui facilè animaduerteret idem regius Imperator, nec subsidia in vrbem mitti posse, ab oppugnando non desistendum esse censuit: in tantasque angustias oppidanos breui redegit, vt interim dum frustra ab Alenconio & Nauarro auxilia implorantur, vrbs summis viribus expugnata, cæsis omnibus præsidiarijs, in Regis venerit potestatem. Nec infelicius apud Allobrogos Bironius, atque alij alijs in locis pro Rege pugnabant Hugonottæ Catholicis & numero & viribus inferiores, iterum ad pacem respexerunt: quam ideo facilius à Rege impetrârunt, quòd Alenconius ab Ordinibus Belgicis, ad eorum defensionem euocatus, res prius domi stabiliendas duxerit, quàm foris bellum gerendum. Congregatis itaque regni Principibus, noua denuò pax constituitur, atq; inter alia cauetur, ne in posterũ Hugonottæ, in locis Regi subiectis cõcionentur, aut religionis suæ exercitiũ publicè administrẽt.

Fera expugnatur.

Condæi in Angliã profectio.

Henricus Borbonius, Princeps Condæus per Germaniam & Belgium nuper in Angliam transfretârat, Aderat illi Scregelius Casimiri legatus. Cùm autem multa occulta cum Regina Angliæ communicasset consilia, multaq; ad Religionem pertinentia cum illa

pepe-

pepigiſſet, ex Anglia Sluſam, quod oppidum Flandriæ eſt, reuerſus III. Idu Iulij Gandauum venit. Rijsbroekius huius rei certior factus, collectas aliquot copias Gandauum ab vno latere adhuc apertum clam introducere, & Condæum comprehendere conatus eſt. Sed Gandauenſes, intellecto hoſtium aduentu, armati omnes ad mœnia defendenda concurrũt. Quod cùm Rijsbroekius per exploratores cognouiſſet, ad ſuos reuerſus eſt. Condæus inde diſcedens, Antuuerpiæ cũ Principe Auraico collatis conſilijs aduerſo flumine in Palatinatum ad Caſimirum redijt, à quo ſe in Galliam armata manu reduci flagitabat. Cùm autem Caſimirus tribunos & duces ſuos, niſi de trium menſium ſtipendijs antea certi eſſent, non militaturos oſtenderet, nec conficiendæ tantæ pecuniæ rationem vllam Condæus inueniret, mutato habitu ad Marleam, qui recens Mandes munitiſſimum in Gallia Narbonenſi oppidum occupârat, refugit. 1580

Magnis hoc anno motibus concuſſa eſt Hibernia, qui magnarum alterationum cauſæ extitiſſent, niſi in primis principijs oppreſſi fuiſſent. Secundus iam annus agebatur, ex quo inſula hæc in duas factiones Religionis cauſa diuiſa fuerat. Qui Connaciam, Occidentalem inſulæ partem montoſam & agreſtem, habitant, Catholicam Religionem profitebantur, & vt eam defenderent arma ſumpſerunt. Alij inſulani Parlamentarij ſeu Anglocaluiniani erant, Reginæque imperio parebant, à qua & ſuis gubernatoribus defendebantur, ita vt Catholici illorum inſolentiæ violentiæque difficulter poſſent reſiſtere. Decreuerunt itaque à Pontifice & Rege Hiſpaniarum auxilia in ſui defenſionem flagitare. Ad quod Pontificẽ propter Religionem, Regem propter infinita damna in ſuo Belgio à Regina accepta promptum ſperabant. Exiguas quidem copias militares, ſed arma potiſſimum petebant, quibus rudem & agreſtem ſuum populum, ſed fortem, magnanimum, & bellicoſum armarent. Hi, quòd in ſyluis perpetuò habitarent, Syluestres dicti ſunt. Hanc ob cauſam legatus in Hiſpanias proficiſcitur Thomas Eſterneuile, poſtea Marchio à Põtifice creatus. Regi Hiſpan. non diſplicuit hoc Hibernorum conſilium, Thomamque cum literis commendatitijs Romam ad Pontificem miſit. Pontifex Gregorius bona de hoc negotio ſpe concepta, Herculem Piſanum cum alio Tribuno militum

Hiberniæ tumultus.

Hiberni Catholici à ſummo Pontif. et Rege Hiſpan. auxilia petunt.

1580 militũ Romano, viro fortitudine & rei militaris experiẽtia præclaro, qui sexcẽtis Italis præessent, sub ductu Marchionis in Hiberniã misit. Sed cũ in Lusitaniam appulsi essent, quo tempore Sebastianus Rex ad expeditionem Africanam accinctus erat, ab eodem Rege magnis præmijs & pollicitationibus inuitati sunt, vt secum in Regem Mauritaniæ proficiscerentur, promittens illis, si victores reuertantur, se beneficium illud in memoria æterna habiturum, additurumque sua auxilia ad Hiberniam in ordinem redigendam. Sed re infelicissimè in Africa gesta, Sebastiano ipso & Marchione cæsis, Itali, qui prælio superfuêre, sub imperio cuiusdam Sebastiani San Iosephi, qui à Pontifice legatus exercitus creatus est, auctus ille titulo tam honorato, sed parum sibi fortunato, maiora spe concepit, & non ponderans vires suas, nec animaduertens quàm ignarus rerum bellicarum esset, petijt à Pontifice confirmationem imperij seu præfecturæ, quam pro tempore in istos milites habebat, vt scilicet in locum defuncti Marchionis succederet. Pontifex, qui de copijs istis iam desperauerat, noua spe animum erexit, fore vt iis Hibernis opem ferret, & San Iosephò curam belli commisit, egitque cum Legato Hispanico, vt Rex Catholicus totidem centurias Hispanicas Italicis addderet, numerum compleret, ex vtraque gente vnum conflaret exercitum. Antequã hæc omnia expedirentur, annus penè ad finem decurrit. Iussit enim Rex aliquot centurias Cantabrorum, qui in Porto stationem habebant, se Italis adiungere, & eorum centurionibus præcepit, vt San Iosephum sequerentur quocunque illos duceret, facerentq; omnia, quæ ille præciperet. Erant omnes tam Itali quàm Hispani numero circiter nongenti, qui sex nauibus cum commeatu & apparatu omnis generis, armisque ad quatuor Hibernorum millia armanda in Hiberniam contenderunt. Appulsæ sunt naues istæ feliciter mense Septembri. Vtebantur signis militaribus duabus clauibus insignitis, vt se milites Ecclesiæ profiterentur. Expositi sunt in terram non procul à Smeruich loco in ostio Sinnæ maximi totius regionis fluminis, quod sese exonerans in Oceanum Occidentalem portum facit Limbricbum. Locus hic erat maximè oportunus, in quo incredibili cum celeritate munitionem magnam & fortissimam ædificârunt, in qua sese multos menses tutos a maxima vi hostium continere potuissent.

Itali & Hispani catholicis auxiliaturi in Hiberniã veniunt, & propugnaculum in ostio Sinnæ fluminis extruunt.

ſent. Adiacet huic loco ſcopulus eminens marinis vndique cincta fluctibus: hunc munitioni ponte iunxerant, ſedulò munierant, & aliquot tormenta in illo diſpoſuerant. Quia verò Itali videbant regionem eſſe admodum ſterilem, incolas habitare in ſiluis & montibus, metuẽtes ne commeatus, quem ſecum adportauerant, breui conſumeretur, ſi omnes in ea munitione manerent, eamq́ue tandem ſuo magno malo deſerere cogerentur. Remiſerunt itaque cum tribus nauibus trecentos circiter Hiſpanos. Alii, qui in propugnaculo manſerunt, nullum tempus intermiſerunt, quo non omnia, quæ ad defenſionem erant neceſſaria, conſtruerent: non enim ſine cauſa metuebant, ſe breui oppugnatum iri. Promiſſum autem erat Italis, quòd nouo vere maiora auxilia commeatus omniſq́ue belli apparatus ipſis ſubmitteretur. Interea arbitrabantur ſe contra omnem vim hoſtium ſatis fore munitos. Non poſt multos dies Milord Greius, qui iſtam inſulam Reginæ nomine adminiſtrabat, collegit mille circiter pedites, copias nimis exiguas ad tantam munitionem expugnandam. Sed ſuperuenêre ex improuiſo naues aliquot Reginæ cum militibus & bellico apparatu, quo ſubſidio Greius recreatus, confeſtim naues aliquot bellicas inſtruxit, militeſq́ue impoſuit, & verſus Smeruichianam munitionem velificauit. Nono verò die tormentis diſpoſitis cœpit munitionem verberare, non ſine aliquot Italorum ſtrage: vſum quoque quorundam tormentorum obſeſſis ademit. Continuata eſt hæc concuſſio ad dies aliquot, vt quibuſdam locis munitio iam eſſet aperta. Hîc ſtatim San Ioſephus, qui toto tempore ſe nullius iudicij, nulliusq́ue animi fortitudinis eſſe exhibuerat, præter modum cœpit trepidare, iamq́ue conclamatum eſſe exiſtimans, deditionem cogitabat. Huic conſilio Centurio Romanus & Piſanus fortiter ſeſe oppoſuerunt, oſtendentes eam loci eſſe fortitudinem, vt non aliquot dies, ſed multos etiam menſes nullo defendi poſſet negotio. In eo defendendo perpetuam ſibi repoſitam eſſe gloriam & gratiã Summi Pontificis, à quo in beneficium Eccleſiæ huc miſſi fuerant. Præterea Anglos ſub dio in ſterilibus campis media hyeme ſe diu continere non poſſe. Sibi autem nec caſas, nec pelles, nec tecta, neq; ignis fomenta, nec commeatum vllum deeſſe. Huc accedere, quòd Catholici incolæ tandem ſuæ ſalutis & vtilitatis rationem

ſint

1580

Angli propugnaculũ ab Italis & Hiſp. exſtructũ oppugnãt.

1580 sint habituri, conuentus facturi, & subsidia missuri. Nihil sibi aliud agendum, quàm vt se fortiter defendant, & sibi aut præclarissimam proponant victoriam, aut, si Deus aliter de se proposuerit, vt veri milites Christi & obedientes filij Ecclesiæ morientes, gloriosam sui relinquant memoriam. At SanIosephus non potuit induci, vt munitionem diutius tueretur, sed tanquam homo ignauus, meticulosus, & rerum bellicarum planè imperitus, nunc hoc, nunc illud causabatur. Vitæ igitur quàm gloriæ auidior, cùm nil posset apud præfectos, gregarios quosdam milites in suam sententiam pertraxit, qui vna voce deditionem postulabant. Præfecti militum importunitate victi postulationi acquieuerunt & elato signo colloquium petierunt & obtinuerunt. Prodijt in colloquium Tribunus Romanus, qui interrogatus à Greio, cui militarent, & quo iure aut imperio hoc loco munitionem ædificâssent. Respondit Romanus se Pontifici Summo militare, & illius iussu munitionem excitatam. Hîc Milordt nefandis conuicijs calumnijs & blasphemijs Pontificem & Ecclesiam Catholicã exagitauit. Cùm autem Romanus omnium obsessorum vitas fortunasque saluas postulasset, omnesque in tutum locum deduci petijsset, nihil obtinere potuit. SanIosephus animo iam penitus consternatus, rem minimè ad deditionem venturam, sed omnia desperata existimans, turpissimas ab hoste conditiones accepit, suique & paucorum amicorum suorum ratione habita, vita pactus, omnes Italos & Hispanos barbarorum hominum arbitrio reliquit. Qui vicesimo die Nouembris munitionem ingressi, captis tantùm viginti, cæteros omnes crudeliter mactârunt, octodecim, vt furorem apertius manifestarent, suspenderunt. Angli cùm omnia lustrâssent, & incredibilem panis nautici, vini, salitarum carnium, alteriusque commeatus copiam, magnam vim pecuniæ, tormenta plurima, & omnem apparatum necessarium inuenissent, obstupuerunt, nec dicere veriti sunt, se, si locum illum defendendum accepissent, toto anno contra potentissimum exercitum tueri potuisse, omnes se frustulatim concidi, quàm cum tanta gentis suæ ignominia tam facile deserere maluisse. Tantum potuit vnius ducis imperitia, in quo nec artis militaris scientia, nec corporis ingentique vigor, nec vlla prouidentia, nec denique felicitas, quæ bonum ducem constituunt, vnquam repertæ fue-

SanIosephi Italorum ductoris ignauia.

SanIosephus turpißimè propugnaculum Anglis dedit.

fuerũt Angli toto obsidionis tempore pauci cæsi sunt: 1586
Nolebat enim insignis hic dux, seu potius traditor (nã ex condicto omnia geri videbantur) obsessos excurrere, hostes à munitione arcere, cum ijs manum conserere: sed intra munitionem continebat: interim hostibus optata fodiendi, exstruendi, tormenta suis locis collocandi, data est oportunitas: vnus tamẽ inter alios maximi nominis & auctoritatis apud Anglos Ioannes Schichius occubuit. Quarto post captam munitionem die fama allata est, Comitem quendam Scotum Hisemontium cum fratre aliquot militum centurias collegisse, & iam in procinctu esse, vt obsessis suppetias veniret. Qui cùm in itinere intellexisset munitionem tam turpiter deditam, in tutum sese recepit, contumeliosis verbis proscindens eorum ignauiam, qui locum Catholicis Hibernis tam oportunum, tantisque Principum, à quibus missi erant, expensis conditum deseruerant.

Vigesimoseptimo Octobris Renneburgius in castra ad Steenvvichium venit, missoque feciali, deditionem oppidi postulauit. Sed militum præfecti respondent, se alium non agnoscere Dominum, quàm Principem Auraicum, & Ordines generales. Archiducis enim Austriaci imperium nullum esse, vt erat, existimabant: Ad horum oppidum sese mandata seruare, nihil cum Renneburgio negotij habere. Frisij in sep ẽ syluas, quas vulgus Seuen wolden vocat, quatuor peditũ centurias misêre, quæ excursiones hostium impedirent. quod cùm in castra relatum esset, missi sunt eò cum suis cohortibus Oyenbruggius, Gemen, & Snater, qui Frisios fuderunt. cadit inter alios vnius vexilli ductor Ioannes Feruo, cuius fratrum minimus fugiens à rusticis occiditur, & alter Fredericus viuus in hostium manus venit. Regij bonis auibus præliantes, hac victoria potiti, Sloten oppidulum maritimum occupant, vbi Doco Martenam comprehendunt. Paulò post ostium Lemmeræ, non minimi in Frisia fluminis, Ordinibus eripiunt. Reinerus verò Dekema Staueren intercipit, arcemque reparat, & in Mackum propugnaculo ædificato, ad portas vsque Harlingæ, Franekeræ, atque Bolsvverdæ excurrit, hostiumque agros deprædatur. Frisij vt excursiones has impedirent, mare in agros perforatis aggeribus immittere studuerunt: sed quia æstas erat sicca, nec ventus illis esset secundus, irritus

1580 ritus erat omnis iſte conatus.

Ciues oppidi Steenvvichiani, de vita, boniſque ſuis ſoliciti,& milites etiam nonnulli trepidantes, ſæpius vt ad Confœderatos pro ſubſidio ſcriberetur inſtiterunt. Korenputtius quantum potuit obſtabat, violentiæ tamen aliorum cedens, iam ter quaterque literas mittendas ſubſignârat. Confœderati putantes tantam in oppido eſſe neceſſitatem, quantam literæ præ ſe ferebant,ſubſidium maturârunt: Contractis tumultuarijs aliquot cohortibus, eas in monaſterium, quod Campus S. Ioannis appellatur, miſerunt, quorum ſupremus ductor erat Hegemannus. Regij decimo ſeptimo Nouembris aliquot centurias hoſtes oppugnatum mittunt, velitatur, pugnatur aliquandiu. Regij tandem,vallo ſuperato,in Monaſterium irruunt, hoſtes cædunt,capiunt,ſternunt. tres centuriones, raptis vexillis, ſecum captiuos in caſtra magno cum triumpho, vexillis ad caudas equorum alligatis, inſpectantibus obſeſſis,ducunt. Inuenerant in Monaſterio magnam pulueris tormentarij copiam,apparatum bellicum,ad oppugnationem ſibi non inutilem. Poſtridie igitur attractis tribus machinis æneis, tectum & pinnas portæ,quæ à Xenodochio nomen habet, verberare cœperunt: Præſidiarij rati hoſtes oppugnationem parare,aquam feruentiſſimam ad mœnia portant,malleolos conficiunt,ſaxa congerunt, omniaq; ad defenſionem parant. Korenputtius aliud moliri hoſtem ex eo ſuſpicabatur,quòd ſummitatem portæ tantùm feriret. Deiecto itaque portæ faſtigio, cùm ædium tecta ſe oſtentarent,ignitos globos eiaculabantur. Neſciebant id obſeſſi,donec quatuor aut quinque locis luculentiſſima flamma ex ædium tectis aſſurgeret. Oritur ingens clamor, toto oppido trepidatur: gemitus virorum, planctus mulierum, & puerorum eiulatus in caſtris audiebatur. Præſidiarij immoti in mœnibus ſtabant,ciues incendium reſtinguere totis viribus annitebantur: ſed tam frequens ignis in oppidum immittitur, vt tandem defeſſi ciues, coriaceis vrnis diſſutis, & alijs neceſſarijs deficientibus, flammam liberè vagari permiſerint,atque obuia quæuis depopulari. Conquerebantur ciues,quòd confœderatorum iugum induiſſent;Korenputtium, eiusq; phalerata verba calumniabantur,execrabanturque. Quid multis? tanta erat hominum deſolatio,tanta trepidatio, vt ſi is caſus noctu acci-

accidisset, oppidum sine dubio in regiorum manus venisset. 1580

Mortuo, vt diximus, Henrico Cardinale, & Rege Portugalliæ, Regnum Principem non habebat, licet Cardinali nihil optatius fuisset, quàm vt viuus successorem videret. At lis inter Philippum Regem, & Antonium Ludoici Ducis de Pace filium nothum nimis diu protrahebatur. Primoribus Regni & ipso Rege ius Philippi, populo & paucis è nobilitate Antonij defendente. Cùm itaque Philippus mortem Henrici intellexisset, institit per Ducem Offunam & Moram legatos suos Gubernatoribus Regni constitutis, vt Rex legitimus Lusitaniæ declararetur. At Lusitani ad Philippum miserunt Gasparem Casalem Episcopum Conimbricensem, & Emanuelem Melum, qui Regem orârunt, ne quid properanter ageret, sed finem litis de successione benignè expectaret. Huius determinationem Henricum Regem & Ordines Regni vndecim Principibus viris mandasse, qui cùm incorruptæ vitæ doctrinæ & iudicij sint, nihil ab illis, nisi æquissimam sententiam expectari posse. Respondit Philippus suam causam nō alia egere declaratione, quàm ipsius Regis Henrici, qui cùm viueret, satis manifestè declarauerat, quis in Regno ipsi succedere deberet: eum fuisse, qui alijs leges daret, non qui à priuatis personis acciperet, aut ab ijs iudicaretur. Accurarent itaque Proceres Regni, vt quàm primùm ipse cum debita obseruantia in Regni successionem excipiatur, ne ipsi auctores malorum subsequentium fuisse dicantur. Interea magni delectus habetur, non tantùm in Hispania, sed in Italia quoque & Germania: classis etiam plurimarum triremium sub imperio Marchionis de Cruce instruitur, qui omnes apparatus Regis tantummodò mandatum, vt Lusitanos inuaderent, expectabant. Maluit tamen Philippus sine cæde & sanguine controuersiam sopiri: ideoque legatis suis mandauit, vt quicquid competitores in compensationem iuris & actionis suæ postularent, tam Antonius, quàm Dux Bergantiæ, concederent. Dum hæc vltrò citroque aguntur, & iam negotium ipsum ad bonam & pacificam spectaret transactionem, popularis quædam factio omnia consilia perturbauit, causamque dedit, cur bello peti debuerit, quod pace obtineri potuisset. Dum enim Antonius Statarae est, locumque despiceret, vbi munitionem excitaret, quidam An-

Controuersia de regno Lusitaniæ.

Philippus Rex Lusitanis bellum parat.

1580 tonius Baracchius, homo notæ audaciæ, elata voce Antonium Regem salutauit. Hunc omnis populus maximo clamore imitabatur, obstupentibus, qui aderant, duobus Episcopis Parmensi & Gardensi, omnique nobilitate. Rapitur mox à plebe Antonius, in palatium deducitur, & eminentiori loco ab omni plebe Rex salutatur, cui actioni pauci nobiles interfuerunt, quorum quidam metu, quidam deliberato animo electioni huic subscripserunt. Huius factionis fama cùm per omne Regnum increbuisset, omnium prudentum animos perturbauit: ditiores quique Vlyssipone relicta varijs in locis delituerunt, expectantes finem, quem esset habitura hæc tragœdia. Gubernatores autem Regni erant Setubali oppido satis munito. Sed cùm viderent omnes oppidanos persuasione Francisci Portugalli Comitis Vimiosi in Antonij partes propendere, intempesta nocte clam oppido exierũt, & nauim ingressi, in castellum maritimum delati sunt, vbi multos Regni Proceres inuenerunt. Consilio inter se habito, visum est rem diutius protrahi non posse, periculum in mora esse. Communibus itaq; suffragijs PHILIPPVM CATHOLICVM CASTILIÆ ET ARRAGONIÆ REGEM VNICVM ELISABETHAE PRIMOGENITAE REGIS EMANVELIS ET HENRICI NVPER MORTVI SORORIS FILIVM, VERVM ET LEGITIMVM REGNI LVSITANIAE SVCCESSOREM pronuntiârunt.

D. Antonius à plebe Rex salutatur.

Lusitaniæ proceres Philippũ Hispan. Regẽ suũ declarãt.

Philippus horum omnium certior factus, non cũctandum ratus, Albanum Ducem, quem paulo ante cũ omnium admiratione captiuitate Vzedensi liberatum ducem huius expeditionis cum summo imperio creauerat, iussit sine vlla intermissione mouere, & aduigilare, ne mala pridem nata crescerẽt. Habebat sub signis XX. cI). circiter selectorũ militũ, ter mille & quingẽtos Germanos, quos ducebat Hieronymus Comes Ladronius Prosper verò Columna, Prior Vngariæ, & Carolus Spinella quinq; Italorũ millibus imperabant. Sãcio Dauila, olim castri Antuerpiani præfectus, nunc summus militũ Tribunus, decẽ millia Hispanorũ ductabat. Fernandus autẽ Toletanus Albani filius equitatui præerat, qui mille quingẽta tantũ capita cõficiebat. Has oẽs copias Albanus circa finẽ Iunij secũ in Lusitaniã rapuit, nec vllu inuenit impedimentũ priusquã veniret ad Stre-

Albani Ducis Lusitaniam occupaturi exercitus.

1580

Albani felices belli ſucceſsus.

Stremos, cuius loci munitio ab Admirallio Ioãne Azeuedo aliquãdiu defendebatur, ſed exiguo tandẽ labore occupata, & ipſe Azeuedus captus eſt. Indè Montemaiorẽ mouẽs, eam etiã vrbem cũ Setubalo intercepit. Hîc magnæ copiæ in claſsem S. Crucis receptæ, Caſcaim tranſuectæ ſunt, eamq; vrbẽ felicitate magis, quã prudentia Albani expugnârũt, ſpoliârunt, & Iacobũ Meneſem, qui cũ alijs multis in arcẽ ſe receperat, capite trũcârũt. Partis his tãtis victorijs, Albanus omnibus agris dominabatur, & quarto ab vrbe Vlyſsiponẽſi caſtra locauit. Habebat & Antonius numeroſum ſatis exercitũ, ſed eorũ, qui parũ ad bellum erant idonei, quorũ multi arma nũquã tractârant, verè galeatos lepores dixiſſes. Caſtrametatus eſt ad Alcantaram vno ab vrbe milliari inter Tagũ & fluuiũ, cũ altiſſimis ripis, quẽ ponte cum Tago cõiunxerat. Hic exercitus aliquot dies conſederunt, actumq; eſt denuò de pace: ſed diſſuaſerũt eã Antonio quidã eius cõſultores, qui maiorẽ è bello, quàm ex pace quæſtũ venabantur. Interea Albanus Saniulianũ & Cauezzaſeccam loca vicina & bene munita ſuæ fecit poteſtatis, nec iam reſtabat Antonio quicquam, præter ſpem ſe cum exercitu in munitione dicta continendi: qua ſalua, nihil Vlyſsiponenſibus metuendũ erat periculi. Albanus non ignorans nullum in exercitu hoſtili robur eſſe, cùm empti milites, non lecti, & purgamẽta vrbiũ ſuarũ eſſent, animaduertensq; nullã pacis ſpem ſupereſſe, omnẽ mouit lapidẽ, vt hoſtẽ è munitione eliceret, & cũ eo confligeret. Viceſimo itaque quinto Auguſti cùm nocte mandâſſet Frãciſco de Alba tribuno armamẽtarij tormenta in ipſam munitionẽ erigere, acies ſuas diſpoſuit, ſibi reſeruãs prælium cum Hiſpanis & Germanis circiter ſexies mille. Dextrũ cornu dedit Proſpero Columna cum reliquis Italis & aliquot Hiſpanorum centurijs. Siniſtrum cornu cõmendauit ſuo filio, in eoq; omnẽ equitatũ collocauit. Hîc diu tormẽtis eminus res acta eſt, ſed cũ exiguo damno vtriuſq; partis. Colũna deinde in pontem impetũ fecit, & cũ aliquamdiu pugnatũ eſſet, Sancius Dauila iuſſus ſupra munitionem, vbi fluuius minus erat altus, duo millia ſclopetariorũ traducere, à latere irruit. Aduolat & Marchio S. Crucis cũ ſexaginta duabus triremibus, & viginti quinque alijs nauigijs, quæ aduerſo flumine Tago remis impulerant hic ſiniſtrũ latus incipiẽs carpere, Luſitani caſtra turpiter deſeruerunt, hoſtibus vi-

D. Antonius cæditur.

1580 ctoriam relinquentes: qua in pugna mille Lusitani, ducenti circiter Castiliani desiderati sunt Albanus fugientes insequi iussit, vsq; ad portas Vlyssiponensium. Antonius, qui in capite vulneratus erat, cũ Comite Vimioso, Emanuele Portugallo, & paucis alijs nobilibus per meditulliũ ciuitatis citatis equis vectus in tutum euasit, idq; incuria victorũ, qui prædæ intenti ab hostium persecutione destiterunt. Ferdinandus de Toledo certis interim conditionibus Vlyssiponã in Regis Hispaniarum fidem suscepit. Seuerissimo mandato præceperat Rex, ne vrbs diriperetur, aut cuipiã iniuria inferretur: at in tanto tumultu neq; Albani Ducis, neque aliorum Principum imperiũ militum auaritiam continere potuerunt, quò minus vrbs miserè direpta est. Quod cùm Regi nuntiatum esset, grauiter indoluit, indignissimeq; tulit, populum, cui in omnibus parcitum volebat, tam malè acceptum. Accessit huic malo aliud grauius: si enim sese à præda abstinuissent, & inimicos persecuti fuissent, facili negotio Antoniũ capere potuissent: quo vno capto tot bellorum incommodorumque, quæ postea secuta sunt, causas sustulissent. Vicesimo secundo Septembris Albanus misit Dauilam cum quatuor Hispanorũ & Italorũ millibus, cumq; equitibus quadringentis; Iacobũ quoq; Cordonam cum alijs mille quingentis peditibus Conimbricã, in cuius territorio Prior Don Antonius quinq; millia armatorum adhuc sub signis habens, quorũ maior pars erant agricolę, & milites nullius experientiæ, agros populabatur, tecta vrebat, pecora abigebat, & populũ incredibili tyrãnide premebat. Aduenięti Dauilæ Conimbrica se statim dedidit, cuius exemplũ mox secutus est Mons maior & Auera, quarũ vrbiũ Senatores mox in verba Regis Philippi iurârũt. Antonius nõ expectato hostis aduentu, in oppidũ Portum quindecim milliaribus à mari in dextra ripa fluminis Dueri sitũ se recepit. Insecutus est eũ Dauila, sed quia altissimus rapidissimusq; fluuius erat traiciẽdus, nec scaphas aut naues haberet; insuper inaudisset Martinũ Lopeziũ, Antoniũ Susam, & Odoardũ Lemosiũ cũ ingenti armatorũ multitudine Antonio suppetias venire, substitit in via, ignarus quid esset acturus. Videbat enim ab altera parte hostes armatos, se autẽ nauibus ad suos (præsertim aũt equitatum, sine quo se nihil efficere posse intelligebat) trãsportandos carere. Sed inuidit omnẽ victoriã fortuna Lusitanis:

Vlyßiponam capiunt Hispani.

Conimbrica & aliæ ciuitates Lusitaniæ Philippo se dedũt.

nis: Dauila namq; inuētis tandē aliquot nauibus suos 1580
in loco, cui Auintes nomē, traduxit, diuisoq; in tres copias exercitu, duas Ludoico Zapadæ commisit, cū tertia ipse hostē inuadit. Initio Lusitani aliquādiu vim hostium sustinuerūt: sed cùm à latere maioribus machinis impeterētur, in turpē se fugā cōiecerunt. Antonius videns infelices belli progressus, cōstituit in Franciam, vnde & literis & nuntijs sæpe auxiliū flagitârat, idque non absq; exigua spe, nauigare. Cōgregatis igitur Porti Proceribus nobilibus & Optimatibus, qui eius factionē sequebantur, humanissimis verbis, & copiosis lachrymis ijs valedixit, promittēs se breui cū magnis copijs reuersurū, & Regnū è manibus Castilianorū vindicaturū. Clā deinde vrbe egressus, Vianā maritimā vrbem vnà cū Comite Vimioso & Episcopo Guardensi per summa pericula delatus est. Toto deinde anno varijs Lusitaniæ locis delituit, nec quisquā Lusitanorum eū prodidit, licet octoginta milliū ducatorum præmiū ei promitteretur, qui Antoniū detegeret, cōtra capitis periculum huic proponeretur, qui eum occultaret. Nec ignorabāt ministri Regij eū in Regno esse, imò eius aliquando vestigia inuenerūt, ipsum aūt cōprehendere non potuerunt. Mirandū ante omnia Antonium aliquoties ignoto habitu Vlyssiponā venisse, vbi Rex ipse erat, vt præparatis ab amicis nauibus Regno elaberetur, agnitum tamen nunquam fuisse. Dum hæc fiunt, Philippus in grauissimum morbum incidit. Quod infortunium omnium Hispanorum, præcipuè autem Albani animum consternauit: verebatur enim, si Rex tam lubrico rerum statu, Regno nondum stabilito, Principe adhuc puero, moreretur, magnam rerum oriri posse mutationē. Quare cōfestim oēs Regni Proceres & Optimates in ædes suas cōuocauit, & vt in verba Philippi Regis iurarēt, ab eis exegit, quod & illi debitis cū ceremonijs, Rege tamen absente, præstiterunt. Sed paulo post Rex diuina dispositione conualuit, factusq; est ingens apparatus ad tantā Maiestatē recipiendā. Medio tandē mēse Decēbri Eluā venit, quæ ciuitas in finibus Regni est: ibi cum magno omnium Procerum applausu, salutatus est à Ioanne Duce Breganziæ, Duce Villę regalis, Marchione de Ferriera, Comitibus Portallegri & Odomiræ. Præ cæteris autē officiosissimè exceptus est ab Antonio de Castro Comite de Monte sancto. & tandē à totius Regni nobilitate. Rex vt populum sibi beneuo-

D. Antonius per annum in varijs Lusitaniæ locis latitat.

Philippus Rex in morbum cadit.

In Lusitaniam veniens, à Regni proceribus honorificè excipitur.

1589 beneuolum redderet, confestim tributa quædam ipsis remisit, Ducemque Bregãziæ magnũ Regni Connestabilem creauit, aureo vellere donauit, & multis alijs beneficijs ornauit. Tandem ad mensem Aprilim anni sequentis in Tomaro vulgo Nabantia Comitia Regni indixit, in quibus solenniter coronaretur, & sacramẽtum fidelitatis filio Principi diceretur. Vtriusque Indiæ populi, accepto de Lusitania subiugata nuntio, certatim legationes pretiosissimaq; honoraria Vlyssiponam Regi gratulantes, eique obedientiam deferentes, miserunt. Solus Cyprianus Figuereido, Insularum, quas Azores vocant, præfectus, Regis imperium suscipere noluit, sed insulas in fidem Antonij iurare coëgit.

Status & successus Christianæ fidei in China.

Felices isti rerum successus aulã Hispanicã mirificè recreârũt: cui gaudio accesserũt, quæ ex Insulis Philippinis per eosdẽ dies noua adferebantur. Qui enim in insulis istis erant Christiani, Regi spem fecerunt, plurium regionum acquirendarum. Ideoque multis precibus Regẽ orârunt, & tandẽ obtinuerũt, vt Legati nõnulli ad RegẽChinę mitterẽtur, cuius Regnũ amplum, opulentum, optimis hominũ moribus & ingenijs cultum est. Flagitabant insuper vt Sua Maiestas mitteret alicuius Ordinis Religiosos, qui ibidẽ verbum Dei annuntiarent. Patres enim aliquot Ordinis D. Augustini, qui in eam regionem fortuna quadam erant delati, scribebant maximum fructum in populo tam ciuili & humano fieri posse. Missi itaque sunt legati & cum legatis quadraginta Patres eiusdem Ordinis Augustini, quos paulo post triginta sex è sodalitate discalceatorum D. Iosephi secuti sunt. At propter varias difficultates ex insulis Philippinis tantũm septem cũ Patre Martino Egnatio (qui postea libris editis mirabilia Chinę nobis communicauit) in Chinam traiecerunt. Sed in Belgium reuertamur.

Regij Boucheinium tentantes ex insidijs interfecti.

Boucheinium Artesię oppidulũ adhuc à fœderatorũ factione stabat. Prærat huic oppidulo Villersius. Regijs molestũ erat hostẽ in ipsis habere Artesiæ visceribus, oppidulo insidias struxêre, inuitati ad hoc cuiusdã Vicarij persuasione. Collectis itaq; aliquot copijs, oppidũ ex improuiso adoriri & capere constituerant. Sed qui in eo erãt cõsilij hostis certiores facti, tot intromiserunt, quot in sua esse potestate existimârũt: quos impetu in eos facto oẽs trucidârunt. Equitatus Regius videns

dens moram, quam sui in oppido trahebant, ignorans 1580
quid actū esset, suos oppido potitos crediderūt, & reliquū peditatū iam tergiuersantē sub ipsa mœnia cōpulerūt: vbi multi cæsi, multi capti, reliqui fugati sunt. Inter captiuos fuere Ioannes Noyrcarmius Dominus de Selles, cū alijs septēdecim præfectis, & quibusdā ciuibus Duacensibus. Villersius, vt de captiuis securus esset, eos Cameracū primò, deinde D de Selles vnà cū Egmōdano Seburgū in Zelandiā misit, vbi de Selles quarto post anno miserè mortuus est, & Egmōdanus in maniā incidit, vnde post in liberiorē Hollādiæ captiuitatē missus, curatus est. Regij hac clade accepta, vt maculā eluerent, & suorū sanguinē vindicarē, mēse Augusto Boucheiniū obsederūt, & totis viribus oppugnârūt, donec oppidani in extremas redacti angustias oppidū certis cōditionibus dediderint. At hîc Villersius maximū perfidiæ scelus cōmisit. Antequā enim oppido exiret, fundamēta oppidi varijs locis effodit, fossas puluere sulphureo repleuit, ignis fomēta apposuit, quæ digresso Villersio ad puluerem vsque peruenientia, oppidum multis locis deformârūt. Quod cū Regij, nullo accepto dāno animaduertisset, Villarsiū insecuti sunt; at ipse equi celeritate in tutum euasit.

Ioannes Noyrcarmius Dominus de Selles captus.

Boucheniū Parmensi deditum.

Villersij perfidia.

Hoc anno Franciscus Draco, cùm totum orbē prædabundus circumnauigasset, (ex Anglia enim Canarias insulas petens, inde Brasiliam perlustrans, superatoque Magellanico freto, Peru regnum inuiserat, ad Moluccas insulas prouectus, immani ausu rectà Bonæ Spei promontorium petierat) tādem Africæ littora prætericns, in Angliam redit.

Deformato, vt diximus, grauissimo incendio Steenvvicensi oppido, ciuibusque lamentantibus, Renneburgius iterum fecialem mittit, qui veniam illis & gratiam Regis offerret, si se dederent. Platius in mœnibus stabat, cùm ille mandatum suum proclamaret: qui respondit, sibi, suisque nihil esse cum Comite negotij, ageret ille quæ vellet, se sibi non defuturos. Indignè ferebant hoc responsum ciues, non tam præcipitanter, multo minus tam superbè respondendum aiebant. Sed cùm Confœderati subsidium non mitterent, magis magisque animi debilitati sunt, non ciuium tantùm, sed & Platij ac militum multorum. Solus Korenputtius, quòd sibi à Renneburgio metueret, obstinato animo restitit, & nequaquam cum hoste paci-

Renneburgius Steenvvichū sibi dedi postulat.

1580 paciſcendum clamauit. Per triduum ita in oppido tumultuatum eſt, ſententijs inter ſeſe diuiſis. tandem pars maior vicit meliorem, & cum hoſte ad colloquium non conueniendum decretum. ciues reclamabant, quos ſtentorea voce ſua terruit Korenputtius. cumque ſilentium impoſuiſſet omnibus, lanio quidam lugubri voce, Et quid, inquit, omnibus conſumptis tandem erit? reſpondens truculentus homo: Tunc & te, & tuos, inquit, vorabimus. Perculſus lanio, flensque diſceſſit.

Bellū Moſcouiticū. Poloniæ Rex Stephanus, dum in reſtaurando Vielicoluco occupatur, quoſdam lignatum materiatumque è ſuis emiſit. Sed Moſcouitæ, collectis clam aliquot armatorum millibus, ad arcem Toropeciam conſederunt, in eosque, qui emiſſi erant, delati, quinquaginta circiter comprehenderunt. Ea fama cùm ad Regem perlata eſt, Georgium Barbilium tribunum equitum Pannonum, cum exigua peditum equitumque manu, ad Moſcos illos debellandos miſit. Sed cùm paulo poſt nuntiatum eſſet, hoſtium caſtra nouis copijs eſſe adaucta, Gianutium Duredam cum 1500. equitibus ablegatum, ſeſe cum Barbilio Rex iungere mandauit. Albertus Chiarinx, coniunctis iam Polonorum viribus, emittitur, vt hoſtium conſilia exploraret: qui cùm ex improuiſo in hoſtium aliquot equites incidiſſet, pugnam offert. ſed illi ad inſidias prope pontem collocatas ſeſe recipientes, perſequentibus fortiter reſtiterunt. Albertus numero Moſcis, Scythisque, qui ſubſidio miſſi erant, ſe inferiorem cernens, miſit ad ſuos, qui plures copias aduocarent: cumque nonnulli acceſſiſſent, ſublato clamore hoſtem adoriuntur. illi totum exercitum Regis ſubſecuturum exiſtimantes, relicto

Toropeciam capit Polonus. ponte, Toropeciam ad caſtra reuertuntur. Sed Poloni eos inſequentes, cùm ad oppidum Toropeciam veniſſent, aliquandiu cum hoſte velitando dimicârunt, qui tandem cùm Polonorum vim diutius ſuſtinere non poſſent, in oppidum fugiunt, atque illud incendentes, in arcem ſeſe recipiunt. Oppugnantibus verò Polonis arcem, trepidantes Moſci, in fuga ſalutem conſtituerunt: ſed Poloni eos inſequentes, cædunt, capiuntque plurimos; & niſi noctis beneficio hoſtium manus euaſiſſent, omnes aut viui, aut mortui in illorum poteſtatem veniſſent.

Barne-

Barnemizzam verò & Polociæ Palatinum, ad expugnandam Neuelam à Rege missos, diximus antea. Est autē Neuela arx munitissima, profundissimis paludibus vndique cincta, præterquam à Meridie, qua commodior est ad arcē accessus. Hic propugnaculis extructis Barnemizza castra sua posuit. Sed Mosci in arce sese continentes, tormentorum frequentissimis ictibus, atque repentinis eruptionibus, multum damni Polonis inferebant, seseque & arcem fortiter defendebant. Sunt enim Moscouitæ in tuendis munitionibus alacres, atque pertinaces, tum ob naturæ ferociam, tum etiam ob metum Principis. Is enim eos, qui præter extremam necessitatem deditiones faciunt, absque vlla misericordia, nulla ætatis, nulla sexûs habita ratione, in tertiam vsque generationem mandat iugulare. Acie verò cum Polonis decertare nec audent, nec possunt, cùm duo Polonorum millia sæpe Moscorum octo fuderint, ac profligauerint. Poloni itaque prætenturas & fossas ad arcis muros ducere constituerunt: sed eæ pilarum tempestate à Moscis facilè disturbatæ sunt, atque impeditæ. Adhibitis itaque cuniculatoribus, terrā ad labrum fossæ, quæ arcem cingit, excauârunt, inuentamque contignationem trāsuersis lignis validè confibulatam, securibus perforârunt, tanta dexteritate, tantoque silentio, vt obsessi nihil horum resciuerint, prius quàm cuniculis erumpentes Poloni, & ad arcis propugnacula procurrentes, ignem in ea coniecerunt. qui viribus conceptis, maximum continuò incendiū excitauit. Nouitate rei perterriti qui in arce erant, etiam inuitis præfectis, arcem dedere, atque incendium restinguere promittebāt. Acceptis conditionibus Mosci, relicta omni supellectile, atque in primis militari, incolumes dimissi sunt, ipsaque arx integra adhuc, cum tribus præfectis in potestatem Polonorum venit. 1580 *Neuela expugnatur.*

Rex huius victoriæ certior factus, Vielicoluco magnis itineribus Neuelam proficiscitur, arcemque recognoscit: collapsa restaurat, vbi opus erat, propugnaculis communit: nouasque copias ad Zauolociam, sub imperium Polonorum reducendam, mittit. Oratores Ducis Moscouiæ Regem secuti, quotidie nuntios cum literis à Principe suo expectabant. qui cùm venissent, magnas literarum sarcinas attulerūt, nihil aut parum ad honestam pacem constituendam facientes: cùm Dux multis retrò seculis genealogiam suam à quodam

1580 Iure deducens, Liuoniam, de qua erat quæstio, suam esse ostendere conaretur. Interim promittit Liuoniæ titulum Polono quoque communem fore, & quatuor munitiones in ea Regi offerés, cætera se Legatis mandâsse scribebat. Legati postridie ad colloquiũ admitti postulantes, auditi sunt: & præter quatuor munitiones, sex alias adijciunt, quæ deinceps Polonici iuris essent: Moscouitici verò cæteræ. Respuerunt conditiones istas Poloni, & honestum bellum inhonestæ paci anteferendũ censuerũt. Dum Rex in Lituaniam, atque inde in Poloniam reditum parat, nuntiatum est, Oserisciam à suis captam: & cùm prope Driznam venisset, Zauolociam expugnatam esse, per nuntios & literas intellexit. Relicto itaque omnibus in locis, virtute bellica sibi subactis, sufficienti præsidio, Vilnam proficiscitur. quo in itinere Palloram in fidem suam recepit. Sed quia centum penè milliaria, per densissimas syluas steriliaque loca, vbi nulla pabuli potuit haberi copia, eundum erat, plùs quàm 20. equorum millia fame perijsse nonnulli scribunt, Rex tamen cum suis incolumis Vilnam peruenit: vbi confestim solennes instituit supplicationes, iubetque subditos omnes totius regni, Deo Opt. Maximo, pro tantis victorijs, reddere gratiarum actiones.

Oseriscia & Zauolocia capta.

In Hispanijs die 27. mensis Octobris, Philippo Lusitanico Regno iam inaugurato, charissima illius coniunx Anna Austriaca, Cæsaris soror, fœmina longiori æuo dignissima, ex hac vita placidè migrauit: quo tempore & Cometa cincinnis primò exiguis, post cauda longissima fulsit. Apud Belgas, mense Nouemb. Casparus Scetz, Dominus in Grobbendonck, & Calend. Decemb. Iohannes Moronus, Cardinalium collegij Decanus, Romæ Austriacam insecuti moriuntur.

Annæ Austriacæ mors.

Guilielmus Hornius, Dominus de Heez, gubernator antea Bruxellensis, læsæ maiestatis atque proditionis accusatus, & conuictus, capite Querceti (vulgo Quesnoy) Hannoniæ oppido truncatur. Erat Hesius hic D. Gaesbeci filius, cognomento Hornanus, Comitis VVtkerkii frater, qui primus omnium captis Bruxellæ Proceribus secundi belli Belgici classicum dederat, homo ambitiosus, & ad maiora, quàm eius conditio ferebat, aspirans. Cùm apud Ordines eas, quas venabatur, dignitates consequi non posset, ab ijs ad Regios defecit, à quibus cùm non eo, quo volebat, loco

Guilielmus Hornius, Dominus Hesius, capite plectitur.

co

1580

eo haberetur, iterum ad Ordines redire cogitabat. Pactum igitur cum Alenconio & Ordinibus inijt, vt certa quædam loca, quæ Regij tenebant, ipsis traderet. Habebat in hoc opere complicem Iuniorē quendā VVarauxium D. Tian, gubernatorem Cassellensem. Sed detecto ipsorum consilio, VVarauxius fugit: Hesius ab ipso Marchione Rijsbroechio captus, & à Parmensi damnatus, octauo Nouemb. capite plectitur. In huius coniurationis suspicionem cùm Dominus Auxius quoque traheretur, ipse in arcem suam Lijkerkianam profugit, vbi & ab Ordinibus captus, & post precibus Templij liberatus, relicto Belgio in Galliam se recepit. Paulo post Galli ab Alenconio missi, vt Cameracense præsidium augerent, vrbemque & commeatu iuuarent, & ab obsidione liberarent, cæduntur, fuganturque. Similis fortuna fuit, post non multos dies, Gandauensium, qui prope Quaet Atrecht trucidati sunt. Quibus infortunijs hoc commodi Belgis accessit, quòd oppidum Conde mox astu occupauerint, quod tamen superuenientibus regijs, postridie multo maiori damno accepto, deserere compulsi sunt.

Mustapham Bassam ob res in Persia malè administratas reuocatum à Murate, & Sinanem eius loco suffectum dictum est antea. Is XXV. die Aprilis ab vrbe discessurus, cùm Muratis manus osculatus esset, quod valedicentes facere solent, acinace magni pretij ab eo cingitur, & vexillum Prætorium cum equo accepit. Cùm autem amplissima cum potestate in Persiam proficisceretur, in itinere misit illi Murates imperiale sigillum, cui annexa esse solet dignitas Veziris azemis, hoc est, primi Portæ Consiliarij, quæ summa dignitas est, quam Sultanus suis potest conferre. Vezires enim Consiliarij sunt, qui olim tres tantùm aut quatuor in Imperio esse consueuerunt: nunc verò numerus eorum ad nouenarium auctus est. Horum omniū primus, qui & solus cum summa auctoritate res tanti Imperij gubernat, eorum lingua Vesirazemus, id est, Primus Vesierius dicitur, cuius tanta est potestas, vt non tantùm minora officia conferat, sed & sine licentia Sultani Bassas creet, atque in Diuano (locus est publicæ audientiæ) solus ipse, cæteris Veziris tacentibus, loquatur. Sinan itaque ad confinia regni Persici cum exercitu delatus, habitoq; circa Arsrom delectu, cùm plurimos in eam expeditionem conscriptos, iam fuga

Sinanis Bassæ expeditio in Persas.

elapsos

1580 elapsos desideraret, per literas de ijs apud Murathem conquestus, versus Georgianorum ditionem progreditur, quibus ex aduerso instructa acie occurrētibus, acerrima pugna commissa est, & summa contentione pugnata, ex qua insignem cladem Turcæ acceperunt. Persæ interim conquisitione facta copias vndique contraxerāt, quas iam accessu filij Regis quadraginta millibus equitum auctas in Turcas educebant, ne res diutius otiosè protraheretur, facultatem prælij Sinani offerentes, si fortunam belli vno cōflictu tentare velit. Sinan verò, cùm per exploratores cognouisset, hostiū exercitum tot equitum millibus auctum, seque viribus multo inferiorem, non modò pugnam detrectauit, sed etiam sibi tutum non esse in eodem loco diutius consistere ratus, ad Argironem (munitissimum oppidum inter fines Turcomaniæ & Maioris Armeniæ nō procul ab Euphrate flumine situm) se conferre statuit. Persæ postremum agmen discedentium hostium carpentes, multos Turcas trucidant. Sinan cùm Argironem se recepisset, suasque copias virtute Persarum non mediocriter quotidie labefactari animaduerteret, per literas omnes prouinciarum præfectos exercitui supplementa scribere iussit, vt quanto plures possent milites in castra mitterent: quò autē laxior annona (summa enim rei frumentariæ inopia laborabant) in castra rediret, filio Mahometi cum tredecim millibus equitū in agrum Persarum incurrere, atque commeatum (si posset) in castra subuehere præcipit. Ille repentino aduentu populabundus obuia quæque prædatur, multum frumenti colligit, multaque omnis generis animalia capit. Ad eius populationis incursionisque rumorem Persæ excitati, redeuntem in castra, præda impeditum, nihilque hostile timentem repēte inuadūt, Turcisque omnibus trucidatis prædā & captiuos recuperant. Mahometi filius Turcicarum copiarum dux acceptis quatuor vulneribus vix elapsus, bonitate equi se fuga in tutum recepit. Arctissima itaque annona Turcæ in castris conflictati, Sinan frequentes militum querelas exaudiens plurimum discruciabatur, cùm nullum posset adhibere remedium. Interim fama percrebrescente Persarum Regis filium cum viginti millibus equitum agrum Turcicum præda populationibusque deuastare, mittit Sinan Bassa triginta millia equitum, qui horū incursiones refrænarent. Persæ relictis sarcinis & impedi-

Turcæ à Persis cæduntur.

pedimentis fugam simulant, in quæ cùm Turcæ inex- 1580
hausta auiditate inflammati incidissent, essentque in-
tenti direptionibus, denuò reuersi tāto impetu pertur-
batos ordines inuadunt, vt ad viginti millia Turcarū
trucidârint. Sinan, tot cladibus acceptis pertæsus tandē
huius belli, domum redire desiderabat, ac literis Mu-
rathi pacem quibus poterat modis persuadere conaba-
tur: è castris autem plurimi cogente inedia quotidie
discedebant.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Hactenus, candide Lector, ex autographo manuscripto Auctoris. Promiserat quidem Auctor, se hanc Historiam ad mortē vsque Philippi II. Hispaniarum Regis continuaturum: sed (heu vitæ legem!) immatura morte præuentus vel absoluere non potuit; vel si plura scripsit, ad manus nostras non peruenerunt. Quæ sequuntur ex Supplemento Surij (quoniam eiusdem Auctoris sunt) ad verbum desumpsimus.

Steenvvicēses quotidianas ferè eruptiones faciebāt, nunc lixas, nunc calones, nunc meretrices capiunt, nūc hostium quempiam occidunt, nunc vicissim occidun tur: ita vt frequentissimis istis eruptionibus nihil pe culiare sit actum. Causa cur toties erūperent erat præcipua, vt quid ageretur in castris, quid Cōfœderati pro suis periclitari velint, ex hostibus cognoscerent. Tandem cùm varios nuntios, variasque literas de subsidio venturo accepissent, Noritz 15. Decemb. in cataracta nigra venit, eaque à Renneburgio relicta vel neglecta (Stuperus enim post conflictū Capi S. Ioānis ea deseruerat) occupauit. Didicit per exploratores, Ottonem van der Sande/ cum nuper collecta centuria in Giethoren, pago inter Aquas nigras, & castra Renneburgij statiōes habere. Missis eò lectissimis aliquot peditibus, eos ex improuiso obruit, cædit, fugatq́; Ottone capto, filio interfecto, & pago exusto. Regij flammam conspicientes, instructa acie, quàm celerrimè sese eò recipiunt: sed hostis, antequam venirent, è pago discesserat.

Successus belli in Transisulania.

Noritz

1580 Noritz cum 23 cohortibus, Meppelium venit, tribus tantùm vexillis in cataractis præsidio relictis. Quod cùm Renneburgius intellexiſſet, confeſtim peditū cohortes vndecim, & ſex turmas equitum, ad cataracta miſit, vt ea recuperarent. qui quidem & per glaciem, & per aggeres fortiter imprimentes, acriter dimicârūt. qui in propugnaculo erant, non minus dextrè ſeſe defendunt, donec Noritz Meppelio cum maioribus copijs reuerſus, regios pedem referre coëgit. multi vtrinq; deſiderati ſunt, ſed cùm regij cum impetu cederent, glacies ſubſedit, multique ſubmerſi periêrunt. Didicit tuc ſuo malo Renneburgius, quàm imprudēter fecerit, id gratis relinquendo, quod poſtea tam multo ſanguine non potuerit iterum promereari. Noritz interea 40. pedites in oppidum mitit, qui ſinguli ſingulos ſaccos coriaceos, puluere tormentario refertos, importârunt. Paulo poſt miſit alios aliquot lectiſſimos manipulos, qui à tergo per ambages vicum quendam Onna dictū, in quo haſtati aliquot equites ſtationem habebant, incenderunt. Equites territi, putârunt totum exercitum adeſſe, initio fugiunt: ſed è fuga collecti hoſtem inſequuntur, accurrunt, & ſclopetarij nonnulli ex caſtris, fit leuis velitatio. Qui in oppido erant, audientes ſtrepitum ſclopetorum, ſubſidium adeſſe rati, erumpunt, & proximam prætenturam capiunt: ſed ab equitibus mox reiecti in tutum ſe recipiunt. hic eminus aliquādiu pugnatum. Platius cadit, & multi ex oppidanis interfecti, plurimi (non ſine regiorum damno) vulnerati ſunt. Vltimo tandem huius anni, Noritz cum ſuis caſtra regiorum oppugnat à tergo, & oppidani erumpentes à fronte. diu pugnatum eſt, non ſine vtriuſque partis detrimento: regij tamen & caſtra ſua defenderunt, & hoſtes repulerunt.

Hattemū occupatur. Eodem ferè tempore Montfortius Hattemenſis, Geldriæ oppidi Satrapa, contractu cum regijs inito, noctu milites aliquot à Schenkio miſſos in arcem recipit: manè eruptione in oppidulum facta, portam occupat, & Hegemannum, apud Ordines militiæ præfectum, cum præfecto Haen, & duobus nobilibus, in diuerſorio compræhenſum, in arcem abduxit. Cæterùm cùm militum numerus minor eſſet, quàm qui ex pacto promiſſus erat, ciues portas recuperârunt, militesque, vnà cum Satrapa, in arce obſederunt, ex omnibus vndiq; locis auxilia conuocantes, attractis ad caſtrum tormentis

mentis grauioribus maximo conatu muros per aliquot 1580
dies verberârunt. Qui in arce erant, fortiter sese defendebant: sed quia sperata subsidia, nec à Renneburgio, qui tūc in obsidione Steenvvichia erat, nec à Schenkio mitterentur, vanis Hegemanni captiui pollicitationibus corrupti, milites turpiter arcem 18 Decemb. dediderunt, Satrapamq; turpius prodiderūt: qui cum patre, matre, & sororibus captus, Arnemiū missus, & incredibili modo tortus, tandem cum patre octogenario, in publico foro, frustra Parmensi, Domino Anholtio, & Schenkio, ne interficeretur, scribētibus, condemnatur, atque inter orandum (Psalmum enim 50. magna cum attentione recitabat) capite plexus, in quatuor partes dissecatur, & de turribus ac portis suspenditur, in cuius sanguinis vindictam nonnulli ciues postea sunt à regijs iugulati. Arx vero Hattemensis, Michaëlis à Pomeren fortissimi Geldriæ Ducis Caroli archistrategi, auunculi mei quondam sedes, funditus est euersa.

Circa finem anni, instantibus iam Christi Natalitijs (ferè enim semper spiritus ille Caluinianus maioribus festiuitatibus aliquid moliri solet, quo pij interturbentur) in Diœcesi Vltraiectensi Caluiniani erectis signis in pagos irruerūt, effractisque templorū foribus, in Soest, Baren, Luesden, Isselt, auorum meorum dominio, quidquid Ecclesiasticæ supellectilis reliquum erat, diripuerunt, fregerunt, dilacerârunt: campanas è turribus deiectas abstulerunt, & in tormenta bellica Flandrorum exemplo conflârunt: quin & eò petulantiæ atque impietatis processêre, vt in Baptisteriū, quo à manibus Dæmonis vindicati, Christo renati sumus (horreo dicere) veri Copronymi, ventris onus deposuerint. Rustici Luesdenses cùm de hoc sacrilegio admoniti essent, vndique armati coiêrunt, aduenientesque Caluinianos fugârūt. qui paulo post maioribus cum viribus redeūtes, inspectantibus, frendentibusq; colonorū copijs, antiquissimum templum misere spoliârunt. Quin & paulo post rustici aliquot, eò quòd primum hoc sacrilegium impediuissent, mandato Vltraiectensiū capti, & grauiter mulctati sunt. vnde inter rusticos atq; ciues graue odium exarsit.

Tumultus in diœcesi Vltraiectina.

Hoc etiam mense in Anglia, edicto publico, facta est vnicuique potestas, vnumquemque vel detegendi vel accusandi, ex minima quaque circumstantia, quæ suspicionem Catholicæ Religionis inducat. Multi huius

Lex in Catholicos Angliæ lata.

1581 huius edicti iniuria sunt comprehensi, plurimi varijs molestijs & calamitatibus exagitati.

Mors Episcopi Leodiensis. Ad finem mensis Decemb. obijt Gerardus à Groesbeck, Episcopus Leodiensis, & Cardinalis, postquam huic Eburonum Ecclesiæ 16. annos, maxima cum laude, præfuisset. Princeps prudētissimus, & magnus Catholicæ religionis assertor. in cuius locum Ernestus, Alberti Boiorum Ducis filius suffectus est.

Imperatoris ad Aquisgranenses literæ. ANNI M. D. LXXXI. tertio die Ianuarij, Rudolphus Imperator de Aquisgranensiũ controuersia solicitus, ad eorũ literas perbenignè respondit: Se cum maxima animi voluptate eorum literas & accepisse, & legisse ait, præsertim cùm sese in veteri religione, auitaque politia permansuros, nec aliquam nouitatem introduci permissuros, polliceantur. Petit, vt in ea sententia permaneant. Interim legationem se Aquisgranensium expectare, vt quæ ad defensionem suam sint allaturi, latius quàm ex literis intelligat. Nec ijs literis contentus Imperator, cùm interim tam Legatorum Imperialium, quàm aliorum vndequaque grauium virorum literis, ad Suam Maiest. querelæ adferrentur, iterum die vndecimo mensis eiusdem ad Aquisgranenses scribit: Se diuersis literis tam Legatorum suorum, quàm aliorum hominum intellexisse, quid hactenus in controuersia ipsorum actum esset: quodque causæ innocentia non ea sit, quam illi prætendant, præsertim cùm sua Maiest. intelligat, Magistratum, contra fidem, atque iuramētum præstitum, in venis & visceribus Reipub. homines extorres, seditiosos, & hæreticos alere: schismaticas conciones in vrbe fieri: eas à Magistratu non impediri: sed & bonam illius, ciuiumque partem, nouellis, quæ in istis traduntur, opinionibus assentire. Hæc omnia, & laudabilium priuilegiorum suorum vmbra, & Religioni datæ pacis detorta interpretatione tegere, & propugnare non erubescere. Mādare itaq; se illis, vt promissam legationem mittant, reipsa, quam verbis & scriptis pollicentur, obedientiam præstent: Nouitios istos concionatores, eorumque dogmata simul, cum omni introducta nouitate explodant.

Auraicus princeps Guilielmus, plura vafris, quibus plenus erat, artibus, quàm vi gerens, auspicijs consilijsque Aldegondi, Tyronij, Vilerij, aliorumq; in schola

Caluiniana edoctorũ hominum, res suas magis quàm bello promouens, vt conciliandis per amicitiam Principum nouis gentibus commodius, quàm armis imperium Belgarum augeret, anno proximo literas Alenconio miserat: quibus eum ad capessendum Belgium, ad uentumque accelerandum adhortabatur deplorans initio inconstantiam Belgarũ, quos nouo rumore de occupata Portugallia à Philippo Hisp. Rege plurimum consternatos, atque à se alienatos, conqueritur: qui sibi iam persuadeant, hanc opportunitatem nactos Hispanos, cum classe in Belgium redituros. Multum se laborâsse dicit, vt famam hanc supprimeret, nihil tamen efficere potuisse. hac de causa ad Suam Serenitatem scribere debuisse, ea quæ nec Sanctaldegondo, nec cuipiam alij concrediderit.

1581

Auraici literæ ad Alenconium lectu dignissimæ.

Fateri se quidẽ ait, non leue malum ex ista victoria dependere: nec dubitare, quin Hispani pro sua industria mercaturam Hollandis & Zelandis negabũt, quod nũc ipsis factu esset facilimum. quod si fiat, metuendũ, ne maritimi iactura lucri, de rerum mutatione cogitent, immò nec dubitandum. Hortatur itaque Alẽconium, vt quàm citissimè ad media inter ipsos diu cõcepta recurrat; vt ista mutatio præpediatur. Quia verò ipse melius in hac erat schola edoctus, viam demonstrat meliorem: nimirum, vt trepidanti iam populo Alenconius iterum opem suam deferat, se procuraturum clam, vt ea petatur, futurum in tali metu, vt quæ petat Alenconius facile obtineat, Flandriamque sibi non difficulter subijciat, dum populus vltrò ipsius protectionem imploret: ipse sub titulo protectionis, se Comitẽ constituat, imperiumque stabiliat. quod vbi factum fuerit, Belgæ, inquit, in eum incident labyrinthum, vnde se postea non poterunt explicare. Metum commodissimam nunc esse oportunitatem, quam si eripi sibi patiatur Alenconius, tum ob populi inconstantiam, tum etiam ob odiũ inter Francos & inferiores Germanos, fieri posse, vt ipsi postea via præcludatur. Magnis itaq; itineribus, summaque celeritate approperandum in Flandriam esse, exercitum si non omnem, saltem partem illius esse præmittendam.

Obiectiones deinceps quorundam adfert: Scio, inquit, nasutulos nõnullos fore, qui, quòd Belgæ Catholicæ religionis exercitium habeant nullum, nouæ verò frequentissimum, criminabuntur, & sustinebunt id

1581 causam aliquando esse posse, cur ab expectatione regnũ posses excludi. Alij, quòd Rex Hispaniarum tam potens est, vt florente Gallia Henricus illum non potuerit debellare, dicent; inferentque hinc, cùm regni Lusitaniæ accessione auctus sit, multo iam minus ei posse obstari. Sed eas dicit nimium scrupulosas esse propositiones: agi enim de prouinciis conquirendis, eaq; in re nullam Religionis habendam esse rationem: vel eam ob causam, quòd fingi semper possint & inueniri media, religionem ad votum subditorum statumque causæ alterandi: omni etiam tempore Absolutionis ianuam Romæ patere. Interim Suam Serenitatem opportunitates inuenturam, multas vrbes atque arces per Flandriam & Brabantiam occupandi, & suis præsidijs, etiam inuitis ciuibus, muniendi. quo facto, incolæ ad eam religionem poterunt, ait, compelli, quæ vestræ Serenitatis conueniet instituto, atque ita corona Francica ipsi non poterit denegari.

Impia vox.

Opus tantùm esse celeritate: materiã iam nunc ita esse præparatam, vt, quod deest, vel ipsi Caluinianorũ Ministri queant perficere. Solos milites obseruandos, eorumque rationem habẽdam: initio internos omnes (qui difficulter veteris Principis obliuiscuntur) dimittendos esse, & exteros introducendos, Gallos præcipuè, tanto numero, quanto ad propositum satis esse existimabitur. Id fore perfacile, sub huius vel illius prætextu, cùm subditi partim ob religionis diuersitatem, partim postquam gustauerint, quàm dulce sit nullis legibus, nullis statutis constringi, in tantam insolentiam atque proteruiam euaserint, vt singulis penè momentis occasionem præbeant, durius eos tractandi. His artibus sese in Hollandia atque Zelandia vsum versipellis ille fatetur. Habere se & alia vafra consilia dicit, quæ se Alenconio communicaturum coram promittit: eò quòd scriptis credere tutum non esset, cùm & Alenconij, & sua ex illis existimatio dependeret.

Nihil causæ esse, cur Alenconius priorem suam conclusionẽ mutare debeat: magnis enim pollicitationibus primùm in imperium Belgij veniendum: quo suscepto, non difficulter ad propositum perueniendũ, vtendo medijs, quibus se ab initio vsum aiebat. ijs enim vulgus facile decipi posse. Omnia in celeritate posita, tum ob alias, tum etiam ob hanc causam, ne Flandri leuiter credentes (si res differatur) tepidiores fierent,

fierent, consiliumque mutarent. id enim aliâs compertum esse. Nec dubitare se, Suam Cels.rem aggressam, se ipsa comperturam, quòd nullis ab ipso rebus, quæ petentur, destituetur. in nullo ipsam frustratū iri, quæ ad exitum rei pertinebunt. Ad eum feliciori negotio *Artes* perueniendum, ob existimationem, quam inter plebe- *Aura-* ios sit habitura. sed & eam disseminandam antea es- *ici.* se, & diuulgandam, amplificandamque. Literas quoq; scribendas, nomine Regis fratris sui, licet adulterinas, quibus populo persuadeatur, Suam Maiest. fratri opem laturam, suoque consilio & cognitione negotium esse susceptum.

Quòd si Alenconius quorundam meticulosorum hominum instinctu procrastinare non desinat, & hostis classem adornet, testatur se in Hollandiam & Zelandiam proficisci debere, ad resistendum: & tunc ciuitates mediterraneas periclitaturas, eò quòd suæ vires sint imbecilliores, quàm quòd tam vastas prouincias posset tueri: & Matthiæ Archiducis ætatem minorem esse, quàm vt suo posset consilio, suaque prudentia tot prouincijs atque vrbibus imperare. Fore itaque, vt nisi aduentum maturet suum Alenconius, Belgium tot laboribus ac sumptibus partum, in manus hostium relabatur. Concludens deinde, orabat Suam Seren. vt ad suas petitiones responsum mittere non dedignetur, idque mari, non terra, ob insidias atque pericula, quibus viæ terrestres circunquaque abundarent.

Comes Renneburgius adhuc in obsidione Steenvvichiana hærebat. Vias omnes occupârat, intētissimasq; in ijs custodias esse iusserat, ne quid in oppidum commeatûs inferri posset. Ordines frequēter commeatum atque subsidia mittebant: sed captis, occisis, & fugatis, qui deducebant, commeatus nunquam non intercipiebatur. Plurimum diligentiæ, laboris, atque impensarum Ordines, vt oppidum hoc ab obsidione liberarēt, insumpsêre: nec minore contentione regij, vt ciues fame atque inedia ad deditionem adigerent, aduigilârunt. Sciebant enim vtrinque, plurimum momenti in istius occupatione, aut defensione positum esse. Multa enim oppida defectionem meditabantur, si Steenvvichianæ res ab Ordinibus defendi non possent.

Interea Snoius pagū Blocziil munit, & præsidium *Noritz* munitioni imponit. Steenvvichiani quotidie ignibus *Steenvvi-* accensis suam socijs necessitatem significabant: sed *chio sub-*

1581 Noritz eos solis literis consolabatur. Quare obsessi Conradum Theodori, hominem ob cædem profugũ, & Olthouij Vicarium, in Ordinum castra mittunt, qui præfectis viam modumque præscriberent, quomodo in oppidum venirent. Conradus per literas significat obsessis, manè summo in armis sint, & eruptione facta, auxiliarijs copijs occurrant. Magnus eà nocte apparatus, strepitusque in oppido: nec minor in castris Ordinum. Renneburgius non ignarus hostem aliquid moliri, suos etiam iubet esse paratos. Tota nocte in armis excubabant vtrinque, donec mane penitus obriguissent. Sed Noritz in Giethoren veniens, ibidem mansit, difficile esse viam ferro sibi facere animaduertens. Ianuarij 12. obsessi, facta per domos inquisitione, commeatum omnem in album retulerunt. Deinde aliquot diebus literis, libellisque famosis mittendis, remittendisque pugnatũ est: & Thomas Epirota, Anglorum præfectum Noritz, ad duellum prouocauit, sed ille Vicarium suum, conditionibus aliquibus intermedijs, misit. Hi cùm aliquoties frustratis ictibus concurrissent, dirempti sunt: datisque dextris, cùm simul compotâssent, ad suos vterque reuersus est. Vigesimo deinceps quarto Ian. Renneburgius Ordinum exercitum iterum in Campo S. Ioannis obsedit. Initio multos capit, inde attractis duabus machinis monasteriũ conuellere cœpit. obsessi sese defendunt: sed cùm ad eam necessitatem venissent, vt equos suos vorarent, missus est Dominus de Nienort, & Adrianus Menningius cum duodecim signis, vt obsessis opem ferrẽt. qui cùm in Bloczijl venissent, intellexêre Renneburgium, relicto monasterio, in castra sua rediisse, & in ijs tumultuari. Quarto Februarij Noritz ad Aquilonẽ in sylua Steenvvichiana, & Hiddingensi mõte castrametatur. Habebat in castris 46 signa peditum, equitum verò sex. Renneburgius eos frustra oppugnauit. Nullũ per hæc tempora penè momentum erat, quo non excursiones, eruptionesque fierẽt: in quibus nihil tamen posteritate dignum contigit, nisi quòd ex regijs Snater, centurio in militari disciplina exercitatissimus, milesque fortissimus, occisus est: ex obsessis autem Conradus Theodori filius, non minus apud suos celebris, bipenni fit interfectus. Sexto huius mensis & septimo, obsessis fame iam penè enectis, (ciuibus enim morientibus, militibus 6. panis libræ singulis septimanis

uenire tẽtat.

Duellum.

Campus S. Ioannis obsidetur.

nis dabantur) omnia ciuium secreta scrutatur Korenputtius, compilat penuaria, rapitque quidquid edulij inuentum est, illud in vsum militum recondens, ciues etiam omnes fame malens interire, quàm quòd de præfracta sua rebellione quicquam ipse remitteret. Decimoquarto Noritz nuntium in oppidum misit, cum mãdato, vt Aam fluuium tribus pontibus sternerent, mediumque tam latum facerent, vt curribus per eum commeatum importare posset. Fecerunt id oppidani, pontesque propugnaculis muniêrunt. Interea confœderatorum milites sua propugnacula quotidie versus oppidum & pontes hos promouebant, non sine quotidiana velitatione, & multorum cæde. 1581

Cæterùm decimoseptimo die, cùm densissimæ circunquaque niues, perpetua pluuia, post diuturnum gelu, liquescerent, in tantum aquæ vis adaucta est, vt regij stationes deserere, & ex palustribus locis, in sicciora se se recipere cogerentur, nec equitatu vti possent. Hanc opportunitatem nacti Ordinum milites, qui in omnem euentum cum stellatura, omnisque generis commeatu, in propinquo castrametabantur, per stagnantes aquas, profundissimumque lutum, & pontem super Aam factum, in oppidum, qua parte à regijs desertum erat, irrumpunt, & quæ necessaria erant ad diuturniorem obsidionem sustinendam, bis abundè in hostium conspectu importârunt. Quo cognito, Renneburgius vigesimotertio Februarij, non sine ignominiæ nota, obsidionem soluit. Varius erat de hoc euentu populi rumor: multis Renneburgij fides erat suspecta, cùm eum hostes tum aliâs, tum maximè ad S. Ioannis Campum, facili negotio ad internecionem vsque delere potuisse, affirmarent. Multa sanè Comes ille in defendendo territorio Groningensi præstitit: sed nulla ferè virtus tam integra est, quæ nõ aliquam vitij habeat mixturam.

Steẽvvichium ab obsidione liberatur.

Liberato ab obsidione Steenvvichio, per vicinas vrbes atque prouincias magni fiebant triumphi, multa lætitiæ signa edebantur, cãpanæ pulsatæ, picea vasa incensa, magnificæ epulæ, strenuæ cõpotationes, maximæ in Catholicorum derisum gratulationes atque acclamationes, quòd in re tam trepida tam insignis victoria ab hostibus ipsis esset donata.

Regij interea iuxta Cameracũ quadringentos Francorum equites cædunt. qua in pugna, prãterquã quòd

Galli cæduntur.

1581 Infius arcis Cameracensis præfectus, multos è suis desiderauit, etiam ipse, auulsa manica, vix euasit. Gandauenses contra Meruillum oppidum capiunt, incenduntque: accelerante etenim Montygnio, oppidum deseruerunt. quod ipse cùm muniret iterum, Gandauenses rati eum vires suas metuere, statuerunt ipsum denuò inuadere. Istius certior factus Mōtygnius, ipso die Cœnæ Dominicæ Gandenses ex improuiso adortus, nongentos circiter occidit. Sed cùm is ad suos militem reduceret, in itinere à præsidio Tornacensi exceptus, calonum, lixarum & propolarū, bonæque impedimentorum partis iacturā fecit. Sed & Traiectum ad Mosam eodem tempore periclitabatur: sed detecta proditione, auctoreque capto, & ad Parmensem ducto, res integra permansit.

Leodienses tumultuantur. Leodij quoque tumultuatum est, ob nouas exactiones, cereuisiæ vinoque superimpositas: dum quidam in eis consentiunt, alij, instigatione costorū cereuisiæ, decreto reclamant, & Duūmviros abrogare cōpellunt.

Cæsar Aquisgranensibus scribit. Paulò ante Rudolphus Imp tertiò ad Aquisgranenses scribit, eosque serio hortatur, ne purgationem oblatam differant diutius: tempus creandi nouum Magistratum præ foribus esse; monet, ne quid inusitatum in electione audeant; iuxta veteres consuetudines eam faciant; & vbi patrum ritus violati sint, eos pristinæ restituant integritati. Paulò post quartò scribit, eadem illis, quæ prius imperans addens etiam, siue legationē, purgationemque mittant, siue non, id Suam Maiest. susque deque ferre. Sed id ante omnia velle, & mandare, vt hæreticas conciones tollant, illarum ministros vrbe pellant: quod nisi faciant, eos in iram atque indignationem Cæsaris prolapsuros, eumque, vt tandem pareant, alia media inuenturum. Sed cùm peruicaces in sua remanerent Caluiniani sentētia, vt quorum proprium est, fidem fallere, Magistratum spernere, & in erroribus mente obstinata indurari, Cæsaris mandata facilè cōtempsère. Quare Imperator quintas literas mittit, & in literis Legatos instituit Ernestum Bauarum, Leodij Episcopum, Illustrissimum Iuliæ Ducem Guilielmum, Philippū Baronem in VVinnenburg. & Philippum Nassouium, Dominum in Bilstein: mandatq; illis. (cùm Vrbani festum, quo Aquisgrani fieri solet Magistratūs renouatio, iam instaret) duo Principes priores, ad minimum ipso Trinitatis, id est, triduo

ante electionem, suos in vrbem mittant Consiliarios; duo verò posteriores ibidem ipsi præsentes sint: cōstitutiones creandi Magistratum pristinas restaurent, & in proxima electione obseruari curent: omnes nouitates, vnà cum Ministris Caluinianis vrbe eijciant: ne quis in Senatum, qui Catholicus non sit, assumatur, secundùm veteres ipsorum institutiones aduigilent, cæteraque faciant ad concordiam inter Magistratum & Rempub conductura. *1581*

Aquisgranenses hæretici, Imperatori esse rem cordi, eumque ad executionem velle procedere, cùm cernerent, prolixum ad eum scriptum transmittunt. in cuius initio fatentur, se mentem Cæsaris cognouisse: sed eius Maiestatem istius Reip. constitutiones ignorare, habere se hostes, ab eisque Cæsarem perperam esse instructū. Deinde, vt ipsum, sui quasi iuris oblitum, melius edoceant, longa narratione referunt, quæ religionis electionisque mutatio, in ea Repub facta esset. Initiò non diffitentur, nunquam religionis, aut electionis mutationem iam ab initio vsque ad annum 1559. auditam aut visam fuisse. Eo anno ciues aliquot cum extraneis Augustanæ Religionis exercitium, & ne quis in Magistratûs electione fidei respectus haberetur, postulâsse: sed petitionem eorum à Ferdinando Cæsare fuisse reiectam. Fatentur etiam vetus illud statutum eorum, de nemine in Senatum assumendo, nisi eo qui Catholicum se profiteretur, talemque se vita & moribus esse palam ostenderet. id, inquam, edictū anno 1560 renouatum, ab omnibus tribubus confirmatū, & vsque ad 1574. annum inuiolabiliter obseruatum. Deinde, vt ad rem veniamus, ipso 1574 anno fuisse quosdam alterius fidei, (sinè dubio sui Patriarchæ inflati ambitione) qui libellos supplices tradentes, in Senatum admitti postulârunt, eorum postulata primùm repudiata; sed ab improbitate tandem, non tam supplicantium, quàm vrgentium victo Magistratu, admissa. A 75 itaque anno, ad 81. etiam hæreticos in Senatum receptos. Egregia sanè & antiqua tot annorum præscriptio, quæ veteri & Religioni & consuetudinibus debeat præiudicare. O homines perfrictæ frontis. Inde abrogato, aiunt, Nouo edicto, (nouum vocāt à septingentis annis & vltra vsitatum) inuito Magistratu, alterius religionis exercitium publicum introductū esse, nec se impedire potuisse, sed verius noluisse: is enim

Aquisgranenses respondent Cæsari.

Nota.

1581 scopus erat violatæ electionis consuetudinis. Vt autẽ iratum Cæsaris animum placarent, sub finem tenuem suam exponunt fortunam, misericordia potius, quàm odio se dignos. Orant itaque Cæsarem, vt se, totamq; Rempub. Aquisg. benignè complectatur, atque in tutelam suam recipiat. Polliceri se vicissim, Catholicam Religionem obseruaturos, cum adiecta tamen clausula *quantum fieri potest*: tunc autem non possunt, quando non volunt.

Cæsar iterum ad Aquisgranenses. Ad hæc paulo post Imperator: Gratum sibi esse, quòd Aquisgranẽses Religionem & obedientiam Suæ Maiest. promittant. Constare tamen sibi, ex suorum scriptis & relationibus, vti & ex proprijs ipsorũ factis, hanc pollicitationem fictam esse & simulatam, nec alium in finem fieri, quàm vt interea res stabiliant suas. Ideo Suam Maiest iterum mandare, vt omnem nouitatem, tam in Religione, quàm electione introductam, confestim aboleant, & suum mandatum breui mittendum tranquilli expectent.

Geusij multa in Transiselania loca recuperant. Steenvvichio, vt diximus, liberato, præsidio vt nõnulli queruntur ab Ordinibus inhonestè habito, ciuibus penè omnibus fame & peste morientibus, Snoius statim Vollenhoam recuperauit: Angli & Frisij Kuinder, Lemmeram, & Sloten receperunt. Renneburgius cùm aliquandiu in conspectu oppidi Steenvvichiani exercitum hostis expectâsset, cum eo pede collato pugnare cupiens; Noritz verò cum suis mœnibus se contineret, in territoriũ Groningense reuersus est. cumq; ad Middelstum consedisset, Nienortij copias, regios à commeatu intercludere volentes, insigni victoria fudit. Paulò post Oyienbruggius in Loppersum vulneratur, & Groningam delatus moritur. Renneburgius relicta Groninga, in Zallandiam mouet, captoque Boxbergo Goor muniuit, multa loca Transiselaniæ infesta reddidit.

Initio Aprilis, Auraicus Amstelredamo cum Carolotta Borbonia coniuge, Harlingam venit, & Snoium arcem Staurerensem obsidere iussit Ea defendebatur à nobili, fortissimoque viro Reinero Dekema, & post longam obsidionem, Ordinibusque satis funestã, Germani quod inerat præsidij infidelitate arx traditur, idque turpissimis conditionibus, ne ipsius Præfecti libertate pacta: qui captus cum alijs nobilibus Frisiæ, Enchusiam missus est.

Inter-

Interea Alenconius ſcribit Aldegundo primùm, deinde ad Ordines, ſuum illis aduentum nuntians, premiſſurumqúe ſe exercitum, qui Cameracū ab obſidione liberet, totumqúe Belgium in priſtinam vindicet libertatem, promittens. Inde Concilium Pariſienſe per literas rogat, vt ſuum hunc conatum fideliter Regi exponant, eiusqúe animum, ad opem fratri in tanto propoſito ferendam, inducant. Simulabat quidem Rex ſe Alenconij conatum impediturum, & ne fœdera cum domo Burgundica pollueret, prohibiturum. vtqúe id magis crederetur, varia interdicta per Franciam promulgantur, quibus cauebatur, ne qui prouinciales paterentur exercitum pro Alenconio conſcribi, nemo illi militaret, ſed vbicunque collectio fiat, eam ſtatim diſſipent, fugent, cædantqúe. Sed executio nulla vel facta, vel experita. 1581 *Alenconius aduētū in Belgium promittit.*

Menſe Maio, regij duce Altipennio regulo, & ope fratris Inſij præfecti Cameracenſis, (qui in arce Bredana captiuus ab Ordinibus tenebatur, quiqúe præſidium arcis pecunia corruperat) clam in arcem recepti, ab hora quarta matutina, vſque ad octauam eruptione facta, cum ciuibus dimicantes, tandem Bredam, vrbem Auraico patrimonialem, occupârunt. Ciues grandi ære mulctati ſunt, in neminem verò ſæuitum. Auraici ex Saxonica filius, paucis ante diebus hinc, caſu, magnoqúe ſuo commodo diſceſſerat, ad patrem profecturus. Mittitur ad recuperatam vrbem Reuerēdiſſimus, idem & vitæ innocentia eruditioneqúe rara ſpectatiſſimus, VVilhelmus Lindanus, Ruræmundenſis Epiſcopus, vt collapſam ibidem religionem reſtauraret. *Breda à regijs capitur.*

Rex Poloniæ victor, 29. Aprilis, ex comitijs Varſouienſibus Vilnam reuerſus eſt. Ad finem deinde Maij, venit ad eum Bogdanus Bieliſcius, Moſcus nobiliſſimus, à ſuo principe profugus. Rex non tantùm humaniſſimè nouum & inſperatum hoſpitem excepit, ſed & muneribus affecit liberaliter: fore ſperans, vt exulis conſilio plurimum adiuuaretur. Sequenti die 26. nimirum menſis eiuſdem, Legati Moſcici aduentârunt, comitatum habentes ſplendidum. Cum illis aliquot diebus de pace diſceptatum eſt: effectum verò nihil. Cùm enim conditiones aliquot à Rege proponerentur, reſponderunt legati, nullam iſtarum ſe in commiſſis habere. interceſſione tamen procerum, decem dierū ſpatium impetrârunt, vt interea per veredarium Principis *Legatio Ducis Moſcouiæ ad Polonos.*

1581 sui mentem explorarent. Sed quia ille dicto die non reuerteretur, Rex Legatos dimisit.

Induciæ Regis Hispan cum Turca. Franciscus à Billerbeg, in epistola ex Constantinopoli ad Chytræum missa, ait, Ioannem Marilianū, Legatum Hispanicum, hoc demum mense inducias triennales à Murathe impetrâsse. Alij, inter quos Natalis, diu antea, anno scilicet 79 eas cum Turca factas esse scribit. quas & Murathes eo facilius approbauit, quòd Philippi vires metueret, & cum Persa bellum inauspicatè gereret: contra quem Sinan & Osman Bassas miserat: quorum prior Tunetani regni euersor, tunc contra Persas ventis minimè secundis vtebatur. Hoc anno tamen recollecto exercitu ad ciuitatem Ezerum, in Euphratis fluuij ripis sitam, resedit, Constantinopoli circa Aprilem nouis auxilijs, commeatuque per pontum Euxinum, & Trapezuntium adiutus. Alter verò, Osman Bassa, exercitum suum ad portas Caspias habebat: qui, nisi se locorum beneficio tuitus fuisset, & à Tartaris adiutus esset, in extremas venisset hac æstate difficultates. Putabant multi Murathem imprudenter fecisse, quòd Osmanum Mustaphæ substituisset, Mustaphamque ex isto bello, cui tamen is magis erat idoneus, reuocâsset. erat enim is rerum bellicarum, earumque regionum peritissimus. Sed quia ad Imperatorem delatus fuerat, quòd officia bellica diuenderet ijs, qui ad ea minus erant apti, & quòd legatis exterarum nationum ad se aditum negaret, in indignationem Imperatoris venit. cuius is minas, irasque metuens, reuersus Constantinopolin, sumpto veneno seipsum iam octogenarium interfecit. Hic erat ille Mustapha, qui Cyprum Venetis ademit, & Bragadino Famagustæ præfecto, contra datam fidem, viuo pellem detraxit.

Mustapha veneno se perimit.

Regij in Groot Auuverden obsidentur. Eodem tempore in Frisia, Dominus Nienortius monasterium Auvverdense, prope Groningam obsedit. Erant in eo aliquot regiorum centuriæ. Mittunt Frisij ad monasterij expugnationem omnem apparatum bellicum, inconditamque rusticorum ac militum multitudinem. Sed Renneburgici, qui in Middelstum stationes habebant, ad obsessos socios celerrimè contendunt. Nienortius, audito regiorum aduentu, cum suis turpiter fugit, fugientesque insecuti regij passim occidunt. vexilla Samsplumbi, Berebrockii, Stuperi & Visceri (qui posteriores etiam capti sunt) hostibus extorse-

Geusij fugantur.

porferunt Victores Auvverdeizijl locum egregiè munitum, post secundam oppugnationem quoque cepe runt, præsidiariosque omnes vnà cum Schelto larges, militum tribuno, occiderunt. 1581 Auvverderzijl expugnatur.

Inde Renneburgius incredibili celeritate Nienortium in propugnaculo VVinsumensi obsidione cinxit. cumq; nec se tueri posset, nec elabendi via esset relicta, coactus est dedere, non tantùm hoc propugnaculum, sed & alia omnia, quæ in Groningensi Dominio ipsi parebant. Pacto hoc confirmato, quidquid in territorio hoc erat, ad Amisium vsque, atque Dockomium, in Renneburgij venit potestatem.

Antonius Portugalliæ Spurius, cùm post septem menses, quibus errans in montibus & syluis, fame ac frigore tantùm non enectus, latitâsset, decimo tandem Maii iuxta Setubalam, ad littus peruenit, ibique nauim Enchusianam, cuius nauarcha erat Cornelius ab Egmondt, conscendit, & 9. Iunij ad portum Gesoriacum in Galliam appulsus est. Nauigârunt cum Antonio Emanuel de Silua, Thomas Cathiero, Diego Reiz, Cōstantijn de Brito & Diego Quaresmas eius ministri: Dominicus item Gozelteus frater cuiusdam viduæ, cuius cura nauis hæc erat conducta, cum rustico quodam, qui vagabundum Antonium aliquandiu aluerat. Cùm verò Antonius aliquam in Gallia moram traxisset, in Britanniam transfretauit, statimque nauigium in insulam Terceram misit, præfecto Insulæ nuntians, se incolumem esse, bellumquè redintegraturum: orans igitur vt præfectus in fide maneat. quod & ille fecit, paulò post Valdezium, cum Hispanis ad Insulam occupandam missis, fortiter repellens. Antonius interim classem in Anglia instruit, quam ad intercipiendam classem ex vtraque India venturam mitteret, Sed cùm paulò post intellexisset, vtranque eam saluam Vlyssiponam venisse, operas intermisit, & Galliam repetens, Dieppe primùm, atque inde Lutetiam peruenit, vbi magnificè à Rege & Regina matre exceptus est. Antonius Regni Lusitanici cōpetitor in Galliã venit.

Aderat nunc Vrbani festum, quo Senatûs noui solet Aquisgrani fieri electio. Dissentientibus itaque inter se factionum partibus, Caluiniani suæ farinæ homines, Iohãnem Luntsen, & Simonem Engelbertum, nominârunt. Catholici verò secundùm antiqua vrbis statuta, Catholicos, Albertum Scrickium, & Iohãnem Schisma in Senatu Aquisgraui.

1581 Fibis elegerũt. Quæ factio cũ ad Imperatorẽ esset perlata, putauit ille mandatum, de quo supra diximus, nõ esse diutius differendum, sed protinus mittendum. quod & factum est. Imperator itaque exponens initiò, summam suam esse voluntatem, atque mentis decretum, iubet, vt quidquid contra antiquam Religionem Catholicam, veteresque vrbis consuetudines, tam in eligendo Senatu, quàm in alijs rebus à Nouatoribus introductum esset, ipso facto tollant: electos à Caluinianis, Caluinianos Consules, & Senatores non recipiant, agnoscant, aut obedientiam ijs præstent, Catholicis verò, à Catholicis electis, omnem honorem & obedientiam deferant. Hoc suum mandatum in omnibus concionibus, tam in vrbe, quàm in pagis, ad regnum Aquisgranense pertinentibus, promulgari iubet: & qui non paruerint, pro rebellibus habendos; qui paruerint, hos omnibus priuilegijs, immunitatibus & iuribus Curiarum suarum literis expressis, gauisuros esse. Huic mandato statim legati Cæsarei, cum subdelegatis Episcopi Leodiensis, Iuliæque Ducis, subscripserunt, & Magistratum Catholicum confirmârunt.

Aquisgrani tumultus. Hanc confirmationem grauiter tulêre Caluiniani, & ad tumultus concitandos propendere cœperunt. Legati verò, vt eos in officio retinerent, varijs conuentibus per dies XIIII. continuos laborârunt. sed cùm, præterquam quòd nihil efficerent, etiam multis iniurijs, contumelijs, & minis incesserentur, vrbem secundò deseruerunt. Paulò post ad ciuiles discordias atque seditiones ventum est. Caluiniani magnas turbas concitârunt, tribus omnes atque plebeios homines, omni scelere coopertos, qui nil aliud meditabantur, quàm vt omnia iura, legesque euerterent, & Reipub. tranquillitatem perturbarent, ad arma vocant: claues vrbis, ærarij, armamentarijque Magistratui extorquent: forum, mœnia, turres, & propugnacula, circunquaque armato milite complent: per vicos plateasque magno cum fremitu & clamore cursitantes, tormenta bellica ad forum attrahunt, & tam horrendos furores, tantam insaniam, tantamque cum petulantia crudelitatem exercuerunt, quòd Magistratus Catholicus, plerique ciues modestiores, ante alios verò Clerus, dum quidam occiditur, alij vulnerantur, in vitæ periculo versarentur: quare plerique Catholici vrbe excedere, & vitæ fuga consulere debuerunt. Hæc omnia mẽse Maio facta sunt.

Initio

Initio Iunij obijt Elector Treuirensis, Iacobus ab Els vir pietate, auctoritate, & prudentia nulli inferior: in cuius locum electus est Iohannes, ex familia Schonenbergiana, qui decessoris sui vestigia non minori cum laude hactenus secutus, maximarum virtutum, optimæque Reipub. administrationis, omnibus spem præbet. 1581 *Mors Electoris Treuirensis.*

Ernestus quoque Serenissimus Dux Bauariæ in Episcopatum suum Leodiensem inaugurandus venit: cui solennitati celeberrimæ Dux Ferdinandus, eius frater, Dux Cliuiæ, Dux Arscotiæ, Dux Niuernæ, Marchio Badensis, Princeps Chimaius, Comes à Tengern, alijque plures Comites & Barones interfuère. *Ernestus Bauarus Leodij inauguratur.*

Iunij decimonono Rex Poloniæ equum ascendens, Vilna egressus est, horam diei circiter decimam, cælo tam sereno, & tam faustis acclamationibus, vt nemo dubitare posset, hunc Principem diuinitus Polonorum genti datum, vt ex hostibus debellatis famam reportaret immortalem. Equitabant in agmine variarum gentium Proceres: inter quos primus erat Legatus Pontificius Iohannes Andreas Caligarius, Episcopus Brittonoriensis, qui eo cum Indulgentijs plenarijs paulò ante aduenerat: proximum ab illo locum Leuinus Bulouius Brandenburgicus Legatus habebat: quos multi Palatini & proceres sequebantur, ad Moscũ tertia iam expeditione debellandum. *Tertium bellũ Moscouiticũ.*

Rudolphus Imperator postquam à suis Legatis intellexisset seditionem, quam nefarij homines Aquisgrani excitâssent, doluit: & vt malo adhuc recenti occurreret, per literas Aquisgranenses vehementer increpauit, eò quòd post tot amicas admonitiones Suæ Maiestatis, ipsi quotidie in peius dilaberentur, immò ea nunc ausi fuissent, non quæ beneuolentiam, sed præsentissimam pœnam postularent. Tamen ait, vt sceleratis hominibus, qui Cæsaream Maiestatem vrbi malè velle comminiscuntur, inque vulgus spargunt, silentium imponatur, noxam hanc adhuc dimittemus, sperantes, vos hac clementia motos, tandem ad meliorem frugemredituros. Velle tamen, vt Magistratus adulterinus, & illegitimè electus, spontè officio decedat: omnem nouitatem, tam ante, quàm post vltimum tumultum exortam, tollant: quos eiecerunt, aut qui vltrò, metu territi, vrbem reliquerunt, reuocent: exteros, quique ob sua flagitia ex alijs prouincijs eiecti erant, *Cæsar iterum scribit Aquisgranensibus.*

1581 vnà cum concionatoribus hæreticis exturbent. Quibus peractis, ad Cæsaris aulam legationem mittant, quæ doceat Cæsaris mandato satisfactum esse: quod si fecerint, eos Suam Maiest. clementem & propitiam habituros: sin minùs, se Aquisgranensibus omnium gratiarum, priuilegiorum, atque immunitatum amissionem denuntiare.

Electores implorati ab Aquisgranensibus, scribunt Cæsari. Lectis his literis, Aquisgranenses cùm sibi metuerent, ad Saxonem & Brandenburgensem Electores confugiunt eorum opem implorantes, & sub vmbra Religionis, suæ rebellionis patrocinium conquirentes. Electores verò hi negotium fortassis penitius perspectum habentes, summam rei Imperatori commendârunt, vt ille, pro sua prudentia, controuersiam componat: ne qui sint è Principibus, qui regnum Aquisgranense Imperio decerpant, vt vtriusque partis exacerbatione, tanti excitentur tumultus, qui tandem in apertum erumpant bellum, quod totam demum Germaniam exagitet, atque infestet. Si qua in hac re Sua Maiest Principum Imperij opera, consilio, cura aut studio indigeat, ea semper fore parata.

Iulio mense Confœderati nouum exercitum in Frisiam sub castrorum præfecto Noritz Anglo miserunt, cui Snoius sese coniunxit. Schullius, horum mandato, cum lectissimis copiis Moni kenzijl expugnauit, quare Renneburgici coacti sunt, ex Grijeskirchen, Groningam castra transportare, & in monasterio Auvverdensi primùm, deinde in Selvvert sese munire. Hæc *Renneburgij mors.* cùm fierent, Renneburgius ardentissima febre correptus, tandem decimonono Iulij Groningæ, in ætatis flore, extinctus est: Comes Latinè, Græceque doctissimus, & in multis artibus expertissimus. in quo etiam virtutes, cum scientijs ipsis decertabant. Catholicus etiam, & Regi fidelis, nisi quòd Hispano nomini erat infensior. In huius locum Verdugius pro tempore Gubernator Frisiæ suffectus est.

Euerardi Hāsij supplicium. Euerardus Hansius Anglus, cùm diu Caluinianum Ministrum egisset, postea ad Catholicam religionem conuersus, Remisque sacerdos factus, in Angliam reuertitur. Cùm in carceribus Catholicos visitaret, rogatus quis & qualis esset, Catholicum se respondit: deque Pontifice interrogatus, eius auctoritatem fortiter defendit. Quare comprehensus, & condemnatus 28 Iulij, tandem vltimo eiusdem mensis viuus dilaniatus est.

Interea

Interea artes Principis Auraici in Belgio id effice re potuerunt, vt exuto omni pudore, neglecta conscientia, spretis tot solennibus iuramentis, Philippum Hispaniarum Regem, legitimum Dominum suum abiurandum, in Haga Comitis, Belgæ decreuerint, con sarcinata iuramenti formula, omnibus subditis pro ponenda. Quod tam impium facinus, quidam etiam non infimi nominis hæretici, detestati sunt, & concionatores ipsi, inter alios VVoerdensis, publicè professus est, nequaquam id fucari, aut defendi posse: duodecim proponens argumenta omnibus, qui cum eo hac de re velint disputare. Quam ob causam, cùm nec blanditijs frangi, nec pollicitis corrumpi, nec minis, vt à sententententia recederet, deterreri posset, in exilium eiectus est. 1581 Regis Hispani e nomē in Belgio abiuratur.

Sub id tempus Ochiali Baſſa maris præfectus in Africam cum classe missus est, vt Tunetani regni motus compesceret. Mauri enim eius regni, recepto per Melitenses hæreditario suo Rege (qui hactenus Neapoli detentus erat, ibique abnegata Mahometana superstitione, fidem Christianam erat amplexus) magna ex parte Turcis rebellârunt. Vbi res Tunetanas composuerat, in mandatis habebat regnum inuadere Fessanum. Expeditio Turcica in Mauros.

Poloniæ quoque Rex, paulo ante Vilna egressus, vt supra diximus, cum exercitu robustiori quàm antea, tam copiarum numero, quàm gentium varietate & nationum, vsu verò & exercitatione bellandi planè admirando, Ostrouiam primùm obsedit. Est autem Ostrouia arx munitissima, insigni fluuio cincta, qui ex Soretho, VVoroneczo, & VVilaki, quæ Vielikolukam præterlabitur, paulo supra Ostrouiam confluit: distat autem à Cracouia 180. circiter milliaria Germanica. tantum terrarum spatium Rex victoriosissimus, duabus expeditionibus, Moscis ademit. Expeditio Polonica in Moscos.

Dispositis castris, admotisque arci tormentis, post aliquot horarum oppugnationem, præsidiarij sese dedunt. Inde confestim motis castris, de obsidenda Plescouia consilium capiauit: quæ quasi totius Liuoniæ propugnaculum erat, & quasi murus Moscis opponendus. Est enim Plescouia vrbs munitissima, ad lacum sita, quæ sola in tota Mosci ditione muro cingitur, Lutetia non minor, & in quatuor partes diuisa, quarum Ostrouia expugnatur. Plescouiæ descriptio, eius obsidio.

1581 singulæ suis mœnibus muniuntur. quod occasionem dedit errori quorundam, quatuor vrbes esse scribentium. Hæc sui olim iuris erat, magnisque in ciuibus cādor & integritas commendabatur. Sed à Iohanne Basilio, anno 1509. proditione capta, ciuibus aliò migrare iussis, Moscorum pessimorum colonia facta est. Habet vicinum lacum, ex quo flumen eiusdem nominis oritur, quod per ciuitatem decurrens, in alium lacū Czutzko sese exonerat.

Ad hanc igitur vrbem vim & rationem armorum omnem conuertit Rex, arctissimeque obsedit, & indesinenter oppugnauit, oppugnationemque in multam hyemem, quæ in istis regionibus penè intolerabilis est, continuauit. Fecit quod nemo vnquam, media hyeme, in media Moscouia, fecisse legitur. in præduro, & immensis frigoribus solo concreto, vallum excitauit, corbes vimineos contexit, munitiones extruxit: totis, & tam longis tamque intempestis noctibus, excubias egit. nullum laboris, nullum tædij, nullum difficultatis & patientiæ genus est, in quo Rex ea hyeme se non exercuit: ita vt non cum hominibus solùm, sed cum ipsis elementis pugnare videretur. Sed & aliquam exercitûs partem in penitiora loca Moscouiæ cum Christophoro Radiuilio misit, quæ cum maximis & difficilimis itineribus Stericiam penè peruenit. Iste inopinatus nuntius cùm ad Moscouiæ Ducem perlatus esset, coniugum, filiorum & ancillarum greges Stericia aliò amandauit, ipse autem triduo ita metu latitâsse dicitur, vt à mortalium non sit visus quoquam. Traxit Rex in obsidione dies multos, Mosci fortissimè sese defendebant: multi quotidie in excursionibus cæsi, multi per agros interfecti, capti plurimi.

Quidam Polonorum legati, dum Rex in castris erat, penitiora loca Moscouiæ lustrantes, & peruagantes, Podoliam, Kyouiam vsque, trans Borysthenem peruenerunt. Habebant in comitatu suo VVoinuskū quendam nobilem, in Latina, Græca, & Hebraica lingua exercitatissimum, elegantem quoque Poetam, & Historicum. Is, cùm VValachiæ Despota, à Domino Laskio introduceretur, cumque Alexander Turcicus Gubernator cæderetur, ex VValachiæ bibliotheca multa atque egregia scripta, atque monimenta in ijs oris inuenerat: inter alia, libros Ciceronis de Republica ad Atti-

Libri Ciceronis de

Atticum, aureis literis exaratos, thesaurum à multis hactenus desideratum, reperit. Persuasit idem VVoinuskus Polonis, vt celeribus equis secum vlterius proficiscerentur: velle enim se illis Ouidij Nasonis sepulchrum ostendere dicebat. Cumque sex dierum itinere à Borysthene per vastissima loca progressi essent, in amœnam viridemque vallem venêre. Erat in media valle fons limpidissimus: iuxta hunc acinacibus suis euaginatis gramen, quod in eo loco copiosum erat, & crassum, altumque, demetere cœperunt, donec Sarcophagum, virgultis, quisquilijsque tectum, & in eo literarum vestigia inuenerunt; quibus à sordibus purgatis, epitaphium Ouidij legerunt. Erat autem huiusmodi:

1581

Repub. ad Atticum inuenti.

Sepulcrũ Ouidij.

Hic situs est Vates, quem Diui Cæsaris ira
Augusti Latia cedere iussit humo.
Sæpe miser voluit patrijs occumbere terris,
Sed frustra: hunc illi fata dedêre locum.

Epitaphium Ouidij.

Est autem huius sepulcri locus ad fines Græciæ, non procul à Ponto Euxino, quondam habitatus, vt ex ruinis ædificiorum, vrbiumque facilè videtur. In proximo est Kyouia, nobilis, vt testantur monumenta, quæ ibi visuntur, ciuitas: nunc penè vasta, & inhabitata, propter continuas Tartarorum excursiones. Templum in ea est, vbi multæ cryptæ, multaque videntur mortuorum corpora, adhuc integra, nullaque sui parte corrupta, incolæ Martyrum esse dicunt. Inter alia corpus est virginis formosæ, capillis croceis, & linea veste indutum, quod D. Barbaræ esse credunt: quod an verum sit, iudicent alij. Episcopus loci ex Lituania natus, Polonorum legatis asserebat, à Kyouia Smolenscam vsque, subterraneas esse vias, etiam sub latissimo flumine Borysthene factas. Vrbem hanc ab Italis quondam ædificatam, & iam breui Genuenses instititisse, vt emporium istic instituere possent, aiunt habitatores.

Kyouiæ situs.

Sueciæ Rex, qui sororem Annæ Iagelloniæ, Poloni coniugis, vxorem habet, anno superiori fœdus cum Polono inierat, vt communibus viribus Moscum exterminarent: & quod quisque illi decerpere posset, id sui iuris esset. quare eodem tempore Pontum de la Garde, cum exercitu Suecorum, Germanorumque copiosissimo, in Finlandiam misit, breuique recuperauit omnia, sibi à Mosco adempta. Insuper & 100. milliaribus

Sueciæ et Poloniæ Regũ fœdus.

Sueciæ Rex Finlandiam Moscoademit.

1581 bus ad Coreliam vſq; excurrens, præclaras Moſco ditiones, vnà cum nobiliſſima totius regionis arce Koxholmo viciſſim ademit. Hoc autem anno dum ad Pleſcouiam fulminat Polonus, inſignem claſſem inſtruit Suecus: & quia per id tempus variarum gentium naues Stockholmiæ & Kalmariæ in portubus ſtabant, omnes detineri iuſſit, bonamque illarum partem apparatu bellico, atque commeatu onerari. Claſſi præfecit Pontum, qui ſoluens, Naruam, fortiſſimam vrbem in finibus Liuoniæ, vbi Pelas fluuius ſeſe in ſinum Finnicum exonerat, ædificatam, nauigat. Quò cum veniſſet Pontus 4. Septemb. expoſitis copijs, poſtquam triduo 24. maioribus tormentis muros ſtrauiſſet, vrbem oppugnare cœpit, & tandem 6. Septembris impreſſione facta, vi expugnauit. in qua 5000. Moſcorum interierunt. Poſt quam victoriam Pontus celerrimè miſit, qui Iammagroot, tribus à Narua milliaribus ſitam, expugnarent. Solent hîc Moſci merces ſuas deponere quas deinde minoribus nauigijs Naruam tranſportabãt Erant hîc in præſidio Moſci ter mille, qui nulla vi expectata, deditionem fecêre. Dimiſſi ſunt triſtes, nec oculos in Suecos, ſed in cælum intendentes frontem, pectus, & latera ſignaculo crucis muniebant: inde capita ad terram inclinantes, rurſumque (pro more gentis) eleuantes cælum intuebantur. Inuenta eſt in vtraque munitione commeatûs ingens copia: ſed exiguus belli apparatus, tormentaque ſex tantùm: Magnus enim Dux omnem munitionem Pleſcouiam comportari iuſſerat. Pontus caſtra mouens, VVittenſteinium quoque occupauit. Dum hæc in finibus Liuoniæ fiunt, Tartari Caſani, & Aſtracaſani, anno proximo Sueciæ Regi confœderati, ab alia parte in Moſcouiam irruẽtes, obuia quæque depopulati ſunt.

Sueciæ rex claſsē in Liuoniā mittit.

Narua oppugnatur.

Iammagroot Sueco deditur.

Tartari Moſcouiā vaſtant.

In Tranſiſelania Ordines duce Iſelſteinio munitionem Goorenſem obſederunt Intererant huic expeditioni inter alios Ripperda, quondam Zalandiç Satrapa, (in cuius locum paulo ante Otto Egmondanus, vir & virtutibus & ſanguine nobiliſſimus, erat à Rege conſtitutus) duo Itterſomij, Conſul Dauentrienſis, & multi ciues Tranſiſelani. Cumque iam vnum propugnaculum occupâſſent, aliud obſederunt. Interea Martinus Schenkius cum ſuo equitatu aduenit, & Ordinibus commeatum præcludit. Cumque ab Auraico ſubmitterentur, qui ſuis ſubuenirent, nec regios loco pellere poſſent,

Confœderati in Goor capiuntur.

possent, sed & obsessus Iselsteinius cum suis inedia laboraret: ipse, VVarmelo, Escheda, Conradus Theodorici, omnesque militum præfecti, Satrapa quoque, nobiles, Consul, & ciues sese captiuos Anholtio & Schenkio condonârunt. Gregarij milites, postquā iurassent, sese Ordinibus nisi post trimestre spatium non militaturos, dimissi fuerunt. 1581

Interea Noritz qui æstiua non procul à Groninga in Selvvart habebat, conuasatis omnibus, castrisque incensis, cùm re pecuniaria & commeatu laboraret, Collum se recepit. Quod cùm Verdugius audisset, cum omnibus copijs suis ad peninsulam quandam Embdæ opppositam, nomine Reide, contendit. erat hic locus Egberto Beuelandio cum 4 peditum signis custodien dus à Nienortio datus. Sed Verdugio veniente trepidârunt omnes, & magna cum præfectorum ignominia, munitissimum locum, qui nauigio defendi commode poterat, hostibus dediderunt. Caterùs in illo occidit: VVestermannus Embdam æger erat abductus: Isaacus à VVieringen, & Ioannes Croon, ob turpem deditionem capite damnati, supplicium tamen euaserunt.

Reide peninsulā recuperat Verdugius.

Illustrissimus Princeps Parmensis, sub id tempus Tornacum, vrbem Flandriæ Gallicæ munitissimam, quæ olim à Galliæ regibus sæpè frustra tentata est, obsedit. Galli Belgici cùm contra Francos sese suis viribus tueri non posse serò tandem cognoscerent, Regi supplicârunt, vt exteras nationes in Belgium remitteret; offerentes etiam ad hoc pecuniæ summam nō con temnendam, quæ res Auraici & Ordinum animos nō parum labefactauit. Ipsi tamen in Alenconio suo expectando tam erant intenti, vt instantia mala non adeò præsentiscerent, aut ducerent leuiora. Catholici verò, atque exules præcipuè, hac exterarum nationum reuocatione, plurimum sunt recreati.

Tornacū obsidetur.

Exteræ nationes in Belgiū reuocantur.

Circa finem mensis Octobris, sumptum est in Hispania supplicium, de Ioanne Castiliano, Sayæ, rerum Belgicarum procuratori seu Cancellario, à libellis. Is Auraico, à quo 300 coronatorum annua mercede con ductus erat, signa notasque, quibus secretiores Regis literæ, quæ ad Belgij Gubernatores mittebantur, scribi solerent, ab anno 71. huc vsque semper prodiderat. Quo factum est, vt literæ Regis sæpè, maximè sub Ioannis Austriaci gubernatione, sint interceptæ, & licet inso-

Proditoris Ioānis Castilij suppliciū.

1581 lentissimis notulis exaratæ, semper tamen (quod Aldegondi ingenio tribuebant) lectæ sint & explicatæ. Deprehensus tandem in scelere, & quæstioni subiectus, cùm crimen confessus esset, lingua prius præcisa, in quatuor partes viuus est decerptus. Post cuius obitum consilia Regis fuère secretiora, & victoriæ frequentiores.

Victoria Verdugij in Northorm. Confœderati Belgici, cùm exercitum suum in Frisia ferè extinctum viderent, Leovvardiam veniũt, nouos milites conscribunt, signa supplent, copias dissipatas cõgunt, exercitum lustrant, stipendia persoluunt, & cum regijs de summa rerũ prælio decertandum esse cõtendunt. Verdugius, qui Auvverdã, in qua Noritz cum suis inerat, obsidebat, relicta obsidione in Northorm castrametatus est. Noritz collectis copijs exercitũ, qui viginti peditum signis, & quatuor equitum constabat, 30 Septembris per Cataractum nouum, vulgo Nienzijl, in regios duxit. instruxerat iam Verdugius aciem, in cuius medium Renneburgicos, quorum ductor nũc erat Monceau, & vicarius Rijnsvvouda, cum Frisijs sub Byllio duce & vicario Taxio militantibus, constituebat: ex suis, qui Galli erant, alas confecit. Precibus ad Deum fusis, quas hostes subsannabant datoque classico, regij pugnæ initium fecère. concurrunt primùm equites, inde pedites aliquandiu velitàrunt. sed cùm acies essent iam coniunctæ, acerrimè dimicatum est. Geusij inferiores, equitibus pedem retrahentibus, & peditum ordinibus perturbatis, certatim fugerunt. Regij confestim tormenta eorum omnia interceperunt, deinde hostes ad propugnaculum in Nienzijl insecuti, paucis elapsis trucidàrunt. *Cæsorum nomina.* Periêre hac pugna Carolus à VVingarden & Scullius, summi legati fiduciariam operam obtinentes: Georgius Roberti, VVigandus ab Ommeren, Kertius, Gerardus Entius, Cornelius Loeueschius centuriones Belgæ: Cotton, Bisscopius, & Fuvvillenius Ordinum ductores Angli: Henricus Eckius equitum magister, & Bellevvinus Ellerborni vicarius. Capti quoque sunt ex præfectis nonnulli, & ipse Noritz cum Nassouio comite vulneratus. Qui effugerant, pauci erant, ijque omnes inermes. E regijs nemo alicuius nominis interijt, solus VVolphgangus Prenger vulneratus est.

Verdugius Nien- Parta insigni hac victoria, Verdugius propugnaculum in Nienzijl obsidione cinxit. Sed cùm confœderati

derati viderent, ſpem nullam eſſe reliquam, iſtud armis defendendi, aggeribus perforatis, agros inundârũt: ita vt Verdugius 23 Octobris poſt tertiam ſeptimanam obſidionem ſoluere compulſus ſit.

1581 Zijl fruſtra obſidet.

In Anglia, menſe Auguſto, Academici omnes in Vniuerſitatibus commorantes, iuramento dicere coacti ſunt, ſi quos ſcirent, vel ſuſpicarentur, qui animis Catholicæ religioni fauerent. Eo nimirum propoſito, vt ſuſpectos Academijs exturbarent. Commoda conſtitutio ijs, qui inuidia, ambitione, aut odio alteri malè volebant. Vnde quidam Miniſter Caluinianus paulò poſt inimicum ſuum accuſauit, de ſuſpicione Romanæ fidei: Petijt accuſatus, quo argumento niteretur ſuſpicio? Quia, inquit ille, non tam frequentare conciones te video, quàm faceres, ſi zelo noſtræ Religionis arderes.

Augmentum Anglicanæ Inquiſitionis.

Auguſtus Saxoniæ, atque Ioannes Georgius Brandenburgenſis, Electores, vnà cum literis de negotio Aquiſgranenſi ad Imperatorem datis (de quibus ſupra) etiam ſupplicem Aquiſgranenſium libellum miſerãt. Imperator, ijs relectis, primùm agit gratias Electoribus: ſecundò, multo aliter ſe rem habere, quàm Aquiſgranenſes narrabant, illorumque excuſationem fictam & longè petitis rationibus mendicatam eſſe, ex commentarijs, diarijsque, legatorum ſuorum oſtendit. Idem & ex proprijs ipſorum literis, precibus, oblationibus, emẽdationiſque promiſſionibus arguit. Deinde, vt manifeſtum euaderet, Suam Maieſt. nihil aliud quærere, præterquam vt Aquiſgranum in gremio Imperij reſeruetur, inque omnibus ſtatutis, priuilegijs, & immunitatibus antiquis illæſum permaneat; ab altiori principio, nimirum à Carolo Magno, Cæſar negotium repetit: Catholicam, Romanam Religionem in hac vrbe ſemper, idque inuiolabiliter, fuiſſe conſeruatam, demonſtrat: ſtatutum in electionibus Magiſtratuum proponit, quod eſt tale: *Conſules, Scabini, totuſque Senatus Cæſareæ Maieſtatis, & Regiæ Sedis & ciuitatis Aquiſgranenſis, in poſterum (ſicut & hactenus) vnam & ſolam Catholicam religionẽ profitebuntur, neque ad Magiſtratũ vel Reip. officia alios, quã qui ſtant ab eadem* Religione, *admittent.* Iſtud decretum hactenus in vſu fuiſſe oſtendit, docetque paulatim deſcendendo, vnde, & quomodo, & quãdo ſchiſmata, hæreſes, & ſtatutorum præuaricationes introductæ ſint. Quæ quia ex prædictis pateant, hîc re-

Cæſar ad Electores ſcribit de negotio Aquiſgrani.

1581 petere non est necesse. Enarrans deinceps Imperator omnes suas legationes, sumptus, impensas, & molestias, quas, vt hanc Rempublicam in officio contineret, duobus his annis insumpserat, tandem petit, vt ex his ipsi Electores suæ Maiestatis diligentiam agnoscant, & fidelitatem: neque has exulum, malorum atque rebellium hominum, imposturis, artibus, ac studijs peruersis postponant.

Cæsar Aquisgranensibus. Eodem ferè tempore Aquisgranēsibus, qui se paulo ante, 25 scilicet Iulij, per literas Suæ Maiestati purgare voluerant, scribit Imperator: se nequaquam ipsorum excusationes, dilationes, & promissiones acceptare, cùm facta ipsorum scriptis non consentiant. Mandata sua esse rationi & æquitati consentanea, non huiusmodi, qualia ipsorum quidam vulgo imperito persuaderent. Se in priori sententia persistere, nihil de illa remittere posse: Magistratum subreptitium destituant, Catholicum agnoscant: hæreticos concionatores territorio, seu Regno suo, expellant: collapsa restaurent: omniaque pristino nitori restituant, si Imperatoris gratiam velint & beneuolentiam obtinere. si facere ista recusent, nunquam ipsorum purgationes locum apud Cæsarem inuenturas.

Aquisgranēses Cæsari supplices. Aquisgranenses, hac Imperatoris denuntiatione nonnihil territi, cùm phaleratis verbis Cæsarem decipi non posse viderent, & veram suæ rebellionis rationem reddere non possent, cum quibusdam alijs vrbium Imperialium Legatis instant apud Cæsarem, ne mandati sui executionem præcipitet, sed differat paulisper: se propediem legationem promissam missuros. Cæsar autem in proposito perstat, & obedientiā sui, suorumque vrget decretorum.

Matthias Austriacus Belgium relinquit. Matthias Archidux Austriæ, cùm diu multumque Auraici atque Ordinum studijs obstitisset, nec impedire posset defectionē à Rege suo, quam moliebantur, iamque animos omnes in Alenconium Gallum, naturalem Belgij, etsi nuper reconciliatum, hostem propendere cerneret: iamque Antuerpiæ debitæ Regi Hisp. fidei abiuratio facta esset: perduellibus Belgis, cum nominis sui, immortalisque memoriæ domus Austriacæ dedecore amplius adhærere noluit: accepta itaque venia, nauigio ad amitam suam Cliuiæ Ducem venit: vbi cùm ab ipso Duce humanissimè & liberaliter exceptus esset, tandem dimissus, Coloniam 15. Nouemb.

venit,

venit, ibique ad 28 Ianuarij diem anni sequentis permansit. 1581

Parmensis verò Princeps nouis viribus auctus, Tornacensem, vt diximus, vrbem obsidere iam ante cœperat. Vineis nunc atque propugnaculis exædificatis, ex quibus maioribus tormentis discuti muri possent, actisque cuniculis, extemplò ductus exercitus in ipsas ruinas, atroxque prælium cum multorum vtrinque cæde initum est: sed oppidani regios è ruinis expellunt. Inde per aliquot dies iterum muri verberati, turres deiectæ, & propugnacula conuulsa sunt. erupit & cuniculus vnus, qui magnam muri partem strauit, tamq; e latè aperuit, vt regijs spes data sit vrbis occupandæ. quare secundò totis viribus pugnatum est, & vbi mœnibus vrbs nudata erat, illic vehementissima impressio facta. Sed vbi ad ruinas ventum fuit, compertum est, muros adhuc altiores esse, quàm quòd miles eos posset asscendere. quare receptui canitur, milesque non sine graui damno, pedem retrahit, multis desideratis, multisque è ducibus, qui murum incautius subierant, vulneratis: inter quos Billius in capite, Montygnius in naso, Bursius in aduersa tibia, Marchioque Verambonus in crure læsi, paulò post curati sunt. Vallius verò Comes Busquot, caput saxo grauiter ictus, obijt. Capto tamen vno propugnaculo, cùm oppidani Parmensis diligentiam cernerent, trepidârunt, & de deditione facienda consuluerunt.

Tornacũ oppugnatur.

Erat tunc temporis Auraicus Gandaui. Ciues Tornacum periclitari audientes, grauiter cum illo, & non sinè conuicijs expostulârunt: quòd ipse in otio & delicijs viuens, nullis obsessis auxilium adferret: sed eos regiis prædam obijceret. Quòd si Tornacum in hostium manus deuenire pateretur, sese ab illo rationem postulaturos. Metuit Auraicus, & missis (vt aiunt) 30. equitibus spargit 300. intrâsse. Venerunt illi in vrbem falsis tesseris, excubijs regiorum deceptis. Sunt alij, qui dicant, eos à principe Espenoyo missos, nuntiatum, vt sese dederent, nulla enim subsidia parari. Vt vt est, constat actutum veniam à Parmensi obsessos perijsse, & sese certis conditionibus Regis fidei condonâsse. Nouerat id per suos Coryphæos Auraicus, & vitæ metuens suæ, eo penè ipso tempore, cùm deditio fieret, misit, qui subsidia missa Tornacēsibus nũtiarent: 40. duces

Tornacũ deditur.

1581 rei militaris peritos, ciuibus præficiendos: nouam belli faciem, in vrbe constituendam: 80. magni nominis duces in castris regijs interfectos: Alenconium breui cum multis millibus Tornacensibus opem laturum, & similia: qua fama mox diuulgata, & Antuerpiam perlata, tanta ibidem orta est lætitia, vt campanis pulsatis, tormentisque explosis, publica triumphi signa darentur. Hoc stratagemate astutus ille serpens casses sibi paratos erepsit, & Gandauo Antuerpiam est reuersus. Vbi paulo post publico scripto declarauit, se extremum Belgij interitum certo præsentiscere, nisi ante finem Ianuarij, de nouo Principe, & prouinciarum capite deligendo, velint Ordines conuenire. Alenconium denotans, quem sub id tempus expectabat.

Auraici persuasiones.

Aquisgranenses ab Imperatore vehementer vrgebantur, vt suos concionatores hæreticos eijcerent, Catholicam Religionē ciuibus restituerent, Senatū legitimum agnoscerent, ab omnique nouitate regnum Aquisgranense purgarent. Sed cùm illi dicto audientes non essent, sed protelationibus, & ambagibus negotium differrent, tandem Catholici Reuerend. ac Nobilem D. Franciscum Vossium, virum pium & eloquentem, vrbis Decanum; Albertum Scrickium Consulem, & Iohannem Tenensem vrbi à secretis, ad Cæsarem legârunt, qui præposteram suorum Caluinistarum voluntatem, peruersosque conatus Suæ Maiest. explicarent, eamque obsecrarent, ne suorum mandatorum executionem differat; in sua Religione Catholicos Aquisgranenses defendat, & legationis (si quæ mittatur ab hostibus) purgationem prudenter examinet, nec facile, vt iniustis criminationibus ementitisque rationibus nixam, admittat

Aquisgranēses Catholici legationem mittūt ad Cæsarem.

Calendis Decemb. in Anglia martyrij coronam accepit Edmundus Campianus, sanctissimæ vitæ, Societatis Iesu Theologus, anno 1539. Londini natus. Qui cùm in Oxoniensi Academia aliquandiu studuisset, in synagoga Caluinistica Diaconus factus est. Sed cùm postea Dei gratia eum ex istius perfidiæ tenebris eripuisset, Hiberniam inuisit, eiusque historiam scripsit. Inde Duacum profectus, ibidem ad Collegium, à Pontifice extructum, admittitur, sed illinc Romā cùm venisset, Societatem Iesu ingreditur. Cumque ibi aliquandiu habitâsset, in Boëmiam missus, ibique sacris initia-

Martyriū quorundā Catholicorum in Anglia.

initiatus, in vinea Domini strenuè laborauit. Post reuocatus, vt in Angliam abiret, eoque profectus anno superiori, cùm tredecim ferè mensibus concionando, Sacramenta administrando, hæreticos ad disputationes prouocando laborâsset: tandem à quodam Elioto proditus, mense Iulio in Comitatu de Berc, in ædibus D. de Yates, viri nobilissimi captus, vnà cum alio Sacerdote Filbio, Londinum ductus, in teterrimos carceres detruditur, indignissimis modis tractatur, atrocissimisque supplicijs subijcitur. Caluinianis in carcere detentum ad disputationem prouocantibus, eam non negauit, etiamsi ipsi indignissimæ conditiones proponerentur, eisque magna cum laude silentium imposuit. Deinde varijs calumnijs atque mendacijs exagitatus, 20. Nouembris iudicio duodecim virorum subiectus, prima actione nullius criminis conuinci potuit. Postridie septem alij Presbyteri, ad tribunal rapiuntur: nec illi conuicti sunt. Tertio die Edmundus iterum producitur, à Crodoco, Elioto, & Slæddeo, hominibus flagitiosissimis, accusatur, & cum socijs Scheruino & Brianto Presbyteris, ab Andersonio, Pophamo, & Egertono iniustè condemnatur: condemnati in carcerem retruduntur, opes & vita ipsis promittuntur, si à sua religione velint resilire. Sed cùm constantes in fide perseuerarent, trahis alligati, morte truculentissima, & in Catholicos constituta, (de qua paulò post initium anni 80. aliquanto latius egimus) etiam pro Reginæ salute Deum deprecantes, Comitibus tribus, Baronibus quinque, Equitibusque auratis quàm plurimis inspectantibus, interfecti sunt Londini, vbi Edmundus natus, ipsaque S. Edmundi patroni sui festiuitate, duorum nunc Edmundorum natalitijs consecrata.

Erat tunc temporis in Anglia Dux Alenconius, cum Regina de Belgij imperio suscipiendo varia consilia coquens. Auraicus, vt subditorum animos, magnis regiorum victorijs labefactatos, erigeret, vulgo persuasit, sibi certò constare, Alenconium Angliæ reginam coniugem ducturum. Quamobrem per Frisiam die decimotertio Decembris celeberrimus triumphus decretus est: omnia tormenta, omnibus in locis, magno reboatu exploduntur: rogi ingentes struūtur, epulæ atque conuiuia passim celebrantur: nihilque, quod ad talem festiuitatem pertinere iudicant homines, prætermissum est.

Frisij triumphant ob matrimonium Alenconij cum Angliæ Regina.

1582 Decimoquinto Decemb. Confœderatorum concilium Leovvardia iterum Vltraiectū (vbi de more suum habebat conciliabulum) profecturum, mandauit omnia Regis Hispan. insignia deijci atque eradi, ipsius sigilla frangi, & Regis nomen atque auctoritatē abiurari, non à Magistratu tantùm, sed & à concilio prouinciali. Quod dum fieret, Ralda quidam Confœderatorum factionibus addictissimus, vindicta diuina prostratus, in ipso actu exspirauit.

Iustum Dei iudicium.

Magnus Dux Moscouiæ pacem petit à Rege Poloniæ.

Sub finem anni præsentis Magnus Moscouiæ Dux, cùm incredibilem Poloni in bello celeritatem & felicitatem videret, ne ad Nouogardiam, Moscouiamque, atque alia præcipua suæ ditionis oppida exercitum duceret Polonus, inuitus, nolensque de pace cum hoste ineunda cogitauit. Erat Polonus adhuc in obsidione Plescouiensi, media nunc hyeme, quod mirum sanè in istis locis videbatur. Misit ergo Dux internuntium ad Regem, qui vt pacis cum eo faciendæ gratia legatos Zapolsciam mitteret, quò propediem essent venturi sui, magnoperè contendebat. Miserat & idem Dux literas & legatum ad summum Pontificem Rom. ab eo petens, vt Arbitrum & Intercessorem se, sua interponeret auctoritate. qui confestim ad Moscum & Regē Antonium Possuinum, Societatis Iesu Sacerdotem, misit: qui ad Christianā pacem vtrunque paternè hortaretur. Rex itaque magnificam legationem Zapolsciam mittit, vbi & pax, vt suo loco dicemus, composita est, & confirmata.

Vueerderbroeck capitur.

ANNI M.D.LXXXII. primo die Ianuarij, Verdugius Frisiæ præfectus munitissimā arcem Vveerderbroeck, locum diribitorio accommodatissimum, vicinum Cliuiæ, obsedit; dumq; apparatum ad oppugnandum facit, qui in arce erant, trepidantes, noctu clam erumpūt, & quarto post die arcem vacuam obsidenti relinquunt. Idem & præsidiarij Suanenburgij & Tervvilt fecerunt. Verdugius, his victorijs partis, de obsidendo Lochemio, oppidulo Comitatûs Zutphaniensis, cogitauit. Nec multo post Ordines Geldriæ, duce Hegemanno Hardervviceno, Bronckhorstium recuperare conati, illud arctissimè obsederunt, & septē dies magna violentia oppugnārunt: qui verò in præsidio erant regij, fortissimè sese defendentes, hostem à mœnibus reiecerunt. Qua in pugna Hegemannus in pectore

Ordines Bronckhorstium obsident.

Hegemanni mors.

pecto e sauciatus, & Zuiphanium ductus, paulo post infelicem animam exhalauit. Confestim Martinus Schenkius ad oppidum suas copias mouens, obsessis nouo milite & commeatu succurrit, atque Ordinum milites, multis cæsis, captisque, profligauit. 1583 *Schenkius obsessis auxiliu fert.*

Moscouiæ Ducem pacem à Polono petijsse, Legatosque vtrinque Zapolsciam missos, paulò ante commemorauimus. Dederat suis in mandatis Polonus, si causa belli, quæ erat Liuonia, à Mosco non tolleretur, bellum etiam ipsum cessare non posse, nec debere. Varijs sermonibus & disceptationibus dies plurimi dati sunt, cùm Moscici Legati de iure (quod prætendebāt) Liuoniæ ęgerrimè decedere voluerint, & aliquot castra proximo bello à Polonis occupata reddi postularent: Poloni de Liuonia nullam fieri mentionem voluerunt, de arcibus sese transacturos promittunt. Sed cùm Moscici quotidie tot suorū clades, funera, & captiuitates audirent, quot non sine lachrymis potuerunt recordari, tandem compulsi, de Liuonia restituenda Polonis mandata sese habere fatebantur. Pax itaque conditionibus certis 15. Ianuarij est conclusa. Moscus Liuonia cum 34. arcibus atque oppidis Polono cedit. Derptam primam belli Liuonici causam reddit, in eo 78. maiora tormenta, in alijs 300. maximumque apparatum bellicum nolens volens relinquit. Tot tamque magni momenti captiuorum suorum libertas pacis conditionibus non est inserta, sed quoad eius fieri melius citiusque posset, vt quisque eorum redimeretur, admissum. Ex captis verò postremo bello oppidis & castellis Polonus Mosco Vielicolucā, Zauolotiam, Neueliam, & aliquot Plescouien. arces restitueret: Polociam verò, Niesczardam, Cozianam, Sokolum, Turouliam, Sithno, Sussam, Crasnum, Vsuiatam, Velisiā, & Iezierischum Moscis erepta, Polonus reseruaret. Pax ipsa ad decennium perduraret. Composita pax hæc est, intercedēte Legato Pontificio Posseuino. Sed Sueci pacem hanc, eo quòd Regis sui, confœderati Polono, nulla in ea facta esset mentio, indignè ferebant. quare eam vt turpem calumniātur, scribuntque pace cautum esse, vt vtraque pars omnem belli apparatū, omnemque commeatum ex arcibus, antequam traderētur, quò vellet, transportaret: ideoque Polonum nil nisi vacuas arces, quas longo tempore munire non possit, hac pace consecutum esse. Negant id Poloni, quorum testimonium *Pax inter Polonum & Moscū.* *Sueci pacem hanc exosi queruntur.*

1582 nium paulò ante recensebamus. Pace cōfirmata, Mosci ex omnibus Liuoniæ oppidis, arcibus, locisque munitionibus euocati, in Moscouiam abierunt.

Stephanus Rex Poloniæ in Liuoniam festinans, Rigam profectus est: quæ ciuitas etsi libera esse soleat, nec Magno Liuoniæ Magistro, sed Imperio subiecta, nuper tamen in fidē Regis Poloniæ concessit, in cuius ille territorio omnes arces, ciuitates, capitaneatus, & præfecturas Archiepiscopales nunc possidet. Posseuinus, & Patres Societatis Iesu, Regem, vt ab ipsa Religione & Ecclesia, reformationem auspicaretur, hortati sunt. Proposuit itaque Rex, quòd ob populi raritatem, regionisque deuastationes, pro Archiepiscopo Rigensi, & Episcopo Derptensi, nunc vnus tantū Episcopus esset, isque Vvendæ sedem figeret: vrbs autem & territorium Vvendense, non esset iuris Episcopalis, sed eius loco Vvolmaria, Trickata, & Bortnicka Episcopi mensæ applicarentur. Deinde & Patribus Societatis Iesu, Rigæ Ecclesiam S. Iacobi concessit, eosque liberaliter dotatos, in messem Domini misit. Deinde ad formandam Rempub. animum adiecit: sed maiores difficultates inueniens, quàm quæ sine multorum deliberatione componi possent, ad 4. Octobris huius anni Varsouiam Comitia indixit. Agrestes tamen homines, ac rusticos, qui nobilium misera sunt mācipia, & si diurnum pensum laboris non soluant, aut dominos suos irritant, miserrimè vapulant, vocari Rex iussit: eisque significari, Suam Maiest. duræ illorum conditionis misereri, velle eos à plagis ac verberibus vindicare, & mulctam mitissimā, si peccauerint, ipsis imponere. Cui Rustici, se antiquas consuetudines mutari nolle, malle omnia dura perpeti, quàm nouitatem aliquam introduci. Quorum agrestes animos Rex admiratus, subridens discessit.

Rex Poloniæ reformat Ecclesiam.

Rustici seruitutē libertati præferūt.

Aquisgranensium Catholicorum legati, cùm aliquandiu apud Cæsarem essent commorati, tandem ab ipso responsum acceperunt: Esse nimirum hanc ipsorum obedientiam Cæsari gratam, eamque in perpetua apud ipsum memoria futuram. Ipsis Suæ Maiest. diligentiam, in promouendo Catholicorum negotio, vrbemque in antiqua Religione, atque statutis cōseruanda, perspectam esse. In hac Cæsarem perseueraturum. Cæterùm petere, ne moram aliquantulam ægrè ferāt, donec nouos in vrbem Legatos mittat, qui Catholicis, non

Respōsum Imper. ad legationē Aquisgranensium.

non tantùm de restitutione factarum, faciẽdarumq́ue 1582
impensarum, sed & toti Reipub. in omnibus controuersijs essent satisfacturi.

Data est hæc legatio Gebhardo Archiepiscopo Coloniensi, & Iohanni Treuirensi, Electoribus, qui statim id per literas Aquisgranensibus indicârunt, seseque paulò post subdelegatos suos, ex Consiliarijs eò missuros, significârunt, petieruntq́ue, vt eorum consilijs atque mandatis acquiescant. Sperare etenim sese, Subdelegatos suos tam ciuiliter cum ipsis acturos, vt querelæ nullus amplius locus relinquatur.

Alenconius ex Anglia in Belgium nauigat.

Initio mensis Februarij, Dux Alenconius, cum nobili suo Gallorum comitatu, alijsq́ue Anglis, à Regina ei adiunctis, Londino, Thamesi fluuio secũdo, Rochestrum, atque inde paulò post Vlissingam, Zelandiæ oppidum; inde Mittelburgo Armuidam profectus, Auraicum, eius aduentum expectantem, salutauit. & tandem 19. eiusdem mensis, vnà cum Auraico Antuerpiam peruenit.

Alenconius Antuerpiæ cum triumpho excipitur.

Antuerpienses iam dudum in arcubus triumphalibus, varijs theatris, imaginibus, alijsq́ue rebus, ad nouum Ducem magnificè excipiendum, parandis desudârant. In porta S. Georgij, quã erat ingressurus Alenconius, arcus erat magnificentissimus, cui erat inscriptum:

Abstulit vt regni Dominus moderamina Sauli,
Et reprobum sancti priuauit Numinis aura,
Præfecitq́ue suo Regem Dauida popello:
Sic modò depulsis patria, regnoque Tyrannis,
Dux generose, tuo voluit nos Marte tueri.

Hîc Alenconio Senatus obuius venit, adducens Virginem formosissimam, qualem eum fortè non illubenter videre nouerant, quæ auream clauem offerebat. Quod factum nonnulli sic interpretabantur, quasi Senatus suas, ciuiumq́ue suarum filias, genti salacissimę, prostituendas fatali omine significaret.

Non procul hinc alius arcus erat, aut pegma potius, cum hac scriptura:

Aduersùs veluti Saulis promiserat omnes
Tutari Ionathas Regem Dauida furores:
Sic contra instantes, Princeps generose, Tyrannos,
Nos tibi commissos serua, rege pacis amantes.

Ventum deinde ad tertium theatrum, huiusmodi carmine insignitum:

Gratia

1582 *Gratia nata Deo, cultu vestita niuali,*
Et folijs ornata manu pallentis oliuæ,
O Princeps patriæ Pater, & spes maxima, nostræ
Virginis Antuerpæ iußit te celsa subire
Mœnia, & afflictum populum pietate leuare,
Iustitiaque suis depellere finibus hostes.

Erat & triumphalis porta iuxta monetam exædificata, tali tetrasticho inscripta:

Illa potens nimiumque viget Respublica felix,
Cælitùs omnigenis accumulata bonis:
In qua Dux populi caput est, populusque relata
Obsequitur capiti, ceu sua membra, vice.

Quantos quamque inutiles sumptus in peristylijs, facibus & candelis, vinculis, quibus miseri Hispani ex ligno facti innectebantur; Gigantibus & piscibus fingendis, stultus popellus fecerit, facilè dici non posset. At paulò post, Dauidem vicit Saul, Ionathas contra Saulis furores Dauida non est tutatus: sed ipse hostiliter eum inuasit, non patrem patriæ, sed vitricum; non Gratia, sed Perfidia celsa mœnia subire; non hostes iustitia, sed iniustitia ciues depellere suis finibus iussit. Denique cùm Dux populi caput se facere vellet, populus Ducem armis ex dominio suo exturbauit. Vincula fracta sunt, Hispani liberati, Gigas carie consumitur, & nihil ex ista lætitia residuum permansit aliud, quàm quòd posteri insignem gentis huius insaniam deridebunt.

Annò scilicet sequenti.

Alenconius inauguratur.

Ductus inde in Curiam Alenconius, præstito iuramento quod ab eo exigebatur, Ducali pileo, & chlamyde insignitur, & Dux Brabantiæ inauguratur, Auraico ludicræ istius comœdiæ histrionem agente.

Bronckhorst oppugnatur.

Ad finem Februarij Ordines Bronckhorstium secundò infeliciter tentârunt, & tam diu obsidionem continuârunt, tantasque inutiles impensas fecerunt, vt ab hostibus illuderêtur, & turpissimis ignominiæ notis aspergerentur.

Germani haleces abijciunt.

Circa hoc tempus quidam, aut maleuoli, aut rudes homines, per Germaniam spargunt, Haleces tam fumatos, quàm salitos, vermibus esse infectos; ostendentesq; venulas quasdam pro vermibus, id apud populum effecerunt, vt plerique abhorrentes, eos edere noluerint: quin & quibusdam locis Germaniæ foro sunt interdicti, plurimaque vasa simul in Rhenum detrusa, magno quorundã mercatorum damno, exitioque

extremo. Quæ quidem opinio tam tenaciter vulgi mentibus hærebat, vt nullis inde persuasionibus abduci posset. 1582

Poloniæ Rex ad Suecum legationem mittit, quæ restitutionem quorundam locorum peteret: Scire se quidem, ait, fœdus inter vtrunque percussum esse, pactumque, vt quod quisque Mosco ademeret, id suum esset. Eius articuli expositionem sanè intelligi debere. Suecum iam in Finlandia omnia sua recuperâsse, multa insuper Mosco ademisse: licere illi ex fœdere in Moscouiam traijcere & plura Ducis loca occupare. Reuiliam verò, Naruam, Vvittesteiniam, Vvesenburgum, Harrienam, Hapselium, Lothum, & Leallum ad Liuoniam pertinere, Liuoniam autem ad regnum Poloniæ. Non esse itaque æquum, vnum confœderatorum, alterius oppida & arces, inuito vero domino occupare. Petere itaque, vt Seciæ Rex prædictas munitiones, iustis prius impensis, in expugnandis illis factis, rursùm annumeratis, Polono restituat: ne qua inter vicina regna lis exoriatur. Hæc cùm orâsset Christophorus Vvarseuilius; Suecus indignabundus literas Polono referri iubet: in quibus non Regum aut Principũ more, sed in foro litigantium, cum Polono expostulauit. Initio dotem promissam postulat, inde pecuniam mutuò datam, calendarioque destinatã, vnà cum quæstu, repetit. Hapselium, Lothum & Leallum Danici, nõ Polonici iuris esse dicit: quæ loca cùm Moscus iam ante occupârit, ex ijsque Sueciam infestârit, nõ iniquè fecisse, quòd hostem quæsierit, vbicunque potuerit illum inuenire. Se etiam suosque maiores fortius pro Liuonia, quàm Polonorum Reges, pugnâsse. Nisi enim Sueci, ait, Reueliam defendissent, & ad Vuendã auxiliares suas copias misissent, Liuonia tota Moscorum tyrannidi subiaceret. Nullas sibi gratias haberi, imò tormenta ad expeditionem Vvendæ missa, queritur se inuito detineri. Fœdus contra Moscum initum se ratum habere. Exceptiones verò, Conditiones, Reseruata Gallica (quibus cautum volebat Polonus, Polonica excepta, sola hæreditaria Mosci loca occupanda esse) ignorare tanquam in ea schola non edoctum. Mirum itaq; sibi videri, prudentem Regem audere postulare, aperto Marte expugnatorum oppidorum restitutionem. Mitteret potius Polonus dotem, mitteret cum quæstu pecuniam in calendarium conuersam: quod nisi fecerit, se ratio-

Legatio Poloni ad Succum.

Responsio Sueci.

1582 se rationes accipiendi inuenturum. Memor esset Cimbrorum & Gothorum, eos licet vnius oræ Sueciæ populos, totam tamē Italiam subiugâsse: se totius regni Regem, & huiusmodi Gothos & Cimbros sub se habere plures, qui nec Mosci, nec Poloni vires reformidēt.

Hæ literæ etsi Polonum plurimum exasperarent, maluit tamen priuatam iniuriam, publicæ regni quieti & tranquillitati postponere. Suecus bellum aduersus Moscum susceptum continuauit. nihil tamen hac æstate memoria dignum actum est, nisi quòd quidam præfectus Suecorum Notenburgum frustra tentauit: & Moscus congregato exercitu Blavvenbergam se religionis ergò proficisci, & à morte filij, quem ipse interfecerat, sese expiare velle simulauit, Reueliam aut Naruam ex improuiso volens adoriri: sed detectis insidijs, peregrinatio ista est suspensa, factæque inter Suecos & Moscos aliquot mensium induciæ.

Suecus Moscū debellare pergit.

Vigesimo die Martij Ioannes Paynus, sacerdos, in Anglia ab Odoano Hoptono arcis Londinensis præfecto captus, & ad tribunal raptus, proditionis cōdemnatur. Erant autem accusationis capita duo, suspicio & depositio. Suspicio, quòd ante quinque annos se contulerit ad partes vltramarinas, indequé citò reuersus sit. Secundò, quòd factus sit sacerdos ab Episcopo Cameracensi, & obedientiam præstiterit Romano Pontifici. Tertiò, quòd in Belgio locutus sit cum proditoribus Comite Vvestmerlandiæ, D. Alano, & D. Bristoo. Quartò, quòd socium itineris habuerit filium proditoris, D. Guilielmi Tempest. Depositio verò petebatur ex iuramento Elioti hominis infamis & bis periuri. Paynus ad singula respondit: priora duo, ait, non esse argumenta sufficientia ad probandam proditionem. Ad tertium, se nunquam Comiti Vvestmerlandiæ locutum, nec Alanum aut Bristoum proditionis mentionem coram se fecisse. Ad quartum, D. Tempest virū esse nobilem, secum de proditione non egisse, neque se illicitum putare illius vti familiaritate, qui D. Christophoro Hattoni, Regiæ Maiest. Consiliario, operam daret. Elioti denique depositionem ita à se remouit, vt Deum & animam suam contestaretur, nunquam se eiusmodi sermonem cum illo habuisse. Petijt etiā, adductis Scripturæ testimonijs, testem secundum. Quid multis? euenit sancto viro, quod innocenti gallo gallinacco in Apologis: cui cùm à catto esuriente plurima obij-

Ioannis Payni Martyrium.

Deut. 17. Ioan. 8.

obijcerentur crimina, quæ gallus facile diluit, nec haberet cattus quod contradiceret, ait: 1581

Argumenta tuam quantumuis plurima causam
Defendant, tamen hinc ego non impastus abibo.

Dolendum sanè florentissimum illud, & quondã Catholicissimum Angliæ regnum eò deuenisse, vt postposita omni ratione atque æquitate, nihil nunc præter sanguinem Catholicorum sitiat. Sed ad rem. Ex hac præsumptione, & vnius Elioti testimonio condemnatur Paynus. Cùm ad supplicium traheretur, & in via, & in curru, & in ipso laqueo fidem & innocentiam suam disertè testatus, strangulatur; & à cruce ad cælum, ab ignominia ad gloriam, à breui supplicio ad quietem sempiternam proficiscitur.

Septimo Calend. Aug. anni 81. Sinanus, seu Sinan Bassa, inducijs factis cum Rege Persarum, donec de pace ageretur, Constantinopolim ingressus est. 14. deinceps Calen. April. huius anni Persarum quoque legatus ad Murathem venit, de pace acturus. Erat legatus Regi Persico sanguine iunctus, & Ibraimus Can dicebatur: homo qui ob singulares animi dotes, etiam ab hostibus prædicabatur. Hic cùm de pace agere inciperet, non inuenit talem rerum constitutionem, qualem ex Sinan Bassæ pollicitationibus sperâsset. Nam Turcæ regnum Mediæ integrũ sibi concedi volebant, propterea quòd aliquã eius partem initio belli occupâssent: Persæ contra, non modò Media cedere non volunt, verùm etiam, quod sibi iniustè ereptum conqueruntur, restitui debere postulabant. Diu disceptatur, Persæ pacis amantiores aliqua concedere, Turcæ nihil remittere velle videbantur. discessum est, vt legati ad Persiæ Regem mitterent, eius voluntatem scrutaturos. Interea nuntiatur Osman Bassam, qui cum exercitu ad portas ferreas sedebat, eruptione in Mediã factã, multum habitatoribus tempore induciarum nihil mali metuentibus, damni intulisse: sed à Persis superuenientibus insigni clade repressum esse. Quæ cùm celeriter Byzantij nuntiata essent, & Osman in Persas culpam deriuaret, tanquam ipsi tempore induciarum Turcas incautos oppressissent; Murathes ira correptus, Persici legati sedem, quam in Hippodromo spectandis ludis (qui ob filij sui circumcisionem, de qua mox dicemus, exhibebantur) habebat, dirui iussit, & Legatum ædibus exire prohibuit.

Legatus Regis Persarũ ad pacem cõponendã Byzantium venit.

Ossman Bassa tempore induciarũ Mediam depopulatur.

1582 Erat Murathi filius Mahumetus, 15. aut 16. annorũ puer. Huic tunc Byzantij, vt circuncideretur iuxta Mahometicæ legis præscriptum, celeberrimum festũ parabatur. Inchoatum est festum hoc circa nonum Maij, durauitque ad 22. Iulij. Incedebat sæpe per ciuitatē magna cum pompa Murathes, comitatus filio. Variæ animalium & volatilium formæ ex saccaro confectæ circunferebantur. Ciues, opificesque omnes artis & scientiarũ insignia, Christiani pariter & Turcæ, Iudæiq; in honorem Sultani crescentis, magna cum lætitia circunducebant, totaque vrbs in lætitiam & triumphum soluta esse videbatur. Præterea nulla erat societas, quæ non aliquod egregium artis suæ opus Sultano offerret, quibusve ipse è cōtra non aliquid largiretur. Ludorum verò locus erat Hippodromus, vbi Murathes cum filio residens, ludos varij generis conspiciebat. Aderant præterea primarij Turcæ omnes, & legati Regũ & Principũ ex toto ferè orbe conuocatorũ. Inter Christianorũ legatos, Cæsaris Rom. Orator: inter Ethnicos Legatus Regis Persarum primum habebat locum. Edebantur ibi varij generis ludi, variæ pugnarum & certaminum formæ, expugnationumque diuersi modi & simulacra monstrabantur. Ignes artificiales magna cum arte cōfecti, de noctu accendebantur. Pleraque autem in Turcarum laudes, & Christianorum ignominiam fingebantur. Erant præterea quæ miro artificio atque agilitate in funibus ambularent, atque saltarent. saltationes de nocte fiebant. Comœdiæ atque Tragœdiæ à Christianis atque Hebræis, eodem quoque tempore agebātur. Depugnabant etiam feræ, inter reliquas porcus domesticus ex ædibus Imperatoris Cæsarei petitus cum tribus leonibus modico interuallo ita pugnauit, vti eorum impetum non modò egregiè sustinuerit, sed &, nisi vno pede ligatus fuisset, forsan etiam eos fugâsset, vicissetque. Vnum certè, eumque vltimum, naso ita excepit, vt subtus supra volueretur, turpiterque aufugeret, magno cum Turcarum pudore, qui leonibus se, porcis Christianos, Germanos maximè comparabant. Vnum erat miserabile animis atque oculis Christianis spectaculum, quòd ingens numerus Christianorum ex Græcia Mysiaque, atq; ex insulis affluеret, qui turmatim in honorem Murathis, in sui verò perditionem publicè abnegârunt fidem Christianam, atque Mahometicæ superstitioni atque impietati sese addixerunt.

Circuncisionis Mahumeti Imperatoris Turcarum filij festiuitas.

Multi Christiani Mahometistæ facti.

xerunt.

xerunt. Ludorum verò exitum & catastrophen Ianizarorum & Spahiorum in Hippodromo excitatus tumultus dedit. Peracta clam circuncisione, Imperator paucis post diebus in regiam, quam in Bosphoro habet promontorio, recessit: ibiq; Regum & Principum legatos audiuit, & munera, donaque accipiens, eos dimisit. 1582

Per id tempus è Martyrũ sanguine magis magisque in Anglia crescēte Ecclesia, capti sunt D. Vvilhelmus Filbius, D. Lucas Chirbeus, D. Laurentius Richardsonius, & D. Thomas Cottamus: quos cùm immanes isti carnifices nullis machinis, nullaque tormentorũ acerbitate permouere possent, vt vel crimen falsò impositũ agnoscerent, vel à religione Romana desciscerent, studuerunt eos suis constitutionibus impijs circunscribere, sequentes singulis quæstiones proponentes: *Alij in Anglia Martyres quatuor.* *Sex quæstiones Martyribus propositæ.*

Vtrùm Bulla Pij V. in Reginæ Maiestatem lata, sententia sit legitima, cui parere omnes Angliæ subditi teneantur? Vtrùm Regina sit legitima Regina, cui omnes Angli obedire debeant, non obstante Pij V. aut quacunque alia Bulla, siue sententia à Pontifice Romana lata, aut in posterum contra Reginæ Maiestatem ferenda? Vtrùm Romanus Pontifex modò possit, aut potuerit Comitibus Northumbriæ & Vvestmerlandiæ, alijsque subditis suæ Maiestatis, rebellandi facultatem concedere, armave sumendi contra Maiestatem suam? Præterea vtrum Doctori Sandero, aut alijs quibusuis copiam facere potuerit, inuadendi Hiberniam, aut alias suæ Maiestatis ditiones, bellumve ei inferendi, & vtrum illis hoc facere, nec ne, licuerit? Vtrum Papa habeat potestatem absoluendi suæ Maiestatis subditos, aut alicuius alterius Christiani principis ab obedientia, & iuramento præstito suæ Maiestati, aut principibus suis, vllam ob causam? Vtrùm prædictus Doctor Sanderus in libro suo de Visibili Monarchia Ecclesiæ, & Doctor Bristous in libro suo de Motiuis (scriptis in approbationem, commendationem, & confirmationem Bullæ Pij V.) verè, falsève docuerint, quoad hoc, ac sustinuerint? Si Papa Bulla sua vel sententia pronũtiaret Maiestatem suam nõ esse legitimam Reginam, subditosque ab obediendi vinculo liberos declararet: item si Papa vel quispiã alius ab illo designatus, eiusq; auctoritate fretus, regnum inuaderet, quam partem sequeretur, aut quam sectam potissimùm bono ac fi- 1. 2. 3. 4. 5. 6.

1582 deli Christiano, Angliæ regno subiecto, sequendam esse putaret?

Ad has quæstiones Christi Martyres, adiuti gratia illius, qui coram Iudicibus os & sapientiam suis largiturum promisit, tam prudenter responderunt, vt quod cauillarentur, aut obijcerēt, qui Magistratus appellantur, non haberent. Tamen odio inueterato in Catholicos olim cōcepto incitati, quatuor venerabiles Christi Sacerdotes superius nominati, perduellionis (hoc enim colore fucatur hæc Anglicana Iustitia) condemnati, & in crucem sublati, exenteratique sunt. Stabat in curru Filbius, stabat & cum eo famulus quidam Magistratûs, qui cùm sudarium sancti viri videret: Heus ait, quid habes in sudario? & simul eripiens ei è manibus, cùm crucem ligneam paruam in eo inuolutā inuenisset, Ecce, inquit, sceleratus proditor crucem secum portat. quod cùm frequenter, multis ex populo idem conclamantibus inculcaret, D. Filbius subridens tacuit. Morituri & animam Deo commendaturi, Latinas preces fundebant. Indignè id ferentibus Anglis, & vt Anglicè orarent iubentibus, vt & ipsi cum illis orare possent: responderūt, se id non facturos, eò quòd non eiusdem secum Religionis essent. Catholicos autem, vt secum precarentur, rogârunt: atque ita in Domino obdormiêrunt.

Proditores sunt in Anglia, qui crucē penes se habent.

Initio Martij Alenconius in vsum Catholicorum ab Antuerpiēsibus quatuor templa postulauit. Res hęc non parum animos Caluinistarum ab eo alienauit. Postulatio in deliberationem venit. plurimum disceptatum est, lupum auribus (vt aiunt) tenebat tandem. Catholicis incolis exercitiū suæ Religionis denegatū, Alenconio verò & suis aulicis templū S. Michaëlis permissum, ad quod cùm & Catholici nonnulli confluerent, ab aduersa parte eiecti, & malè mulctati sunt.

Antuerpienses Catholicis templum, etiā Alenconio intercedēte, negant.

Paulò post tanta exorta subitò est tempestas, tamq; horridus ingruit ventus, vt per Scaldin, vicinaq; Hollandiæ atq; Zelandiæ loca, plus quàm 150. naues omnigenis mercibus onustæ, aut vadis illisæ, aut aquis absorptæ sint. Aggeres è regione vrbis Antuerpiensis ingenti aquarum mole disiecti: multæ ædes sublatæ, & fluctibus inuolutæ. sed & aqua in ipsa vrbis penuaria irrumpens, multa mercimonia miserè perdidit. Eodem quoque die multa sub noctem spectacula horrenda super vrbem in aëre visa dicebantur. Quæ omnia summam

Tēpestas in Hollādia &c.

mam aduentu Alenconij allatam lætitiam, in luctum metumque commutârunt. Sub idem tempus Dominus de Motte, non procul ab Hypris arcem munitissimam (Soeteftede appellant) feliciter occupauit. 1582

Aquisgranenses acceptis Electorum literis, vt diximus, vndecimo Martij respondent: Sese nihil magis optare, quàm vt tam celebris legatio frustra non mittatur, sed vt ad scopum & finem destinatum perueniat, quo & Resp. tandem pristinæ quieti restituatur. Gratissimum sibi quoque fore, vt caussa omnis controuersiæ ab hominibus æquis, & in neutram partem propendentibus, cognoscatur. futurum sic absque dubio, vt Cæsar & Principes ipsi, lōgè rem aliter sese habere iudicent, quàm à seditiosis quibusdam, & spontaneis exulibus, esse fingatur. Deinde sibi hanc legationē gratam non esse, ex hoc ostendunt, quòd legatos ad Cæsarem ablegauerint, quòd Syndicus vrbis apud Saxonem & Brandenburgensem adhuc hæreret, quòd Lantgrauius Hassiæ & multæ ciuitates Imperiales suas quoq; legationes ad Cæsarem pro ipsis intercessuras miserint. Qui omnes quamdiu reuersi non fuerint, negant se quidquam cum Legatis agere posse. Sed & vrbem tam arctè obsideri à Burgundis, & Iuliacensi, vt Consiliarij & Assessores, hinc inde euocandi, ad dictum diem adesse nō possint. Speciosa profectò excusatio. Præterea quia vehementer instarent Cæsar & Legati, vt exules in vrbem reciperentur, & inter illos Magistratum agnoscerent: aiunt, inter exules nullum legitimū Magistratum esse, nec consultū esse, eos in vrbem redire; cùm à furore ciuium eos Magistratus tueri non possit, cùm sint auctores omnis calamitatis, omniūq; incommodorum, quibus Respub. sex iam mensium arctissima obsidione affligeretur. Orāt tandem, vt Electores commissioni suæ supersedeant, donec legati reuertantur, & mitius à Cæsare responsum secum ferāt: interim Electores apud Iuliæ Ducem & Burgundos instent, vt tandem hæc diuturna obsidio soluatur.

Aquisgranenses respondent Electoribus.

Risus dolorem & luctus gaudium excipit, ait ille, & bene. Quid enim post stultam Antuerpiensium & inconditam ob aduentum Alenconij lætitiam, ab ipsis elementis passi sint, diximus paulo ante: nunc, quanta sit subsecuta perturbatio, audiamus. Octauodecimo mensis Martij, qui dies natalis erat Alenconio, magni apparatus Antuerpiæ fiebant, ad exhibendos pomeri-

Auraicus Antuerpiæ à Iau.

1582 diano tēpore ludos, militaria certamina, torneamēta, & id genus alia. Apparabatur cœna opipara, ad quā Auraicus & alij multi erant vocati. Prandebat Auraicus in aula sua, & se ad Alenconij natalitia cohonestanda præparabat. Sub prandium aulam intrauit quidam adolescens, nomine Iohannes Iaurengius, ex Bilbao Cantabriæ oppido natus, iam verò in familiam Gasparis Anastri Cantabri, ante prædiuitis mercatoris, nunc ære grauati alieno adscitus. Adolescens iste sclopeto paruo, duplici globo onerato, & pugione armatus, in aula, ad ianuā cubiculi, in quo Auraicus prādebat, eum egressurum opperiebatur. Venit Princeps, accessit adolescens, & libellum offert supplicem. quo acceptando & explicando dum occupatur Auraicus, Iohannes sclopetum clam in faciem Auraici collimat, & simul explodit. globulus sub mento intrans, caput traijcit, & sub dextra aure rursus exiuit, vtraque maxilla perforata, dente vno aut altero excusso, lingua tamē intacta. ignis verò barbam & faciem adussit. Collabascentem medium corripit Holachius Comes. Et dum adolescens manu sanguinolenta (præ nimio etenim iniecto puluere crepans sclopetus pollicem illi abripuerat) pugionem euaginatum in cor adigere conatur, ab adstante satellite bipenni transfoditur. Mox alij accurrentes, viginti cum vulneribus confossum, interfecerunt. Auraicus in cubiculum ducitur, & cōfestim Medici atque chirurgi expertissimi aduocantur. Magna erat in vrbe trepidatio, magnusque luctus, præsertim inter Caluinianos, qui conspirationem aduersariorum metuebant, & Archipatriarcham suum, spem atque delicias suas intermorituras suspicabantur. Quidam Alenconium insimulabant, & Sant Bartholomæana festa repetebant, quò ipse, Auraico sublato, totius Belgici imperio potiretur. Cadauer Adolescentis ex aula tractū lauatur, & à sanguine mundatum, ex pegmate suspenditur: si fortè quis interfectorem viuum cognouisset. dolebant verò plurimùm eum occisum, & non viuum captum, torturæque subiectum esse atque examinationi. Agnitus tandem est, & ex qua familia prodijsset, ad procere delatum. Confestim ad ædes Anastri cursitatum, tota familia capta, omnes codicilli, libri, diaria &c. ad Magistratum delata, atque examinata sunt. Captus itē monachus Dominicanus, nomine Antonius Timmermannus, & faber qui sclopetū condiderat.

Regio vulneratur.

Quæ

Quæ dum fiunt, portæ clausæ detinebantur, mœnia (ne quis elabi posset) obseruabātur. Alenconius & Franci illius à furenti populo ad necem quærebātur: arma ipsis tāquam suspectis adempta, adeoque tumultuatum est, vt Alēconius præ nimia trepidatione vberrimè fleuisse dicatur, & opem Auraici implorasse. Qui confestim, etsi propter obligatum vulnus loqui non posset, ad chiliarchas vrbis literas dat, quibus Alenconio parci petijt: nec eum, nec suos esse facinoris perpetrati conscios testabatur. Seruate, inquit, optimū principem, principem, inquam, vestrum. Optimè vobis, optimè libertati vestræ cupit. vosq; liberare seruitute cupit. Quòd si hinc migrauero, ne alium vobis Ducem & Defensorem quærite. Metuebat enim, ne se mortuo deesset, qui Vatinianū suum in Philippum Regem odium foueret, aut continuaret. Quod vnum Auraici testimonium, tantum apud populum valuit, vt de Alenconio omnis concepta suspicio euanuerit. qui postea quotidie Auraicum inuisit. Portæ tamen nō aperiebantur per aliquot dies, nisi cum aliquis cum Auraici literis, ad alias prouincias, quæ de morte ipsius persuasæ, deficere fortassis potuissent, emitteretur. Cœtus Caluinistici statim supplicationes & ferias pro sanitate Auraici instituerunt. 1582 *Alenconius & Galli periclitantur.*

Paulo post sumptum est de Antonio Venero, capsulario Anastri, & Antonio Timmermanno suppliciū. capite plexi, deinde in quatuor partes dissecti, & cum cadauere Iaurengi diuersis locis è turribus, portisque suspensi. De ipso autem Iaurengio, de magia, amuletis, cædis intentione, alijsque personæ circunstantijs, quicquid in mentem & buccam venit, Caluiniani effutiebant. quæ à cordatioribus, eò quòd nulla ipsius extaret confessio, immò nemini nisi de facie notus esset, facilè contemnebantur. *Cōscij facinoris plectuntur.*

Venit interim ad aulam Principis Parmēsis rumor, Auraicum occisum. Qui confestim per feciales, Gandauenses, Brugenses, & Bruxellenses, defensore (vt putabatur) priuatos, ad deditionem solicitabat: Tyrannoque patriæ sublato, Regis clementiam atque beneuolentiam eis offerebat. sed illi de morte Auraici nondum certi, Principis & Regis beneficium respuebat. *Parmēsis fecialem ad præcipuas ciuitates mittit.*

Mensis Maij die 28. in Anglia D. Thomas Fordus, manè inter sextam & septimam horam, à Londinensi turri, ad Tyborne pertractus, cùm insigne suæ fidei Catholi-

1582 tholicæ testimonium dedisset, à Caluiniano Magistratu increpatus, & lesæ maiestatis accusatus, sese fortiter stans in curru defendit. inde laqueum induens, Deique opem implorans, alta voce, *Iesus, Iesus, Iesus esto mihi Iesus*, clamans, vitam finiuit. Eo adhuc pendente, Ioannes Shertus, è traha sublatus, cùm Thomam videret, O felix, ait, Thoma, felix profectò, qui cursum tam felicem confecisti. O beata anima, næ tu iam in loco bono es: tu sancta anima pro me pacem ac veniam à Deo pete. Increpatus quòd mortuos inuocaret, stans in curru, eadem repetiit, & B. Virginis opem insuper inuocauit, docetque fidem suã solidam esse. Inde innocentiam suam demonstrantem rogat Magistratus, crimen suum confiteatur, veniamque petat, Reginam procul dubio ipsi vitam largituram. At ille: Quid? pro vili hoc cadauere conseruando, animam meam perdam? absit. Rogatus inde quid de Regina sentiret, essetne caput Ecclesiæ Anglicanæ? ait constanter, se nullum Ecclesiæ caput aliud, præter Summum Pôtificem nouisse. Deinde caput laqueo inserens, ait: In damnatorum sedẽ, sine vlla dubitatione præceps deturbabitur, quisquis extra Ecclesiã Catholicã à vita discedit. Vltimò Deo se cõmendans, moritur. Post Shertum D. Robertus Ihonsonus productus est: qui vti alij post constantem fidei professionem, primùm suspensus, deinde semiuiuus depositus, exenteratus & dissectus est.

Anglica-na perse-cutio.

Electores Coloniensis & Treuirẽsis, acceptis Aquisgranensium literis, quibus legationis Cæsareæ executionem prorogari cupiebãt: vel quòd eorũ alter clam ipsis fauere, vel quòd sine consensu Cæsaris legationẽ protelare non auderent, non obscurè cõsiderantes eos Cæsaris legationem procrastinando eludere, nihil responderunt. quamobrem Aquisgranenses secundò scribunt ad eosdem Electores, eadem, quæ prioribus literis erant inserta, repetentes; Esse nimirum se membrũ Imperij, rem non esse ipsorum priuatam, sed ad omnes Ordines Imperij pertinere: ideoque sine ipsorum consensu nec dare, nec accipere conditiones posse, præsertim in his, quæ priuilegijs suis, Imperij constitutionibus, & paci Religioni datæ repugnarent. Rogare itaq; secundò, ne legationem Electores præcipitent, sed cunctanter agant, & reditum Legatorum præstolentur.

Secunda responsio Aquisgranensium Electoribus missa.

Moritur interea Daniel Brendelius, de Homberg, Archiepiscopus & Elector Moguntinus, postquam viginti

Daniel Elector

ginti sex annos, summa cum laude Ecclesiam istam rexisset, ad vltimam senectutem sanctè & grauiter vixisset, & Moguntinam Academiam restaurâsset, magnas opes Ecclesiæ suæ relinquens: cuius aula plena erat integritatis, officij, & religionis. 1582 *Moguntinus moritur.*

Aderat iam primus Aprilis dies, qui ab Aquisgranensibus metuebatur: eo quòd is ab Electoribus dictus esset Legationis executioni. Et quia binis literis adductas rationes Electores contemnere videbantur, tertias, minarum plenas, ad eosdem scribunt: fore nimirum, si Legati in vrbem veniant, vt populus in furores, multo quàm vnquã antea maiores, vertatur, à cæde & sanguine Magistratus mandato reuocari non possit. sensisse id anno superiori Philippum Nassouium, nunc acerbiores fore. Quare consulto facturos Legatos, si exulum reductionem non vrgeant: Burgundicos legatos, ante obsidionem solutam, in vrbem nõ adducant. & si quid inter obsidentes & obsessos tractare velint, quosdam ex vrbe euocent, & cum ijs proximo in pago Birscheitio, ex mandato Cæsaris agant. se ipsos audituros, & responsum daturos esse. *Tertia, eaq; minax ad Electores Aquisgranensium responsio.*

Paululùm antequam hæc fierent, 27. scilicet Martij, Verdugius insignem prope Keppel, Geldriæ Dominium & arcem, de Ordinum militibus Anglis victoriam reportauit. Cœperunt quoque paulatim Hispani & Burgundi, ab ipsis Hannoniensibus & Arthesijs, ad finem Ianuarij, prece & præmio reuocati, in Principis Parmensis castra redire. *Geusij caeduntur in Keppel.*

Crucius & Quinquiballius centuriones Gallici, initio mensis Aprilis, proditione Lens oppidum Gallicæ Belgicæ occupârunt. quod Parmensis corona (ne quis cum præda egrederetur, cinxit, ipsosque Gallos ad deditionem coëgit. qui territi, relicta præda cum oppido, captiuisque restitutis, ad suos abire permissi sunt. Dum in hac expeditione laborat Parmẽsis, ab alia parte Alenconiani plicatiles scalas secum ferentes, Namurcensem ciuitatem atque arcem clàm inuadere tentârunt. Barlemontius vrbis præfectus aberat: Mater verò Parmensis Margareta, tunc aulam ibidem habebat. Sed visis hostium copijs, insidiæ detectæ sunt, strepitúque in vrbe concitato, Galli relictis curribus, scalis, cæterisque impedimentis, fugam adornârunt. Insecuti regij multos ex hostibus ceperunt. *Lens oppidulum intercipitur.*

Hochsaxus Baro Heluetius, Geldriæ vrbis præfe-

1582 ctus, Martinum Schenckium, virum licet iuuenem, tamen militaris disciplinæ peritia, & fortitudine socijs admirationem, & hostibus terriculamentum, Xanthos oppidum Cliuiæ liberum, & nulli parti addictum, paucis comitantibus profectum, expugnato eius hospitio, 150. stipatus equitibus cepit, & Geldriam oppidum captiuum abduxit. Defenderat initio se fortiter Schenkius, sperans ciues & Magistratum non admissuros, vt in ciuitate libera quis ab externo caperetur. Sed cùm eos conniuere vidisset, sese dedidit: id sibi molestum non fore dicens, si in campo vel pugna, & non proditoriè captus fuisset. Detentus in custodia biennium, & vltra, tandem grandi lytro redemptus est. Eo enim capto, res Ordinum in istis partibus minùs periclitabantur.

Schenkius capitur.

Aprilis octauo Parmensis simulauit se Menenas, munitionem Flandriæ, obsidere & oppugnare velle: cumqúe exercitum eò duceret, Audenardenses tria præsidiariorum signa, vel ad defendendam hanc munitionem, vel ad aliam expeditionem periclitandam, emiserunt. Parmensis cùm tria iam tantùm in vrbe signa esse intellexisset, hanc occasionem arripiendam ratus, summa celeritate à Menenis exercitum ad mœnia Audenardensia reducit, vrbemqúe ita cinxit, vt nihil ipsis subsidij mitti posset. & ne quid ad tutiorem obsidionem restaret, Gaueram, arcem medio itinere sitam, vi expugnauit. Inde maiora tormenta ad vrbem concutiendam trahi, & omnia ad expugnationem necessaria iubet comportari.

Audenarda obsidetur.

Dum in Audenardena obsidione est Parmensis, Alenconiani, collectis vndique præsidijs, Fumao & Templio, Mechliniæ atque Bruxellensium Præfectis, ductoribus, Alostum oppidum Flandriæ ad gerendum in Flandria & Brabantia (in quorum finibus situm est) bellum percommodum, astu occupârunt. Quindecim ante dies regij magnam in oppidum hoc annonam importârant: multa circuniacentium Catholicorum bona huc erant aduecta: & 400. penè Ecclesiastici viri ex vicinis locis huc confluxerant. quæ omnia in potestatem hostium peruenerunt. Quam infamiam vt regij abstergerent, arcem Gaesbeeck interceperunt. mentiti enim se Alostanos esse præsidiarios, & captæ vrbis prædam in arcem conuehi velle, recepti alios expulerunt, & munitiones in suam potestatem redegerunt.

Alostum astu capitur.

Strratagema.

Ita

Ita insidijs, proditionibus & stratagematibus hoc anno potius, quàm aperto Marte, in Belgio pugnatum est. 1582

Nondum quicquam de morte aut vita Auraici certum haberi potuit. In Aula Parmensis, alijsque locis Catholicorum, mortuus dicebatur, in alijs viuus. cumque literæ de eius vita afferrentur, ij qui mortuum existimabant, dicebant exanime corpus à malo spiritu regi: incantationibus & magicis artibus viuum videri, non autem esse: alij alia commentabantur, & singuli suæ opinionis rationes & exempla adducebant. Postridie verò quàm Auraicus in grauem incidisset febrim, vxor eius è viuis excessit. Quo tempore & Sadoletus Lotharingus, à Regijs ad Ordines transfuga, infeliciter ad Bronckhorstium pugnauit: desideratis circiter 300. equitibus, & impedimentis omnibus cum bellicis machinis relictis. *Varij de morte Auraici rumores.*

Paulò post Alenconius duo promulgauit edicta: Primo negotiationem omnem cum regijs interdixit; secundo vetabat, ne quis in posterum captiuum militem accepto lytro dimitteret, qui non albo militari sub certo centurione esset asscriptus.

Circa medium Maij Parmensis Audenardam oppugnare, & eius mœnia tormentis conuellere incepit: stratisque iam ruinis, fascibus & virgultis fossas opplerunt, pontesque 18. Hispani (Galli enim Belgici, & Germani illud recusabant) strauerunt: primoque impetu propugnaculum munitissimum ceperunt. Gandauenses quidem obsessis opem ferre voluerunt: sed ab Epirotis equitibus, quos Albanesos vocant, cæsi sunt, & fugati. *Audenarda oppugnatur.*

Comes Laleinius equina calce grauiter læsus, paulò ante obierat. moriturus is (vt fama est) filios, propinquos, præfectos rei militaris, amicos & necessarios, ad se vocans, peccatum suum confessus est: quòd Regi suo iniquior, Galli nimiùm initio posterioris belli (erat enim tunc non leuis Iohannis Austriaci hostis, vt idem in sua conqueritur Apologia) fuisset studiosus: hortaturque omnes, vt Catholicam Religionem agonizando propugnent, & optimum suum Regem venerentur. Sibi enim dolere, quòd secus aliquando fecisset. *Comitis Laleinij mors.*

Interea regij admotis scalis Diesthemium tentarunt, iamque forū occupauerant, cùm præsidiarij portas *Regij suo dāno Die-*

1582 tas tam diligenter obſeruarent, vt equitatus admitti

ſthemiā tentant. non poſſet. Qui itaque in foro erant, fortiter dimicantes, aut cæſi ſunt, aut capti penè omnes.

Circa idem tempus Alenconius iuramentum fidelitatis Antuerpiæ à ſingulis patribus familiâs poſtulauit, in hunc modum: Iuro me Regem Hiſpaniæ in

Formula juramēti Alēconio præſtiti. poſterum nihili facturum: ei nullū obſequium præſtiturum, nec eum vti Dominum, ſupremumqúe Principem meum æſtimaturum: me ab omni fide, qua illi quocunque modo, tanquam ſupremo Belgij Principi, obſtrictus fui hactenus, nunc liberum atque expeditum declarans. Illuſtriſſimo verò Principi Franciſco, D. G. Franciæ hæredi, Regis vnico fratri, Duci Lotherij, Brabantiæ, Limburgi, Geldriæ, Andegaui, &c. Comiti Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Zutphaniæ &c. Marchioni Sacri Imperij, vti Domino atque Principi meo legitimo, proqúe tali habito, & legitimè electo, promitto, me illi pro viribus meis, contra Regis Hiſp. eiqúe adhærentium, Suæ Celſ. & Belgij hoſtium, impetum atque violentiam auxiliaturum: meqúe præſtiturum omnia, quibus fideles ſubditi, Brabantiæ Duci antiquitùs obſtringebantur, & quæ ex iuramento illi ſolent præſtare. Atque hæc omnia ſecundùm præſcriptum Læti ingreſſus, literas & priuilegia nobis conceſſa. Iuro præterea, polliceorqúe, me huic Antuerpienſi vrbi fidelem fore, meqúe ipſam, ſub noſtri huius clementiſſimi Principis obedientia, defenſurum.

Cœpit ab eo tempore Alenconius ab indigenis atque exteris, per literas & ſalutationes, Dux Brabantiæ appellari. Paulò poſt ſexcenti Proteſtantes, libellum ſupplicem Magiſtratui Antuerpiano porrigunt, quo Lutheranicæ ſectæ templum, liberaqúe exercitia precabantur.

Audenarda oppugnatur. Parmenſis Princeps vehementer vrgebat vrbis Audenardenę expugnationem, copias ſuas tribus millibus Sequanorum & Germanorum auxit, muros 32. tormentis æneis concuſſit, & multis locis diſturbauit. Borchius vrbis præfectus Flander, nihil quod ad defenſionem pertinebat, omiſit: aquam fluminis interlabentis per nilos in agros emiſit, & circunquaque campos ſtagnare fecit. ita vt Gādauēſes exiguis ſcaphis nōnunquam ad obſeſſos delati, ipſis animos adderent. Variè, varijs locis & temporibus vrbem oppugnauit Parmenſis, ſed fruſtrà. Tandem cuniculis ad portam actis,

ijsque apertis, porta potitus est, vnà cum propugnaculo vicino. 1582

Et ne quis Belgarum, ob Alenconio præstitum iuramētum, animum abijceret, quasi gratiæ nullus apud Regem Hisp. relictus esset locus; Parmensis publicè iubet promulgari, Regē illud iusiurandum, vt coactum, nihili æstimare, ab eo Belgas absoluere, & pro fidelibus suis subditis agnoscere, si Regi & Gubernatori eius in posterum velint obedire. *Regis clementia.*

Altipennius interim cum sexcentis circiter equitibus, ad portas vsque Antuerpianas procurrit, Alenconianos ad pugnam prouocans: sed tanta inter illos erat trepidatio, vt obseratis triduo portis, sese intra muros continerent, nec quisquam sese campo credere auderet. Quare Altipennius abacta insigni præda, Lyram progressus, cum Alphonso Hispano transfuga leuiter certauit, eumque cepit. sed paulò post à suis liberatur.

In Polonia atque Liuonia religio Catholica, diuina adiuuante gratia, maxima sumebat incrementa. Laborabant in messe Dominica Patres Societatis Iesu, quos Rex & Cardinalis Radziuvilus (indignè id ferentibus Lutheranis, qui in Liuonia præcipuè sunt frequētissimi) multum amabant, atque defendebāt, templumque diui Iacobi, vt diximus, illis habitandum dederant. Huius rei vt apud posteros extaret memoria, Cardinalis arcem Rigensem restaurans, parieti hos versus inscribi iussit:

Deuicto Mosco, qui vincere sueuerat omnes,
His vbi pax terris reddita rursum erat,
Priscaque relligio Rigam reuocata vigere
Cœperat in templo diue Iacobe tuo,
Hæc renouata arx est, &c.

Alenconius dolis potiùs, quàm viribus, cum regijs agendum ratus, Ducis Arschotani filium corrupit, eumque eò impulit, vt oppidum Chimay ei traderet. Sed cùm in literarum inscriptione error esset, literæ Franco scriptæ ad patrem, & patris ad Francos peruenêre; quo casu insidiæ detectæ sunt, Ducisque diligentia oppidulum in fide regia conseruatum. Eodem quoque tempore Arschotum oppidum Gallus, quatuor peditum millibus & octingentis equitibus aggressus, cùm iam signa portis intulisset, ab Epirota quodam præsidij præfecto turpiter est repulsus. Cumque Parmen- *Alenconius principem de Chimay corrumpit.*

1582 mensis sua castra sic munijsset, vt illa adoriri non auderet, Rochepotium misit cum quatuor Gallorum millibus, vt Cortracum, vicinam vrbem, astu occuparet: sed detectis insidijs, magnoque damno accepto, retrocessit.

Audenardæ deditio.

Audenardenses diuturnæ obsidionis pertæsi, cùm nulla ipsis subsidia mitterentur, tandem ijsdem conditionibus, quibus antea Tornacenses, in potestatem Regis, ipsis Nonis Iulij, concesserunt. Qua vrbe recuperata, Parmensis statim partem exercitus in Gallos misit, eosque fudit, & ad portas vsque Gandauensium profligauit.

Galliæ Regina in vsum Antonij classem instruit.

Antonius Ludouici Portugalliæ Spurius, tota Lusitania iam exactus, vt insulas Azores, quæ Gubernatoris beneficio adhuc in eius fide permanebant, defendere posset, omnes vires intendebat. Cùm verò intellexisset in Francia, Regem Hispan. ad recuperandas insulas Azores classem maximam instruere, Reginam, Regis Galliæ matrem, istius fecit certiorem. Hæc (vt refert in sua Apologia Antonius) quo conatus Hispani impediret, confestim & ipsa classem instructissimam iubet apparari, cui Philippum Strocum cognatum suum præfecit, eique legatum, fiduciariam operam obtinentem, dedit Comitem de Brisac, quibus sese Antonius adiunxit: sperans fore, vt cùm ipse adesset, S. Michaelis insulam facilius occuparet. Classis erat 50. nauium, in quibus sex militum millia, & septingenti Nobiles Galli, cum ducentis Lusitanis vehebantur, qui vltimo Iunij in insula Belisse naues conscendentes, & in altum prouecti, incolumes ad insulam S. Michaelis (quæ 30. ferè milliaribus à Tercera abest) appulsi sunt. Incolæ classem Antonij videntes, sese in fidem illius dediderunt. Erant in Insula 800 Hispani præsidiarij, qui, vt illud impedirent, plurimum cùm laborare frustrà sese cognouissent, in munitionem quandam conferunt, eamque, classem Hispanicam expectantes, acriter defendunt.

Insula S. Michaelis se Antonio dedit.

Pugna apud Azores habita.

Marchio verò S. Crucis Dux & præfectus classis Regiæ, sexta Idus Iulij, cum 25. nauibus maioribus, & quinque minoribus, è portu Vlyssiponensi soluens, in altum nauigauit. Erant aliæ tres naues in portu, quæ, quia paratæ nondum erant, classem subsequi iussæ sunt. In Bætica quoque, ad hanc expeditionem perficiendam, 19 naues, Phaseles, quas Galeones vocant, duæ,

trire-

triremes verò duodecim, & nauigia minora duo in- 1582
struebantur. Harum omnium nauium spe Marchio mare ingressus est, & tribus diebus inidonea tempestate nauigauit: vsqueadeo, vt tertio iam die 55. milliaribus ab Vlysbona abesset, circa ingressum Promontorij sacri 50. nihilominus ab eo milliaribus. Sedata iam nonnihil tempestate, qua procul à recto cursu disiecti erant, nauis quædam Iberica, qua tres veteranæ militum cohortes, quæ nuper in Belgio militârant, vehebantur, cum medicamentis & ægrorum præfectis, solutis laterum compagibus, rimis fatiscebat, ac iam aquā recipiens, Vlysbonam repetebat. Verùm tertio Idus, idoneum ventum nacti, facile vno die amissum iter recuperârunt, & eodem perpetuo vsi, tandem 12. Calend. Augusti D. Michaelis insulam procul aspiciebāt, & postridie Villamfrancam (qui locus eiusdem insulæ, 50. penè ædificijs constat) incolumes appulerunt. Pridie quàm ad insulam appulissent, Marchio duo nauigia, quæ Pataxes vocantur, sex sclopetarijs vnicuique impositis, Duce Agira (qui quinque illarum nauicularum, quas Pataxes vocari diximus, præfectus erat) explotatum emiserat, seriò Ducem admonens, vt cautius iter institueret: quòd si aduersariorum nauis aliqua sese offerret, ne temerè accederet, aut eam ad se venire pateretur. Literas insuper illi, Ambrosio de Aguiar reddendas, dabat, quibus significabatur, classem Regiam, quam ducebat admodum munitam, quinque millibus & quingentis militibus instructam esse: cum illis cohortem D. Lopi de Figueroa, & mille octingentos veteranos, qui ex Belgio aduenerant, vnà computari: omissis interim amplius quàm 200. nobilibus perquā strenuis, qui nuper Regi militatum venerant: Classem insuper reliquam, quæ Gadibus fabricata atque armata erat, quinque peditum millibus instructam, singulis momentis expectari. Velle se ab eo certiorem fieri, si quid de classe Gallica compertum haberet. Marchione iam Villamfrancam petente, vna illarum nauium, quæ Vlysbonæ ad conuehendos equos relictæ erant, ad prætoriam nauem ex improuiso appulit, ex cuius nautis didicerunt, naues illas, quas Vlysbonæ detentas diximus, postridiè classem, cum tribus hippagogis, quas Hispani carauelas vocant, secutas fuisse, & pridiè illius diei Villamfrancam appulisse. His allatis, Marchio quosdam ad Insulanos cum mandatis misit, qui ter-

1582 tormentis aliquot displosis, propiùs accedere prohibiti sunt.

Dum hæc geruntur, vna nauium illarum, quibus Dux Agira paulò ante speculatum iuerat, ad classem reuersa, nuntiat Ducem ipsum cum altera in Galliciæ vnius nauis & actuariarum quarundam, quæ à littore prodierant, potestatem venisse. Ex quibus facilè collectu fuerat, Insulanos ab Hispaniarum Rege defecisse. Marchio itaque, vocato ad se D. Lope de Figueroa, summo exercitûs duce, consilium cum illo capere cœperat, de milite in littus exponendo, Insulanis conueniendis, & aquatione facienda. Significauerat quoque Michaeli de Oquendo & Roderico de Vergas, vti diligenter prospicerent, quanam descensus facilior esset. Visa paulò post & cognita, iuxta promontorium, quod punctum Delgada nominant, Antoniana classe, Marchio confestim naues suas in ordinem cogit: Illæ cum terribili tympanorum strepitu, horridoque fistularum fragore, vexilla passim extendentes, infestis animis, hostilem classem petebant. Quod ipsum non dissimili ardore, nec inconcinniori ordine, inimica classis factitabat. Verùm nimia ac incredibilis penè tranquillitas, pugnam eo die remorata est. Marchio itaque nihil de Insulanorum statu certi habens, rursus in altum nauigabat: cùm secunda iam vigilia Dominus de Aduriaga præfectus nauis Catilinæ, celoce quadam, cum quinque Cantabris ad prætoriam vectus, literas quasdam à Ioanne de Castilla, Marchioni reddit, quibus hæc ferè continebantur: Classis Antoniana, quam præsentem intueris, 58. naues habet, quarum 28. iusta magnitudine, reliquæ longè impari constantes, sex Gallorum millibus armatæ sunt: quare si nostra imbecillior videbitur, quàm quæ tantis viribus resistere queat, sub hac munitione, quæ etiamnum Hispaniarum Regis est, tutò aliquandiu latere potest; tu interim quid possis etiam atque etiam vide, & quantum periculi, si vincaris, immineat. Hæc propemodùm literis scribebantur. Præterea ex Dominico & socijs de aduentu Antonij, & eius victoria, certior factus Marchio, Dominicum in insulam remisit, & Hispanos bono esse animo iussit. Die autem sequenti, quæ 10. Calend. Augusti erat, vtraque classis futuræ pugnæ iam secundò specimen edebat: cùm inimica, sole ventoque

coad-

coadiuuantibus, in tres veluti phalanges diuisa, nostram vltrò impetitura videbatur. Verùm iam tertiò id conata, nunquam tamen cominus aggressa est. Cadente verò iam sole, & classe Hispanica rursus altum petente, Galli decem nauibus, ex ordine littori admotis, nostros ea nocte à tergo adoriri cogitabant. Verùm deficiente vento, vlteriùs progredi nequiuerunt. Proxima autem die, quæ 9. Calend. erat, iam tertiò ambæ classes obeundi prælij cupidissimæ, vtrinque ex aduerso dimicaturæ accedebant: cùm Antoniana iterum secundo vento vsa, Hispanicam bis vltrò lacessebat; insulæq; le littus longo nauium ordine carpens, vlterius progredi minimè sustinebat. Marchio itaque, Gallis sese cōtinentibus, Hispanos littus propiùs accedere minimè tutū existimās, sublatis velis altum peti iusserat: futurū ratus, vt paulò post ab Antonianis, dū vela ponerētur, nauesq; circūagerētur, vltrò peterētur, quod reuera accidit. Prætoria enim aduersariorū nauis, Galeonibus septē adiūctis, ad Prætoriā regiā & S. Matthæi Galeonē, iamiā adoritura, accurrebat: verū displosis vtrinq; summa vi tormētis, nihil vlterius efficiebatur. Labēte iā die, & classe vtrinque in pacatum recepta, Marchio maximi momenti futurum iudicans, si deflexis nonnihil nauibus, inimicorum vento potiri posset; suos adhortatur, vt surgente iam Luna, classem contorqueant: quo quidem ex sententia peracto, ventoque ab inimicis dexterè surrepto, 8. Calend. hostilem classem spontè aggredi conabatur. Verùm quòd naues velis paulò impeditioribus essent, id aliquandiu frustra adnitebatur, donec Christophorus de Eraso, infesto animo hostem vlteriùs prosequendo, tormentoque maiori exploso, in præsens periculum adductus, opem prætoriæ requirebat. 1582

Septima Calend. Augusti hostes, compositis ordinibus, aspirante vento Hispanam classem aggrediuntur. Marchio itaque suos ilicò naues coniungere iubet. Verùm quòd S. Matthæi Galeo nonnihil retrorsum hæreret, verebatur ne antequam præsto adesse posset, inimici eum harpagonibus inuaderent. quod re vera accidit. Duæ enim Gallorum naues, Prætoria vna cum altera auxiliaria, eum inuasuræ ferebantur: quarum tamen vim, strenuè se defendendo, summis viribus repellebat, quanquam aliæ insuper duæ, eam celeriter præteruolantes, tormentis admodum lacesserent. *Pugna naualis.*

1582 Eodem quoque tempore duæ Gallorum naues, rectà in prætoriam contendentes, tanta tormentorum vi exceptæ ſunt, vt cùm earum altera iamiam fundum petitura videretur, ſtatim in tutum receſſerint. pugna interim Gallicarum nauium cum S. Matthæi Galeone, ducibus militibusque ſtrenuè ſeſe defendentibus, nihilo magis ſe remittebat. Marchio itaque videns, pleraſque Gallorum naues Hiſpanis puppibus oppoſitas, periculumque in quo S. Matthæi Galeo verſabatur, ilicò nauem ſuam in hoſtes deflecti iubet. Hunc ſecutus Chriſtophorus de Eraſo, effecit vti alias naues, quas antea ſequebatur, longo iam interuallo anteuerteret. paulò poſt ſumma vi cum Michaële de Veneza ſimul in prætoriam delati, magna virtute dimicârunt. Marchioni interea impedimento erant, quo minus eo tempore hoſtium prætoriam inuaderet. Iam itaque cum ſubſidiaria prætoriæ, quam Galli Almirantem vocant, tres Hiſpanicæ rem gerebant: à quarum vna, quæ Villauitioſam ferebat, Gallicæ nauis prora detinebatur, in qua ipſe quoque Villauitioſa cum alijs quibuſdam ſtrenuè admodum pugnantibus paulò poſt occubuit. Ocquenda verò ex ſua naui Gallicæ puppim manica detinebat. hinc milite in eam immiſſo, & quatuor Gallis appræhenſis, eam pro arbitrio deprædabatur. Et iam omnes penè aduerſariorum naues cum Hiſpanicis prælio colluctabantur, cùm repentè aliæ duæ Gallorum naues in prætoriæ ſubſidium aduolantes, nouoque milite adiuuantes, plurimum D. Matthæi Galeonis defenſoribus & Michaeli de Veneza negotij faceſſebant. Marchio interea iterum in Gallorum prętoriam impetu facto, collatis proris, magnam aduerſarijs ſtragem intulerant: qua dum in deditione facienda mora nectitur, plus quàm trecenti Galli occubuerunt. Hoc rerum ſtatu nobiles & milites, qui propugnacula tuebantur, Auguſtinus quoque de Herera, Garreaque cum ſuis vexilliferis, inſigne profectò bellicæ virtutis ſpecimen edidêre. Marchio nihilominùs, vtpote qui omnium curam gereret, ea quæ opus erant imperando, ſuorumque animos accendendo, & in aduerſarios ſtimulãdo, quacunque per propugnacula diſcurrebat. Eorum quoq; diligentia, qui tormentis præfuerunt, effectum eſt, vt ex tabulatis magna hoſtibus clades inferretur. Marulinus verò cũ Roderico de Vergas, quacunque diſcurrendo, ingenti animo periclitan-

tibus

tibus aderant. Illi quoque, qui ex corbibus pugnabant, 1582
suo munere fungebantur. Reliqua etiam nauigia illatis acceptisque cladibus inchoatum prælium prosequebãtur. Christophorus autem de Eraso in tormentis explodendis admodum frequens erat. Non minus fortiter ex iis, quas tuebantur, nauibus pugnabant duces hi, D. Michael de Corduba, Christophorus de Pais, Petrus de Santesteuen, Diegus Colona, D. Ioannes de Binero, Acacius de Agera, Diegus Zuares de Zalazar, & Ioannes de Bolanis.

Pugna quinque horis atrocissima fuit, quibus lapsis, inimicorum classis fœdè admodum disiecta atque prostrata iacuit: Antonius verò præcedenti ante pugnam die celoce quadam aliaque naue sub vesperam prælio se subduxerat. Ex reliqua hostium classe, aliæ naues fluctibus absorptæ fuerunt, aliæ omnibus omninò interfectis malè mulctatæ, aut desertæ fluctuabant: verùm quòd Hispani ad procursum tardiores essent, nec militem, qui in hostium naues mitti posset, haberent, Marchio alias concremari, alias in alto deprimi iubet. quo fieri cœpto, Hippagoga ea, quæ cum equis in hostium potestatem venerat, ilicò detecta est.

Occubuerunt in classe Gallicana mille ducenti: inter alios Philippus Stroci classis præfectus, sclopeto quodam læsus, & ante Marchionem delatus, ilicò animam efflauit. Comes quem de Viniosо vocant, sclopeto quodam & gladio vulneratus, in prætoria altero post prælium die interijt. Comitem verò Brisac, qui Philippi Stroci vices gerebat, alij desperatis iam rebus conscensa scapha fuga elapsum, alij sclopeto interemptum esse volunt. D. de Beaumont, militum præfectus, in prælio occubuit. Octo verò totidem cohortum duces, quos Galli præfectos vocant, qui classe ista cum sex millibus & octingentis militibus vnà voluntarijs numeratis vehebantur, partim læsi sunt, partim interempti. Capti sunt Domini ciuitatum aut castrorum titulo insignes 25. Nobiles verò 49. præter gregarios milites alios, qui viui in potestatem Hispanorum venerunt. Ex Hispanis 224. desiderati: læsi verò 553.

Nomina cæsorum principum.

Marchio itaque liquidò exploratam habens, classem illam, integra adhuc inter Hispaniarum & Christianissimum Galliarum Regem pace, à voluntarijs quibusdam rerum Antonij plus æquo studiosis,

Marchio de captiuis tanquam p[…]

1582 *ratis supplicium sumit.* ea potissimum spe instructam esse, vt Hispaniarum Regem insularum & maris imperio exuerent, vtrique Indiæ classes deprædarentur, mox piraticam pro libidine exercerent: omnes captiuos grauissimi huius delicti reos (nam & pacem publicam, iureiurando stabilitam, & diligentissimè ab vtroque Rege & populo obseruatam, insigni scelere perturbârunt) commerciorum & publicæ tranquillitatis hostes iudicauit. Deinde tanquam de piratis, & rebellionis erga Regem excitatæ conscijs, vt iusto supplicio alijs exemplo essent, omnes capite condemnauit: & nobiles quidem securi percutiendos, alios verò strangulandos tradidit. Sententia autem ipsis Augusti Calend. eodem nempe quo lata est die, sine mora executioni mandata est.

Antonius Insulam Mederam tentat. His peractis, Marchio classes Indicas expectans, cum iis in Hispaniam reuersus est. Antonius cùm Marchionem discessisse intellexisset, reliquias classis & militum suorum collegit, easque ad insulam Mederam occupandam velificare iussit. Sed quia mensis Octobris præ foribus erat, quo mense Oceanus in illis regionibus plus quàm cæteris anni temporibus solet moueri, tanta subitò exorta est tempestas, vt classis è medio itinere Terceram redire cogeretur. Antonius postquam viginti adhuc dies in insula mansisset, cum Cypriano de Figuereido, hactenus Insulæ Gubernatore, suffecto in eius locum Emanuele de Silua, in Franciam iterum nauigauit, vbi summo cum honore à Rege atque Regina exceptus est, à quibus & spem accepit nouæ classis, auxiliorumque ad regnum recuperandum.

Antonius in Franciā redit.

Initium tumultus Coloniensis. Eodem ferè tempore, initium habuit tumultus ille funestissimus Coloniensis, auspicijs Gebhardi Truchsesij Archiepiscopi & Electoris Coloniensis, & Comitis Nuenarij Adolphi concitatus: ex quo cruentum illud bellum est consecutum. quod cùm nos fideliter, cum suis causis & circunstantijs, peculiari opere, in aliquot libros distincto, prosecuti simus, summaria tantùm hîc capita recensebimus, cætera lector ex illo petat. Qui Protestantium opiniones sequebantur Coloniæ, priùs libellum supplicem Amplissimo Senatui obtulerunt, locum & libertatem suæ Religionis exercendæ flagitantes. Sed Senatus, precibus eorum reiectis, eos, quorum nominibus libellus

bellus ille erat subscriptus, in liberam custodiam ire 1582
præcepit. Mox doctissimus vir Melchior Bruyn, SS. Apostolorum iam Decanus, libellum insigni scripto refutauit. Sed & Senatus, vt, quanti faceret Catholicam Religionem, ipso facto demonstraret, mense Augusto, publico edicto cauit, vt aduenæ, qui post annum 1566. ad hanc vrbem commigrâssent, & ad præscriptum Catholicæ Religionis non viuerent, aut viuere vellent, infra quatuor septimanas, vrbe relicta, aliò sese reciperent: Senatum enim illos diutius ferre nolle. Quotquot autem ex illis contra Senatusconsultum concionibus in Mechteren habitis, aut conuenticulis clandestinis alijs interfuissent, vel antehac vrbem relinquere iussi essent, in hos Senatum insuper pœna temeritati debita animaduertere decreuisse. Est autem Mechteren villa, in agro suburbano sita, in qua tribus continuis diebus Dominicis, præsidio Comitis Nuenarij Adolphi, hæreticæ conciones à Ministro quodam Silesio habitæ erant: frustra Senatu reclamante, & tandem etiam maioribus tormentis concionem dissipante. Ad quæ cùm Gebhardus Elector conniueret, Capitulum tandem suam auctoritatem interposuit, & publico conuentu in TsherenMullem conuocato, conciones istæ in posterum omissæ sunt, & interdictæ.

Imperator Principes Imperij Augustam Vindelicorum ad comitia vocârat, vt de rebus grauioribus, atque Imperij incolumitate, communi consensu agerent. Gebhardus, cùm ipse ad comitia venire nollet, Illustrem D. Christophorum Comitem à Tengern, & Eberardum Comitem à Solms, cum alijs nonnullis Augustam mittit, promittens breui sese subsecuturum. Capitulum quoque eo Illustrissimum Fridericum Saxoniæ & Lovvenburgi Ducem, suo nomine misit quod grauiter tulit Gebhardus, cùm Ducem sibi parum amicum haberet. Dum itaque Legati Augustæ hærent, & Electorem quotidie expectant, cùm diuersis literis aduentum suum polliceretur, tandem eius nomine Adolphus Comes Solmensis, & Doctor Schvvarzius venerunt. qui in mandatis habebant, vt libertatem Religionis, per Diœcesin Coloniensem pro subditis, & matrimonium pro Archiepiscopo, saluo honore & administratione Diœceseos, impetrarent. Sed licet Protestãtes alij, atque inprimis Episcopus Magdeburgensis, Germaniæ

Comitia Augustana.

Gebhardus ad comitia non venit.

1582 maniæ Primas, similia vehementer vrgerent, nihil tamen impetrârunt.

Alēconius in Flādriā proficiscitur. Alenconius Principi Espenoy & Fromontio custodiam vrbis Antuerpiensis committens, Vlissingā primùm, inde Brugas proficiscitur: exercitumque cogit, tanquam magni aliquid acturus. tantùm vt Flandris animum adderet, ne amissione duarum munitissimarū, tam exiguo tempore, ciuitatum, animum abijcerent, & de viribus Alenconij desperarent. Antequam tamen personatus hic Brabantiæ Dux cum suo paranympho Auraico Antuerpia discederet, per fecialem à Buscoducensibus postulauit, vt vrbem sibi, tanquam Brabantiæ Duci, traderent. Sed Buscoducenses hunc Ducem non agnouerunt.

Hispanorū in Belgium reditus. Hispani interea & Itali auxiliares, Vitroum Luxēburgi vicum, & inde Charlemontium venerunt, magnaque lætitia ab Ordinibus Catholicis excepti sunt. existimabant enim (id quod factum est) belli cursum nūc celeriorem, aleamque fore feliciorem. Interea Parmensis prope Duinkerkam Gallos aggressus, eos cædit partim, partim in fugam vertit. ne autem tormēta in manus hostium venirent, Galli ea in profundissimos lacus aut fossas deturbârunt.

Scoti & Angli ad Parmensem deficiunt. Noritz Angli & Stuarti Scoti duæ legiones, eò quòd stipendia ipsis debita non soluerentur, ab Ordinibus ad regios defecerunt, & Parmensi strenuā operam (erant enim veterani omnes) nauârunt. Tumultuabātur & præsidiarij Bruxellenses, occupataq; per vim Regia, atque Domo ciuica, pecuniam postulabant. cumq; aliquātulum ipsis offerretur, tumultus iste sopitus est, Sed & Scotus quidam Lichfeldius cognomento Simplex, præfectus præsidij Lyrensis, cùm æs militare sibi debitum diu frustra petijsset, decepto Hietfeldeo vrbis Gubernatore, nouo stratagemate Lyram in potestatem Regis Hisp. tradidit. Simulans enim se ad opimā prædā cum suis proficisci, profunda nocte maximam boum, equorum, & hominum prædam adducens, portam sibi iussit aperiri. apertum est paruum ostiolum. ille hostē insequi fingebat, & nisi maiorem portam reserarent, fore vt hostis omnem prædam recipiat. Aperta itaque maiori porta, cæsis excubitoribus, eam occupat, & regios equites, qui in insidijs proximi erant, intromittit. qui forum primùm, deinde totum oppidum postridiè Calend. Augusti in suam redegêre potestatem. Est au-

Lyram occupant regij.

tem

tem Lyra oppidum munitissimum, & opportuno loco situm, ad commeatum omnem Antuerpiensibus, Mechliniensibus & Bruxellensibus, hac aduehi solitũ prohibendum. 1582

Paulo ante Alenconio adhuc Gandaui commorãte, Comes Egmondanus Lamorallius, captiui frater, & Salsedus Italus quidam, in suspicionem venère, quòd Alenconium toxico infectum, auferre è medio decreuissent. quare vterque captus est: Salsedus verò tyrannidem Gallorũ metuens, seipsum turpiter in vinculis interemit. *Comes Egmondanus capitur.*

Verdugius Frisiæ præfectus obsidionẽ Lochemensem in Comitatu Zutphaniæ adhuc cõtinuabat. Cumque Ordines eò 1800. equites peditesq́ misissent, vt obsessis commeatum adueherent, Verdugius, intercepto commeatu, hostiles copias omnes occidit, & profligauit. Sed & eodem penè tempore feliciter prope Steenvvichium à regijs pugnatum est. *Lochemensium obsidio.*

Arnemiæ, Geldriẹ oppido, Ordines Ducatus illius conuenerant, vt de eiurando Rege Philippo, & Alenconio in Ducem recipiendo, deliberarent. Sed post multas altercationes, re tandem infecta, discesserunt.

Alenconius inter Duinkerckam & Vinoci montẽ, inter duo flumina stationem tutissimam habebat. Parmensis eò exercitum transportat, & hostem sæpius elicienti, nunquam iusto prælio cum eo data fuit pugnãdi potestas, frequentioribus tamẽ velitationibus vtrinque non leuia damna dederunt, & acceperunt. Parmensis pontibus flumen sternere conabatur, & impetum facere in Alenconij castra. Cæterùm cùm Alenconius audisset prius Hispanorum agmen, quod 41. signis constabat, in regia castra venisse, Manriquesij quoque Germanicam legionem & Boëmicos cunicularios hosti um exercitui sese iunxisse, 18. Augusti castra Gãdauum mouit. Ne autem hostem fugere videretur, fingit se Gandauum vocari, vt Comes Flandriæ inauguretur, ad hoc præsentiam suam requiri, cùm absenti iurare nollent. Hostis ergum insecuti regij, in ipsis Gandauensium suburbiis, leui prælio cum Francis confligunt. In quo Gonzaga vulneratus, equus cui Mondragonius insidebat, occisus est, & è Francis plurimi ceciderunt. nisi verò maiorum tormentorum globis oppidani in Regis exercitum frequentissimis depluissent, deleti fuissent ad internecionem Franci omnes. Alenconius hac rei *Hispani & Germani in castra Parmẽsis veniunt.* *Gonzaga vulneratur.*

1582 nouitate perterritus, & ne Gandaui se extra periculum esse metuens, clam Antuerpiam redijt, & Mechliniam, Bruxellas, Viluordiamque maioribus præsidijs muniuit.

Protestãtes ex comitijs ad Colonienses scribunt.

Interea legati Protestantium Coloniensium in comitijs Augustanis, à suæ Religionis proceribus literas ad Senatum, alias etiam ad Gebhardum Archiepiscopum impetrant, quibus nouitiæ Religionis imperturbatum exercitium postulabant. Senatus verò, postquam comitijs peractis proceres discessisse intellexit, responsum in aliud tempus cōmodius distulit. Interim summa cum diligentia attendit, ne qua mutatio Religionis in Repub. sua exoriretur.

Lochemium ab obsidione liberatur.

Indignè ferebant Geldri & Transiselani Lochemium sic negligi, & Alenconij vires non sufficere ad imbecillem istam obsidionem soluendum: immò, inter vrbes erant, quæ, si Lochemium ab hoste interciperetur, deditionem vltro meditabantur. Non latuit hoc Auraicum, qui missis sæpius auxilijs hoc vnicè laborabat, vt Regij castris exuerentur, & oppidum istud obsidione liberaretur. Sed regij in omnibus prælijs superiores, commeatum intercipiebant; & tandem filios Comitis Montensis, multosque alios belli tribunos, in fugam versos, ad oppidum ipsum insecuti mœnibus se tueri compulerunt. Auraicus horum saluti metuens, Alenconium hortatur, vt vires suas vndique collectas, in regios Lochemium obsidentes duceret, oppidumque diuturna obsidione liberaret. Decem itaque millia peditum, & duo equitum eò confestim misit. Parmensis quoque suis metuens, Carolum Mansfeldiū, & Altipennium regulum, cum lectissimis copijs in obsidentium castra misit. Hi magnis itineribus per Cliuiam Lochemium contendunt, traiectoque feliciter Rheno, socijs se iungunt: vbi cùm magna lætitia exciperentur, accidit Dominum Anholtium regulum, Philippo fidelissimum, dum excubias lustrat, globo è mœnibus ictum, cum maximo suorum mœrore occubuisse. hic vnus erat, qui hanc obsidionem maximè promouebat. Accelerabant interea Galli, vt obsessos liberarent: cumque in conspectu essent, regij pugnam deuitantes, siue quòd impares hostium viribus essent, siue quòd malè inter se conuenirent, turpiter fugêre, & Alenconianis cum commeatu aditū ad oppidum patefecerūt. Mansfeldius & Altipennius cum parte exercitus in Kem-

piniam

piniam reuersi sunt. Verdugius Grollam, atque inde in Frisiam exercitum reducit. Multi hanc Regiorum fugam ab insigni quorundam proditione non esse excusandam existimabant. 1582

Alenconiani hac victoria elati per Flandriã, aliaq; loca, Inuictissimi Cæsaris Caroli V. & Philippi filij insignia deijciunt, & eradunt, Francica substituentes. Sed & Alenconius Antuerpiæ Edictũ promulgat, quo Belgis omnibus vtriusque sexûs, qui patria relicta ad alia loca migrârant, vel Regis partes sequebãtur, vt intra sex à promulgatione hebdomadas reuertantur, ipsique Alenconio fidelitatis iuramentum præstent, serio præcipitur. *Galli per Flandriã Regis Hispan. insignia deijciunt.*

Parmensis verò Likirkam & Gaesbeeckã nuper ab Alenconianis interceptam expugnat. Exclusam quoq; locum munitiorem inter Duacum & Cameracum deditione recepit. Quo tempore Illustrissimus Ernestus Eburonum Episcopus Coloniam venit, quædã, vt fama erat, in mandatis h[illegible]ens à Cæsare, ad quem celeribus equis paulò post reuersus est. *Exclusam occupant regij.*

Gebhardus Archiepiscopus Coloniensis sibi metuens, clam per Vvestphaliam militem conscribit: Consiliarijs ac Satrapis admirantibus quem in finem isti fierent belli apparatus, respondit: Belgas Diœcesin lacessere, Vdam & Issam breui occupâsse, necesse esse vt suos defendat. Quarto deinceps Nouemb. Casparum ab Heijen Nobilem aulicum, cum expeditis aliquot militum cohortibus Bonnam præmisit, qui ope Doctoris Eikij militem introduxit, atque astu quodam oppidũ, aduenienti paulò post Truchsesio, firmo satis præsidio munitum tradidit. Ciues illud ægrè ferentes, exigenti Archiepiscopo claues, aliquandiu constantissime negârunt, quin & de eijciendo præsidio diu multumque deliberârunt, opem ad hoc à Capitulo Metropolitano Coloniensi implorantes. Sed fictis tandem literis, & Capituli nomine falsò subsignatis, claues ciuibus extorsit, & Archiepiscopum exuens, auitæ suæ, in qua natus & educatus erat, religionis persecutor factus est. *Truchsesij Bonnã occupant.*

Parmensis mense Nouemb. Ninouiũ Flandriæ oppidum, in quo nouem Francorum signa erant, primo assultu deditione recuperauit, Hasletum Trãsiselaniæ oppidum, inter Suollam & Steenvvichiũ ad Aam fluuium situm, nondum seditiosis Caluinistarum factionibus, neque perditæ Vltraiectensium Vnioni subscri- *Ninouiũ occupatur à Parmẽsi.*

 pserat.

1582 pſerat. Ciues tranquilli, nec Regis, nec Ordinum partes ſequi voluerunt: ſed nec præſidium vllum admittere. Oppidum paruum eſt, ſed munitiſſimum, & bene conſtituta Reſpub. Inſidiabantur huic oppido pluriſmùm Ordines, & præcipuè Svollenſes. Circa hoc itaque tempus collectis aliquot militibus, euocatáq; præſidij Steenvvicenſis parte, poſitis in ſuburbio intempeſta nocte inſidijs, manè dum porta aperitur, Ordinū milites repulſis excubijs portam intercipiunt, & præſidiarios introducunt. Sæuitum eſt in ciues vtriuſque ſexûs; ſæuitum in templa atque Sanctorum imagines: nondum enim huc Iconomachorum inſolentia peruenerat, ſed Eccleſiaſtica omnia, Magiſtratûs vigilantia, intacta ſeruabantur. Dimiſſum deinde præſidium Steenvvicenſe, aliquot imagines, Diuorumque ſimulachra Steenvvichium aduexit, eiſque murorum loricis impoſitis, exprobrabant Sanctis ipſis, quòd oppidū ſuum malè cuſtodiuiſſent: ridendoque, illudendo, atque inſultando præcipiebant ſtatuis, vt curam nunc diligentiorem adhibeant, diurnas nocturnaſque excubias ſtudioſè agant, &c. Audiuit Deus illorū blaſphemiam, eamque paulò poſt grauiſſimè caſtigauit. Verdugius enim, à ruſtico quodam edoctus, per vadum ad mœnia Steenvvichiana tranâuit, admotiſque ſcalis & excubitoribus interfectis, oppido potitus, præſidiarios trecentos occidit: ciueſque pecunia mulctauit. Alenconius verò nouas copias expectabat ex Frãcia, qui ductore Bironio, circa hoc tempus Duinkerkam nauigijs peruenerunt. Parmenſis autem exercitum in Hiſquano pago, altero ab vrbe Bruxellenſi milliari, in hybernis habebat. Quia verò ad Alenconij petitionem, Rex Galliarum Parmenſi commeatum negabat, & ne quid ſubditi aduehérent interdicebat: Parmenſis miles magna penuria confectus, aut fame peribat, aut dilabebatur. Huc etiam aliud mali accedebat: ex continuis enim pluuijs ſolum tam madidū, lutumque tam profundum factum eſt, vt locus cubandi commodus non eſſet, multique milites ex dyſenteria & alijs morbis interirent. Et certè niſi præceps Alenconij in Antuerpia occupanda conſilium his malis remedium attuliſſet, regius exercitus fame atque aëris iniuria extinctus diſſipatuſque fuiſſet.

Haslet ū à Confœderatis capitur.

Sacrilegū atque blaſphemum Geuſiorū facinus.

Fames & dyſenteria in caſtris regijs.

Gregorius XIII. Pontifex Maximus, anni Tropici quantitatem (id quod alij multi ante eum fruſtra tentaue-

tauerant) correxit, abiectisque statim decē diebus, annum Solis cursui penè adæquauit. Ne autem diuturnitate temporis iterum in solitum errorem incideremus, præcepit idem Pontifex, tribus proximis centesimis annis, qui omnes intercalares esse solent, diem nō intercalare, & quarto demùm centesimo, qui bis millesimus erit, diem interponere. Hunc modum & rationem anni Itali, Hispani, Galli, Poloni, aliæque nationes Catholicæ mox gratanter receperunt. Alenconius quoque, vt idem facerent Flandri, Brabāti, Hollādi &c. præcepit. Vltraiectenses tamen, Geldrij, Germanique Protestantes, id facere noluerunt: non tam quòd ratio iusta non esset, quàm quòd à Pontifice Romano proficisceretur. 1582 Calendarij correctio.

Eodem die, quo Calendarij correctio incepit, comitia quoque Varsouiæ in Polonia suum initium habuerunt. Rex paulò ante literis proceribus regni capita proponenda explicârat. Erant autem hæc: Petere, vt se viuo de alio Rege post se eligendo cogitēt, ne nouis post mortem suam difficultatibus regnum implicetur. Secundò, vt rationem ineant, quomodo desolatæ Liuoniæ succurri, eaque rectè administrari possit. Tertiò, quo pacto Tartari, qui absente Rege regni terminos nō sine subditorum magno damno inuaserant, sint reprimendi. Quartò, vt viam modumque inueniant, non tātum militibus, Germanis præsertim & Pannonibus, stipendia soluendi, sed & Principibus nonnullis Germaniæ pecuniam mutuò datam restituendi. Vltimò, biennium iam effluxisse, ideoque tempus adesse, quo iuxta Regni statuta conuentus semper haberi solet. Rogabat itaque Rex, vt sine excusatióne singuli proceres ipsi adessent.

Aderat iam comitiorū dies, & Nūtij Terrestres (sic enim vocant legatos, quos ex singulis Palatinatibus & Castellaneatibus proceres Regni mittunt, quorum sententia in comitijs summam habet auctoritatem) aduenerant. Propositis capitibus, de quibus consultandum esset, cùm Rex ad singula benignum responsum expectaret: statim primo articulo de nouo Rege eligendo reclamatum, tanquam priuilegijs regni contrario. Deinde relicta hypothesi ad thesin ventum est, & simpliciter sustinuerunt, Regem priuilegia violare. Accedebat alterum exemplum, Regē sustinere sibi fas esse in Nobilem regni extra comitia seu tribunal capi-

tali

1582 tali supplicio animaduertere. vnde arguebant, Regem priuilegia regni polluere. Pro qua sententia nimis acerbè orabant Zarnakouius & Niemiokouius, qui etsi Regem ipsum, eiusdemque administrationem vsque huc laudarent, nunc tamen hostes eum habere, qui & ipsi, & regno malè velint, quorum consilio nihilominus ipse acquiesceret. Rex se per Cancellarium purgat, nihil tamen effecit. cumque res ad contentionem venisset, exclamat Niemiokouius: Rex Stephane, si obserues nostra priuilegia, sicut iurâsti, eris Rex nobis charus: sin minus, eris Stephanus Battor, & ego Iacobus Niemiokouius, atque ita Lituani re infecta abiêrunt. Liuonum quæstio cùm proponeretur, statim quoque lis exorta est inter Polonos & Lituanos, dum illi Liuoniam ad Poloniæ, hi verò ad Lituaniæ municipiũ pertinere contendunt. quâ lite sopita, Liuones pro bonorum & priuilegiorũ restitutione, laudabilique politia instabant. Sed quia multi proceres abijssent, cõstitutis ijs quæ maximè necessaria videbantur, cætera in proxima comitia reijciebantur.

Truchsesij perfidia & præfractum animum.

Gebhardus interim Truchsesius in impio suo proposito progrediens, nihil non ad muniẽdam Bonnam & Catholicam religionem exterminandam ausus, in vicinos pagos & monasteria præsidia disposuit: thesaurum Diœceseos, qui Bruelæ custodiebatur, diripuit, nouos milites cõscripsit, omniaque Capituli sana consilia contempsit. Senatus Coloniensis, ne quid Respub. detrimenti à Gebhardo acciperet, suam quoque vrbem muniuit. Id ægerrimè ferens Gebhardus, ad Tribus Colonienses literas scribit: de Senatu grauiter conqueritur, factiosa esse illius studia, & priuatorũ hominum causas, non publicas eum fouere: suam verò in ciues beneuolentiam exaggerans, subditos in Magistratum armare nitebatur. at illi fideliores, literas ad Senatum deferunt, qui eas prudenti scripto refutauit. Paulò post, cùm frequentissimæ de Archiepiscopo Coloniensi Romam querelæ perferrentur, Pontifex tãdem, ægrè tamen, vt crederet eas veras esse adductus, noluit Anathematis fulmine illum ferire, priusquam paternè, vt resipisceret, admonuisset. Peramicam itaque & benignam exhortationem, ne tantam maculã in Truchsesiorum familiam inferret, sed ad saniorem mentem rediret, Roma ad illum misit. Idem per Legatum suũ D. Andream Gailium, Iurisconsultum nobilissimum

Pontifex & Imper. Truchsesium à cœpto dehortantur.

fecit

fecit Imperator. Vtriusque verò Monarchæ blandam admonitionem ille, in reprobum iam sensum traditus, facilè contempsit. 1582

Endouiam capit Gallus.

Sub finem Decembris Boniuetus Francus Endouiam, Kempiniæ oppidulum, per insidias, aut (vt alij dicunt) per proditionem, cæso Italorũ præsidio, Alenconij imperio adiecit. Antuerpiæ verò conuentus Ordinum per idem tempus erat, in quo quatuor florenorũ milliones (vt vocant) annuè ad belli vsum Alenconio numerandos, certamque illorum portionem à singulis prouincijs singulis mensibus repræsentandam esse decreuerunt.

Galli Belgiũ coronæ Gallicæ connecti cupiũt.

Galli nuper Duinkerkam appulsi, Brugas inde in ditionem Vvasceam venêre, quorũ ductores Bironius, Lauallius, Andelotius, & Admiralij Colignij filius. Asserebant se à Franciæ Rege missos, vt Alenconio Belgium contra Hispaniæ Regem tueantur. Proinde cùm Rex tantas expensas fecerit, in hoc exercitu colligendo, & maiores multò facturus sit, in bello grauissimo hoc prosequendo, iustum esse, vt Belgæ sese coronæ regnoque Francico condonent. Quod tamen in pacto, cum Alenconio inito, erat apertè exceptũ. Idem Alenconius bis ad regale conuiuium Legatis Ordinũ vocatis, proposuit: petijtque vt, licet ipse sine prole moreretur, regno tamen Francico Belgiũ semper maneret annexum. Sed cùm videret nonnullas prouincias, vrbesque minus in hoc propensas, quod persuasionibus non posset, vi tentandum, aut astu, existimauit. Eum in finem ex oppidis antiqua Belgarum præsidia paulatim euocauit, Gallosque suos iterum introduxit. Id nuper Duinkerkæ, id Teneremundæ, alijsque in locis fecerat, sperans se hoc modo per prouincias imperiũ consecuturum.

Legatio Turcica Antuerpiam venit.

Venit & hoc tempore Antuerpiam Turcarum legatio magnifica, quæ de erigendo ibidem mercium suarum emporio tractauit. Octodecim mercatores Turcicos ibi perpetuò fore, merces per mare Ligusticũ Massiliam, inde terra Burdegalam, & Burdegala per Oceanum Antuerpiam aduehendas, pollicebatur. Ex diuersis locis etiam scriptum est, Galliæ Regem Imperatoris Turcici animum solicitare, & petere, vt vere nouo instructissimam in Regem Hispaniæ classem immittat: se deinceps Turcis iter in Belgium aperturum. Legatos Turcicos non esse mercatores, aut mercatorũ causam

1582 sam promotum venisse, sed exploratores esse, & sub mercimoniorum pacto, insidias clam strui, palam querebantur.

Legatio Protestātiū Principum ad Colonienses.

Interea Ioānes Palatinus Dux Bipontinus, Bonnam primùm, deinde quinquaginta equitibus, legatisque Ludouici, Casimiri, & Richardi Palatinorum comitatus Coloniam venit, legationem suo, aliorumque Protestantium nomine, qui nuper ex comitijs Augustanis apud Senatum pro libertate Religionis intercesserant, obiturus. Qui cùm à certis è Magistratu nominatis audiretur, principiò conquestus est: Principes nihil responsi ad literas suas à Senatu accepisse: Sed & postea ad illos perlatum esse, in suæ religionis socios à Senatu varias pœnas & mulctas institui: eorum religionem hic explodi, & exosam contemptim haberi: illius exercitiū interdici: qui illam profitentur, è Senatu eijci; aut viam, ne ad illum assumi possint, ipsis præcludi. Hæc Principes ægre ferre: non hæc tempora tantam seueritatem ferre: non diffidentiam in vrbibus, sed maiora amicitiæ vincula requiri. Orare igitur se Magistratum, ad Principum postulata respondeat: rigida illa statuta Protestantibus supplicia tollat: captiuos dimittat: eos in Senatum quoque recipiat: ijs protestationes, petitiones, & appellationes liberas permittat: duo aut plura templa, ad suam in ijs Religionem exercendum, condonet. Hæc si facere Senatus recusauerit, Principum gratiam amissurum: sin omnia lubens concesserit, beneuolentiam & amicitiam eorum Colonienses arctissimam habituros

Respōsum Senatûs Colonien. ad Protestantium postulata.

ANNO M.D.LXXXIII. postridie Calend. Ian. Senatus Coloniensis ad postulata Bipontini respondit: atque initio sese purgat, quòd literis è comitijs Augustanis nuper missis non absolutè responderat. Causam, ait, fuisse quod priusquam id commodè fieri potuisset, iam plerique Principes abijssent. Sed necdum se certi quid ad postulata illorum Principum statuere posse: cùm enim communis Catholicorum causa sit, velle se priùs eam cum Cæsare & Catholicis Principibus, Ordinibusque Imperij communicare. id Protestantes semper fecisse, & adhuc facere, ex præsenti legatione compertum esse. Sperare se interim Principes, quorum auctoritate legati venerūt, non fore in aliena Repub. curiosos, nec alienam Remp.

ad fu-

ad suam Religionem inuitam compulsuros, nec denique eius subditos, Magistratu repugnāte, in suam tutelam suscepturos: cùm duo hæc posteriora in Imperij constitutionibus disertè prohibeantur. Postridie Bipontinus per Oratorem suum coram Senatûs legatis (neque enim in pleno Senatûs consessu, in hac Repub. Principes audiuntur) ad præcedentia infert: se postulata sua, non tantū huius anni Magistratui, sed & præcedentis, & 44. insuper viris, ad grauiora negotia conuocari solitis, discutienda proposuisse. Sed tam exiguo tempore, intercurrente etiam festo, maturè illa discuti, suo iudicio, non potuisse. Petere itaque, vt quod factum non esset, secundò fieret: absolutam & sufficientem responsionem ab ijs expectari posse, nec opus esse, ad Cęsarem & Catholicos Principes recurrere. Sed nec tam simplex Senatûs responsum, quale Senatus dederat, Principibus suis satisfacere posse. Deinde grauiter sibi accidisse, ait, quòd Senatus in sua responsione tantopere vrgeret Imperij constitutionem, de alterius Ordinis subditis in suam tutelam non recipiendis. Dolere sibi, quòd Senatus in suspicionem venisset, miseros subditos, sub intercessione, Principum exacerbationem contra Magistratū suum machinari. Potius cogitare debuisse, sese non hæreditarium esse Magistratū, sed à subditis electum, omnemque suum honorem & auctoritatem à subditis pendere: Nullique in Imperio licitum quenquam Augustanæ Religionis causa persequi. Petere itaque se, vt Senatus rigida illa & seuera placita, Augustanæ Confessionis socijs statuta, tollat: liberum exercitium admittat: liberamque concionatorum Catholicorum linguam compescat, ne populū in Protestantium necem atque carnificinam incitare pergant. Hæc Bipontinus. Sed Senatus, singulis iterum exactissimè ponderatis, respōdit: sese priori suæ respōsioni insistere, nec quidquam aliud modò inuenisse, quod illi cupiat adiectum. Videns Bipontinus sese tam magnifica legatione nihil efficere posse, Colonia Bonnam, atque inde ad suos reuersus est.

1583

Replicatio Bipontini.

Alenconius, iuxta institutionē Auraici, sese ex pædagogia Ordinum Belgicorum expedire, & prouinciarum Dominum se constituere nimis immaturè volens, quatuor Heluetiorum, & septem Francorū millia, equites etiam mille quingentos, præter Scotos & Anglos, præclara auxilij specie, ad Antuerpiensiū sub-

Alenconius Antuerpiam suo imperio vi subijcere conatur.

vrbia

1583 urbia euocauit. Habebat autem sexcentos circiter domesticos, tam scelere, quàm genere nobiles, ad omnia flagitia paratos. Fingens itaque sese in Parmensem expeditionem suscipere velle, exercitum hunc recensere, & lustrare se debere, simulauit. Septimo itaque Ianuarij, inter horam duodecimam & primam, cùm omnes pranderent, vrbe (vt putabatur) egressurus, ad portam D. Iacobi trecentos equites Francos sub vestibus armatos præmittit. Hi in porta atque ponte duobus ordinibus instructi consistunt, & Principem suum præstolantur. Adueniens Alenconius, cùm pōtem per vtrinque dispositos equites trāsisset, pileo suo tam his equitibus, quàm exercitui, qui in proximis agris erat, signū dedit, de vrbe inuadenda. Equites portæ præsidiū actutùm occidunt, portam cum duobus propugnaculis inuadunt, tormenta in vrbem conuertunt, vno displosō exercitui reliquo, vt acceleret, captam enim esse vrbē, significant, & ad duas proximas portas, Rubram scilicet, & Georgianam, excurrunt, spe etiā illas occupandi. Cæterùm cùm consilio Senatûs propter suspicionē, præsidium esset geminatum, Galli ab oppidanis reiecti, ad socios recurrunt. & tribus locis vrbem aggressi, ad meditullium sese diffundunt. Classico è turribus dato, ciues ad arma concurrunt, plateas obiectis ferreis catenis claudunt; in irrumpentes milites, qui ad vrbē festinabant, maioribus tormentis pilas frequentissimas intorquent, & minorum sclopetorum grandinem è fenestris, in eos, qui in in vrbe erant diffundunt, magnamque stragem Gallorum, tam in vrbe, quàm foris edunt: donec tandem mille ducentis peditibus, & ducentis quinquaginta equitibus amissis, multis etiam è ciuibus desideratis, Alenconiani fugientes sese in tutum receperunt. Ita lætus ille anni prioris ingressus, in tristissimum, turpissimumque exitum est commutatus: didicerūtq; suo malo stolidi illi homines, quid sit, clemente & legitimo Principe repudiato, Tyrannum & hostem patriæ acceptare.

Galli Antuerpiæ cæduntur.

Senatus Coloniensis vt aliquid ad intercessionem Bipontini facere videretur, captiuos, qui libellum supplicem anno superiori obtulerāt, liberos dimisit, cum interdictione, quòd in posterum se ab omnibus illicitis conuenticulis atque concionibus abstinerent, Senatusconsultis obedirent, nec captiuitatem vindicarent.

Senatus Colon. captiuos dimittit.

Fredericus interim Saxo Lovvēburgius, è Telonio Berkensi

1583

Berkenſi non contemnendam pecuniæ ſummam no-
mine Capituli intercepit, & Capituli creditoribus ſe-
cundùm debita diſtribuit: quod quidē facere Gebhar-
dus debuiſſet, ſed iamdudum non feciſſe querebantur.
Paulò poſt etiam idem Dux Fredericus actuarium na-
uigium, auena, panno, & annona plenum, Bonnam
ſubuehendum capit, & quidquid in eo erat, in arcem
Zontinam exponi iuſſit.

Truchſeſſius opem Proteſtantium Principum implorat.

Erant hæc belli futuri initia, quæ Gebhardo pluri-
mùm incommodabant: magis verò illud, quòd Alen-
conio, cui confœderatus eſſe certò credebatur, Antuer-
pienſis illa pugna malè ſucceſſiſſet. quare ad Principes
Imperij Saxonem, Palatinum, & Brandeburgenſem re-
currens, opem eorum & auxilium implorauit. Illi, vel
quòd cauſæ Archiepiſcopi diffiderent, vel quòd teme-
rè opes ſuas profundere nollent, auxiliares quidem co-
pias non miſerunt, ſed interceſſionis literas ad Impe-
ratorem ſcripſêre, negotiumque religionis à Gebhar-
do ſuſceptæ egerunt: tantum Auguſtanæ Confeſſioni
condonandum eſſe exiſtimātes. Palatinus quoque Ele-
ctoribus Moguntino & Treuirenſi iuſtitiam cauſæ
Truchſeſianę literis commendauit. Cæſar interim ſe-
cundam legationem decreuit, quam Iacobo Curtio,
viro literato conſultoque, & Mathematico inſigni, de-
dit perferendam. Qui cùm corā Gebhardo, quæ in man-
datis habebat, perorâſſet, & reſponſum expectaret, Ge-
bhardus quaſi Cæſaris mandata illudens, ſtatim publi-
co edicto per Diœceſin Religionis libertatem promul-
gauit. Ne autem hoc temerè feciſſe videretur, antea li-
bellum ſupplicem componi, & à quibuſdam Nobili-
bus ad nouitatem propēſioribus ſubſignari fecerat, quo
libertas iſta petebatur. Inde conditiones de Bonna mu-
nienda proponit, & tandem Legato Cæſareo reſpon-
det, ſeſe purgans, acta conſiliaque ſua defendens, & ple-
nam illorum rationem ſeſe in futuris comitijs reddi-
turum promittens.

Secunda Cæſaris ad Truchſ. legatio.

Gebhard9 Archiepiſc. libertatē Religionis per Diœceſin promulgari facit.

Alenconius gratiā Antuerpienſiū ambit.

Sed & Alenconius, cùm non minus in fœdus & iu-
ramentum ſuum, quàm Gebhardus peccâſſet, literis
quoque ſe Antuerpienſibus purgauit: facinuſque ſuū
quàm maximè potuit, mitigauit, ſe, ſuaque omnia Or-
dinibus deferens, eoſque ad amicam reconciliationem
ſæpius inuitans. Sed vulnus adhuc recens, huiuſmodi
ſcriptis recrudeſcebat. Non ignorans hoc Parmenſis,
Tubicinem cum literis ad Senatum, Tribunos populi,

1583 & Optimates Antuerpienses misit, pacem eis offerens. Qui cùm ad portas venisset, obuolutis velo oculis introductus est, multis id indignè ferentibus, pacemque & salutem Regis festiua voce acclamantibus. Idem & alijs quibusdam in locis actū: atque initiò spes aliqua pacis affulgebat. Sed paulò post, rebellium quorūdam consilio, publicis edictis cautū est, ne quis eorum, qui sub vltimo fœdere erant, de pace cum Rege ineunda faceret mentionem, neque literæ Parmensis amplius ab vlla confœderatorum vrbium acciperentur.

Parmensis Antuerpienses ad pacem solicitat.

Cōuentus Coloniensis.

Capitulū Coloniense omnes Ordines Diœceseos in 28. Ianuarij diē euocauerat, vt de matrimonio Archiepiscopi, de eius administratione, edictis, libertate Religionis, alijsque nonnullis eum cōcernentibus, sententiæ rogarentur. Venerunt ad hunc conuentum multi Comites, Nobiles, Cæsaris, Regis Hispaniarū, & Principum Imperij oppidorūque Diœceseos legati. Cumq; propositis cōtrouersijs primo & secūdo die variè disputatū esset, & Diœceseos Ordines, Legati Cęsaris, Regis, Ducis Cliuensis, aliorumq; Principū à Capitulo cōtra Archiepiscopū starent: Bipontinus verò, qui iam secundò Coloniā venerat, Alpēsis seu Nuenarij legatus, (ipse enim salutem suam Coloniensibus credere non audebat) Solmensis, Vvinnebergius & Kriechingius Canonici, pro Gebhardo militarent: Tertio tandē die in verba pacis Religioni Augustæ Vindelicorū datæ, cōclusum est. Sunt autē ea hæc: *Si quis Archiepiscopus, Episcopus, Antistes, aut alius Ordinis Ecclesiastici, à Religione veteri deficiat: is cōtinuò discedat ab Episcopatu suo, Præfectura, Beneficio, simul omnibus etiā fructibus, quos inde percepit: & Collegio, siue iis, ad quos ea res iure vel consuetudine pertinet, liceat, & integrū sit, in eius locū eligere, vel constituere aliū.* Præterea omnia Truchsesij acta, constitutionibus Diœceseos, vnanimi cōsensu Ordinū anno 1550. conceptis, & anno deinde 1564. cōfirmatis repugnare: ideoque Archiepiscopū seipsum inutilem suo muneri reddidisse; sedē vacare, & aliū Diœceseos eligendū esse. Ad hoc Legati Cæsaris omnem operam suam pollicebantur. Henricus Lovvenburgiæ Dux, Bremensis Episcopus, protestatione, quòd in hanc definitionem non consentiret, interposita, discessit. Frater eius Fredericus confestim ex mādato Collegij, cōtractis aliquot militibus, Cæsaris Insulā tāta celeritate cepit, vt somniū esse putaretur; multiq; adhuc classicū datū esse dubitarent.

Vide Sleidanum lib. 26.

Cæsaris-vverda capitur.

Calen-

1583

Calendis Februarij Archiepiscopus, intellecto Collegij conclusione, Archiuum Bonnense, in quo omnia diplomata, literæ, atque instrumenta publica Diœceseos seruabantur, spoliat. quorum maiorem partē Nuenarius secundo Rheno secum abstulit. Gebhardus ipse postridie, publicè, per Ministrum hæreticum, Agneti suæ infausto matrimonij vinculo iūctus est, acceptoq́; de victoria Ducis Frederici nuntio, cum Bipontino, relicto Carolo fratre Bonnæ prefecto, Dilleburgum profugit. Nuenarius verò Berkam ad Rhenum oppidum frustra tentat, & Hontselarius Truchsesij aulicus, Linnam capit.

Truchsesij turpe facinus.

Truchsesij nuptiæ

Interea Angliæ Regina legatos in Belgiū mittit, qui Ordinibus ostēdunt, quàm necessariū sit, vt iniuriarū Alenconij obliti Belgæ, cum eodem iterùm conueniant, initumq́ue semel fœdus, etsi violatum, resarciant. Rex quoque Galliarum Antuerpiēsibus scribit, factum fratris excusat, iuuenili ætati, seditiosis militibus, inconsultoque eius concilio adscribit: militarem seditionem nominat, atque mollissimis verbis, quantū potest, facinus extenuat: petitq́ue, vt fratri reconcilientur, omnem vicissim illis gratiam, beneuolentiā, opemq́ue promittens. Auraicus quoq; omni qua poterat diligētia, vt dissidentes iterum coalescerent, laborauit. quotquot pacem oderant, cum illo consentiebant. Sed Antuerpienses, qui iniuria Gallorū erant lacessiti, & quotquot tranquillitatem, pacemq́ue amabant, quiduis potius agendum patiēdumq́ue, quàm cum Gallo iterùm paciscendum, aiebant. Interim quia Galli aliquot adhuc ciuitates occupabant, ne eas malè mulctarent, conuentum est cum Alenconio; Antuerpienses captiuos Gallos restituerent, & Galli, excepta Duinkerka, Ordinum militi ciuitates istas restituerent. Alenconius verò cum maiori præsidio Duinkerkam profectus, ibidē mansit, Belgarū mitiores animos expectans.

Angliæ Regina et Auraicus laborāt vt Belgæ Alenconio reconcilientur.

Sub hoc tempus quidam Cornelius de Hooch, videns Regem Hispaniarū à Belgis repudiatum, Alenconium quoque reiectū, sese filium Caroli V. inuictissimi Cæsaris esse populo venditauit: multasq́ue, & eas prima fronte verisimiles, adducebat coniecturas, quibus id probare volebat. Multos habebat, & præcipuè ex Anabaptistarum secta, qui ei credebant, cumq́ue sectabantur. Diuulgauit passim hac de re libellos, quibus etiam promittebat, se Belgas ab iniustis atque immo-

Caroli V. filium se esse quidā mentitur.

1583 deratis istis exactionibus liberaturũ, nouamque Reip. formam compositurum. Grata hæc erãt populo. multisque per Hollandiam his rebus innotuit. Habitabat Roterodami, vbi nobilis cuiusdam filiam duxerat, quę nunc quartam prolem vtero gerebat. Res tandem venit ad concilium Hollãdiæ: vocatus à iudicibus & examinatus, cùm constantissimè affirmaret se Caroli V. esse filium captus est, & agnitis eius parentibus, mense Martio in Haga Comitis capite plectitur, & in quatuor partes dissectus, è totidem portarum fastigijs suspensus est.

Capituli Colon. victoriæ.

Dum Truchsesiani singula oppidula, aut aperta vi, aut insidijs tentarent; ipse etiam Truchsesius Gebhardus ad omnes penè Germaniæ Principes cursitabat, opẽ implorans. Collegiũ verò Coloniense auxilium Regis Hispaniarũ, sæpius oblatũ, tandem aduocat: & copias aliquot, Comite Arenbergio ductore, in Diœcesĉos limites inducit. Dux Fredericus interea Leichenium, & Bruelam Archiepiscoporũ sedem cepit, & in fidem Capituli redegit. Gebhardus, cùm neque militem, neque pecuniã ab Imperij Principibus impetrare posset, querelas suas apud eos instituit, asserens: Capitulũ Imperij statuta violare, quòd externum militem in Imperij fines vocâsset. Accepêre has querelas Principes, & ad Imperatorem scribunt, seriò illum admonentes, vt auxilia, Collegio Coloniensi à Principe Parmensi missa, statim limitibus Imperij exire iubeat: esse enim externa, quibus prohibitum est Imperium, multis eiusdem constitutionibus anteactis, lacessere, vel in illud introire: nec extra periculum aliorum Principum esse nisi confestim dimittantur. Imperator legatũ ad Parmensem misit, qui eum moneret, ne quid hostiliter in Imperio per suos moliatur, ne maiora inde incommoda emanarent. Hac legatione non contentus Palatinus, ipse quoque legatũ cum literis ad Arenbergium misit, cum mandatis, vt milites suos abduceret, Imperijque agros relinqueret. Arẽbergius ei disertè respondit: Milites Regis Catholici nullis statutis Imperio prohibitos esse. Non enim esse Regem peregrinum aut externum, sed Imperij membrum; neque infimum, sed ex primis. Addunt nonnulli, tantum Regem tributi ad bellum Turcicũ, quantum vix alij duo simul Principes Imperij, pendere: Capitulo non vetitum, sed licitum esse, domum Burgundicam, vt vicinã, & à seculis

Lis de externo milite in Imperiũ admisso.

Respõsum Comitis Arenbergij.

sociam

ſociam amicamque, inuocare. Gebhardum potius criminandum, qui Alenconio confœderatus, Gallos, Anglos, Scotos, aliosque exteros in Imperij prouincias introduxit. 1583

Interea Truchſeſiani ſuperiorem Diœceſeos oram vaſtant, Lintioque & Antennaco inſidiantur. Antennacenſes verò Guilielmũ Rab ductorẽ, & aliquot eius milites occiderunt, Salentinoque Iſenburgico (a Collegio rogato, vt interregni tempore defenſionem Diœceſeos ſuſciperet) iurârunt, ſeſe in fide Capituli permanſuros. Decimo deinde Martij Illuſtriſſimus Dux Bauariæ Erneſtus, Eburonũ Epiſcopus, diu expectatus Coloniam venit. Quem ſtatim Caſimirus Comes Palatinus, per literas monet, ne Archiepiſcopatum Colonienſem ambiat: Gebhardũ enim legitimũ eſſe & manere Archiepiſcopum: ſi quis eum loco mouere velit, contra hunc ſeſe defenſionem Gebhardi ſumpturum.

Erneſtus Dux Bauariæ Coloniam venit.

Gebhardus interea Arnsbergæ VVeſtphaliæ oppido conuentũ agebat, in quo Apologiã ſuam exhibuit, cuius fuco ita oculos Vueſtphalorum perſtrinxit, vt pleroſque in ſuam ſentẽtiam pertraxerit, & in matrimonium ſuum, libertatemque Religionis, reclamantibus Comite Eberardo Solmenſi Satrapa generali, Cõmendatore Reckio, Furſtenburgero & Haetsfeldio Satrapis in Bilſtein & Balue, Iohanne Droſt, Cleinſorgio Licẽtiato Conſiliario, & quorundã oppidorũ legatis, conſenſerint; ſcripſerintque Capitulo, ſe ob Auguſtanam Confeſſionem Archiepiſcopum deſerere nõ poſſe. Statim multis in locis VVeſtphaliæ monaſteria & templa ſpoliata, Eccleſiaſtici capti & mulctati, imagines fractæ, ſacramenta conculcata, omniaq; ſacra direpta ſunt & euerſa. Concionatores nouelli mox introducũtur, magnique tumultus, præſertim VVerlæ, ob religionẽ excitantur. de quibus egimus alio libello.

Conuẽtus Arẽsbergicus.

Dum ita in VVeſtphalia tumultuantur, Dux Fredericus in inferiori Diœceſi arcem Hulcraet per aliquot dies oppugnauit, & tandem aquis per incilia, colliquiaſque aliò deriuatis, ruinisque ſtratis 16. Martij expugnauit. Truchſeſiani duce Nuenario viciſſim Berka potiuntur.

Hulcraet capitur.

Cæſar Gebhardi præpoſteros conatus audiens, tertiam ad eum legationem miſit, quam D. Iohannes Preinerus, Baro in Stubin, obiuit: eadem quæ antea proponens. Sed non potuit ille ad ſaniorem mentẽ reuocari.

Tertia Cæſaris ad Truchſ. legatio.

1583 Expectabatur quotidie Andreas, Cardinalis Austriacus, Legatus Apostolicus, qui auctoritate Pontificis Gebhardum, si resipiscere nollet, tanquam putridum Ecclesiæ membrum resecaret, atque sede sua exturbaret. Sed quia per ditiones Casimiri transeundum ei erat, cùm ab illo saluum conductum (pro more) peteret, Casimirus hunc Cardinali negauit, & aulicos nõnullos ab eo præmissos malè mulctauit. Id indignè ferens Imperator minaces literas Casimiro scribit, mãdans ei seriò, ne exercitum pro defensione Truchesij cõscribat, neve publica itinera Principibus, aut Principũ legatis, præcludat.

Casimirus Cardinali Austriaco transitum negat.

Cõuentus Vvormatiensis.

Vvernerus Rifferscheittius Comes Salmensis militem pro Capitulo colligebat. quo tempore Protestantes Vvormatiæ conuentum indixerant, vt de rebus Truchsesij certi aliquid definirent. Miserunt eò literas Canonici, sed à Casimirianis illæ in Frankendael intercipiuntur. Determinatum autem est in hoc conuentu, Gebhardo in vsum belli, infra tres septimanas, octo mensium stipendia, partim Magdeburgi, partim Francofurti numeranda. Post hanc determinationem, è vestigio Casimirus, volens Collegium Coloniense amicè admonuisse videri, re vera literis bellum illi denuntiauit.

Truchsesius à Pontifice excommunicatur.

Sed Pontifex Rom. intelligens nullam de Truchsesij emendatione spem reliquam esse, in publico Cardinalium consessu, primo die Aprilis, secundùm nouũ scribendi modum, lata in eum excommunicationis sententia, tanquam emortuum membrum ab Ecclesia amputauit. Quod dum Romæ fit, in Vvestphalia Engelbertus Lyppius, supremus Gebhardi Mẽsor, Vestam cum oppido Reckelinckhusensi Capitulo ademit: eodemque tempore Dux Fredericus Linnam oppidulum in inferiori Diœcesi, Capitulo recuperauit. Paulò post Gebhardus Casimiro, qui equites peditesque pro illo colligebat, vt de solutione certũ illum redderet, Diœcesin oppignorauit.

Cæsaris ad Electorum Protestantiũ legationẽ respõsum.

Cæsar postquam intellexisset Gebhardum à Pontifice è communione fidelium reiectum, legatis Protestantium, qui in aula sua Presburgi, mandato Principũ suorum hærebant, iubet nuntiari: Se hactenus laborasse, vt controuersiam inter Collegium & Archiepiscopum Coloniensem exortam sopiret: sed parum proficere potuisse. Heri verò se intellexisse, Gebhardum à

Pontifice Romano excommunicatũ, & sede deiectum 1583
esse: omnia itaque acta eius esse irrita, nec Gebhardum amplius ad Cæsaris Tribunal pertinere. Nihilominus vt bellũ impediatur, sibi consultũ videri comitia Principum fieri: sese id Ecclesiasticis Electoribus quoque scripsisse, eorumque sententiam expectare. Quantum ad querelas Principum de milite externo in Imperium intromisso, se iamdudum Parmensi, vt eos reuocaret, mandâsse, & secundò iam mandaturum. Petere vicissim, vt Electores seculares Gebhardi quoque insolentiam castigent, eumque in ordinem redigant.

Endouia recuperatur.

Dum hæc in Germania geruntur, Mansfeldius Comes Endouiam obsidione premebat. erant in oppido hoc octingenti præsidiarij, qui agrum Buscoducẽsem plurimùm infestabant. Sed subsidio tormentarioque puluere tandem destituti, decimoquarto Aprilis deditionem fecerunt.

Episcopus Vercellarum Coloniam venit.

Cardinalis Austriacus Andreas cùm à Casimiro impediretur, quominùs Coloniam peruenire posset, missus est eius loco Iohannes Franciscus, Episcopus Vercellensis, qui sententiam de excommunicatione Gebhardi attulit, & cætera quæ in mandatis habebat, grauiter & summa cum laude expediuit. Consederant hisce diebus in Lotharingia atque diœcesi Treuirensi Galli aliquot, qui (vt cõstans fama erat) Gebhardo in subsidium ab Alenconio mittebantur: sed quia maximas prædas agebant, agrosque latè vastabant, à Lotharingo cæsi sunt: quique viui in manus illius venerũt, hos suspendio necari iussit.

Vvouda capitur ab Ordinibus

Vvouda castrum est in Belgio, nõ procul à Montibus ad Zomam sitũ, egregieque munitum. Erat in eo præsidium Regis Hisp. Itali nimirum 120. & 150 coloni. Illud hoc tempore ab Ordinum militibus oppugnabatur. stratáque exigua ruina, præfectus arcem hostibus, non sine suspitione proditionis, condonauit.

Non diu post Mansfeldius Comes Diesthemiũ & Sichemiũ recuperauit. Capta Vvouda dum Galli, Angli, Scoti, & Belgæ adhuc coniuncti nouã expeditionẽ meditantur; Parmensis cum parte exercitûs aduolat, captaque pugnãdi opportunitate eos in Rosendael adoritur, cæditq;: & ad internecionem totum exercitum deleuisset, nisi quidam beneficio fluxûs maris euasissent. Periêre hac pugna Ordinum milites mille quingenti, tormentaq; omnia, atq; impedimẽta capta sunt.

1583 Excõmunicato & à Capitulo exauctorato Gebhardo, deiectis de more baculis, annos eius administrationis designantibus, Ernestus Bauariæ Dux Consules, Quæstores, Consulares duos, & Syndicos vrbis Coloniensis ad magnificum conuiuium vocauit, atq; inter epulas Collegij sui nomine illis exposuit, quæ de abiectione Archiepiscopi acta erant; statutumq; esse nouũ Archiepiscopum eligendum. Petere itaque à Senatu, vt hanc electionem antiquo more armatis suis ciuibus & condecorare, & defendere dignetur: vtque, si qui seditiosiores sint, eos ab omni petulantia velit coërcere. Consules, cæteriq;, se id postridie in Senatûs consessu proposituros receperunt. quod cùm factum esset, sine vlla contradictione promissum est. Euocantur interea Canonici omnes, ad quos ius eligendi pertinebat. Gebhardus verò & literis, & legationibus quibuscunque potuit, electionem impedire conabatur. quod & Electores nonnulli apud Cæsarem, Bipontinus verò, Casimirus, Nuenarius & Carolus Truchsesius apud Senatum facere frustra studuerunt.

Consilium de nouo Archiepisc. Colon. eligendo.

Aderat iam Electioni decretus dies, Maij scilicet 23. Instituta erat oratio ad Deum quadraginta horarum continua, ad optimam & tranquillam electionem impetrandam. & certè preces suorũ audiuit Omnipotens. Nam ipsa quadragesima hora, electio, qualis ab omnibus pijs Catholicis sperabatur, euenit. Nam post solenne sacrum, Canonici electuri ad conclaue venientes, peractis ijs quæ de more fieri consueuerunt, vnanimi consensu Illustrissimum Ducem Bauariæ Ernestũ, Leodiensium Episcopũ, elegerunt. Mox Episcopus Vercellensis Canonicos aliquot Illustres, & post Præpositum Comitem à Vvitgenstein, hæreseos suspectos, & à Truchsesio stantes, ad tribunal suum citauit: cumque non comparerẽt tempore statuto, eos auctoritate Apostolica ex albo Ecclesiasticorum expunxit, excommunicauit, & fructibus Ecclesiasticis priuauit. Ludouicus Palatinus, postquam intellexisset electum esse Ernestũ Coloniensem Archiepiscopum, ægerrimè hoc tulit, & per literas cum Cæsare hac de re expostulauit.

Ernestus Bauariæ Dux Archiepisc. Coloniens. eligitur.

Alenconius cùm nullam firmã ac stabilẽ cum Belgis pacẽ inire se posse animaduerteret, collectis vasis, relicto pallio & pileo cũ ipso Ducatu, relictis tot, tamq; insignibus titulis, cum Gallis suis mẽse Iunio in Galliam reuersus est. De cuius discessu cùm certior factus

Alenconius Belgiũ relinquit.

esset

esset Illustriss Dux Parmensis, collecto exercitu Duinkerkam vrbem Flandriæ maritimam, munitam & insigni portu nobilem, obsedit, atque breui in tantas angustias redegit, vt se in fidem Regis Hispan. dedere compelleretur. Post cuius deditionem Marchio de Robaix D. VVinoci montem obsedit, & in deditionem accepit. Auraicus contra classem parat, quæ mare contra regios, illud infestantes, tueretur: quo tempore VVesterloo, munitissima Campiniæ arx, diu à Comite Mansfeldio oppugnata, in potestatem Regis Hisp. venit. 1583 *Duinkerka, VVinoci mōs, et VVesterloo capiūtur.*

Segurius Pardilianus Regis Nauarri Consiliarius, & Legatus, cùm annis superioribus in Belgio esset, delirum quendam prophetam Caluinianum, nomine Brocardum Pedemontanum, vehementer colebat. eius dicta non aliter quàm oracula (quę tamen ab omnibus Synodis Caluinianis reijciebantur) obseruabat. Is Pardiliano persuadet, se testimonijs sacræ Scripturæ posse conuincere, Papam Rom. breui à Principe quodā Hugonottarum sede exturbādum, eundemque Principem caput concordiæ Christianæ futurum. Pardilianus hæc de suo Rege vaticinari ratus, non destitit Nauarrum commouere, vt Legatos per Galliam, Angliam, Belgiumque mitteret, qui Principes ad confœderationem contra Pontificem Rom. ineundam monerent. Quas legationes dum obiret Pardilianus, exorta est illa quorundam Principum Germaniæ cum Truchsesio conspiratio. Ad hos itaque, & ad Truchsesium, eundem suum Legatum misit: vt expositis persecutionibus, quas in Hispania, Italia, Anglia, Scotia, Belgio, Heluetia, Suecia, ipsaque Germania patiuntur, qui noua fidei dogmata sectantur; Principes ad concordiam fidei, & fœdus, secum & cum Regina Angliæ, Regeque Daniæ faciendum, hortaretur: ante omnia, vt Synodum instituant, ad quam Ministri tam Caluiniani, quàm Lutherani coëant, & controuersias (quas nullas, aut exiguas in eorum opinionibus esse dicit Nauarrus) componant, tollantque: vt nec opibus, nec vitæ parcant, ad resistendum Pontifici Rom. Truchsesiumque non deserant. Pollicetur vicissim Nauarrus, se nec regno, nec opibus, nec ornamentis, nec vitæ ipsi parcere velle: sed liberaliter hæc omnia pro Religionis suæ defensione profundere decreuisse. Pardilianus per omnem Germaniam cum hac legatione cursitauit. Principes au- *Regis Nauarræi legationes pro defensione Caluinismi.*

1583 tem eam contempſerunt, tranquillitatem patriæ nouis factionibus perturbare nolentes. De tota hac legatione, deque Germanorum reſponſione, prodijt nuper libellus, qui Caluinianum incendium intitulatur.

Magni Poloniæ Cãcellarij nuptiæ. Eodem ferè tempore Poloniæ Rex ſuam ex ſorore neptem Iohanni Zamoſcio, magno Poloniæ Cancellario, nuptui dedit. quę res ipſi Cancellario magnam apud quoſdam proceres Regni peperit inuidiam. Nuptiæ dum celebrantur, Rigæ comitia habentur, de ſtatu Liuoniæ reformando. *Cõuentus Rigenſis.* Præfecerat his comitijs Rex Georgium Radzevvilum Cardinalem, & Liuoniæ Gubernatorem. Sed quia Rex poſtulabat quorundam nobilium arcium demolitionem, aliaque nonnulla incolis minùs grata, nihil his comitijs ſingulare actum eſt, niſi quòd Thaubius & Crauſius Barones duo proditionis accuſati ſunt: qui dum ſeſe defendunt, dumque cauſa vltrò citroque ventilatur, diſceſſum eſt.

Ducis Magni mors, & qui eã in Polonia ſubſecuti tumultus, Moritur interea Magnus Dux, frater Regis Danię, qui ante 24. annos pacto quodam Diœceſin Oezeliam & Churlandiam occupârat, & quorundam hominum impoſturis ſeſe Moſcouiæ Duci magno ſubiecerat. Is ante mortem à Moſco deficiens, Poloni partes ſequebatur, in cuius fide & hoc tempore mortuus eſt. Poſt illius obitum Diœceſani Piltenſes Ioannem Beherenium protectorem elegerunt, eumque ad Regem Daniæ legârunt, vt fratris mortem nuntiaret, Regique ſupplicaret, vt prouinciam illam in ſuam protectionem acceptet. Beherenius in aula moram aliquam faciens, quotidie fertilitatem prouinciæ, diuitias, prouentusque iactitabat, vt Regem faceret ad iſtam ſuſcipiendam alacriorem. Daniæ Rex Legatum dimiſit, eique tormenta, puluerem, aliumque apparatum bellicum, ad defenſionem neceſſarium, dedit. Sed Cardinalis, cuius antea fecimus mentionem, collecto milite miſit, *Cardinalis Magni Ducis arces & oppida inuadit.* qui caſtra Magni Ducis Karkum, Ermeſum, Helmuthium, & Ruyenum occupârunt. Sed & alios miſit, qui in Poloniæ Regis fidem Churlandiam acciperent. Poſtquam verò ad Piltenſes ventum eſt, ij Polono iurare noluerunt, dicentes, ſeſe poſt Magni mortem Regi Daniæ ſacramento obligatos eſſe: eum ſe repudiare non poſſe, ſed recens adhuc mandatum ab illo accepiſſe, datam fidem ne violarent. *Piltenſiũ cum Cardinali cõtentio.* Legati hoc reſponſo accepto ad Cardinalem reuerſi ſunt: qui eoſdem, adiun-

adiunctis etiam Consiliarijs Churlandiæ Ducis, remisit, vt Diœcesanis in memoriam reuocarent præterita acta, inter Churlandiæ Ducem, & Ducem Magnum: quibus cautum erat, vt Diœcesis post mortem Magni ad Churlandiæ Ducem deuolueretur: hoc Sigismundum Augustum, hoc Stephanum Battorem, hoc subditos, hoc Magnum ipsum voluisse, Legati ostendunt: petuntque, vt si Piltenses sese immediatè Regi Poloniæ dare nolint, saltem Churlandiæ Ducem recipiant. Sed quia illi Danum relinquere noluerunt, Legati re infecta reuersi sunt. 1583

Auraicus cùm diu institisset, vt cum Alenconio Belgæ nouum fœdus inirent, nec quicquam proficere potuisset, immò hanc ob rem Antuerpiensibus inuisus esset, Vlissingam primùm, deinde in Hollandiam cum omni sua familia profectus est. *Auraicus in Hollādiam fugit.*

Vigesimoquarto die Iunij, Marchio S. Crucis Archithalassus Regis Hispaniarum, mandato Principis sui, cum 98 partim triremibus, partim nauigijs alijs maioribus Vlysbona soluit. Erant in hac classe 8970. milites Hispani, Itali, & Germani; 3820. nautæ, aurati equites 50. qui proprio stipendio militabant: multi etiam Sacerdotes, qui classiarijs Sacramenta administrarent: Doctores Medici, Chirurgi, & Pharmacopolæ. commeatûs, aquæ dulcis, instrumentorum, apparatusque bellici copia erat instructissima. Mare ingressi, aliquandiu cum ventis ac tempestate luctati sunt. paulò post tamen aura propitiori nauigârunt. Marchio duodecim Galeones sub præfecto D. Diego Mediolanensi præmisit, qui tertio Iulij in conspectum Insulæ S. Michaelis venit, & quinto demùm die anchoras ad punctum Delgadæ iecerunt. Vnde paulò post soluentes, tandem vigesimotertio & vigesimoquarto Iulij cum vniuersa classe iuxta S. Sebastiani promontorium, ad insulam Terceræ, quæ vna, eaque maxima est earum, quas Azores vocant, appulsi sunt. Sed quia Antoniani multa propugnacula circunquaque in littoribus extruxerant, ex iisque maioribus tormentis triremes, & maximè eam, in qua Marchio vehebatur, impetebant, descensus erat difficilimus. Marchio itaque fecialem, tympanisten & gregarium militem scapha in littus exponi iubet, qui Insulanis, præsidiarijsque gratiam, indulgentiamque suæ Maiestatis offerrent, deditionemque postularent. Emanuel verò de Silua insulæ *Classis regia ad expugnationē Terceræ profecta.* *Classis ad Terceram appulsa.*

Guber-

1583 Gubernator ab Antonio constitutus, legationem audire noluit, nec quidquam ad literas Marchionis respondere. Interea regij littora lustrant, conuenientesque noctu tribuni & militiæ præfecti, in medium consulunt, quid agendum esset. Definitum tandem, Insulam iuxta ciuitatem, quam incolæ Della playam appellant, inuadendam esse. Manè itaque hora tertia, die 26. Iulij Marchio 4500. pedites sub chiliarchis Domini de Figuera, Fräcisco Boua Dilla, Augustino Yniguesio, Ioanne Sandeuallio, Comite Ieronymo Ladronio, Lucio Pinatela, Domino Felice Arragonio & Curtio della Mota, in Insulam descendere iussit. Erat autem hac in parte munitissimum propugnaculum, quod à Gallis sub duce Bersino defendebatur. Hoc quia altissimis in rupibus erat situm, aditusque haberet asperrimos, difficile potuit expugnari. Hispani tamen potiti hac munitione, hostium acies ad mille ferè passus à mari reiecêre, vbi moles belli erat. hîc dubio Marte tam diu pugnatum est, vt Marchio coactus sit suis bis nouas copias submittere. Erat æstus ingens, magnaque his in locis aquæ penuria; quod incommodum Hispanos multùm affligebat: donec tandem aquæ dulces è nauibus adueherentur, sitimque restinguerent. Circa vesperem Antoniani collectis 600. vaccis, eas impetu quodam in acies Hispanorum immittere, atque ordines turbare voluerunt. at Marchio, ne in vaccas iacularentur, suis prohibuit: iussitque vt longius à se inuicem distantes, vaccis locum darent, & postea in ordinem redirent. tota itaque die illa velitatum, pugnatumque est. multi ex Hispanis vulnerati, cæsi 70. ex hostibus pluribus vulneratis, ducentis verò occisis. Post occasum solis 1500. Galli sub magno Commendatore D. de Chartres, se mille alijs Gallis, & 9000. Insulanis coniunxêre: qui noctem integram regios in acie detinuerunt. Diffidebant inter sese duces Antoniani. Quidam enim cum Emanuele de Silua consulebant hoc die totis viribus pugnandum esse. Dominus verò de Chartres cum Gallis pugnam in sequentem diem differendam suadebāt; eò quòd decrescente die, nox immineret. Sed & per noctem commeatum bellicumque apparatum in rupes, & angusta montium loca comportandum esse volebat: vt si in prælio succumberent, in montibus aliquandiu viuere possent, donec ex vicinis locis, aut ex Gallia, noua auxilia subuenirent. Ceciderunt hoc Galli consilio

Descensus in insulam.

Pugna Hispanorum cũ Gallis.

Stratagema.

Lusitani sese è prælio subducunt.

filio Lusitanorum animi, qui beneficio noctis, relictis signis suis, diffugiunt, & petrosis, auijsque se locis abdunt. Quæ res cùm Emanueli de Silua innotúisset, fugit & ipse. 1583

Postridie cùm Dominus de Chartres Emanuelem, aliosque Lusitanos stationes suas deseruisse cognosceret, nec vsquam reperiri, putans eos ad montes fugisse, eaque loca, ad quæ commeatum portari iusserat, munire, eò cum exercitu contendit. Sed nec illic Lusitanos, nec etiam commeatum inuenit. Hispani interea fonte aquæ dulcis potiuntur, maioraque hostium tormenta, & oppidum S. Sebastiani occupant. Dispersis & in fugam versis Antonianis, regij ad vrbem Angeræ castrametantur. Stabant in portu 30 Lusitanorū Francorumque naues, quas vt expugnarent, Marchio triremes misit. Sed cùm aliquandiù maioribus tormentis eas verberâssent, compertum est defensores in ijs nullos esse. Captæ sunt itaque naues istæ, multæque merces, & bellicus apparatus omnis, nulla cum Hispanorum iactura. Præda inter milites est distributa. Marchio deinde exercitum Angeram, quæ Insulæ metropolis est, mouet, quo in itinere multi pedites siti extinguebā̄tur. Ciuibus verò Angeranis, præsidiarijsque inter montium prærupta & rupium cauernas sese, relicta vrbe, occultantibus, Marchio nulla vi Angeram capit; apertisque carceribus, multos regis Hispan. amicos & subditos, qui nuper ex Florida venientes, à piratis capti fuerant, & hîc detinebantur, liberauit. Marchio victoriam prosequens, confestim 20. munitiones hostibus extorsit, in quibus omnibus maximam tormentorū, pulueris, aliarumque rerum ad belli vsum necessariarum, copiam inuenit. Post trium dierum direptionem militibus permissam, Marchio edicto publico incolas reuocauit, & ad sua reuerti iussit.

Oppidum S. Sebastiani occupatur, & claßis Gallorum capitur.

Angera capitur.

Interea Galli aliquot cum Petro de Padilla transigere cœperunt: orantes vt cum armis signisque dimitterentur, etiam tormenta bellica centum ex Francia aducta, secum auferrent: sese deditionem cæterarum munitionum facturos, promittunt. Ostendebant etiam literas Franciæ Regis, eiusque matris, quibus comprobârunt, se vtriusque imperio in Insulam hanc venisse. Cæterùm Marchio conditiones istas reiecit. Tandem tamen intercessione multorum magnatum, his legibus in gratiam Galli recipiuntur: Arma deponerent, signa

1583 signa regijs traderent, 200. ad triremes damnarentur; cæteri certis nauigijs in Galliam tuti reducerentur. Tertio itaque Augusti deditione hoc modo facta à Petro de Padilla ad littus deducti, 18. signa veteranorum tradidêre, armaqúe omnia posuêre; & obsides relinquentes, naues conscenderunt, atque in Galliam transportati sunt. Interim Marchio Emanuelem de Silua, præfectum huius Insulæ, totiusqúe belli auctorē, quæri mādauit: qui tandem à mancipio quodā Francisco de Boua-Dilla proditus, in littore arbori innixus, vesteqúe mercatoris amictus depræhensus est. Habuerat quidem nauiculam paratam, qua vitæ suæ consulturum sese sperabat: sed Insulani ira in eum excandescentes, illam perforârant, atque depresserant. Captus Angeram perductus est, vbi & alij mulctandi tenebantur, atque inter reliquos concionator quidam Hugonotticus, qui confessus est, se ad petitionem Reginæ matris, & D. de Chartres, Dominum Antonium Parisijs hactenus in ædibus suis hospitio excepisse: se etiam in Anglia fuisse, cum Antonio de Vega, ad auxilium Reginæ implorandam: illud tam negâsse, permisisse tamen, vt ære suo nauigia, apparatum bellicum, quantum possent, sibi redimerent: Multos in Anglia reperiri Catholicæ Religionis auidissimos: Antonium adhuc 20. Maij Parisijs & Diepæ fuisse, duorum tantùm autrium hominum familiam alere, animamqúe debere: Se verò 22. Iunij cum 1500. Gallis in hanc Insulam venisse.

Conditiones, quibus Galli in fidem recepti.

Emanuel de Silua capitur.

Insulam Faiolam occupat Petrus de Toledo.

Dum Marchio Remp. Angeræ format, D. Petrum de Toledo misit cum parte classis, in qua 2500. milites erant, ad occupandum insulam Faiolæ, triginta passuum millibus à Tercera sitam, quæ à 500. Gallis, multisqúe Insulanis defendebatur. Petrus itaque de Toledo Equitem Lusitanum, cum Gonsalo Pereira, cuius vxor & liberi in Insula habitabant, descendere iubet, deditionem postulaturos. Antonius verò Gudezius de Sosa Insulæ præfectus, homo superbus, legato alapam impegit, eductoqúe gladio miserè interfecit. Quod cùm in classe intellectum esset, sexto Augusti milites in terram exponuntur: initiò atrox pugna commissa est. Sed Petro de Toledo nouas copias submittente, Galli in arcem optimè munitam fugerunt. habebat arx quatuor alia propugnacula sibi vicina, quæ cùm Hispani occupâssent, hi qui in arce erant, deditionem ijsdem, quibus

bus Tercerenses conditionibus deditionem fecerunt. 1583 Antonius verò Gudetzius in interfecti Legati vindictã suspensus est. Petrus de Toledo, cùm Antonium de Portugallia præfectum Insulæ creâsset, cum reliqua classe ad Insulas S. Georgij, Pici, & Gratiosæ nauigauit, in quas nemine resistente exceptus est: rebusque constitutis, ad Marchionem redijt, à quo die Augusti octauo magno cum triumpho receptus est.

Cæteræ insulæ recuperantur.

Iudici deinde classis mandatum est, vt proditorum, piratarumque captorum causas cognosceret, & sententiam in eos pronuntiaret. Iudex examinatis causis eos damnauit, indignosquе iudicauit immunitatibus, iuribus, priuilegijs & gratijs à præcedentibus Lusitaniæ Regibus ipsis datis: Antonium Suaretz Antonianæ monetæ præfectum, Bartholomæum Aluares, Dominicum Pienterum, aliosquе nonnullos proscripsit: vt si alibi comprehendi possint, in foro vrbis Angeræ laqueo præfocati, in quatuor partes dissecti rotisque impositi, in publicis vijs constituerentur. eorum verò liberi, aut nepotes, ad nulla Regis officia obeunda vnquam reciperentur. Dispositis deinde Germanorum per vrbem excubiis, omnis Antonianæ monetæ pecunia publicè concisa est, & liquefacta. Mox Emanuel de Silua producitur, & tanquam Seditiosus, Tyrannus, Latro, Pirata, & hæreticorum Receptor damnatus, capite plectitur: caputquе ipsum stipiti impositum, eodem loco, quo ante steterat caput Melchioris Alfonsi, ab ipso interfecti, collocatur. Sed & alij nõnulli vltimo supplicio sunt affecti. Marchio reparatis munitionibus, impositisque præsidijs, dum reditum in Hispaniam parat, partem classis misit ad portum & castrum, quod Della Mina Hispanis dicitur, aliquot centenis millia ribus ab insula Tercera in Austrum distans. illud enim à Gallis occupabatur. Aduеniente verò classe, Galli sese dedunt, admissique Hispani, incredibilem auri, argẽti, gemmarumque vim in hac Insula inuenerunt. Reuersi paulò post victores, sese socijs nauibus sub promõtorio S. Vincentij coniunxerũt, paribusq; passibus in Lusitaniam remeãtes, magno cum applausu atque triumpho gloriosissimæ classes exceptæ sunt. Auxit quoque hanc lætitiam classis, quæ eodem tempore ex Occidẽtalibus Indijs Hispalim appulsa, tantam auri copiam aduexit, quantam nunquam præcedentium vlla.

Antoniani proscripti & damnati.

Emanuelis de Silua supplicium.

Della Mina deditur.

Brugenses prosperam regiorum fortunã, Flandrorum-

1583 rumq; res deploratas considerantes, trepidabant: & Menenense præsidium in vrbem suam reuocârunt. Decretum erat, vt Iperenses, quorum ciuitas erat munita, & firmo satis præsidio confirmata, alios in munitionem Menenensem mitterent, qui eam tuerentur. Sed priusquam illi aduenissent, Halevvinenses munitionem occupârunt, atque imperio Regis Hisp. restituerunt.

Menenen Geusijs intercipitur.

Vnkelium oppugnāt Truchsesiani.

Venit interea in Diœcesin Coloniensem Thomas Kriechingius Baro, & Canonicus pridem, nūc excommunicatus, Gasconum aliquot copias Truchsesio adducens: & ne feriaretur, easdem postridie ductore Peuterico I.V. Doctore ad pagum quendam superioris Diœceseos Vnkelium, expugnandum misit. Habebāt maiora aliquot tormenta, omniaqúe ad expugnationem necessaria. Sed qui in pago erant Rustici, tam sese acriter defenderunt, vt obsidentes, multis suorum desideratis & Doctore Peuterico vulnerato, cedere sint coacti.

Dixmuida capitur, & Hypræ obsidētur.

Parmensis Princeps, capta Duinkerka, VVinoci monte, & Nieuporto, Ostendam oppidum Flandriæ maritimum obsedit: sed quia perforatis aggeribus agrum suburbanum marini fluctus inundârunt, Parmensis relicta Ostenda, Dixmuidam obsedit, & ad ditionem faciendam oppidanos confestim coëgit: eaque munita, Hypras vrbem, qua Flandria non habet munitiorem, obsidere cœpit. Sed quia ager paludosus, & vrbs tam munita esset, commodè oppugnari ea non potuit. Erectis igitur aliquot propugnaculis, impositisque ijs præsidijs, fame oppidanos atque inedia censuit esse domandos.

Embiesius & Dathenus è Palatinatu Gandauum redeunt.

Gandauenses sibi metuentes, opem Casimiri inuocârunt, sibique Embiesium Consulem, horum in Flandria motuum principem & auctorem, Petrumque Dathenum Archiministrum Caluinianum, tunc temporis, eò quòd malè ipsis cum Auraico conueniret, apud Casimirum, quem nuper Flandriæ Comitem nominârant, exulantes sibi remitti petunt. Casimirus hos quidem remisit, sed opem ipsis suam denegauit. Interea Holachius totam Campiniam igni ferroque vastat, hoc modo futurum existimans, vt exercitus regius commeatûs defectu dilaberetur. Sed Altipennius eius conatus confestim impediuit.

Tuitium expugna-

Truchsesiani sexto die Augusti Bonna Tuitium, olim Diuitense munimentum appellatum, Coloniæ Agrip-

Agrippinæ in vlteriori Rheni ripa oppositum, venientes, pagum incendunt, monasteriumque S. Hereberti, in quo præsidium Bauari erat, oppugnant. Sed præsidiarij fortiter se defendentes, eos, aliquot etiam occisis, reiecerunt. Quare post quinque dies cum maioribus viribus & tormentis redeuntes, monasterium in conspectu omnium ciuium Coloniensium diu oppugnârunt. Qui in præsidio erant, ter eos non sine magno damno represserunt. Tandem in portas, peristylia, atque adeò in ipsum templum ignem inferentes, monasterium capiunt. Præsidiarij omnes aut fumo & flamma suffocati sunt, aut viui in hostium potestatem venerunt. 1583 tur, & incenditur.

Parmensis interim Steinbergam portum, nō procul à Montibus ad Zomam situm, occupat, locum valde opportunum ad nauigationem Dordracensium infestandam. Hærebant tunc temporis adhuc in Belgio milites Bironij Franci, quos vt Zelandiæ ciuitates aliquæ intra mœnia reciperent, Auraicus plurimum laborabat: sed cùm vrbes id facere recusarent, in Franciam reuersi sunt, Belgiumque ab omni Gallo milite est repurgatum. Steinberga capitur.

Paulò ante, 15. nimirum Iulij, decem Christiani, inter quos Patres Societatis Iesu quinque, ob amorem Domini nostri Iesu Christi, fideique propagandæ desiderium, martyrium, fuso sanguine, feliciter in Salseta obtinuerunt. Est autem Salseta peninsula Indiæ Orientalis, tribus quasi milliaribus Goa distans. Eam sexaginta circiter oppida continentem, nuper Lusitaniæ Regi cedere coactus est Idalcani Rex potentissimus, sed Mahometanus. Incolæ ob Brachmannorum (sic gentilium sacris præfectos appellant) copiam, paternas superstitiones mordaciter retinent, & suaue iugū Christi difficulter amplectuntur. Anno 1560. Christiani hîc primùm semen diuinum iacere cœperunt, sed exiguo cum fructu: donec Goæ prorex Antonius de Norogna anno 1567. militum suorum opera, plus quàm ducenta delubra flammis aboleuit, atque euertit. Incolæ rati id Patrum Societatis instinctu factum, nullam occasionem intermiserunt, iram in eos suam exercendi. Cumque iam tertiò & quartò inter Lusitanos & Idalcanos grauiter pugnaretur, Salsetani sese Mauris coniunxerunt, Lusitanisque plurima damna intulerunt, & Christianorum templa demoliti sunt. Pace de- Christianorū noua martyria.

1583 inde composita, quinque vrbes adhuc in rebellione permanserunt: quarum incolæ noua delubra atq; idola construentes, paternos ritus assiduè celebrârunt. Interea P. Rodolphus filius Ducis Atriensis, triginta trium annorum vir, ex aula Regis Mogoris Goam reuersus, à Prouinciali suo in Salsetam mittitur. Socius illi P. Alphonsus Paciecus, eiusdē ætatis, nec minoris sanctimoniç adiungitur. Hi Cortalinam appulsi, Patres aliorum locorum conuocant, vt de apposita quadā ratione Salsetanos ad fidem conuertendi in medium consulerent, decernerentque. Visum hîc est loca singula explorari, trophæa Crucis in opportunioribus erigere, & templa ædificare: ante omnia verò Coculinum adeundum esse, vt inimicitias nuper ob necem primariæ cuiusdam nobilitatis viri coortas, dissoluerent, animosque hominum placarent. Profecti sunt eò P. Rodolphus. Alphonsus, Petrus Bernus Longobardus, Antonius Franciscus Lusitanus, Patres eiusdem Societatis. Erat cum illis quoque Franciscus Aragna Archiepiscopi Goani nepos, cum alijs duobus Lusitanis, quorum alter ab epistolis erat arcis Racciolinæ præfecto. Hi omnes cùm 15. Iulij Coculinum venissent, à primarijs quibusdam viris benignè suscepti sunt: qui oppidanos à meridie conuenturos, vt salutem eis precarentur, dicebant. Interea Patres de opportuno quodam loco agunt, vbi templum extrueretur. Nonnulli verò ex incolis, dum hæc fiunt, siue exploratum, siue fortuitò superuenientes, quid fieret reuersi suis nuntiârunt. Hîc sycophanta quidam veteris in Patres odij memor, seditiosa oratione populum in nebulones, perduelles patriæ perturbatores, & Deorum (his nominibus Patres appellabat) euersores armauit. Populus correptis armis, arcubus & sagittis, in inermes Christianos irruunt. Pater Paciecus brachijs in formam crucis exporrectis, sedato eos animo allocutus, omnem iubet metum, hostilitatemque deponere, & de se esse securos. Barbari nil hac pietate permoti, P. Rodolphum primùm aggressi, crus ei alterum præscindunt: qui mox in genua decidens, oculis ad cælum sublatis, animam suam Deo, ceruicem autem inflexo capite carnifici feriendam obtulit, cùm pectus ipse denudâsset. Barbarus, post quinque illi imposita vulnera, tandem pectus hasta transuerberauit. Inde Franciscum Aragnam,

P. Rodolphus occiditur cum suis.

non-

nondum sacerdotij dignitate insignitum, iugulo primùm crudeliter perfosso, spiculo circa præcordia transfixerunt, semiuiuumque reliquerunt; & in Petrum Bernum impetum facientes, eumque in occipitio primùm, deinde in oculo vulnerârunt, & tandem amputata auricula occiderunt. Pacieci verò pectus cùm hasta laniâssent, iugulum quoque traiecerunt. Antonium deinde Franciscum tribus vulneribus confossum mactârunt: & tandem ingens inconditaque hominum, mulierum quoque & puerorum multitudo, in spirantem adhuc Aragnam ruit, cum solo eleuatum ad idola pertrahunt, iisque sacrificare compellunt. At cùm ille se ligna ac lapides non adorare, nec ijs sacrificare posse profiteretur, in apertum campum ductus, sagittarum imbre confossus, animam felicem exhalauit. Cum ijsdem Patribus occisi sunt etiam adolescentes duo, nobili genere quidem inter Brachmanos, sed fide Christi nobiliores. Franciscum quoque Rodriges, Gonzaluum Rodriges, & Paulum Acostam, immani crudelitate trucidârunt. His peractis, Barbari sanguine Christianorum magno clamore atque gaudio sese perlinientes, eundem idolis suis libauerunt. Corpora deinde dispersa colligentes, eaque in fossam aqua plenam, cespitibus superimpositis, demergentes, abiêrunt. Immanis istius flagitij rumor cùm Goam allatus esset, triginta Patres alij cum armata militum manu in Salsetam iussu Prouincialis nauigantes, corpora Martyrum summa cum difficultate inuenta, atque ex fossa extracta, in Sacellum D. Antonij, non ita procul Racciolo, magno Christianorum Racciolanorum hominum concursu, multisque tædis & cereis accensis, suauique cantu intulerunt. Sunt qui decimum hunc quintum diem Iulij, Patribus Societatis Iesu meritò solennem esse debere contendunt: cùm aliâs nonnunquam, tum maximè annis abhinc duodecim, idem dies, Societatem insigni multorum Martyrum, cum Ignatio Azeueba in Brasiliam nauigantium, & pro Christi nomine à Caluinianis interfectorum, gloria condecorauit.

1583 — *Laici occiduntur.* — *Corpora Martyrũ inueniũtur.* — *Vide suprà sub finem anni 71.*

Eodem mense Iulio, Augusto quoque & Septembri, in Lotharingia, Campania, Piccardia, alijsque Galliæ Prouincijs supplicationes frequentes atque populosæ, per decem, immò viginti & amplius milliaria actæ

1583 sunt. Clerus venerabile Christi corpus, & sacras Sanctorum reliquias præferebat. Laici verò cuiusque ætatis & sexûs lineis vestibus induti, subsequebantur: ligneas cruces manu gerentes, & litanias, aliasque pias precatiunculas flebili cantu, per tot terrarum spatia, modulantes. Fiebant hæc ad exemplum Regis, qui vigesimo Martij, anni eiusdem, Lutetiæ apud Augustinianos Pœnitentium Sodalitium instituerat, Nuntio Apostolico sacrum peragente; & candidas φρατόρων vestes consecrante.

Bobecus Normanniæ pagus, in agro Caletensi, eodem ferè tempore igne cælesti penitùs, vna tantùm domo salua, consumptus est. Id diuinæ vltioni quidam attribuebant, eò quòd à solis ferè Caluinitis pagus ille habitaretur.

Truchsesiani Coninxvvinter frustra oppugnant. Coninxvvinter pagus est, medio inter Bonnam & Vnkelium itinere. Hunc Buyus militum sub Truchsesio præfectus captum nuper incenderat, atque reliquerat; Salentinus verò Comes Isenburgius, exercitûs Bauariani Imperator, iterum munierat, & præsidium in eo locârat. Truchsesiani, expeditione Tuitiensi peracta, Vnkelium secundò tentare voluerunt. Sed quia Coninxvvinter illis transitum negabat, locum expugnare aggressi, reijciuntur: secundam deinde & tertiam impressionem periclitantes, multis suorum desideratis, turpem in fugam sunt conuersi. Venit interea cum *Casimiri in Colon. Diœcesin aduentus.* copiosissimo peditum equitumque exercitu Ioannes Casimirus, causam Truchsesij debellaturus. sed præterquam quòd nihil tota hac æstate, tali exercitu dignum, egerit, Diœcesin & Ducatum Montensem prædis & abactionibus incredibili rapacitate illius miles diuexauit. Cùm per legatum Dominum de Thonavv ab amplissimo Senatu Colon. petijsset commeatum sibi pro pecunia mitti, Senatus id ei non negauit. Sed cùm gratis, vel honoris causa (vt illi loquebantur) aliquid sibi donari postulâsset, Senatus honestè se excusauit, petitionemque reiecit.

Geusij cæduntur. Herentalensium interea tria peditum signa ceduntur à præsidio Lirano, & 400. currus, varijs rebus onusti intercipiuntur: quo tempore Alenconius Brunçum legatum suum in Zelandiam cum literis misit, aureos promittens montes, si Suam Celsitudinem recipere in gratiam, atque in imperium Belgij vellent. Belgæ verò, & præcipuè Antuerpienses eius perfidiæ memores,

Galli

Galli dominatum recusârunt. 1583

In Liuonia Piltenses, Poloniæ atque Churlandiæ imperium recusâsse diximus. Cardinalis itaque Oborouium cum equitibus peditibusque misit, qui omnem circa regionem incendijs, rapinis & cædibus deformârunt. Diœcesani verò arces atque oppida sua munientes, hostium libidini patentes campos permiserunt: sæpiusque erumpentes, plerosque aut trucidârunt, aut captiuos duxerunt: tandem ipsum etiam Oborouium occiderunt. Cardinalis interea Churlandiæ Ducem ad colloquium vocat: ei exponit, quanti intersit regni Poloniæ, vt Diœcesani quàm citissimè in ordinem redigantur, esse hanc etiam extremam Regis voluntatem: Ducem fidelem regni fiduciarium esse clientem: Fas itaque esse, vt & ipse copias aliquot mittat, quò Piltenses, priusquam ex Dania suppetiæ mittantur, ad obedientiam compelli quàm celerrimè possint. Dux verò multas rationes adduxit, quibus se moueri dicebat, quo minus huic bello se implicare posset. Cardinalis, audita morte Oborouij, Præfectum Marienburgensem cum nouis copijs contra Piltenses misit. Is in mandatis habebat, vt Churlandiæ Ducem tertiò conueniret, & auxiliares copias, commeatumque ad hanc expeditionem faciendam ab illo peteret. Sed Dux in priori sua sententia permansit. Præfectus discedens sæpe feliciter cum Piltensibus pugnauit. Interea Farenbeckius Regis Daniæ prorex, misit ad Cardinalem Legatos, qui inducias petierunt. Cardinalis verò rem in celeritate positam esse existimans, inducias negauit, obedientiam postulauit.

Bellum Piltense.

Interea Barbari aliquot fines Lituaniæ lacessere præda belloque cœperunt: quare Lituani ad Regem Poloniæ scribunt, opem implorantes. Rex ignarus victoriarum, Cardinali scribit, mandans ei vt copias in præsidia Lituaniæ remittat. Cardinalis breui debellatum fore sperans, in incepto bello perseuerauit, & Piltenses populabundos excurrentes fudit. Daniæ Rex ad Stephanum Nobilem quendam Polonum misit, qui Cardinalis studia incusaret, & Dani querelas, propter vexatos Piltenses, apud Polonum deponeret. Polonus vicissim ad Danum legationem mittit, quæ conquerebatur Danum rebelles ac seditiosos Regi Poloniæ subditos defendere. Diœcesanos enim Churlandiæ immediatè Polono subesse: vnà cum vniuersa Liuonia ad coronam

Legatio Dani ad Polonum, & Poloni ad Danũ.

1583 deueniſſe Epiſcopo Monachauſio non licuiſſe Diœceſin vendere, id & legibus refragari, & iuramento ſuo contrarium eſſe: proprio illum ſcripto promiſiſſe, nihil ſe in Diœceſi citra magni Magiſtri voluntatem mutaturum, multò minus ipſam Diœceſin venditurum: reclamare etiam patriæ conſtitutiones: & proinde contractum huiuſmodi ipſo iure ſcripto, obligatione ipſius Epiſcopi propria, & conſtitutionibus prouinciæ, ab initio nullius fuiſſe ponderis aut momenti. quod autem ab initio non valuit, id tractu temporis vires acquirere non potuiſſe. Licet, ait Polonus, tempore vitæ Ducis Magni diſſimulatum eſt, tamen hæreditariam ſucceſſionem in Beneficiatis nolumus ratam haberi: eſſe enim manifeſtum, penes quos ius præſentandi & conferendi antiquitus eſſe ſoleat. Omnibus etiam notum eſſe, Magnum à Moſco deficientem, ſe, ſuaque Polono ſubiecisse. Danum, mortuo Magno, omnia Moſco ceſſiſſe: Polonum verò totam Liuoniam nunc à Moſcis pacto recepiſſe; & proinde Piltenſes Liuoniæ populos Polonici iuris eſſe. Meminiſſe Danum, quòd initio belli Moſcici interpellatus ſit à confœderatis, qui copias aliquot ab illo in vſum huius expeditionis petebant: ſed reſponſum ab eo eſſe, ſe copias paratas non habere, cæterùm ex ærario ſuo ſummam pecuniæ depromere velle, eamque mittere. id tamen cur factum non ſit, ignoratum eſſe. Cùm itaque Polonus, & viuo, & mortuo Magno, in poſſeſſione Diœceſeos ſecurus fuerit, excepto quòd ſubditi nonnulli ſeditioſi ſeſe opponant; rogare ſe Danum, ne poſſeſſionem ſuam interturbet, aut rebellibus ope, conſiliòve patrocinetur. Quòd ſi Danus arbitretur ſibi ratione pretij numerati aliquid reſtitui debere, ſe arbitros & ſequeſtres auditurum, Danoque ex poſſeſſione reſponſurum.

Monachauſius Epiſcopus Diœceſin Churlandiæ vendidit.

Illuſtriſſimus Elector Georgius Fredericus, Marchio Brandeburgenſis, metuens contumelioſis ſcriptis atque legationibus ipſos Reges irritari poſſe, & rem tandem in apertum bellum prorumpere, ſeſe diſceptatorem interpoſuit; obtinuitque apud Danum, vt iuris ſui arbiter honorarius conſtitueretur. qua re impetrata, confeſtim ad Poloniæ Regem atque Cardinalem legatos miſit, effecitque vt arma ceſſarent, & quidquid ab vtraque parte hactenus in Diœceſi

Georgius Elector Brãdenb. pacem inter Danũ et Polonũ componit.

1583

cesi occupatum erat, id ei pareret, à quo captum esset: donec inter vtrunque regem plenius hac de controuersia conuenisset.

Tartari Poloniæ ditionib⁹ minātur.

Interea Tartarorum incredibilis multitudo ad Borysthenem confluxit. Paulò enim ante Legatum Cracouiam ad Regem Poloniæ miserant, tributum postulantes, & prædam, quam Kosaci ipsis nuper ademerant, repetentes. Aderat & Imperatoris Turcici Legatus, qui idem flagitabat: dicebat enim, Turcam cum Tartaro breui confraternitatem iniisse contra Persas, vt eius ope commodius eos debellaret. hac de causa Tartaro legationem hanc denegare non potuisse. Rex Legatos aliquandiu detinuit, atque interim clam exercitum ex Germanis, Pannonibus & Polonis conflatum, in Podoliam mittit, exploratum quid Tartari consilij captarent, aut qua iam iter instituissent. Quod cùm Tartari per suos quoque exploratores didicissent, re infecta dilapsi, & ad suos reuersi sunt. Circa hyemem tamen reuersi, ad fines penè Russiæ excurrerunt, omnia ferro atque igne vastârunt, aliquot hominum millia vtriusque sexûs captiuârunt, & Turcis vēdiderunt inter quos multi nobiles, multi etiam summæ auctoritatis magnates.

Tartari in Rußiā excurrūt.

Septembri mense conuentus Francofurti ad Mœnum habitus est, ad quem Imperator Electores & Principes Imperij, ad causam Coloniensem cognoscendam euocârat. Venerant huc diuersorum Principum Legati: Salentinus ab Isenburg & quidam Consiliarij nomine Bauari eò profecti erant, habebat & Truchsesius ibidem suos. Acriter disputatum est negotium, varijsque modis ventilatum. sed causa Bauari ita defensa est, vt maiori parti probaretur. Erat tunc Casimirus cum parte copiarum in Remmerskirchen, vbi nuntius Imperatorius, quem Germani Heroldum vocant, literas Cæsaris illi porrexit, quibus Imperator, non Casimiro soli, sed & alijs Comitibus, equitum Magistris, atque Tribunis militum, Truchsesij partem sequentibus, proscriptionem denūtiabat, nî positis vexillis, militia hac excederent, & relicta Diœcesi, in sua reuerterentur. Peculiares etiam literas Cæsar ad Carolum Truchsesij fratrem, & Comitem Adolphum Nuenarium misit, grauiter cum illis expostulans, præcipiensque, vt aurum, argentum, cimelia, aliaque Diœceseos ornamenta, literas, instrumenta, &

Conuētus Francfordianus.

Cæsar ad Casimirū & alios Truchsesianos literas proscriptionis mittit.

1583 ta, & diplomata, Bruelæ, Bonnæque ex archiuo rapta, nuper electo Archiepiscopo restituerent: oppida, monasteria, arcesque occupatas, cum omni præsidio desererent, & damna per Diœcesin facta, resarcirent, copias dimitterent, turbata pacarent, nisi proscriptionis sententia velint condemnari.

Zutphanium à regijs capitur.

Duodecimo die Septembris Taxis, & centurio quidam cognomine de Boijs, Zutphanium in potestatem Regis Hispan. redegerunt. Positis enim in agro suburbano insidijs, misere qui domunculam portæ vicinam, in qua interdiu excubitores sedere solent, interciperent. ipsi signum obseruabant. Manè cùm porta iam aperiretur, qui in domuncula erant erumpentes, impetu in excubitores facto, eos aut fugant, aut occidunt; datoque signo socijs, qui in suburbio erant, communibus viribus in vrbem ruunt ciues plerique adhuc dormientes, antequam quid ageretur cognoscerent, vnà cum vrbe in potestatem Regis venerunt, mulctatique certa pecuniæ summa, præsidium receperunt.

Casimirus cum suis Truchsesium deserunt.

Erat in castris Casimirianis rei pecuniariæ atque commeatûs magna penuria: quare huc illucque per Ducatum cursitantes eius milites, stipendium sibi dari sæpius postulârunt. Casimirus Gebhardum, qui tunc in VVestphalia erat, per literas interpellans, cum tumultus, qui in castris suis erat, quique maior expectabatur, facit certiorem. Consolatur eum Gebhardus, & pecuniam se propediem missurum promittit. Sed paulò post cùm Magistris equitum, & Tribunis, qui in castris Casimiri erant, suboluisset, Cæsarê proscriptionem omnibus minari, qui Truchsesio militarent, missionem à Casimiro petierunt. Peropportunè

Ludouici Palatini Electoris mors.

eodem tempore Ludouicus Palatinus Elector, frater Casimiri, è vita migrauit. Eius enim mors Casimiro discedendi honestam occasionem obtulit, dum ad fraternas exequias, & tutelam Nepotis sui suscipiendam se vocari simulauit. Postquam itaque Casimirus duos iam menses Truchsesio militâsset, Diœcesin & Ducatû Montensem miseris modis depopulatus esset, nec vnquam de hoste victoriam reportâsset, dimisso exercitu, ad manes fraternos condendos profectus est. Exercitus reliquias Comes Arenbergius, qui egregiam operam in hoc bello Ernesto Bauaro nauauit, à tergo insecutus, Gallos adortus oppugnauit: qui sacellum quod-

dam

dam nacti sese defenderunt, sed iniecto in tectũ igne, omnes, non sine iusto Dei iudicio, concremati sunt. Erant enim iidem Gascones, qui celeberrimum, antiquissimumque illud monasterium Tuitiense igni nuperant depopulati. Buyus cùm suis opitulari vellet, à Bauarianis captus est. 1583 *Iustũ Dei iudicium.*

Dilapso, dissipatoque exercitu Truchsesiano, Ferdinandus Dux, frater noui Archiepiscopi, qui nuper ex Bauaria cum nouis copijs in castra venerat, & Comes Arenbergius arcem Poppelsdorfensem, in agro Bonnensi sitam, obsederunt, oppugnârũt, tandem etiã expugnârunt. qua capta, confestim castra ad montem Mercurij, quem Godesberg appellant incolæ, posuerũt. *Poppelsdorff capitur.*

Fredericus interea Saxoniæ Dux, Ayta Præpositus Gandauensis, & Kespenoyus Ruræmundæ Gubernator pagum Hulstanum, quem Nuenarius munierat, multasque ex eo prædas circunquaque agebat, firma obsidione cinxerunt. Interea mandato Electoris & amplliss. Senatûs Calẽdarij emẽdatio, quam alias nationes anno superiori amplexas esse diximus antea, hoc mense Nouembri à Coloniensibus, omnibusque Diœcesanis acceptatur: neque enim illud ob belli tumultus antehac commodè fieri potuit. Protestantes verò per Germaniam, obdurato adhuc animo, in veteri calculo perseuerantes, Pontificis beneficio frui noluerunt. *Hulst obsidetur.* *Calẽdarij emẽdatio recipitur Coloniæ.*

Parmensis interea Valencenas profectus, per internuntios cum Alenconio de restituẽdo Cameraco egit: dati sunt vtrinque obsides, atque diu multumq; disceptatum. Sed Alenconius tam iniquas postulabat conditiones, vt non difficile esset agnoscere, Gallicam esse nundinationem, nec eum aliud moliri, quàm vt hoc modo Ordinibus Belgij minitaretur, faciliusque ad reconciliationem compelleret. Præterquam enim ꝙ & castrum excindere vellet, & vrbem imperio liberam tradere, trecenta quoque coronatorum millia sibi ab Rege Hispan. numerari poposcit. Parmensis igitur relicto Cameraco, in Flandriam redit, Hulstum & Axellam, totamq; ditionem, vulgò Lant van Waes dictã, felicibus auspicijs occupauit. Est ea ditio totius Flandriæ longè fertilissima, & ad infestandos Gandauenses, Brugenses & Antuerpianos commodissimo loco sita. Quare Antuerpienses trepidantes, & quid consilij caperent nescij, ad Auraicum scribunt, eius sententiam rogantes. Ille, vt solet ferè semper, ad extrema fugiẽs, *Alenconij et Parmẽsis de Cameraco disceptatio.* *Hulst & Axella capiuntur.*

1583 suadet aggeres omnes meridionales Scaldis perforari, & aquis omnem illam regionem operiri. Fore enim hoc modo, vt hostis ad Scaldin munitiones construere non posset, nec impedire nauigationem. Antuerpienses consilium Auraici secuti, aggeres ad Saffcinium, secundo ab Antuerpia lapide, aperuerunt, & fluuium in fertilissima prata ciuium, subditorumque suorum cum incredibili damno immiserunt. Nec inundatione hac contenti, arctiori secum Flādrorum primarijs vrbibus fœdere constrinxerunt, omnia sese perpessuros iurantes, priùs quàm Regi se dedant. Post istud fœdus Gandauenses iterùm tumultuari cœperunt, & quadraginta ex optimatibus primarijsque ciuibus appræhenderunt: Campaignium regulum, Granuellani Cardinalis fratrem, arctiori carceri incluserunt, & libellum quendam diuulgârunt, in quo proditionis accusabant omnes, qui pacem cum Rege ineundam suadebant: vt hoc modo populum ad nouas seditiones concitarent.

Nouum fœdus.

Stephanus Isaac turbat Ecclesiam Coloniensem.

Iudæus quidā Stephanus Isaacus, genere Leui, moribus verò leuior, qui vt vulpes in Ecclesiam Dei intrauerat, eam hoc tempore Coloniæ demoliri nitebatur. Patre natus Ioanne Isaaco Grammatico, & post circūcisionem baptizatus, Christum verè induisse putabatur. Cæterùm pro more gentis Iudaizans, Christianis plurimis erat de fide suspectus. Constans enim fama est, & in multorum grauissimorum virorum ore adhuc frequens, eum iam sacris initiatum, Tuitij Ephod lineo indutum, inter Iudæos, in sacrificijs Iudæorum sedentem, esse deprehensum. Nihilominus ex summa inopia ad maximas diuitias Ecclesiasticasque dignitates peruenit, & tandem pastor in sancta hac Vrbe factus est. Habebat enim popularem quandam eloquentiam, & à multis cum voluptate audiebatur. Sed familiaritate quorundam magnatum Protestantium, quorū mensas sectabatur, magis magisque in fide corruptus est. Tādem bello Truchsesiano cùm à Gebhardo ipso & Vvitgensteinio Comite, siue is Præpositus sit (quod tamen ille negat, licet tunc vrbs tota credebat) siue eius frater Ludouicus, literas legationemque accepisset, iamque bello Truchsesius succumberet, Isaacus seditiosa quadam concione, in pium Imaginum vsum (vnde huiusmodi homines suæ tragœdiæ protasin ferè auspicantur, inuectus est: ad peiora paulatim progressurus, nisi ipse à Reuerendissimo Archiepiscopo, & Amplissimo

plissimo vrbis Senatu interdicto statim à munere concionandi suspensus, populoque eius concionibus addicto silentium impositum fuisset. Cùm itaque institutum suum euentu optato carere videret, pœnitentia ductus ad Ecclesiam quasi reuersus, Missas celebrauit, & alia fecit, quibus se hanc maculam eluere posse sperabat. Fuerat ante coactor prouentuum collegij S. Vrsulæ, cuius erat etiam Canonicus. Collegæ eius vt rationem acceptorum redderet, sæpe institerunt, sed ille tergiuersabatur. vina atque alia sub titulo reddendæ rationis diuendens. Tādem ab Archiepiscopo in ius vocatus, & condemnatus, non reddita ratione, cum ære alieno discessit, cumque aliquandiu solum vertisset, vltimò pastor indignus (vt ipse scribit, & quidem verè) Heidelbergensis factus est. 1583

Comes Montensis iamdudum Regi reconciliatus, & sub finem anni 81. iterum deficiens ad partes Ordinum, cùm id quod à Parmensi petebat, consequi non posset, Geldriæ gubernaculum sub Ordinibus suscepit. Quod cùm aliquandiu administrâsset, sub hoc tempus in suspicionem venit, quòd clam cum Regijs conspirâsset, & tres præcipuas Geldriæ ciuitates, regiæ potestati pro reconciliatione tradere pollicitus esset. Auxit hanc suspicionem aduentus equitum peditumque Hispanorū, qui traiecto Mosæ fluuio, iuxta Venlonē consedêre; opportunitatem, vt aiebant, expectantes, qua Comes has vrbes esset traditurus. Ea suspicio mouit Ordines Geldriæ, vt Comitem Neomagi compræhensum, cum filio & consiliarijs suis nonnullis Traiectum, atque inde ad Auraicum miserint: qui illos deinceps in Rammekens, Zelandiæ castrum munitissimum ablegauit. *Comes Montensis capitur.*

Mense Nouembri, Poloniæ Regi nuntius allatus est, Turcas Regis legatos occidisse, eorum comitatum in frusta concidisse, vnum tātum puerum incolumem euasisse, qui astu quodam se subduxerat. Sed paulò post legatus ab Imperatore Turcico venit, qui id inscio Imperatore factum asseuerabat: velle eum circunstantias facti diligenter inquirere, & Regi fideliter significare. *Turcæ legatos Poloniæ occidunt.*

Eodem ferè tempore, Polonus ad Magnum Chamum Tartarorum Imperatorem misit legationem, qua cum eo transigeret, ne Tartari Crimnitzenses (sunt enim Tartarorū tria genera: Cazanitæ, Procopitæ, & Crimnitzenses) assiduis excursionibus ditiones Polonicas *Poloni ad magnum Chamum legatio.*

1583 nicas posthac redderent infestas. De Procopitis & Cazanitis Rex non erat solicitus, hos enim Moscus annis superioribus domuerat: illi lōgiùs erant remoti, quàm vt Polonis aliquid damni possent inferre. Crimnitzēses verò, qui ad Borysthenem & Pontum Euxinū sedes habent, Lituaniæ fines facili negotio possunt inuadere, eosque depopulari.

Turcica ad Polonos legatio. Interea Mustapha Zausius, legatus Imperatoris Turcici, ad Regem Poloniæ venit, qui excusationem cædis Legatorum nuper perpetratæ attulit: dicebat enim Legatos præter mandatū suum exercitum, qui aduersus Persas conscriptus erat, lustrâsse atque explorâsse: ideoque Turcas offensos eos inscio Imperatore occidisse. Interfectorem tamen adduxit, Regique mactādum tradidit. Quia verò Cosaci nuper maxima Turcis detrimenta intulerant, postulauit vicissim eorum præfectum Imperatori suo donari. Erat hic Mustapha, vt Rex asserebat, apostata, qui tempore patris Stephani in Transyluania, in Arrianorum scholis professorē egerat: sed cùm in exilium eijceretur, ad Turcas defecerat, iamque ob raras ingenij dotes Orator Turcicus effectus, in legationibus omnia Latinè quàm elegantissimè perorabat: quod Polonis erat hactenus inauditum. Perpotabat cum Polonis hilariter, dicebatque Imperatorem suum quotidianis conuiuijs & perpotationibus studere, idemque vitiū apud Turcas indies magis magisque inolescere. *Testimonium Legati Turcici de Christo.* De Christo non contumeliosè loquebatur, sed testabatur eum multò maiorem prophetam esse ipso Mahomete: immò plus quàm hominem fuisse. Si qui symbolū aut emblema sibi aliquod scribi flagitarent, de Deo, Christo & Mahumete breue hoc elogium scribebat: *Non sunt Dij, Sed vnus est verè Deus, Iesus est Spiritus Dei: & Mahumeth eius nuntius.*

Angliæ Regina Puritanos aliquot hoc anno, vt scribit Genebrardus, ritu barbarico suspendit; quòd negarent piè dici fœminam esse caput Ecclesiæ, alicuius prouinciæ, vel regni. Sic Deus hæreticos hæreticis cōmittit, vt Catholicis tacentibus mutuò sese conficiāt.

Bauariani in Hulst cæduntur. Fredericum Saxoniæ Ducem, & Chorepiscopum Ecclesiæ Coloniensis, munitionem in Hulst obsidione cinxisse, dictum est antea. Præsidiarij iam penuria laborare cœperant, nec quicquam tamen de sua petulantia atque peruicacia remittebant. Truchsesius, Nuenarius, & Henricus Bruinsuicensis nothus, cùm suos laborare

borare non ignorarent, euocatis vndique præsidijs, copijsque per Vvestphaliam palantibus coactis, summa cum celeritate instructissimo equitum peditumq; agmine Rhenum traiecerunt, & 19. Nouemb. proximè castra Ducis accessêre. Eburones, qui in castris erant, relicto vallo, obuiam illis processerunt, & ab hoste excepti, velitando aliquandiu, inde cedendo, mox fugiendo sine respectu, in castra, vt se Germanis iungeret, sese recipiunt. Dux Kespenoyus & Ayta, accepto hostem fugientibus magno agmine instare, conclamari ad arma, & raptim in aciem suos educi iusserunt. Dimicatur cominus magna vi, Duces modò equites, modò pedites, in prima acie consistebant, interdum post principia obequitabant; nunc inter medios versabantur, suis animū addebant, ne hostium multitudine cōsternarentur. Eburones fortissimè pugnabant, totumq; hostium impetum obiectis corporibus sustinebant. Germani verò paulatim cedere, deinde effusa fuga, qua quisque commodè potuit, se subduxit: ita vt Eburones à suis relicti, nec tamen fugere volentes, penè omnes sint trucidati. Dux & Præpositus vix incolumes euaserunt. Kespenoyus vulneratus in hostium potestatem venit: cæteri fugientes, insignem prædam hostibus reliquerunt. Culpam huius cladis quidam in auxiliariorum moram reijciunt, quidam excusant fluuij seu torrentis interiectu. Alij afferunt peritiam rei militaris in Præfectis fuisse desideratam. 1583.

Qui in comitijs Francofortianis erant, auditis vtriusque partis rationibus atque argumentis, iudicârunt æquum esse, vt Truchsesius Bauaro cedat; Bauarus vicissim Truchsesio annuam pensitationem, quoad viuat, eamque tolerabilem annumeret. Legati Truchsesij veniam postulârunt ad principem suum proficiscendi, eiusque animum perscrutandi. Qui cùm ad eum venissent eiusque sententiam rogâssent, aiunt illum respondisse: Electoralem dignitatem atque imperium Vvestphaliæ sibi reseruata velle: Archiepiscopi titulū, cum oppidis quæ tunc habebat Bauarus, Bauaro se condonaturum. His cōditionibus, nec prorsus alijs pacem coire posse. Sed responsum illud in comitijs est explosum: iam enim Bauaro regalia erant ab Imperatore missa, & per literas Imperij Principibus mandatum, vt Bauarum legitimum Electorem agnoscerent, atque obseruarent.

In comitijs Francford. quid actū sit.

Ganda-

1583 Gandauenses posteriori fœdere in sese receperant, prȩsidia Alostana atque Teneremundana suis sumptibus sustentare. Sed cùm debita stipendia non mitterentur, & præsidijs necessaria deesse cœpissent, Angli & Scoti, quorum curæ Alostum erat demandatum, cùm inanes esse Gandauensium pollicitationes animaduerterent, clàm cum regijs certa pecuniæ summa oblata deditionem paciscebantur. Missus est equitatus à Parmensi, qui vrbem in fidem Regis acciperet. Qui cùm in conspectu esset, Angli & Scoti consilium suum detexerunt, ciues in sententiam illorum concedunt: Galli & Flandri reluctantur. Sed quia pars altera viribus potior erat, Flandri & Galli exire iussi; & regij in vrbem, magno Gandauensium atque Antuerpiensiũ dolore atque incommodo recepti sunt.

Alostum Regi traditur.

Auraici studia ad Alenconium reuocandum irrita.

Auraicus quotidianis regiorum victorijs attonitus, cùm aliud præsens remedium non esset, omnem mouebat lapidem, vt sublata diffidentia, Alenconium Ordinesque reconciliaret, inque nouum fœdus mitteret. Eum in finem comitia Dordraci indixit, ad eaque Ordines euocauit. Hærebat adhuc in Belgio Brunæus Alenconij legatus. Sed quia conditiones ab Alenconio propositæ Ordinibus partim suspectæ, partim essent absurdæ, rationique minus cõsentaneȩ, non potuit Auraicus eos inducere, ad Alenconium reuocandũ. quare dimisso conuentu, paulò post in Haga Comitis coeundum, ibidemque hac de re latius agendũ iudicauit. Interea sperat se per suos materiam magis prȩparaturum, viamque ad propositum suum perueniendi straturum, sed oleum atque operam omnem perdidit.

Interea Montibus ad Zomam præsidiarij tumultuantur, propterea quòd ipsis stipendia nõ persoluerentur. Hanc ob causam 150. naues Hollandicas, bobus, alijsque mercimonijs plenas, in portu detinuerunt; sex mensium stipendia, dimidiamque naualis istius prædæ partem exigentes. Post aliquot tamen septimanas partim pollicitationibus, partim pecunia placati, in ordinem redierunt.

Godesberg capitur à Bauarianis.

Ad finem anni huius, Bauariani arcem Godesberg, in altissima rupe sitam, diuque obsessam, actis tandem cuniculis, summis viribus expugnârunt. qui in præsidio erãt omnes, Præfecto solo excepto, aut occisi sunt, aut in carceres cõiecti, & supplicio affecti. Erant enim prædatores, prædatoresque omnes. Heisterbacensis

Abbas,

Abbas, & Ranucinus in munimento Tuitiensi captus, 1584
viui adhuc reperti, & libertati restituti sunt. Arce hac capta, confestim Bonnam arctissimè obsederunt. Ita hoc anno vicit Deus, vicerunt & homines, causasque Principum, de quibus homines ambigebant, euentus belli, velut æquus iudex, vnde ius stabat, eis victoriam dedit: senseruntque Belgæ, quo leniùs Rex egit, quo segnius incepit, eo cùm incepisset, progredi perseuerantiùs.

ANNO M. D. LXXXIIII. ipsis Calend. Ianuar. laborāte iam pecuniæ & cōmeatûs inopia præsidio Bōnensi, Gebhardus Truchsesius Henricū Bruinsuicensem equitum magistrum, cum exercitu, multisque curribus stellatura onustis, Bonnā ex VVestphalia clam misit, vt Bauarianos vltra Rhenum ex improuiso trucidaret, atque vrbi annonā importaret. Sed Bauariani per exploratores de eius aduentu certiores facti, in sylua quadam, vbi Siegius ponte constratus erat, qui Truchsesianis erat necessariò transeundus, hostem expectabant: adiunxerant sese Bauarianis multi agricolæ, vt communibus viribus hosti obstarent. Venit ad pontem Truchsesianum agmen, & iam primi aliquot ordines transierant, cùm Bauariani ex insidijs erumpunt, & hostem adoriuntur. Hic atrox pugna: Truchsesiani multitudine hostium circumcincti, dum à suis ob fluuium intermediū, pontisque angustiam iuuari non possent, passim cæsi sunt, qui supererant, tanto cum impetu ad pontem socijs, qui etiam in ponte erant, occurrunt, vt se inuicem in fluuium deturbârint, & tandem grauitate ponderis in eo tumultuantium, pons dissolutus subsederit, multosque fluuius absorpserit. reliqui aut capti aut occisi sunt. Qui vltra Siegium erant, celerrima fuga in VVestphaliam reuertebantur. In Flandria quoque commeatus omnis Hypras à Brugensibus missus, à regijs est interceptus.

Henricus Brunsuicensis caeditur.

Auraicus & Aldegundus noctes atq; dies in hoc toti erant, vt Alenconium reuocarent, & totius Belgii principem crearent: excepta Hollandia & Zelandia, quarū prouinciarum Comes Auraicus ipse cōstitui malebat. Cæterùm maritimæ Hollandiæ ciuitates, vtrunque recusârunt. Alenconium vt proditorem reijciebant, etiam tunc cùm Aldegundus diceret, præstare Proditorē quàm Tyrannum habere Comitem, tacitè Regem Hispan.

Belgæ de nouo principe contendunt.

1584 span. Tyrannum appellās. Auraicum Gubernatorem, non Comitem volebant: ne fortè excusso penitus Regis cum imperio nomine, occidentalis nauigatio ipsis interdiceretur, aut tuta non esset. Accesserat & his petitionibus sexti denarij bonorum omnium exactio, quam simili constantia maritimi illi pernegârunt: & nisi Auraicus de cupiditate sua aliquid remisisset, res in apertam seditionem erupisset.

Lyra proditione frustra tentatur.

Aldegundus Consul Antuerpiensis nuper electus, vt ciuitati gratificaretur, proditionem in oppidū Lyranum adornauit. Sed innotuit ea proditio oppidi Præfecto, qui re dissimulata, clam insidias circunquaque disposuit, quæ aduenientes proditores, proditorumque ministros interciperent, atque mactarent. Res non caruit euentu. Collectæ siquidem copiæ ex Mechliniēsi & Herentalensi præsidio cùm alacri animo Lyram aduolarēt, ex improuiso ab insidijs cincti, cæsi, fugatique sunt. qua in pugna filius Elberti Leonini, quem vulgò Longolium vocant, interfectus est.

Bonna deditur Bauaro.

Præsidiarij Bonnēses cùm nec commeatum, nec pecuniam à Gebhardo mitti ex emissarijs suis didicissent, tumultuabantur. Sub id etiam fama per oppidū increbuit, Imperatorem literas proscriptionis ad Carolum misisse, quibus & ipsi, & omnibus eius militibus proscriptionem Imperij minabatur, nisi oppidum Bauaro traderent. Qua de causa Carolum confestim captum arctæ custodiæ mancipârūt; claues portarum in suam potestatem acceperunt, & cum Bauarianis de deditione oppidi, Caroli verò Truchsesij, aliorumque præfectorum, perniciosorum hominū, traditione seriò agere cœperunt. Tandem præter vitam, fortunas, & tuti itineris fidem, quatuor coronatorum millia pacti, vrbem 28. Ianuarij cum Truchsesij fratre Carolo, cæterisque militū præfectis, Electori Bauaro tradiderunt. Carolus Huium Eburonum oppidū abductus; centuriones & præfecti aliquot laqueo strangulati, & vrbs præsidio firmata est.

Carolus Truchsesius capitur.

Doula locus est ad Scaldin fluuium inter Antuerpiam & istius fluminis ostium: in hac Antuerpiēses propugnaculum construxerunt, quo contra excursiones regiorum nauigationem tuerentur. Regij verò capto Bercto pago impedièrunt, ne quis commeatus Mechlinienfibus, Bruxellensibus, aut Gandauensibus posset supportari. Ordines instructis nauibus regios hinc pellere

frustra

frustra conabātur. Quare perforatis aggeribus Hobocken è regione eius pagi, ne regij eum etiam locum occuparent, infuso flumine stagnare fecerunt. 1584

Circa idem tempus Sacra Cæsarea Maiestas ad vrbem Nouiomagensem literas dedit, quibus hortabatur, vt depositis armis pacem cum Rege suo componerent, se allaboraturam, vt eam æquissimis conditionibus consequantur. Literæ Colonia per Paulū Assilerium missæ, & in Senatu magna quorundam expectatione lectæ fuerunt.

Imperator Neomagēses ad pacē hortatur.

In Gallia Rhenatus Peschardus, Minister Caluinianus, deposito omni errore Ecclesiæ Romanæ, ope Sangermani Cæsareæ Episcopi, reconciliatur: & Lutetiæ Franciscanorum indumētum, quod per apostasian ante annos triginta exuerat, iterum assumpsit.

Brugenses de Hyprensibus obsessis plurimùm soliciti, militem cum stellatura ipsis submiserunt. Sed regij eius per exploratores certiores facti, subsidiarijs obuiam procedunt, omnemque, cæsis eorum ducentis, annonam intercipiunt. Quo nuntio accepto, Brugēses actutùm alios octoginta currus commeatu onerârunt, centumque & quinquaginta corbes etiam cibo plenas addiderunt, quas totidem rustici dorso baiularent: accitis deinde 400. equitibus, & 500 peditibus Scotis, eandem fortunam periclitari iusserunt. Sed regij cùm per emissarios didicissent subsidium hoc in procinctu esse, relictis duabus munitionibus, forti animo illi obuiam processerunt; commissoque prælio quingentos, tam equites, quàm pedites prostrauerunt; cæteros in fugam coniecerunt, commeatum omnem, exceptis exiguo numero, & quæ vix ad vnum diem vrbi obsessæ sufficiebant, corbibus, iterum hosti præripuerunt, & viginti tantùm ex suis desideratis, in castra reuersi sunt. Contigit hoc 16. Februarij, cùm paulo ante vxor Auraici masculam prolem esse enixa.

Subsidia Hyperensibus cæduntur secūdò & tertiò.

Interea in Diœcesi Coloniensi Bedbergum, Nuenaricæ iurisdictionis oppidulum, Bauariani occupant: Arcem verò Schrekius Buscoducensis quidam, cum suis aliquandiu tuebatur: sed cùm nusquam auxilia pararentur, territus sociorum suorū in Poppelffdorff & Godesberg tristi interitu, nono Martij deditionem fecit. Ioannes Manriquus deinde aliquot hastatos equites, copiasque suas pedestres Rhenū traducens, in mandatis habebat, vt oppidū Reckelinckhusense cum vni-

Bedbergū capitur.

1584 uerso territorio Vestensi Bauaro recuperaret Horum aduentū metuens Gebhardus, omnia spolia Ecclesiastica atque prophana, tanto tempore tam in VVestphalia, quàm in Diœcesi rapta atque congesta, curribus imposita, vnà cum Nympha sua in arcem Dillenburgēsem misit, ipse Geldriam versùs profectus est.

Truchsesius fugit.

Regii in Flandria iam Cortraco, Audenarda, & Ekoloo capto, tria flumina Gandauensium nauigabilia occupabant: restabat quartum: quare in Vateren cis & vltra Scaldin propugnacula erexerūt, quæ ligneo ponte coniunxerunt, fluuiumque ita obstruxerunt, ne qua nauis Antuerpia Gandauum transire posset. Quare Ioannes Embiesius Consul, non ignarus quanto in periculo vrbs versaretur, ab vna parte; atque ab altera Auraicum non cessare Alenconij, cui ille hostis erat infensissimus, causam promouere, reditumque persuadere; cōmunicato cum quibusdam consilio, in partes Regis Hispan. animum inclinare cœpit, palamque profitebatur, satius esse Hispanorum quàm Francorum dominatum acceptare. Fama tunc frequens erat Auraicū ad Magistratū literas dedisse, vt Embiesiū captum ad se mitterent, easque literas ad Embiesium latas, atque ab eo lectas fuisse, animumque eius magis exacerbâsse. Causam huius simultatis inter Embiesium & Auraicum referunt nonnulli fuisse hāc: Petrus Dathenus Archiminister Gandauensis id ante sexenniū apud primates egerat, vt Casimirū, qui tunc in Brabantia erat, Comitem Flandriæ crearent. Embiesius tunc primarius erat in vrbe Consul, & huic Datheni consilio subscripsit. Vocatus est Casimirus: Venit cum exercitu, iamque Comes (vt putabatur) creandus erat. Sed Auraicus id ægerrimè ferens, ne fieret impediuit. fauebat enim tam ipse, quàm Angliæ Regina Alenconio. Embiesius verò & quidā Casimiri consiliarius famosum quendam libellum in Alēconium excudi atque diuulgari curant, in quo Alenconius ita depictus erat, vt omnium animi meritò ab eo auerterentur. Atq; hinc inter Auraicum & Embiesium odiū natum est capitale. Auraicus paulò post Gandauum veniens, Embiesiū dignitate, quam habebat, deiecit, & magistratum ex suæ factioni addictioribus creauit. Embiesius id indignè ferens, relicta Flandria, Frankentalū in Palatinatûs Rheni oppidulum commigrauit: ibique plus minus biennium, cum Datheno vixit. Postea rebus Auraici incli-

Gandauēses in angustias rediguntur.

Embiesij & Auraici dissidium.

inclinantibus, à suis fautoribus Embiesius, vt ante narratũ est, reuocatur. Pristinæ dignitati restitutus, Rimmium Iurisconsultum, Borlutium, Borleum, alióque pacis amantes viros, qui Regi potius quàm Alenconio reconciliandum suadebant, in vincula coniecit: nouũ Magistratum è suis legit, & qui Rempub. se absente administrârant remouit. Sed cùm se Alenconio inuisum esse, & Auraicum habere infensum non ignoraret, literasque Auraici, de quibus diximus, insuper accepisset, de pace cum regijs ineunda cœpit cogitare. Quare Meetkirchium Concilij præsidem, aliosque Auraicarũ factionum studiosos vrbe eiecit, & de pace Legatos ad Parmensem misit. Parmensis sciens finem belli pacem esse, multumque Regis interesse, maximam atque ornatissimam totius Belgij ciuitatem, tam leui sumptu, tamque exiguo labore recuperare, legationem magnificentissimè excepit; Manuiumque, virum nobilem Gandauensem, Audenardæ Præfectũ, & Seguram Tribunum militum Hispanum, Embiesioque affinitate coniunctum, in vrbem misit. quibus ingredientibus populus occurrẽs festiua voce Pacem acclamauit. Embiesius verò duos filios suos obsides Audenardam remisit.

1584

Embiesius de pace cogitat.

Octaua die Martij Ioannes Basilides Magnus Moscouiæ Dux, Basilio patre, & Salomea matre prodigiosa fœcunditate anno 1528. natus, ex hac vita, magno suorum gaudio, decessit. homo (si modò homo dicendus, qui nihil præter humani corporis figuram habebat) incredibilis, & à mundo condito inauditæ crudelitatis: qui immani sua tyrannide celeberrimos orbis tyrannos, multis parasangis, dum viueret, antecessit: qui viuos homines medios secare solebat, qui parentes liberorum vesci corporibus cogebat, cuius nomen meritò vniuersæ rerum naturæ inuisum esse deberet. de cuius crudelissimis flagitijs cùm Paulus Oderbornius singularem librum ediderit, & Alexander Gaguinus eques Polonus, in sua Polonia quàm plurima narrauerit, actum hîc agere nolumus: tantùm de (tyrannis communi ferè) eius exitu paululum referemus. Ioannes Basilides infeliciter gesto posterioribus annis contra Polonum bello, initaque turpissima (vt diximus) pace, amissa veteri virtutis opinione, cùm exercitu, tormẽtis, arcibus, filioq; orbatus, cùm iam suorum captiuitates ac mortes vidisset, domiq; à ciuibus

Moscouiæ Ducis tyrannis & mors.

1584 tacitè contemneretur, & ab hostibus foris irrideretur, morbum ex ægritudine animi contraxit. Vt autem solatium aliquod haberet homo barbarus, multa millia Moscorum, qui præteritis annis oppidorum atq; arciũ deditionem fecerant, ad se adduci, & coram interfici mandauit. Eodem modo & variarũ nationũ captiuos, quos habebat, mulctauit, vt cruento hoc spectaculo feritatem suam satiaret. Sed vi numinis hæc infirmitas ita demum vehementer aucta est, vt desperatis medicinæ remedijs, mente commotus, miserabilem vitam duceret. Multis diebus non alloqui quenquam, non cibum sumere, non vocem mittere, ita vt mutus videretur. Postea verò vbi dolor vocem laxauerat, nihil aliud quàm filium Iuanum vocabat: Iuanus illi videri, Iuanus audiri videbatur, cum illo loqui, cum illo consistere; interdum quasi viuum flebiliter accersebat. Fuerat hic Iuanus filius eius natu maior, quẽ ante paucos annos ex sinistra suspiciõe claua ferrata durus pater occiderat. Arinam deinde Vdudouiã, filij sui Theodori vxorẽ, cùm in incæstu cum ipso iam viribus paululum resumptis consentire nollet, persecutus est: quæ tamen fide mariti incolumis euasit. Postea ingrauescente rursus morbo, tãdem mortis memor, feritatem nonnihil exuit: iubet multos captiuos dimitti, iubet vt & illi, & cæteri omnes, pro salute eius orarent; quam si reciperet, omnibus libertatem promittebat. Sed captiui, eiusque subditi penè omnes, noctes atque dies orabant Deum, vt mortem tyranni acceleraret. Audijt Deus eorum preces, & morbus tam vehementer incubuit, vt putrescentibus intestinis & visceribus, ipsa etiam naturalia teterrimo fœtore infecta, à vermibus, qui tabidis in corporibus nasci solent, laniarẽtur. Hanc miserrimã vitam cùm aliquandiu prorogâsset, tandem turbata ratione in fatalem horam & vltimam vitæ lineam deuenit. Antequam autem moreretur, ter lethalem sensuum, motuumque stuporem & hebetudinem passus, horas vigintiquatuor continuas mortuo similis iacuit. Prima vice expergefactus, obducta & tristi fronte filiũ rogauit, vt quosdam in arctiori custodia ad vltimum suppliciũ seruatos, vinculis soluere vellet: professus pa-

Nota. lam, se in quodam loco tenebris & terroribus importuno propter eos grauissimis tormentis affectum esse. Quibus terriculamentis permotus filius, istorum carcerum tecta statim demoliri iussit, supplicatiões per vrbem

bem

bem instituit, eleemosynas erogauit, Deumque depre- 1584
cari iussit, vt patri vel sanitatem redderet, vel obitum maturaret. Tyrannus deinde in similem stuporem incidens, per multas horas fœtens, summis in angustijs iacuit, à quo cùm postea velut ab inferis ad se redijsset, filio mandauit, vt iniustissima & intolerabilia vectigalia, quibus innocentes subditos oppressisse sępius sese lamentabatur, aboleret; & hominibus, quos violenter suis bonis exuerat, abundè satisfaceret. Has, inquit, vltimas preces apud te valere volo; nunc morior, Deumq; rogo vt tibi terrarum omniũ donet imperium. Hæc cùm dixisset, in tertium lethargũ incidit, & paulò post cum gemitu & miserabili vocis reboatu animam efflauit: disruptisque statim illis abscessibus, qui pudenda occupârant, tanto fœtore ex profluente sanie totam eam habitationem impleuit, vt astantes, qui à pestifera tabe infici nollent, celerrimo cursu, relicto cadauere, diffugerent.

Trigesimo deinde Martij die ex aula cum incredibili pompa fuit eductus, & exequiarum singulari magnificentia in templo S. Michaelis maiorum tumulis illatus. Sunt qui scribunt, à primo die, quo moriebatur, corpus eius desideratum fuisse, nec deinceps à quoquã visum aut inuentum; id captiui postea dimissi confirmârunt, dicentes sibi magnifica quæque promissa, si corporis restitutionem à Deo possent deprecari.

Gebhardus Truchsesius fugiens, cùm Vvesaliam *Truchsesiani in*
Cliuiæ venisset, ibidem Holachiũ & Nuenarium in- *Burg cæ-*
uenit: quorum promissionibus maximam rerum gerẽ- *duntur.*
darum spem concepit. Bauariani verò summa celeritate Truchsesij agmen sequebantur, donec tandem sub finem Martij in pago quodam, Burg ab incolis dicto, ad fluuium antiquæ Iselæ posito, illud assecuti, insigni victoria strauerunt. Præclaram hoc in prælio pręstitit operam Ferdinãdus frater Ernesti, Bauariæ Dux; nec minor virtus fuit Manrici, Bastani, Arcanatij, Toraysij, & Ionæ, qui omnes fortissimè dimicârunt, omnemque equitatum, peditatumque strauerunt: adeo vt vix octuaginta è toto exercitu superstites, in proxima syluula sese abdidisse dicerentur. Captus est inter alios
Henricus Bruinsuicensis Nothus, & grauissimè vulne- *Henricus*
ratus ad Ferdinandũ adductus est. Præda deinde, quæ *Bruinsui-*
opulentissima erat, capta, septendecim tantùm è suis *censis ca-*
desideratis, Arcanatio, Horatio, & duobus nobilibus *pitur.*

1584 vulneratis, Bauariani receptui cecinerunt. Venit interea Thomas Epirota, cum lectissimis equitum turmis, ignorans iam pugnatum esse. Decretum itaque est cõmuni consilio, Nuenariũ & Gebhardum in castris suis quærendos, atque oppugnandos esse. Sed dum itineri sese accingunt, nuntiatũ est, eos iam Iselam atq; Rhenum traiecisse, atque in Bathauia inter duo maxima flumina sese munire. Mutato igitur consilio, Bauariani in territorium Vestense reuersi sunt, & oppidũ Reckelinckhusense obsederunt. dumque illud oppugnant, Horenburgensis castri præsidia noctu fugiũt, & Reckelinckhusenses spe subsidij destituti, & extrema necessitate circumuenti, sese Bauaro condonârunt. Truchsesius verò militia infelici relicta, Delphos Batauorum ad Auraicum proficiscitur, vbi aliquandiu priuatus atque inglorius vixit.

Hypra deduntur. Interea Hyperenses extrema iam penuria laborantes, cùm nullũ subsidium à Flandris submitti posset, à Parmensi Principe vitam fortunasque pacti, vrbem honestis conditionibus Regi reddiderunt.

Initium dissidij Canonicorum Argentoratensium. Actum hoc est 8. mensis Aprilis, quo tempore initium habuit dissidium illud Capituli Argentoratensis. Vvitgensteinius enim Comes & Præpositus Coloniensis, Hermannus Adolphus Solmensis, & Vvinnebergius Baro Ioannes, de quibus in anno præcedenti diximus, per excommunicationẽ beneficijs Ecclesiasticis non tantùm Coloniæ sed & omnibus alijs in locis priuati, cùm se etiam Argentorati Præbendarum suarũ priuatione, vnà cum Truchsesio suo Decano mulctandos non obscurè intelligerent, Capitulo sese opposuerunt. Vvitgensteinius enim & Vvinnenbergius eò celeriter sese conferebant, ad Capitulum admitti & fructus Præbendarum suarum postulabant. Præpositus verò Christophorus Ladislaus Comes Nellenburgius, Baro in Tengren, & cæteri Canonici Catholici, cum ipso Episcopo, vtrũque ipsis denegârũt. Sciebant enim etsi pace Religioni Augustæ data, laici Augustanæ Religionis Pontificiæ potestati exempti sint, Ecclesiasticos tamen ad Pontificis tribunal pertinere: nec sine iactura Præbendarũ, Beneficiorúmve suorũ à fide Catholica deficere posse. Et rectè: non enim à maioribus Collegia huiusmodi gratis sunt instituta, sed propter officium, datũ est beneficiũ: qui officium itaque facere renuit, quo iure beneficio gaudebit? qui altario inserui-

re non

re non vult, quomodo de altario viuet? Nec sufficit dicere, suo se more altario inseruire: vltimæ voluntati fundatorũ est satisfaciendũ. Si officium hoc impiũ putent, vnà cum impietatis officio, impietatis mercedẽ relinquant: Beniuolũ secuti, qui ne Iustinæ Imperatrici Arrianæ obedire contra Ambrosium teneretur, non grauatè baltheũ, summæ dignitatis symbolũ, sibi detractum restituit. Sed ad rem. Collegæ Catholici nullã religionis mentionẽ faciebãt, tantùm sese sententię sui Iudicis satisfacere velle asserebãt. Hoc Comitibus, hoc Senatui Argentoratensi, ab his interpellato, responderunt. Protestãtes Canonici, cùm ius suũ, quod prætendebant, in Capituli iudicio succũbere viderent, ad Cæsarem atq; Imperij Principes appellârunt. Sed non expectato appellationis termino, granariũ inconsueta (vt aiunt eorum aduersarij) claue aperiũt, certasque auenę mensuras inde in ædes suas cõportari iusserũt: & œconomum difficultatem in hoc spolio facientẽ conuitiati sunt. Vltimo quoq; Aprilis simile quid apud pistorem Collegij Vvinnenbergius per famulũ perpetrauit. Id ægrè ferentes Catholici, apud Senatũ de hac vi querelas suas deposuerunt, tale spolium nũquam in libera imperiali ciuitate auditũ, priuilegijsque & à SS. Pontificibus & ab Imperatoribus olim Capitulo donatis vehementer refragari dicẽtes. Et quia antiquis pactionibus & exemplis docere poterant, Senatũ, si quando inter Collegas Capituli dissidiũ exoriretur, neutri se parti iungere debere, nec permittere, vt quis ciuium sese illorum negotijs immisceat, nunc etiam rogabant eundem Senatũ, vt non tãtùm Vvitgensteiniũ & Vvinnẽbergium admoneant, ne quid vlterius per vim faciant, sed etiam ciuibus suis interdicant, ne quam ipsis opem in hac violentia præstent. Interea Cæsar Collegio scribit, se intellexisse eosdem, qui turbã Coloniensem cõcitârant, similem tragœdiam in Diœcesi Argentoratensi meditari. Monet igitur Collegas Catholicos, suæ Ecclesiæ rationem habeant, Canones & statuta sua defendant, huiusmodi hominibus locum non dent, sed eos ope legitimi sui Magistratûs, Senatûs etiam Argẽtoratensis excludant. 1584

Sozomen. lib.7. cap. 13.

Cùm verò excommunicati duo Canonici in concilium, ad continuandã suam possessionem (vt ipsi existimabant) venissent, Catholici per Notariũ eis decretum Capituli prælegi fecerũt, quo demonstrârunt, an-

Protestantes Canonici Capituli cõses-

1584 tiquis suis statutis cautum, excõmunicato quacunq; de causa Canonico in Capitulo nõ esse locũ permittendũ. Notũ autẽ esse, Vvitgensteiniũ & Vvinnenbergiũ esse excõmunicatos, atq; priuatos. non posse itaq; Collegas suos, vel à trãsgressione propriorũ statutorũ, vel ab inobediẽtię vtriusq; supremi sui Magistratûs crimine excusari, si eos in cõmunionẽ suã recipere, aut cõsilia (quę actus Capitulares appellãt) captare cũ illis vellẽt: Immò & ipsos hoc modo simili censuræ innodari posse. Protestari itaq; sese, ratione cõsuetudinũ, cõstitutionũ, & iuramentorũ obedientiæ quoq; Pontificis & Cæsaris, excommunicatos nec ad Capituli cõsessum admittere, nec aliquos actus Capitulares cũ illis decernere posse. Deinde obiecta ipsis breuiter violentia, quã pridẽ exercuerãt, docuerũt eos in susceptione suarũ Præbendarũ, & postea magis in ordine Subdiaconatûs & Diaconatûs sese religioni Catholicæ, & Põtifici Romano obligâsse. mirari igitur Collegiũ, cur tã cõtumeliosè de Sãctitate eius loquãtur. Sed nec eos priuilegijs Augustanę Cõfessionis gaudere posse, cùm à iuramẽto Religioni Catholicæ & Põtifici præstito, publica palinodia nondum sese absoluissent. Porrò velle se aliâs illorũ protestationi exactius respondere, promittẽtes, pronũtiârũt publicè, se cùm in Capitulari hypocausto impediãtur, posthac Capitulũ aliò trãslaturos, tutioriq; loco cõciliũ habituros: nec illud ad pristinũ locũ reuocaturos, priusquã omnia cessauerint impedimẽta. Contra hanc denuntiationẽ, aliaq; Catholicorũ Canonicorũ decreta, Senatus, Vvitgẽsteinius, Vvinnẽbergius, & Ernestus Comes Mansfeltius, qui solus Protestantium partes sequebatur, (Comes enim Bernardus à Vvaldeck, qui eis initio fauere videbatur, Catholicis sese nunc palam adiũgebat) publicis scriptis pugnabãt: donec tandẽ per Notariũ publicum mense Iunio protestatione prædicta tribus istis Canonicis scripto domi exhibita, Catholici nouũ Decanũ, repudiato Truchsesio, elegerũt.

Su prohibentur.

Canonici Argẽtoratenses nouũ Decanum eligunt.

In Polonia initia tumultûs ciuilis hoc tempore pullulare cœperunt. Causam præbuit supplicium à Salomone Zbarouio circa finem Aprilis sumptum. Is enim sub Rege Henrico proscriptus, eò quòd Nobilem quendam occidisset, cùm apud exteros aliquandiu cõmoratus esset, sub Rege Stephano in Poloniam venit. Sed, vt nonnulli scribunt, cùm eo in honore non esset, quo esse solebat, cum Andrea atque Christophoro fratribus

Causa simultatis inter Regẽ & nobiles in Polonia.

1584

tribus ſuis clam in Regem & magnum Cancellarium Ioan. Zamoyſcium conſpirauit: ſtatutumque illis erat, Regem veneno, Cancellarium verò gladio necare. Proficiſcentibus verò iuſſu Regis in Podoliam cõtra Tartaros Sibarkio & Zobario Vngarorum ducibus cum ſuis copijs, proditio hæc à quodam citharœdo, Samuelis Zbarouij domeſtico, in diuerſorio quodam à Zobario inuento, & iam potu obruto, detecta eſt. Miſſus eſt citharœdus ad Regem, vnà cum literis coniurationis Zbarouij manu ſubſignatis. Qui rumor cùm ad Zbarouios fratres eſſet allatus, per Ioannem Zbarouium belli Gedanenſis nuper imperatorem, magnæ apud Regem auctoritatis virum, & germanum fratrem ſuum, Regi ſupplicârunt, ne perfido fidicini crederet, nec odium in innocentes fratres conciperet. Sed cùm Rex Ioanni literas fratris oſtenderet, atque ipſe manum & ſigillum fratris cognouiſſet, triſtis abijt. Quare poſtea fratres ſe ipſi Regi purgare conati, literas non eſſe veras & genuinas, ſed ab alio manũ ipſorum imitato fictas eſſe dicebant. Rex verò purgationem iſtam nõ accepit. Accidit paulò poſt, Cancellarium ad aliam ciuitatem, vt pro tribunali ſederet, profecturum: quò in itinere Zbarouium illi inſidias ſtruxiſſe nuntiabatur. Cancellarius ſtatim Regi ſignificauit hoſtem in inſidijs eſſe, & ſe ad mortem peti; Zbarouium cum 300. equitibus eum expectare. petere itaque, vt Rex ſignificet, quo loco factum, ſi eum ſuperare poſſet, eſſet habiturus. Quod cùm Rex feciſſet, Cancellarius collectis clam copijs, diſperſis Zbarouij per pagos equitibus, noctu illum in caſtello quodam, inter fœminas deliteſcentem comprehendit, iuſſuque Regis condemnatum capite truncauit. Erat hic Zbarouius ex illuſtri Polonorũ familia, multoſque cognatos habebat & amicos, qui hoc ſupplicium indignè ferentes, ſub prætextu cuiuſdam priuilegij Regni, quod ſe habere iactabant, quo cautum erat, ne Rex inaudita cauſa, ſine iudicio tribunalis, & Ordinum regni ſententia, nobilem virum interficere poſſet, tumultuari cœperunt.

Zbarouius capite trũcatur.

Caſparus quidam Getſchauius Abbas Gedanenſis in Oliua, cùm die Iouis Cœnæ Dominicæ, poſt lotionem pedum ſuorum monachorum, menſæ cum alijs nonnullis conuiuis accubuiſſet, & anguillã in vino coctam ſingulis diſtribuiſſet, audijt à quibuſdam anguillam crudiorem adhuc eſſe, nec ſatis coctam. Abbas ſe

Abbatis cuiuſdam imprudẽs facinus.

1584 oleum habere absynthiacum è Francica legatione dono Henrici Regis allatum dixit: illius aliquot guttulas sumptas, cibum crudum adhuc in stomacho bellè concocturas. Iussit itaque loco & numero (stabant enim plura vitra alcumysticis liquoribus & medicamentis plena) designato, hoc oleum per famulum afferri. Sed siue famulus in loco aberrauerit, siue Abbas ipse vitra mutauerit, incertum est. Id constat, cùm Abbas allati olei aliquot guttas in suum vitrum distillâsset, inde alijs etiam similem portionem communicâsset, omnésque bibissent, statim malè habere cœperunt. Abbas tertio post die mortuus est, & cæteri duodecim eius conuiuæ ipsis ferijs Paschalibus obierunt: nos suo infortunio commonefacientes, ne in quibusuis delibandis simus faciliores

Gandauēses pacem petunt.

Gandauenses, vt diximus, ad pacem aspirare videbantur. Induciæ itaque viginti dierum inter Gandauenses & regios datæ sunt. quo interuallo pax concipi & confirmari posse existimabatur. Missi sunt initiò Gandauensium legati ad Hollandos, Zelandos, aliosque confœderationis socios, vt fœderi & pactionibus renuntiarent. Qui Antuerpiam missi fuerant, cùm in Senatu supremo prolixè satis orâssent, ab Aldegundo turpissimis conuitijs excepti, atque reiecti fuerunt. Cuius deinde machinatione seditiosissimus libellus prodijt, in quo miris argutijs pax omnis cum Rege turpis atque exitiosa demonstrabatur: Regis, quem Tyrannum appellant, regiorumque vires extenuabantur, illudebanturque: Ordinum verò potentiam ad quæuis perfringenda atque domanda plus quàm sufficientem fore; Reges, Reginas, & Principes penè omnes Ordinibus opem laturos promittebatur. Interea Embiesio insidiæ struebantur. Legati, qui in castris erant, pacis conditionibus conceptis, remissi sunt ad Gandauenses, vt Senatus iis subscriberet: deinde in castra reuerterentur. Sed cùm in vrbem venissent, longè aliam quàm existimauerant Senatus opinionem, omniaque Auraici & suorum complicium artibus turbata inuenerunt. Reiectæ sunt itaque conceptæ conditiones, sed pacis nundinationem ob penuriam, quæ in vrbe erat, continuandam esse censuerunt, si quid interea fortè in vrbem importari posset. Quare alios legatos, Taiardum & Haimannum, homines Caluinianos cum alijs conditionibus in castra remiserunt: qui præter conscientiæ libertatem

Inhonestæ Gandauēsium petitiones.

tatem (quam Princeps Parmensis illis promiserat, adie- 1584
cta tamen particula, modo ea sine scandalo vtantur, quam etiam latius exponi postulabant) publicum exercitium Caluiniani dogmatis, templa, Ministros, ministrorum stipendia ab Ecclesiasticis bonis petenda, seminaria, præsidia nulla nisi Belgica, restitutionem priuilegiorum ab Imperatore Carolo sibi ereptorum, magistratuum, quales ipsi vellent, sine Regis auctoritate interueniente, electionem sibi concedi voluerunt. Sed Parmensis illorum tacitè audaciam atque petulantiam admiratus, talem ipsis pacem se largiri posse negauit. Quare legati in vrbem regressi, in ipsis portis elata voce clamabant, omnia apud Regem dolo atque scelere esse plenissima, frustra ab illo pacem expectari, &c.

Gandauenses pacem nolunt.

Brugenses synceriores, clam initio per Principem de Chymai, Arscotani Ducis filium, deditionem meditabantur. Obstabant Caluiniani: sed cùm Princeps Auraicus ex Hollandia præsidia mitteret, vrgeretque vt ea Brugenses reciperent, communis plebecula à Caluinianis deficiens, Catholicis sese iunxit. Conceptos igitur per Secretarium Denterium articulos Tornacum legârunt, qui eos Principi Parmensi offerrent.

Brugēses cum Parmensi de pace agūt.

Interea in VVestphaliæ finibus Bauariani Recklinckhusense oppidum tanta contentione oppugnârunt, vt Truchsesij milites præsidiarij, 4 tandem Maij deditionem fecerint, depositisque armis omnibus, oppidum cum ignominia reliquerint.

Recklinckhusen capitur.

Hollandi, quanuis liberalissimè illorum nautæ in Hispania & honestissimè haberentur, beneficijs ipsis deteriores facti, quod antea facere semper recusauerant, tandem Auraici blanditijs deliniti fecerunt. Circa medium Maij Delphos Ordinibus conuocatis propositum est, de Hollandia, Zelandia, alijsque prouincijs Regi Franciæ offerendis, perpetuoque coronæ Galliæ subijciendis. Decretum est consilium hoc acceptandum, mittendosque Legatos, qui articulos & conditiones à Rege Galliæ acciperent. Promittebant ipsi se nullam cum Hispaniæ Rege pacem inituros, nisi liberum ipsis Caluinianæ sectæ exercitium permitteretur: sed & impedituros modis omnibus, ne qua mercimonia regijs adueherentur. Idem Franciæ Regem facturum, ipsum insuper, & Anglam, Ordinibus omnia

Hollandi Gallū Hispano præferunt.

1584 ad bellum necessaria abundè satis suppeditaturos, populo pollicebantur.

Gandauenses tumultuantur. Gandauensium legati, cùm tam seditiosam respõsionem retulissent, Caluiniani armati concurrentes in Senatum venerunt; pacem se nolle vociferantur, occidendos omnes suos pacificatores. Adfuère mox centum quinquaginta milites, qui in insidijs erant collocati. hi erumpentes, omnes, qui pacis auctores erant, correptos in carceres detruserunt, numero circiter centum quinquaginta. Octingentos, qui Catholici erant dearmârunt, & concionatores, qui à pacis studiosis cum nonnullis alijs in custodia tenebantur, liberos dimiserunt. Embiesum quoque comprehendunt. Borlutius verò & eius collega in castris regijs permanserunt. Inde communicantes rem actam Teneremundanis, Bruxellensibus, & Antuerpiensibus, à Templio præsidiarios, qui eis opem ferrent, missos receperunt. Atque ita spes omnis concepta de pace penitus euanuit, & pręclara donaria, quæ Parmensis ipsorum legatis dederat, omnesque in castris impensæ ipsorum nomine factæ periêrunt.

Conuentus Rotenburgensis. Eodem ferè tempore Principum Imperij conuentus habitus est Rotenburgi, in quo actum de publica pace Germaniæ tuenda, deque medijs, quibus diffidentia Principum inter sese, causa Religionis quotidie enascens, sopiri posset. Sed exiguo cum fructu discessum est.

Brugẽses Regi reconciliãtur. Brugenses Gandauensibus prudentiores, siue quòd animo erant sedatiores, siue quòd diuinum Numen minus offendissent, conditionibus pacis inter Parmensem & se conceptis per suos legatos Querceti subscripserunt, pacemque vtilem & stabilem sunt consecuti. Legati cum Burchio Consiliario Regis in vrbem reuersi, magna lætitia sunt accepti. Erecti sunt passim arcus triumphales, vbique legebantur in laudem Regis carmina, vbique eius splendebant insignia: ter tormẽta omnia explosa, campanæ omnes pulsatæ, & ignes triumphales omnibus in locis extructi, fusilesque in aëra eiaculati sunt. iuuenes & senes, virgines ac matronæ lætitiæ signa quàm plurima dederunt. Clerus in conspectu totius vrbis Hymnum illum diuinum TE DEVM, musico modulamine decantabat, totaque vrbe vox vna, VIVAT, VIVAT REX, resonabat, dum per tubicinem pax promulgatur. Interea

Virgines & matronæ singulari zelo in Caluinistarum Synagogas & templa concurrunt, securibus, martulis, atque ascijs omnia ab illis extructa disijcientes, & confringentes. Vrbis reconciliatæ fama statim per totum diuulgatur Belgium, & vbique trepidatum: non tam ob vnam vrbē amissam, quàm ob æquissimas, & quas nemo sperare antea audebat, pacis acceptæ conditiones. Gandauenses verò tanquam fanatico spiritu atque œstro perciti, antequam induciarū tempus expirâsset, in omnibus vicis & locis Regi nouum bellum indixerunt compræhensisque Hispanis duobus & Italo vni nasum, aures, & dextram manum, Germano quoque dextram manum, pedemque alterum amputârunt, atque in castra Parmensis, quasi testes crudelis sui in Regem animi, remiserunt. Eadem truculentia mox Bruxellenses tres equites, & Antuerpiani duos Hispanos, quatuor Sequanos, & quatuor Flandros strangulârunt. Quam iniuriam vt regij vlciscerentur, compræhensos iterum quatuor Gandauenses, auribusque & dextris abscissis, asseribus impositos, secundo flumine Gandauensibus remiserunt; cum inscriptione, Gandauenses Regijs quatuor terra misisse, nunc Regios Gandauensibus totidem secundo flumine remittere.

1584

Crudele Gandauēsium facinus.

Acta sunt hæc mense Maio, cùm sequenti mense Ernestus Bauariæ Dux, totius iam VVestphaliæ imperio potitus, Remp. formare, & collapsam Catholicam religionem restaurare instituit. Quem in finem doctos Theologos, inter alios verò Ioan. Nopelium, virū non minus doctum, quàm pium, Cæsaris VVerdenæ Decanum euocauit, atque Arensbergam ire iussit: iussit & eò pastores omnes totius VVestphaliæ confluere, vt designatis Theologis fidei suæ redderent rationem, eorumque examini sese submitterent. Erant autem oppida nonnulla de fide suspecta, quæ Pastores suos eò mittere nolebant, sed & Augustanæ confessionis exercitium sibi sine vlla inquisitione liberum admitti postulabant. Inter hęc erat oppidulum paruum, nomine Giesken. Elector itaque in hoc oppido conuentum indixit, vt de hac re deliberaretur.

VVestphaliam reformat Bauariæ Dux Ernestus.

Quæ dum fiunt, tumultus ciuilis in Moscouia exortus est: Basilidē enim mortuum diximus antea; reliquerat hic filios duos: (tertium enim natu maximum iam antea ipse interfecerat) Phædronem, quem & Theodorum vocant, & alium ætate minorem, cuius tutelam

Tumultus in Moscouia.

1584 lam Bielsio Principi nobili, opulento, & qui regia auctoritate plurimum pollebat, sed peracri & sæuo ingenio, moriens commendauerat. Bielsius hic ambitione incitatus, de Theodoro opprimendo, atque imperium sub prætextu pupilli in suam familiam transferendo consilia capiabat. Cæterùm cùm maiorem nobilitatis partem in Theodorum propendere cognosceret, non expectanda esse comitia putauit, sed omni vtendum celeritate. Noua itaque moliri incipiens, militum circunquaque copias conscribit, & primariam in vrbe Moscouia arcem occupat, omniaque pro libidine administrat. Proceres, qui iam tyrannide Basilidis liberati, mitiorem seruitutem sperabant, confœderati, Theodori causam tuendam susceperunt. Confestim itaque copias instruunt, & contra Bielsium, à quo expilati, oppressique indignissima paterentur, rebellant: eductisque ex Principis armamentario ingentibus tormentis, arcem diuersis in locis vehementissimè conquassare incipiunt. Cumque per multas horas vtrinque acerrimè esset dimicatum, & multi passim interficerentur præsidiarij, alij alio habitu atque itinere dilabuntur. Tandem & Bielsius, arce relicta, libero exilio ad Casanenses discessit. Interea Poloniæ Rex Stephanus horum omnium, vti & mortis Magni Ducis ignarus, legatum suum Leonem Sapieham iuuenem nobilissimum in Moscouiam misit, vt munera Basilidi deferret, & Reipub. nomine mandata quædam exponeret. is cùm in itinere audisset Principem mortuum, & funus ad sepulcrum elatum esse, in vrbem Moscouiam venit, & ab omni nobilitate, cæterisque magnatibus summa cum humanitatis significatione acceptus, atque in Senatum adductus est. Sed ob tumultus iam dictos primis diebus parum effecit: paulò post à Theodoro perbenignè auditus est. Sed cùm ille mandata Regis Poloniæ, causamque legationis audire cuperet, Sapieha hoc illi denegauit, addens: se ad patrem, non ad filium habere legationem: quare cùm is decesserit è viuis, Boiaris loqui cupiuit. Sunt autem Boiari, qui post Knesos & Vielikneſos, id est, Duces & magnos Duces, imperij primatum habent. Theodorus id illi non denegauit. Quare Sapieha se & à Polono missum graues ob causas ait, & importunum nunc esse Basilide mortuo legationem alij exponere: petere itaque, vt Magni Ducis filius legationem suam ad Polonum mittat, quo

Legatio Poloni ad Moscum.

tanto

tanto citius ipse ad suum Principem redire posset. Re ad Theodorum relata, honestam legationem Grodnam ad Regem misit. obiuit hanc Andreas Iokoukiera Ismailovva. ipse, omnisque eius comitatus vestibus ac habitu lugubri ad Regem venerunt. habebat literas à Theodoro, quibus initæ cum patre pacis continuationem petebat. cautum enim erat in pacis conditionibus, eam altero Principe moriente rescindi posse. Addebat & suas ad Regem literas Sapieha, quibus intestinum dissidium per ditiones Moscouiticas significabat: ostendebat viam modumque Smolensciam & Moscouiam metropolin ipsam occupandi: Moscos ipsos & trepidare, & bellum præsagire, dicebat. Pacis itaq; continuationem dehortabatur, & bello totam Moscouiam hoc tempore, si aliâs vnquam, subigendam esse suadebat.

1584 Legatio Mosci ad Polonum.

Interea Theodorus apud S. Michaelem, tertio post obitum patris mense, qui fuit dies Iunij decimusocta uus, magna totius nobilitatis, omniumque subditorum congratulatione, Magnus Moscouiæ Dux, viginti duos annos natus, inauguratur. quo die & momento tam sæua tempestas excitata est, quantam homines ætate valdè prouecta nunquam meminerant. Cùm autem resedisset ea tempestas, Dux in templum à Knesis deductus, vbi à Metropolita homine sene, bombycina veste ab humeris ad talos demissa induto, exceptus est. Templi pauimentum & parietes circumquaque aulæis erant exornata. Dux ipse in scamno ornatissimo, pileo purpureo, auro & gemmis distincto tectus, vesteque bombycina, multis aureis fibulis secundùm pectus stricta ornatus sedebat. Facto silentio, Metropolita exorsus, cœpit Duci inaugurato impiam & crudelem patris vitam commemorare, longaque oratione ad clementiam, probitatem, pietatemque admonere. Expletis deinde pro more gentis cæremonijs, discessum est. Theodorus autem Metropolitæ orationis non immemor, reclusis statim omnibus carceribus, captiuos dimisit: liberale insuper viaticum dedit, vt commodè ad suos redire possent, multaque clementissimi Principis edidit testimonia.

Theodorus Magnus Moscouiæ Dux creatur.

Poloniæ Rex, partim Sapiehę literis incitatus, partim Theodori literis offensus, vt qui se initio literarum præter Magnum Ducem Russorum, Vlodomirię, Moscouiæ, Nouogardiæ: præter Ducem Casaniæ, & Astra-

Magni Ducis Moscouiæ tituli.

1584 Astracasaniæ, Smolensciæ, & totius Liberiæ, etiam Liuoniæ Magnum Ducem, quem titulum sibi soli vendicabat Polonus, appellârat, clam de bello inferendo Moscis cogitabat: Sapiehæ per literas omnia diligenter explorari iubet, saluum conductum ad Theodorum misit, cupiens vt sub finem anni suos legatos ad comitia in Polonia habenda mittat: nuntiat etiam illi, se literis, certisque nuntijs cognouisse, Sinan Bassam Turcarum Imperatori conquestum, multos Turcas è Persia reuertentes, à Tartaris & subditis Magni Moscouiæ Ducis, Borysthenis accolis occisos esse; ob eamque causam Turcam de Astracasania expugnanda consilium captare, quo facilior è Turcia in Persiam aditus esset. Monet itaque Ducem, vt vigilet, ne quod sui detrimentum patiantur.

Polonus bellum in Moscum meditatur.

Regis Hispaniarum in Frisia exercitus, cùm anno superiori Zutphanium occupâsset, sæpius in Veluam excurrit, atque aliquot munitiones occupauit: munitissimum verò propugnaculum in vlteriori Iselæ fluuij ripa, vrbi opposita, ædificauit. Sed 13. Feb. huius anni, collectis viribus, magnas prædas abigens, Veluam, & quidquid in ea occuparat, vltrò deseruit, vno illo in ripa propugnaculo excepto, quod quotidie magis magisque muniebatur Veluani, Vltraiectenses, & Hollandi, propositis difficultatibus Auraico demonstrabant, quanti sua interesset, si ea ciuitas ad obedientiam Ordinum non reduceretur. Auraicus igitur collecto non paruo exercitu, Holachium ad propugnaculum, vrbemque obsidendam abire iussit: cui etiam paulò post reliquias exercitus Truchsesij & Henrici Bruinsuicensis submisit. Verdugius vt hostium libidinem frangeret, septingentos lectissimos pedites in vrbem introduxit, propugnaculumque alis duabus, longè ad Iselam procurrentibus, ne traiectio impediretur, auxit: tormentis quoque & militibus communiuit. Confœderati, euocatis fossoribus, propugnaculum regium duplici hemicyclo cinxerunt: in exteriori octo maiores munitiones, in interiori quatuor, & medio interuallo tres erexerunt: ita vt quindecim propugnaculis maioribus, exceptis nonnullis minoribus figuræ planæ, nec ita munitis, vnum hoc regium clauserint. horum nonnulla 40. quædam 30. tantùm passibus à regijs distabant. Quinetiam varijs in locis cuniculos agebant, nullamque operam intermittebant, vt castrense hoc vallum

Zutphanium ab Ordinibus coarctatur.

vallum expugnarent. Verdugius ne suis deesset, Comitem Arenbergium, Manricum à Lara, Bostium & Toraisium Sequanum equitum Magistros, iussu Principis Parmensis euocauit, atque interea hosti propugnaculum vnum in labro fluuij structum ademit: vallumque suum & vrbem, fidelissima imperterriti sui Vicarij Taxij opera, ab omni hostium violentia tutatus est. 1584

Auraicus se modum viamque inuenisse ratus, vrbes quæ Regi parebant recuperandi, Regisque exercitus sine ferro extinguendi, Delphis circa finem Iunij decreuit, & publico mandato interdixit, ne quis prouincialium, Ordinum imperio subiectorum, cum hostibus negociaretur, eisúe annonam vllam vel commeatum aduеheret. Sed quia merces computrescebant, ipsisque mercatoribus non minus regiorum pecunia, quàm regijs illorum mercibus opus esset, edictum hoc paulò post cædem Auraici rescissum est. de cuius cæde ea quæ fideli quorundam narratione, literis & scriptis grauium virorum, editisque hac de re libellis accepimus, referemus. *Auraicus negociationem cum regijs interdicit.*

Auraicum Principem ante quadriennium à Rege Hispaniarum, legitimo suo Magistratu, publica sententia proscriptum esse, neminem vel dubitare puto, vel ignorare. Deerat tantùm qui sententiam exequeretur, & se iustitiæ ministrum offerret. Tentârant id antea suo periculo diuersis in locis duo: sed ad propositũ scopum non peruenerunt. Tandem, quidam Burgundus origine, patre mercatore, matre Bisontina, in pago prope Lugdunum Villafamensi natus, viginti septem annorum adolescens, eruditione, facundia, rerumque agendarum dexteritate insignis, Balthazar Geraerz dictus, postquam Principis Auraici cædem à tempore proscriptionis indefesso animo meditatus esset, tandem anno post natum Christum 1584. die decimo Iulij, circa secũdam horam pomeridianam, perempto Auraico, patrias Belgicas ab eius violenta administratione liberauit. Postquam enim Auraicus felicem Parmensis Principis successum in Brabãtia & Flãdria videret, sibi metuens, Antuerpia Delphos Batauorũ, in monasteriũ D. Agathæ (cuius Cœnobiarcha D. Musius Poeta clariss. eo conniuente suspensus erat) commigrauit. Interea mortuus est Alenconius Gallus, aliquando fictitius Brabantiæ Dux. cuius obitum vt mater Auraico per nun- *Auraicus proscriptus.* *Balthazari Geraertz interfectoris Auraici descriptio.*

1584 tium & literas significaret, hunc Balthazarum in Hollandiam ablegauit. Hæsit hic aliquandiu in aula inter nobiles admissus, & captabat opportunitatem perficiendi, quod dudum animo destinârat: plus solicitus ne manus erraret, quàm de tormentis, quibus ipse esset afficiendus: Hostiam enim iam dudum pro populo sese Deo deuouerat.

Decimo itaque Iulij anni prædicti, cùm Auraicus pranderet quodam cum Leovverdiensi consule, adolescens hic dimissus, vt ad suos rediret, Circa secundam horam, cùm iam Principem à mensa surrecturum arbitraretur, in aulam reuersus, & ab excubitoribus, sub prætextu Principem ob quædam oblita conueniendi, admissus; Auraicum ad ipsos cœnaculi gradus descēdentem expectat: sclopetum habens sub pallio, tribus globulis illito veneno infectis, & sibi inuicē concatenatis, oneratum. Prodeuntem verò Principem, ad quem propter legationem liberum habebat accessum, conueniens, sclopetum in cor illius collimans, exonerauit, sub mamilla sinistra vulnere latitudinis duorum digitorum inflicto. globorum vnus spinam dorsi, alter scapulam penetrauit, tertius autem inter intestina hæsit. Ipse verò accepto vulnere statim in terram corruens, & ad vnius tantùm Dominicæ orationis spatium solis labijs nonnihil palpitans, vitæ finem imposuit.

Princeps Auraicus interficitur.

Præsidium autem, audito sclopeti sono, & ex vociferantium clamore intellecta domini sui morte, dum inter se tumultuatur, & facinoris huius auctorem inquirit, Balthasar per stabulum horto vicinum fugiens, iam penè ad ciuitatis mœnia peruenerat: nisi ex Auraici prætextatis asseclis vnus, qui patratæ cædi præsens interfuerat, illum insecutus tandem compræhendisset, tantumque colluctando exhibuisset negotij, vt ab alijs superuenientibus captus, & in carcerem abductus sit: ex quibus ille, omni trepidatione deposita, cùm sibi elabendi viam præreptam videret, protinus percontatus est, an Auraicus mortuus esset? Sed illi mortem ex industria ad mortem vsque celârunt, quo tantum fieret illi pœna grauior, quantum facinoris esset euentus incertior. Nihilominus tamen de optato successu optimè sperans, intrepidè ait: Se quidem haud nescium esse, certò sibi moriendum fore: verùm impensè gaudere quòd id iam perfecisset, quod

Interfector Auraicus capitur.

Quod ante annos septem, vt faceret, animo delibe- 1584
ratum atque conclusum habuisset; mortemque hilari se & perlubenti animo oppetiturum, re ea fortiter patrata, quam alij nonnulli ante se, etiam vita amissa, perficere non potuissent.

Quæstionibus deinde subiectus, & præsente magistratu diligenter examinatus, an ab Hispaniarum Rege, vel ab alio quopiam mercede, vel promissis inductus, ad cædem istam animum adiecisset; postquam scripto primùm pulcherrimo, & firmissimis subnixo rationibus, seriē & causas facti sui complexus fuisset, respondit: Nec prece, nec pretio mortalium cuiusquam, sed solo suæ instinctu conscientiæ, causa liberandæ à tam immani tyranno communis Reipub. permotum, tam inclytum & pium facinus designâsse, pro quo non dubitaret paratam sibi insignis in cælo præmij remunerationem. De corpore verò suo supplicijs excarnificando (neque enim id à se præuisum non fuisse) quando iam Dei permissione in eorum potestate esset, statuerent, quicquid vellent. Ego, inquiens, nunc quod meum erat perfeci, vos deinceps quod vestri videbitur officij peragite: mortem & quæcunque potestis excogitare tormenta, nihil moror.

Confessio Balthazaris.

Quare prima nocte in eculeo suspensum, quinque vicibus crudelissimè virgis ceciderunt, plagas mox omnes melle oblinentes, adduxerunt hircum, qui vnà cum melle laceram vndique cutem linguæ suæ scabricie lambendo auelleret: sed, quo modo olim Danielem leones, sic & is contingere cum non voluit. Deinde alijs diuersis affectum pœnis, & tandem in vanno positum, manibus pedibusque colligatis, ne somnum capere posset violenter ea nocte impeditum tenuêre. Succedentibus post hæc diebus & noctibus, post ludibria, sannas, & irrisiones multiplices, eo ex manibus in tergum reiectis iterum in eculeo suspenso 250. librarum pondus ex maioribus pedum digitis alligârunt. Quo acerbissimo supplicio cùm eum media hora excruciâssent, calceis ex crudo canino corio, oleo illinitis, pedibusq; eius duobus digitis breuioribus, eū induentes, ad ardentē rogū collocârunt. Mox verò vt calcei ignis perceperunt calorem, in longè minorem, eamque sphæricam formā fuêre, vnà cum pedibus, cōtracti: quos postea exuentes, simul cum calceis, cutem & carnem

Inaudita tormēta, quibus Balthazar excruciatur.

1584 auulserunt. Cùm ergo hoc modò pedes truncâssent, axillas quoque illi flammis adusserunt. postea indusio aquæ forti immisso incensoque amictum, & ardente perfusum adipe, acubus item & clauis manuum pedumquevnguibus profundè infixis, horrendis illum alijs post alios cruciatibus terribiliter exagitauêre.

Cæterùm cùm omnia hæc constanti animo & imperterrito vultu perferret, nullo edito inter tanta supplicia commotionis aut doloris signo; omnibus toto corpore crinibus abrasis, veteri illum putentique lotio (quod etiam D. Luciæ contigisse legimus) perfuderũt, & aliena veste hominis morbidi, ex proximo allata Xenodochio, induerunt: quòd hæc ad pellendam incantamentorum vim, quibus contra tormenta tueri se illi putabant, valere iudices arbitrabantur. Sed cùm nec hoc modo quidquam proficerent, & ille ad quæuis perferenda peræquè vt antea persisteret fortis & inuictus, quærentibus quid inter tanta tormenta cogitaret, respondit: Bone Deus, largire mihi tantùm perseuerantis patientiæ donum. Rogatus deinde qua ratione ad tantas pœnas & cruciatus non amplius moueretur: Piorũ, inquit, preces id efficiunt. Consuli constantiam eius admiranti, Constantiam, ait, meam in obeunda morte clariùs intueri licebit.

Mira Balthazaris constantia.

Extra tormenta autem positus, fixis in cęlum oculis, septem Psalmos vel Litanias secum voluere audiebatur, dataque loquendi opportunitate, liberè & blandè cum singulis agebat, tam præsentem eius animum hilaremque vultum ipsis carnificibus admirantibus, & spectatorum permultis non sinè lachrymis ista contuentibus: quibusdam etiam hominem eum esse negantibus, alijs verò eius cum dentium stridore virtuti inuidentibus: quibus perfidorum Iudæorum more sciscitantibus, à quo tempore animam suam diabolo deuouisset, summa cum modestia respondit: sibi nullã esse cum diabolo notitiam, nihilque omnino commercij. Qua etiam ratione aliâs quando proditoris, parricidæ, sicarij, aut alijs id genus contumeliosis incesseretur nomenclaturis, Christi exemplo simpliciter ea negando, se defendit. Nec rarò quoque varias sibi obiectas calũnias & iniurias, demissis in terram oculis, tacitus dissimulauit. Iudicibus tamẽ perbenignè semper ad omnia respondit, & insuper de impensa sibi in carcere sustentatione gratias egit, vicemq; se illis relaturũ promisit.

Quæ-

Quærentibus, quam vicem? Aduocati, inquit, in paradi- 1584
ſo illis ſubnectentibus, de quo loqueretur paradiſo? Nõ noui, ait, præter vnicum. In ſumma nihil non ſanctum & prudens fuit, omniq́ue ſapientia & pietate perfectũ, quidquid aut egit aut dixit, quo tempore in carcere fuit. Neque enim aut verbulum otioſum, aut quicquam molle, vel cum impatientia protulit: ſed omnia, vel ad facinoris ſui commendationem, fortitudinem ac defenſionem, vel ad ſpectantium inſtructionem faciebant. Argumenta autem, quibus facinus ſuum tuebatur, partim ſacræ ſcripturæ auctoritate, partim firmiſſimis rationibus conſtabant, & quidem tam ſolidè, vt quidam aduerſariorum Scabinus, qui huic præſens ſemper adfuerat ſpectaculo, palam aſſeuerauerit, nunquam ſibi quæ hic viderat vel audierat exciſura eſſe: immò ſanè, inquiebat, ſi pro noſtra cauſa hæc acta fuiſſent, meritò hunc hominem inter indigetes numerare deberemus. Simile iudicium alius quidam ex Catholicæ Eccleſiæ presbytero, apoſtata & hæreticorum concionator, de eo publicè tulit. Quinimò etiam primus hæreticorum huius ciuitatis concionator, qui in catasta fortiſſimo huic viro inter extrema ſupplicia aderat, vt eum ſuis fallaciis ſeduceret, cùm ſæpe repulſam paſſus eſſet, quòd eum ſuis nænijs interpellaret, & orationibus vacare non permitteret, & ipſe luculentiſſimis rationibus, & multa ſacræ ſcripturæ auctoritate, quæ pro defenſione cauſæ ſuæ à Balthazaro noſtro proferebantur, victus teſtatus eſt, ſi cauſa pateretur, dignum eſſe qui auro includeretur. Sæpius ergo examinatus, & varijs exquiſiti generis quęſtionibus tortus, cùm nihil confiteretur aut diceret, quod illorum auribus magnoperè gratum eſſet: tertiodecimo præſcripti menſis die, de morte ſibi imminente certior factus, & poſtridie audita condemnationis ſuæ ſententia, placidiſſima voce inclyti Martyris illius Diui Cypriani verba vſurpans, dixit Deo gratias. Nullo igitur non exhibito cum admiranda animi fortitudine Chriſtianæ manſuetudinis ſpecimine, animo ſemper præſenti & imperturbato, vultu hilari, colore & oculis viuidis, pedibus autem debilis & infirmus, cute & pedum digitis ex aduſtione & acuum clauorumq́ue infixione liuidis & luxatis, corpore denique toto per tanta tormenta horribiliter deformato, in theatrum productus eſt; & palo ſeu cruci ſe alligari paſſus, nihil de

1584 consueta animi constantia remisit, aut vllum trepidationis signum, ad mox inferenda sibi immania illa tormenta ostendit, quorum vel sola memoria ingentem homini incutere terrorem posset nam haud deerant ex circunstantibus complures, qui solo eorum contuitu à se deficerent, animisque linquerentur.

At iste generosus adolescens, sicut precedentes cruciatus omnes, & mortis suæ sententiam magno & inuicto animo exceperat, ita quoque eius executionem, quæque illi ferenda restabant tormenta, in totius ciuitatis, sed & regionis conspectu (nam vndequaq; ad hoc spectaculū homines confluxerant) mente imperterrita, & incredibili fortitudine sustinuit, suoq; sanguine æternā sibi gloriosi nominis memoriā consecrauit. Ipso autem ad palum, vt dictū est, alligato, carnifices ante omnia sclopetum incudi impositum, quo facinus patratum erat, (nam & hoc licet inanime pœnam luere debebat) ferreis malleis nō sine magno labore cōfregerunt. Dehinc ipsum totum orationibus intentum, & veluti in Deo absorptum, thorace exuerunt, & femoralibus ad pedes demissis, indusioque circa verenda colligato, carnificum alter dexteram eius appræhendit, eamque inter cādentes laminas, seu artoptam, quam alius tenebat, compressam exussit, fumo eius & nidore totū penè forum complente. Mox carnifices forcipibus candentibus ex brachijs, ac dextri pedis femore ac sura diuersas carnium partes horribiliter auellunt, illo nulli rei quàm precibus vacante, (legebat enim voce satis clara, quæque ab astantibus facilè intelligi posset, septem Psalmos Dauidicos pœnitentiales) nec vultûs colorem mutante, manum, pedémve aut vllam corporis partem, ad tanta supplicia retrahente, aut commouente: nisi quòd trūco ambustæ dextræ brachio, quoad eius fieri poterat, magna cum veneratione ter se Crucis signo muniuit. Postea ex palo solutus, sua ipse femoralia pedibus excussit, & scamnum, quod ad eum exenterandum ibi paratum erat, pedes quantum poterat subleuando, spontè conscendit. Tum verendis illi primùm præcisis, & in sportam appositam proiectis, & mox pectore & ventre per modum crucis lentè dissecto, intestina extracta, & cor, vt patriæ proditori, in faciem proiectum fuit: solis labijs, quæ orationi iam assueta erant, illo se commouente & quasi vocem, orisque sonum ad sola virtutum instrumenta à Deo accepisset,

Suppliciū & mors Balthazaris.

pisset, nullum vnquam auditus est emisisse gemitum, aut suspirium: sed seruato vultus colore, inexpugnabilem, inuictique roboris spiritum, quartodecimo præscripti mensis Iulij die, sub ipsa meridie, Deo creatori suo reddidit. Caput autem à corpore præcisum, & hastę iuxta vrbis mœnia infixum, multo pulchrius solito spectantium se oculis exhibuit. Corpus in quatuor partes dissectum: partes verò ad totidem oppidi Delphensis portas ex patibulis suspensæ sunt. Mors certè horrenda, & inauditi cruciatus, sed maior animi perferentis fortitudo. Atque hæc quidem sunt, quæ de Auraici morte, & interfectoris eius supplicio, spectatores ipsi, viri fide digni, nobis perscripserunt.

Continuatio dissidij Canonicorum Argentoratensiū.

Litem Catholicorum & Protestantium Canonicorum Metropolitanæ Ecclesiæ Argentoratensis, ad noui Decani electionē supra produximus: restat vt quid postea sit actū, referamus. Amplissimus vrbis Senatus se hanc electionē iniquo animo ferre mox scripto suo ad Capitulum misso declarauit, monuitq; ab huiusmodi nouitate Catholici collegæ abstinerent, nec virtute Censurę Pontificiæ, Protestantes concilio suo eijcerēt. Sed & protestantes Canonici electioni reclamârunt. Catholici verò de electione calumniam surda aure prę-terierunt, ad postulationem de reuocandis ad conciliū excommunicatis scripto disertè respondent, se eos admittere non posse, priusquam per debita media essent Ecclesiæ reconciliati: id ab vtroque summo suo Magistratu, Pontifice nimirum & Cæsare, mandatum esse: si secus facerent, & hos offenderent, & statuta ac priuilegia Capituli infringerent. Conquerentes verò quòd eorum aduersarij, tam apud Magistratum, quàm plebem, Capitulo calumnias struerent, in ius vocari cupiunt, & se legitimi Iudicis tribunal non declinaturos promittunt. Ad Senatum 18 Iulij quoque Comites Manderscheitium, Geroltsteinium, & Hohensaxium miserunt, qui excommunicatos iustè exclusos esse, nec recipi ante impetratam reconciliationem posse, ostenderunt: docueruntque Senatum nulli Religionis paci, nullis statutis, nullis iuribus refragari, quòd Censuræ Pontificis executio in clericum instituitur: nec id cum libertate aut priuilegijs Reipub. Argentoratensis pugnare, cùm Magistratus in ciues, & Pontifex cum Episcopo in Ecclesiasticos habeat imperium; nec vnius administratio in alterius tendat præiudiciū. Literas quo-

1584 que ſeu mandatum Cæſaris ſecundum, eiuſdem cum priori argumenti, Senatui exhibent, quo ſe nihil propria auctoritate, aut violenter facere, aut feciſſe demõſtrârunt. Diebus aliquot ſequentibus, inter illuſtre Collegium, & ampliſſimum Senatum diſceptatũ eſt, vtrùm Cenſura Pontificia in clerum vrbis Argentoratenſis locum habere, an non habere deberet.

Interea, 11. ſcilicet Auguſti, Solmenſis Comes excommunicatorum tertius Argentoratum venit: qui communicatis conſilijs cum ſuis cõplicibus, 15. die cõcilium indixit. Catholici verò cum anathemate percuſſis cõmunicare nolentes, ad conclaue non venerunt: ſed & oſtiũ hypocauſti obſerari præceperũt. Proteſtantes cùm oſtiũ clauſum cernerent, vi illud effringunt, & ablata veteri & cõmuni ſera, ſeptẽ alias proprias appẽderunt. Inde ſecundò in granarium irruentes, multò quàm antea maiorẽ auenæ copiã auferri iuſſerunt. Capitulũ, ne auctoritatẽ hoc modo ſuã amitteret, re intellecta, adulterinas iſtas ſeras tolli iuſſit: ſed illi reuerſi ſub veſperẽ fores iterũ marculis, tudibus, aliisq; inſtrumentis, magno cũ tumultu effringunt. 18. deinceps die menſis eiuſdem vtrunque Oeconomum & Secretarium in ſua verba iurare coëgerunt: portas à ſuis famulis cuſtodiri præceperunt: omniaque pro voto conſtituerunt. Catholici quidam, vt quid intus ageretur cognoſcerent, ædes accedũt, fores pulſant: ſed excluſi abiẽrũt qui intus erãt, ſclopetis bipẽnibus, haſtis, clauis, aliisque telorũ generibus ſeſe armârunt. Pomeridiano tẽpore nuntiatum eſt (ſed falſò nam Catholici & Epiſcopus exemplo Colonienſi edocti, theſaurum hunc tutiori loco abdiderant) Capitulo, Proteſtantes Canonicos Archiuum Diœceſeos violenter aperuiſſe, atque inde cimelia, ornamenta, pecuniã, inſtrumenta publica, & quidquid pretioſum erat, rapuiſſe. Negabant id Proteſtantes, & ab aduerſarijs id factum fuiſſe affirmabant: tamen fatebantur ſeſe archiuum recluſiſſe, non autem theſaurum, quem querebant, ſed locum inueniſſe; quo autem animo id fecerint, nôrunt ipſi. Scelus hoc in ſua Apologia vehemẽter exaggerant, cùm nonnulli locũ iſtũ legentes, aſſerant, Comites iſtos ſuî oblitos, in hoſtibus tantopere calumniari, quod in amicis, qui nuper Bruelenſe atq; Bonnenſe archiuũ ſpoliârant, nõ improbârũt Hanc violentiã paulò poſt Capitulum Senatui conqueſtũ eſt: ſe quidem eã armata manu impedire

Violentia Canonicorum Proteſtantiũ.

dire

dire potuisse, sed in libera ciuitate tumultum concitare 1584
noluisse. Proinde petere, vt Senatus huiusmodi vim atque iniuriam in posterũ velit impedire. Quam Capituli accusationem Protestantes 21. Augusti, scripto ad Senatum misso, quibus modis potuerunt refutare, factumq; suum defendere conabantur, & Senatoribus suæ religionis domesticis facile persuaserunt, archiuũ à Catholicis Canonicis esse spoliatũ. Quare Senatus 22. Augusti ablatorũ restitutionẽ postulauit: sustinens, secundùm iura ad Senatum spectare, vt aduigilet, ne Ecclesiæ suis ornamentis atque thesauris spolientur. Quod vtinam meminisset, officiumq́ue fecisset tum, cùm primùm religio in hac vrbe mutaretur. Catholici, qui celatum maluissent ob varia inde dependentia pericula, thesaurũ à se, cùm id proditũ intellexissent, Senatui confitentur, conscio Episcopo translatum in sua esse custodia, & in vsum totius Diœceseos seruari: prægnantesq́ue adferũt rationes, cur à se transportatus esset. Senatus prudenter id actũ esse iudicans, cœpit in Catholicorũ partes nonnihil inclinare, & ad petitionẽ eorum in ædes Confraternitatis, vulgo Broederhoff (sic enim vocant ædes Capituli) firmum præsidium, sumptibus tamen Collegij, imposuit. Aegerrime tulerunt id Protestantes, & scripto Magistratui declarârũt, sese in hoc præsidio non consentire: Catholici verò Senatui gratias egerunt. Sed quia iidem tres excõmunicati Comites, Vvitgensteinius, Solmensis, & Vvinnenbergius, adhuc in his ædibus armati manebãt, triticique & siliginis iam plusquàm 3000. modios vendidissent, nec finem huius spolij facerent, orant Catholici Senatũ, vt eos inde in proprias suas ædes commigrare, atque ibidem quietè, vti cæteri Canonici, habitare iubeat: frugum venditionem impediat, & pretiũ venditorum ad communem vtilitatem Collegij deponi præcipiat. Senatus non illibenter illud fecit. Sed Protestantes 31. Augusti longo scripto, & secundò à Senatu ad officium faciendum moniti, longiori sese defendere, iusq́ue suum, quod habere se prætendebant, tueri conati sunt. Interea Nicolaus Baro Bollevvilerus, & Otto à Sultz, vt controuersiã hanc è medio tollerẽt, litemq́ue componerent, plurimum, sed frustra, laborârunt. Sed & Protestantes fructus passim vendebant, & aulam Decani insuper occupârunt, eamq́ue ataxiam pepererunt, vt coloni frumenta atque canones pendere

1584 detrectarent, & Oeconomi sacramento suo cuperent absolui. Hæc omnia referũt ad Senatũ Catholici, eiq; supplicant, vt crescentibus malis maturum remedium apponat.

Legatio Principũ Protestã-tiũ ad Episcopũ Argentorat. Mense Septemb. Casimirus, tutor & administrator Electoratûs Palatini, Richardus & Ioannes Comites Palatini, Ernestus & Iacobus Marchiones Badenses, Legationem ad Episcopum Argentinensem mittunt; cum honorificè salutantes. Legationis summa erat: Se intellexisse controuersiam Catholicorum & Protestantium Canonicorum Collegij Argentinensis: Catholicos exclusionem Protestantium reuocare nolle, nouum Decanum elegisse, Archiuum & thesaurum sine decreto Capituli transportâsse: Protestantes possessionis continuationem flagitâsse, iudicium Principum Imperij postulâsse, ædes Confraternitatis occupâsse, & adhuc occupare. facilè ex his scintillis magnũ incendium excitari, etiam suorum subditorum damno, posse. Monere igitur se Episcopum, tanti ne faciat Papã, vt suæ Euangelicæ religionis socios, Capitulo exturbari patiatur: sed magis Imperij & Diœceseos tranquillitatem continuare laboret. Cùm enim, aiũt, Pontifex Augustanam cõfessionem hæresin appellet, cogitandum est, qui Papam propugnant, eos omnes Augustanæ confessionis socios Principes & subditos hæreticos appellare, atque hinc extrema esse expectanda. Id

Notandũ. scilicet apud eos crimen læsæ Maiestatis est. Sed obsecro (dent mihi hanc veniam) cùm Truchsesius in sua ad ciues Colonienses epistola, Pontificem Romanum Antichristũ, Abominationemq; Romanã vocat, cùm hi Protestantes Canonici in sua Apologia, vbi Comitem à Vvaldeck mordaciter notârũt, Missam idololatriam appellãt, suone proprio iudicio & Cæsarẽ ipsum, & maiorem Electorum, bonamque Principum Imperij partem, qui Rom. Pontificem caput Ecclesiæ, eiusq; Religionem veram profitentur, Antichristos, Abominationes & Idololatras appellant? quòd si ferro vindicandum hoc est, cur illorum arma, cur indignationem non meruunt? Sed ad rem.

Responsio Episcopi ad legationemPro-testantiũ. Audita legatione, mirari poterat Episcopus, Canonicos suos, qui se Augustanæ confessionis profitebantur, tam grauiter à Caluiniani dogmatis Principibus defendi, in hoc negotio, qui in rebus fidei hostes sunt infensissimi; id quod vtriusq; religionis Ministrorum scripta

scripta testantur. tamen perbenigne Legatis respondit: 1584
Agere se Illustrissimis Principibus gratias, quòd suæ Diœceseos tranquillitas ipsis cordi sit. Non libenter se tamen audiuisse, vtrunque fratrē suū tam sinistrè apud Principes delatū. Velle tamen se totam rei seriem enarrare. Esse iam ab initio Diœceseos vsitatū, vt quicunq; Canonicus esse, & ad possessionem admitti cupiat, inuocato Dei nomine, ad sancta Euangelia iuret, se statuta Capituli obseruaturum: cumq; ad perceptionē fructuum admitti postulet, Subdiaconus primùm, atque inde Diaconus ordinetur. Hoc iuramento & vinculo itaque singulos Canonicos, ratione statutorū Capitulo, & ratione Ordinū supremo Magistratui obligari: Legatis notū esse, Antiquā esse constitutionem Capituli, si quis Canonicus quacunque ex causa, siue de iure, siue de facto excommunicetur, eum ad sessionem in concilio, nec ad fructuū perceptionē admitti posse, priusquam sit reconciliatus. Talē in cōstitutionem Vvitgensteiniū & cæteros quoq; iurâsse. Non itaque præter ius & æquum fecisse Collegas, quod Vvinnenbergio primùm, deinde Vvitgensteinio Capituli sessione interdixerint, orauerintque primū ab excommunicatione absolutionem impetrarent: quam tamen illi respuerūt. Neminem fore qui verè dicere possit, Capitulum aliquid iniquum, toto controuersiæ tempore in Protestātes collegas statuisse. Deinde Episcopus Legatis violentiam & spolia Protestantium exposuit, quantamque ipse diligentiam per Bollevvilerū & Satrapam Haganovvæ, quos ad prædictos excommunicatos miserat, eis pro reconciliatione intercessionem offerens, adhibuerit, vt cōtrouersia sedaretur. Literas quoq; & mandata Cæsaris illis exhibuit, quibus contrauenire Capitulū nulla ratione potuisse contendebat. Ad electionem noui Decani respondit Episcopus: Protestantiū in Capitulum se vi ingerentiū importunitatem postulâsse Collegarū etiam absentium conuocationē. qui cùm coijssent, necessariam esse duxerūt alterius Decani electionem: ad eam quoque Ernestum Mansfeltium vocatum non venisse, quæ causa fuerit Episcopus ait se ignorare: nihilominus Decanum à præsentibus electum. Id factū neminem calumniari posse; cùm iam ab initio vsurpatū sit, vt si quis Prælatus coniugē duxerit, eius Præbendam alter accipiat, & ad dignitatē Prælaturæ alius eligatur. Huius rei multa adduci posse exempla:

Constitutio Capituli Argētorat.

1584 empla: sed vnius Richardi Palatini sufficere, cui id Præposito adhuc huius Collegij, post initū matrimonium contigerat. Porrò postquam commemorâsset, quid Protestâtes Canonici in effringendis foribus Capitularis hypocausti, Confraternitatis ædium, & Archiui perpetrâssent, ait: Capitulum a Senatu postulâsse, vt hanc violentiam prohiberet. Quod cùm non faceret, se Cæsaris opem implorâsse, & ad suas querelas responsum expectare. Conqueritur etiam Episcopus, Excommunicatos illos, vt populū in Catholicos collegas magis incitarent, passim diuulgare, Capitulum Monocerotis cornu, ornamenta, cimelia, & thesaurum Diœceseos distraxisse, & oppignorâsse: cùm ea Capituli decreto, respectu exempli Coloniensis, in tutiorem locum sint transportata: nihil inde venditū, oppignoratum aut distractum, sed omnia simul in vsum Diœceseos asseruari. Qua autem intentione ipsi Excōmunicati fores Archiui perfregerint, id se Legatis perpendendum relinquere. Obtulisse quoque Canonicos Senatui, postquam ædes Capituli ab omni vi essent vindicatæ, sese hæc omnia consuetum ad locum reportaturos. Fuisse hunc thesaurū semper in Capituli custodia, nullum præterea in illum ius habere: aliâs quoq; (vt omnibus notum est) necessitatis tempore translatū & absconditum fuisse. nihil igitur in præiudicium Senatûs factum esse. Tandem concludens Episcopus ait: se nihil magis quàm pacem & tranquillitatem in sua Diœcesi exoptare, si eam saluis statutis, saluaque conscientia possit conseruare.

Ad hanc responsionem Legati penè obmutescentes, cùm nil aliud possent, petitionem suam nudè prolocuti sunt: Se scilicet disputare nolle. Vnum esse mediū, vt omnis controuersia tollatur: Protestantes scilicet in possessionem reuocentur, & nulla religionis habita ratione, pariter quietè viuant. Et quia vtraque pars se læsam conqueratur, hæc quòd Monocerotis cornu, aurū, argentumque factum atque infectum, omniaq; instrumenta sint aliò transportata; illa quòd granariū violenter sit apertum, & frumentum venditum, ædesque Capituli ab aduersarijs sint occupatæ: cōsultum videri, vt Catholici transportata ad Archiuum referant, & Protestantes ædes relinquant, seseque ab omni vi in posterū abstineant. Sperandū esse aiebāt id à Protestantibus obtineri posse, vbi de possessionis continuatione facti

Postulata legatorum Protestā-tium.

facti

facti fuerint securi. Ridebant multi hoc legatorū consilium, eò quòd absolutè concedendum suaderet, id de quo hactenus erat disputatum: tum etiam, quia Protestantibus pro excommunicationis pœna 4000 modios frumenti, & 125. modios auenæ, quos è granario communi vendiderant, præmiū statueret: quibus concessis sperabant Legati, eos ad pacem induci posse. Sed vt absurdam suam petitionem ipsi quoque Legati intelligerent, Episcopus disertè illis per suos respōdit: A seculis inauditū esse, tres Canonicos ædes vigintiquatuor Principibus & Comitibus communes, vi occupâsse: multò minus tam paucos, eosque iuniores, inuitis Prælatis & Senioribus, Archiui & granarij fores violenter effregisse, & è cumeris aliquot modiorum millia frumenti vendidisse. Cæterùm si Principes eorūve Legati Excōmunicatis persuadere possint, vt ab omni vi abstineant, ædes communes relinquant, vēditi frumenti pretium restituant; sperare suā Cels. apud Cæsarem veniam impetrari posse, & Capitulum inductū iri, vt benignè cum illis de pace agat. His ita peractis, discessum est. 1584

Paulò post Episcopus Clientes suos fiduciarios per Alsatiam conuocauit, & negotium cum illis communicauit. Illi rei indignitate moti, sedecim ex præcipua nobilitate, vigesimoseptimo Septembris miserunt ad excommunicatos Canonicos, qui peterent, vt posito dissidio, Ecclesiæ reconciliarētur, & ædes communes relinquerent. Diu multumque inter vtranque partem, vltrò citroque scriptis & verbis res frustra est agitata. Interea in suo proposito procedentes vlterius excōmunicati, etiam Præsentias (vt vocant) suas violenter à Vicario Claudio, cui eas distribuere incumbebat, postulârunt. *Cōuentus Alsatiæ.*

Antuerpiensis vrbis incolæ, tum Auraici morte, tū hostium victoria atque propinquitate consternati, trepidabant; multique fugam moliebantur. Non ignorabat hoc Senatus, publicoque mandato 17. Iulij interdixit, ne quis sine expresso Magistratûs consensu, vrbem deserere præsumeret. qui mandato non pareret, eius bona fisco subsignarentur. Plus tamen metus, quàm Senatûs potuit auctoritas: nam 78. non minimi censûs viri, cum familijs clam erepserunt, & ad loca tutiora sese receperunt. qui omnes mense Decembri publicè reuocati sunt. *Antuerpiæ trepidatur.*

Gan-

1584 Gandauenses de malo in deterius quotidie proruentes, tandem etiam eò dementiæ venerunt, vt Embiesium antesignanum omnis suæ rebellionis, nuper captum, publicè decollârint, & caput hastæ impositum populo spectandum exhibuerint. Iusto sanè Dei iudicio, vt per quos ipse peccauerat, ab iisdē quoq; puniretur, & à proprijs canibus instar Actæonis dilaceraretur.

Embiesij supplicium.

Illustrissimus Dux Parmensis, post maturā deliberationem tandem ad Antuerpiam, caput & ærarium totius Belgij, recuperandam animū adiecit. Primùm duce Mondragonio propugnaculum in Lillo fortissimū ex opposito pagi eiusdem nominis vehementissimè concussit: adeò vt horrendo tormentorū reboatu territi præsidiarij Herentalenses, munitissimum alioquin Campiniæ oppidulum, fugientes regiæ potestati reliquerint. Sed quia Lilloensis ista munitio viribus difficulter expugnari posset, & tumultuantes in ea milites nouis stipendijs atque auxilijs refocillarentur, quin & aggeribus perforatis aquæ copiosissimæ in agros immitterentur; oppugnationem cœptam Parmensis intermitti mandauit, & partem exercitûs Teneremundam, oppidum totius Flandriæ munitissimum, traduxit; partē propugnaculis ad Scaldis nauigationē infestandā erigendis in ripa reliquit. Rihouius Teneremūdæ præfectus cum præsidij parte, relicto in vrbe Vicario cum trecentis tantùm militibus, absens erat. Cumque Parmensis deditionem per suum fecialem postularet, Vicarius petulantissimè respōdit, & fecialem vrbe eiecit. Qua indignitate motus Parmensis, actutum attractis maioribus tormentis mœnia concussit: inde per elices aquis subtractis, impetum in quoddā propugnaculum fecit, vbi tres continuas horas acriter dimicatū est: superiores tandem Hispani, desideratis tantùm 10. & 30. vulneratis, propugnaculum expugnârunt. paulò vero post oppidani animum despondētes, deditionem decimo septimo die Augusti fecerunt, a que ita munitissima vrbs sex dierū spatio, felicibus Parmensis auspicijs in Regis sui redijt potestatem. In hac verò obsidione Petrus de Paz Hispanus Chiliarcha prudentissimus, miles fortissimus, & vir singulari pietate clarus, amicus quondam meus, magno cum Parmensis dolore, globo traiectus, occubuit.

Parmēsis Antuerpiam obsidere incipit.

Teneremūda Parmensi deditur.

Regij qui Zutphaniæ & in Veluæ propugnaculo obsidebantur, collectis viribus à tergo hostium muniti-

Regiorū in Velua victoria.

ones

ones aggredi, eosque è munitionibus in planitiem elicere conabantur. Erant Ordinum milites numero duplo maiores regijs. nam in castris decem tam equitum quàm peditum habuisse millia dicebantur: regij verò quatuor tantùm millia, & quingentos. Ordines itaq; cùm per exploratores didicissent, regios pugnam moliri, conuasatis omnibus, postridie relictis munitionibus turpissima fuga elapsi, regijs incruentam victoriam reliquerunt. Pars Dauentriam, pars Arnhemium dilapsa, ab incolis miserè mulctata & cōuitijs excepta est. Dux eorum, Comes Nuenarius Berkam reuersus, ibidem aliquandiu latuit, hanc ignominiam pro gloria castri Horstensis, nuper in Diœcesi Colon. per insidias suorum intercepti reportans. 1584

Interea Parmensis omni diligentia obstructioni Scaldis incubuit, vt nauigatione impedita, fame atque inedia domitos Antuerpianos in ordinem redigeret. Initio itaque in Callo & Ordam, hoc cis, illud citra fluuium, duo munitissima propugnacula exędificauit: eaque tormentorum maiorum copia, commeatu, atq; omni apparatu bellico muniuit. inde maximis malis atque arboribus in vadum, vbi id haberi posset, adactis, pontem vtrinque sternere sublicium incepit. Ordines verò cùm regijs viribus suas longè debiliores esse cernerent, Francorum, Anglorumque auxilia summa cōtentione postulârunt: Franco omnia liberaliter promittēte, qui eos misso Brunæo vanis pollicitatiōibus, & magnifico fuco elusit. Viluordienses cùm à regijs premerentur, nec auxilium vllum à suis confœderatis expectarent, certis conditionibus in potestatem Regis initio Septembris venerunt.

Parmēsis Scaldim obstruit.

Viluordia deditur.

Dum Parmensis Scaldis obstructioni incumbit, etiam nauigationis nouæ vsum Bruxellensibus intercipit: quo tempore Ernestus Elector Coloniensis Leodij Treuirensem Archiepiscopum magnificentissimè excepit, eique iuramentum Septemuiratûs præstitit. Mittentes deinde Electores ambo Legatum ad Belgas, eis operā suam in pace componenda deferentes, postridie discesserunt. Sed Ordines Belgici animo præfractiores, legationē respuebant, trium Regnorū auxilia sibi frustra promittentes: Anglam enim stipendia, Francum militem, Danum naues & commeatū suppeditaturū, miseri gloriabantur, & magnificè iactitabant.

Elector Coloniēsis Bauarus iuramentum Electoratûs præstat Treuirēsi.

Cameracenses multis excursionibus Hannoniam atque

1584 atque Arthesiam depopulabantur Iniuriam apud Regem, qui se amicum simulabat, conquestus Parmensis, nihil aliud audijt, quàm Cameracenses id suo periculo & inscio Rege facere. Mottæus collusionem hanc animaduertens, in Galliæ fines copias suas mittit, omniaque diripit, atque depopulatur. querenti Franco Parmensis vicissim respōdit, Mottæum id se ignorante fecisse: atque ita ars arte illudebatur.

Gandauēses sese Regi dedunt.

Gandauenses in extremis angustijs constituti, inuiti ad Regis clementiam confugientes, pacem, quæ nuper gratis offerebatur, magno, mense Septembri die vigesimosecundo, sunt promercati. Summam tamen Parmensis clementiam sunt etiamnum experti, obliuionem omnium flagitiorum perpetuam cōsecuti, arcem solùm reædificarēt, & 300000. coronatorū millia pro expensis Regi numerarent. Qui alterius quàm Catholicæ religionis essent, si conuerti nollent, post duorum annorum tranquillā in vrbe habitationem, ipsis permissum est aliò migrare, bona sua vendere, trāsportare, aut per procuratores administrare.

Ordinga recuperatur.

Calendis Octob. Blancartus Leodiensis, Insulæ Cæsareæ præfectus, Ordingam in Diœcesi Coloniensi ad Rhenum oppidulum, insigni stratagemate, in ipso diei crepusculo matutino cepit, ope captiui cuiusdam adiutus, qui per fenestram quandam in penuarium arcis cum socijs quibusdā ingressus, excubitores primùm, deinde octuaginta circiter præsidiarios interficiens, arcem & oppidum in Electoris Bauari tradidit potestatem.

Antuerpiensibus ab Hollādis cōmeatus mittitur.

Hollandi atque Zelandi, dum adhuc aliquo modo libera esset in Scaldi nauigatio, nondum flumine obstructo, omnem quem potuêre commeatum corradūt, impositumque 122. nauigijs, æstu maris & vento secūdo Antuerpiam aduexerunt, vno tātùm nauigio à Parmensi depresso. Nec ita multò post, septimo scilicet Octobris, alias centum quinquaginta naues, annonam vehentes, Antuerpiam miserunt, & ad finem eiusdem mensis aliæ bobus oneratæ, exiguo detrimento accepto, eodē appulsæ sunt. Etsi enim Parmensis ab vtraq; ripa, quousque vadum erat altius, sublicio ponte fluuij vsum interceperat, tamen latior & profundior pars hosti adhuc patebat. Nec concilio militari consultum videbatur, hyeme ingruente fluuium prorsus obstruere, ne inundationibus, glacie atque tēpestatibus, quæ in hye-

in hyeme solent esse frequentiores, exortis, opere dis- 1584
soluerentur, & vndarum vi abriperentur. Antuerpiæ variæ disputationes quotidie de hac Parmensis intentione instituebantur, possetne effectum consequi optatum, an verò non. Sed qui experientia fluminis cæteros antecellebant, illum obstrui posse fatebantur. Interea Antuerpienses, Bruxellenses, & Mechlinienses legatos in Hollandiam mittunt, vt Ordines consulant, si è re patriæ sit, communem totius Belgij pacem cum Rege facere, ad non: metuebãt enim ne Hollandi per mercatores in Hispanijs seorsum Regi reconciliarentur. Interim Parmensis, qui in Beueren castrametabatur, omni diligentia, quæ ad munitiones perficiendas firmandasque erant necessaria, comportabat: fossores & fabros lignarios Gandauo euocat, hos frumentatũ, illos lignatum, partem materiatum emittit. Sed & 22. naues bellicas, Gandaui & Teneremũdæ instructas, ex Scaldi per stagnãtia prata Calloum aduehi, inspectantibus & admirantibus hostibus, curauit: quæ inexpectata rei successio Antuerpiẽsium animos mirum in modum labefactauit. Sed & ipsi quorundam industria nauim miræ magnitudinis, forma quadrata, quam Finem belli appellabant, ædificârunt: ea 24. maiora tormenta in inferiori tabulato vehebat, in superiori sclopetarij erant aliquando mille quingenti, qui aggeres ab omnibus hostium insidijs tutos reddebant. Acroteria, costæ, & subligacula nauis tam erant munita, vt nullis possent tormentorum ictibus perforari. Constitit nauis huius ædificatio (vt quidam aiunt) quadraginta florenorum millibus, præter ipsa armamenta, omnemque, qui in ea erat, bellicum apparatum. Hac ingenti mole operas Parmensis perrumpere, hac eius propugnacula, quæ passim in ripis & aggeribus habebat, expugnare conabantur. Alij longo rerum vsu prudentiores, magisque exercitati, omnem suorum apparatũ despiciebant, & Liesfeldium Brabantiæ Cancellarium ab Ordinibus constitutum, per libellum supplicem interpellant, monentque vt apud regios pro impetranda pace intercedat. Quod cùm ad aures eorũ venisset, qui dignitatibus in vrbe erant insigniores, dato classico ciues ad arma conuocant, & libelli istius supplicis auctores cõpræhensos damnant, mulctant, & in exilium eijciunt. Inde mandato publico cauent, ne quis in posterum pacis cum regijs ineundæ faciat mentionem:

Parmẽsis in obstruendo Scaldi diligentia.

Antuerpiæ interdicitur, ne quis de pace loquatur.

1584 qui ſecus fecerit, capitis ſupplicio mulctetur. Quin etiam paulò poſt ciues ad nouum iuramentum præſtandū compulerunt, quo ſeſe obligârunt, quòd Regem, eiq; adhærentes omnes perpetuò hoſtes æſtimarēt, nunquā pacem ab eo peterent, nunquam oblatam acceptarent, aut verbo vllo aut ſigno oſtenderēt, ſe pacis huiuſmodi eſſe amātiores: quòd ſi quis ſecus fecerit, is ſine mora vltimo ſupplicio afficiendus eſſet. Vt autem ad tam barbarum iuramentum præſtandum populum facilius inducerent, diuulgârunt paſſim Parmenſem præter fidem Gandauenſibus datam crudeliſſimè in Caluinianos ſæuire, eos paſſim compræhendere, torquere, excarnificare, nec excuſationes vllas, nec interceſſiones acceptare.

Aldegundus obſeſſis ſubſidium mittēdum perſuadet.

Aldegundus quoque conuocatos Optimates longa oratione ad magnanimitatem & fortitudinem hortabatur, plauſtra futiliſſimarum promiſſionum, de Reginæ Angliæ, deque Regis Galliæ præſentiſſimis auxilijs in medium adducens, orabat ſaltem quinque aut ſex menſibus in officio maneant, ſeſeque defendant: accepiſſe enim ſeſe literas ait à Legatis Belgicis è Gallia ſcriptas, quibus Regē Belgicas prouincias ſummo cum deſiderio in ſuam protectionem accepiſſe nūtiabatur. His & ſimilibus minis atque fabulis pacis memoria penitus eſt obliterata.

Hiſtoriæ litis Canonicorum Argentinenſium continuatio.

Eodem menſe Octobri cùm Clientes fiduciarij Alſatiæ, & Legati Palatinorum atque Badenſium, Argentorato re infecta diſceſſiſſent, Comes Vvitgenſteinius, Solmenſis & Vvinnenbergius, Canonici excōmunicati, Collegio nouem articulos propoſuêre, quibus nec alijs pacem componi poſſe dicebant. Sed cùm Catholici articulos legiſſent, Doctorem Vvilhelmum Cæſareum & Ioſephum Biloniū ad prædictos Comites miſerunt, vt dicerent ſe eos articulos ratos habere non poſſe: malle rem Deo omniū iniuriarum vindici, & ſupremo Magiſtratui committere.

Senatus ad petitionē Capituli, vt diximus, in ædes Confraternitatis præſidium deduxerat, eo fine, ne quid violenter aduerſarij ibidem tentarent. Sed cùm illi cumeras euacuare & frumenta vendere non ceſſarent, præſidiumque ad iſta conniueret, Capitulum ad Senatum miſit, qui eum officij commonerent. Excommunicati Ioannem Rumelinum, qui Capitulo eſt à ſecretis, ad ſe vocârunt, & vt tablinum, quod Cancellariam

vocant,

vocăt, aperiret, aut claues traderet, præceperũt. Cùm ille sese excusaret, vt qui ratione iuramẽti id facere prohiberetur; Protestantes illi Canonici, aduocatis fabris ferrarijs, à secunda pomeridiana hora ad sextam in effringendis tribus ianuis, duabus ligneis & vna ferrea, laborârunt, omni vi atque conatu vsi. conclusiones verò atque decreta Capituli è tablino abripientes abiêrunt. Id facinus Capitulum rursus Magistratui conqueritur, petitque per præsidium huiusmodi impediant, & aduersarios ædibus istis communibus expellant. *1584* *Canonici Protestãtes cãcellariam vi aperiunt.*

Episcopus cùm audaciæ rebelliũ suorum Canonicorum nec finem nec modum esse cerneret, ad Senatũ Argentinensem scribit, diligentiam suam in tollenda controuersia tam exhibitam, quàm adhuc exhibẽdam commemorat: ostendit etiam si Excõmunicati ad possessionem Canonicatûs & perceptionem fructuum admitti possent, non tamen eos vltra 1200. florenos percepturos. vendidisse autem præter auenam plus quàm 4000. modiorum frumenti, & singulos, vbi vna tantùm debebatur, quatuor aut quinque portiones accepisse. Fieri quoque posse, vt nisi maturè sopiatur priuata hæc cupiditas, etiam in vicinarum regionum detrimentum aliquando redundet. Petit itaque Episcopus, vt Senatus diligenter animaduertat, possintne iure, si quod Diœcesis damnum acceperit, restitutionis cautio ab excommunicatis postulari: quam si negauerint, anne ad eam iuxta constitutiones Imperij queant compelli? Ad quam quæstionem responsum Senatûs petens Episcopus, eũdem modestè exhortatur, nullam deinceps vt vim in vrbe sua fieri permittant. *Episcopus Senatui Argentin. scribit.*

Cautionem postulari suo nomine prorsus indignũ existimabant excommunicati: quare inuectiuas literas in collegas Catholicos, in Episcopum, in Pontificem, tam ad Doctorem Cæsareum, quàm ad Senatum mittunt: Pontificem ipsum Satanam & Antichristum Romanũ, eius & adhærẽtium illi actiones latrocinia, & sanguinarias artes appellantes, lateque suo se modo defendentes: concludunt, se ad cautionem præstãdam non teneri. qua apologia apud amicum Senatum impetrârunt, vt iam Monocerotis cornu omnisque thesaurus à Catholicis per Senatum repeteretur; qui eam translationem ad suam ignominiam & detrimẽtum spectare contendebat: esse enim ornamenta Ecclesiæ, eaque *Si quis Lutherũ hæreticũ appellet, putant principes eius doctrinæ se hæreticos appellari.* *Id scilicet hacten⁹ è Luthera-*

1584 eaque nec Ecclesiæ subtrahi, nec posse alienari. Ad pe-*nis obseruatũ est.* titionem Collegij de prohibẽda frumenti venditione, & eijciendis excommunicatis ex Cõfraternitatis ædibus, ait Senatus: Se, vt exirẽt, à Comitibus illis postulâsse: sed responsum esse, se rationes suas habere cur istic maneant, nec vllo iure eijci posse. Senatui hoc responso satisfactum est, nec vlterius voluit eos vrgere. Hoc Senatûs fauore audaciores facti Excommunicati, nouas apologias ad oppida & nobiles mittunt, seséque quàm optimè possunt, defendunt.

Cæsar Senatui Argent. scribit. Cęsar interea seriò, atque summa cum grauitate, per literas Senatui mandauit; vt excommunicationis sententiam in Vvitgensteinium & suos complices latam exequeretur, eosque Confraternitatis ædibus eijceret, nec quo minus è Collegij sessione excludantur impediat. Senatus verò in excommunicatorum partes magis inclinans, facere quæ iubebantur, recusauit.

Hollandi muniũt vicina Antuerpiens. loca. Hollandi atque Zelandi vt bellũ à se in socios deriuantes, illud diutius extra suos fines alerent, Montes ad Zomam, imposito præsidio munierunt, & Burgerholt (suburbium est Antuerpianum) Anglorũ aliquot centuriis custodiendum demandârunt. Parmensis verò nihil intermittebat, quod ad nauigationem impediendam, & castra muniẽda faciebat. *Principis Parmensis laus.* Principis, in quo plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilij inter ipsa pericula erat, nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat: laboris & frigoris patientia par: vigiliarũ somníque nec die nec nocte discriminata tempora: id quod gerendis rebus superesset, quieti datum est. ea neque molli strato, neque silentio accersita est: sed multi sæpè militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationesq; militum conspexerunt: sæpius princeps prælium inibat, vltimus confecto prælio excedebat: totaque hac hyeme non cum hominibus solùm, sed cum ipsis elemẽtis, summa cum patientia, luctabatur, æquã per omnia mentem conseruans. *Magnanimũ Principis factum.* Cùm quendã circa hoc tempus exploratorem emisissent Antuerpiani, isque captus ad Parmensem traheretur, nihilque iam ipsi præter laqueum sibi reliquum esse existimaret; Princeps placido vultu eum affatus, bono animo esse iussit. deinde eum omnia per loca munitiora ducens, ait, Reuertere nunc ad dominos tuos, & nuntia illis, quæ tibi ostẽdi. hic enim locus est aut victoriæ meæ, aut erit sepulturæ.

Atque

Atque ita dimissum hominem in ciuitatem redire iusſit. Paulò post aliæ naues ab Hollandis missæ ad vrbẽ incolumes peruenerunt. 1584

Limburgum in Vvestphalia capitur.

Limburgũ Vvestphaliæ castrũ, ditionis Nuenarij Comitis, adhuc à Truchsesianis occupabatur. Præsidia rij excursionibus quotidianis omnem istius regionis tractum infestabant: quare Ordines Vvestphaliæ iam pridem illud obsederant. sed quia in altissimo monte extructum erat, difficulter potuit expugnari: donec tandem cuniculis ad fundamenta perductis, cùm Hessus quidam arcis præfectus, non leui coniectura periculũ, in quo versarentur qui in arce erant, si ignis adhiberetur, cognosceret, deditionem certis conditionibus initio Nouembris fecit. Quo factũ, vt tota nunc Vvestphalia Electori Ernesto pareat, eiectisque omnibus hostium copijs alta pace fruatur.

Parmẽsis Antuerpienses ad pacẽ hortatur.

Interim Angli aliquot in castra Parmẽsis veniunt, qui humaniter excepti, quatuor signorũ defectionem offerebãt. Parmẽsis eodem tẽpore amicas & clementia plenas literas ad Senatũ Antuerpiensem misit, omnem illis gratiã atque indulgentiã promittens, si ad gremiũ Ecclesiæ & Maiestatis redire velint obedientiam. Illi Parmensi gratias agunt, eius clementiam miris laudibus extollunt, dolere se simulant eius clementiã ipsis non antea fuisse exploratam: fieri enim potuisse, vt iam pacem haberent. Cæterùm cùm iam Regis Galliarum fidei sese dederint, fingunt se sine summa leuitatis atque inconstantiæ nota, illum repudiare, & Regi Hispaniarum reconciliari non posse.

Hispaniarum Regis vnicus filius, Princeps Hisp. creatur.

Die Nouemb. 12. Philippus vnicus Philippi Catholici Regis Hispaniarum potentissimi filius, Madriti, magna cum solennitate, multisque ceremonijs Princeps totius Hispaniæ electus est. Maiestas Regia vnà cum Principe pridie ad S. Hieronymum venit, vbi aliquandiu hæserat Imperatrix Maximiliani II. vxor, & Regis soror. Postridie ad eundem locũ sorores Principis ambæ Regis Hispan. filiæ, à Castellæ præside, alijsq; multis aulicis & regijs ministris ductæ fuerunt, & ad Regiam Maiestatem per portam D. Dominici intrãrunt. Templum denique per ambitum cum Principe, cæterisque dominabus ingressæ, ad altaris partem meridionalem constiterunt. Hic Cardinalis Toletanus sacrũ auspicatus est. Episcopi verò de Placentia, de Salamãca, de Samorra, de Auila, de Segouia, de Quenca, de

1584 Ciquenca, & de Osma, ad alterum altaris cornu sedebant. Habebat & hîc Cardinalis Granuellanus suas functiones: qui Suæ Maiestati Euangelium & Pacis osculum præbebat. Idem munus & Episcopus Placentinus erga regias filias obiuit. Sacro finito, Granuellanus Principem ad summum altare manu duxit, vbi à Toletano Sacramento Cōfirmationis munitus, atque inde oleo sacro perunctus, ab eodem Granuellano ad priorem locum reductus est. Hîc tum surrexit Armorum Rex, qui apud Hispanos magistratus est, & ad eam altaris partem, vbi Euangelium canitur, vbi & Legati, aulæque Præfecti, & prætextati asseclæ, nobiliumque pueri stabant, se conferens, iuramentum, quod Princepi erat præstandum, alta voce pronuntiauit. Post quem Licentiatus Ioannes Thomas Regis Consiliarius surgens, idem iuramentum latius explicauit, declarando etiam, idem iuramentum ab Imperatrice, tanquam Castellæ Infante, filiabusque regiis præstari debere, quæ illud non recusauerunt. Quo peracto, Legatus Regis protestatus est, id iuramentum ab Imperatrice, non tanquam à Germaniæ Imperatrice, sed tanquam à Castellæ Infante postulari. Rex deinde cum Imperatrice sorore sua eum locum, in quo Crux & Missale (vt vocant) iacebant, summa cum maiestate accessit: præstitoque iuramento, vbi Imperatrix Principem nepotem medium (cùm is manus deosculandas præbere nollet) complexa, eumque deosculata, vnà cum Rege ad priorem locum reuersa est. Filias Regis surgentes, cùm illæ, officio præstito, reluctantis fratris manui osculum impressissent, omnes Episcopi subsecuti sunt, quibus per Marchionem de Aguilar iuramentum quoque imperatum est. Post Episcopos illos iurârunt Hispaniæ Primates, ante alios Admiralius Castellæ, Marchio Billena, Dux de Pastrama, Princeps de Ascoli, & Marchio de Denia. Inde & reliqui in dignitate constituti Domini, aulæ procuratores, Communitates de Burgia & de Toledo. A Marchione verò de Aguilar, idem iuramētum exegit Dominus de Oropeza: tandem & à Cardinale Toletano id Episcopus Placentinus suscepit.

Iaponiæ Regum legatio in

Hunc tam solennem diem multò etiam lætiorem reddidit cæli summa serenitas, & trium Iaponū Regū ex vltimis in Oriente terrarum orbis finibus magnifica legatio. Qui eam obibāt, Regū, principumque filij,

hoc tem-

hoc tempore superuenientes, manus Regis atque Impe- 1584
ratricis exosculati, honestissimè excepti fuerunt. Erant *Hispaniã venit.*
illi colore albi, statura mediocri, optimis ingenijs prę-
diti, ante paucos annos ad fidem Christianam, gratia
diuina, & Patrum Societatis Iesu opera conuersi: &
nunc Romam ad præstandam summo Pontifici obedientiam, proficiscebantur. De quibus latius in mense Martio anni sequentis agemus.

Telegnius Lanouij filius capitur. Sub id tempus Telegnius Lanouij filius Antuerpia Lilloum cum decem nauibus & vna triremi nauigaturus, proximè pontem in naues regiorum incidit. cõmissum est atrox prælium Telegnius cùm se superatũ videret, literas quasdam legationis suæ summam, atq; alia arcana quædam consilia, deque aggere Coudesteinio occupando continentes, in fluuium proiecit: sed cùm adessent ex regijs qui id obseruârant, literas vndis extractas, Parmensi tradiderũt. è quibus omnia eorum cõsilia sunt detecta. Telegnius ipse cum nauibus, triremi & duodecim alijs Centurionibus in potestatẽ regiorum veniens, Gandauum, atque inde Tornacum missus est. quæ victoria regiorum animos vehementer erexit, & hostium ecõtra labefactauit. Paulò post Parmensis perducta fossa ex Scaldi, iuxta munitionẽ Calloensem in pratis portum seu stationem nauium suarum fecit; vt si tempestas exoriatur, eæ in flumine non periclitentur, sed tutò in portu possent consistere. Tunc & Gandaui & Brugis Reipub. facies cœpit reformari, Caluiniani è Magistratibus eijci, Catholici viri surrogari, templa restaurari, arx Gandauensis reparari, omniaque ad meliorem formam institui.

Bruxellẽsium peruicacia. Bruxellenses verò etsi penuria commeatusque difficultate laborarent, tamen præfracti adhuc pacem respuebant. Erãt quidem ex ciuibus permulti, qui pacem bello anteponebant, sed Templij & præsidiariorũ viribus oppressi, de pace ne mutire quidem audebant. Antuerpienses & Mechlinienses omnem opportunitatem captabant eis commeatum mittendi. Centum itaque circiter currus annona instructi quanto potuêre silentio in vrbem peruenêre: sed cùm reuersuri essent pretiosa supellectile rursus onerati, in manus regiorum inciderunt, ipsisque prædæ fuerunt.

Hollandi rursum classem Postridie Calendarum Decembris Hollandi instructissimam classem iterum Antuerpiam miserunt, vt operas Parmensis demolirentur, & aggeres Ternousæ

1584 conuellerent, omnem regionem Vvafeam marinis fluctibus cooperirent: fore enim hoc modo ſperabant, vt Parmenſis commeatûs inopia preſſus, ſtationes deſerere compelleretur. At ille riſit eorum inſaniam: venientes duas hoſtium naues depreſſit, & tres captas ſuę claſſi adiunxit.

Antuerpiam mittunt.

Dux Ericus Bruinſuicenſis moritur.

Sub id Ericus Dux Bruinſuicenſis princeps bellicoſiſſimus, & multis expeditionibus, victorijsque clarus, in Italia vitam cum morte permutauit. Legitimā prolem nullam reliquit, illegitimas duas, maſculam & fœmellam, quas tam tenerè adamabat, vt moriens ijs opulentiſſimas diuitias, & dominia quæ in Batauia poſſidebat, teſtamento dicatur reliquiſſe. Brunſuicēſium ſuarum ditionum aliquot vſum fructum vxori Duci Lotharingiæ fœminæ ſanctiſſimæ reliquit: Sed Iulius Dux teſtamentum hoc ratum non habens, hunc vſumfructum vxori denegauit. Poſtulatus eſt huius litis arbiter æquiſſimus Princeps Vvilhelmus Lantgrauius Haſſiæ, & niſi maturè negotium componatur, timenda ſunt arma, vicinorumque populorū interitus.

Seleſtadienſis conuentus, eiusque decreta.

Epiſcopus Argentoratenſis hoc menſe Decembri inferioris atq; ſuperioris Alſatiæ Ordines, vnà cum Capitulo ſuo Seleſtadium ad comitia conuocauit. Excōmunicati Comites cùm ſe à conuentu excludi intelligerent, Petrum Scererum & Nicolaum Gerbelium eò cum literis & apologijs miſerunt. Auditur Epiſcopi poſtulatum, leguntur Pontificis & Cæſaris mandata, proponūtur excōmunicationis cauſæ; oſtenditur Comites non tam q Catholicam religionem deſeruerāt, quàm quòd Colonienſi bello ſeſe implicuerant, damnatos eſſe. Econtra auditur damnatorum legatio. Tandem concluſum, Legatos ad Senatum Argent. mittendos, qui ei ſupplicent, eumque admoneant, vt mandato Cæſareo, toties nunc reiterato, ſatisfaciat: præſidium ædibus Capituli impoſitū euocet: excommunicatos Comites benignè primùm, vt exeant, adhortetur: quòd ſi non obediant, ſecundùm Cæſaris mandatum viribus eijciant. Adminiſtratio verò domûs, fructuum atque prouentuū, Oeconomo & miniſtris conſtitutis reſtituatur. qui præſtito iuramento, nulli Canoni corū, ſiue is Catholicus ſit, ſiue Confeſſioniſta, aut etiam Excōmunicatus, quidquam ex prouentibus porrigant: ſed omnia fideliter congerant, atque cuſtodiant, donec controuerſia omnis deciſa ſit. Præterea

vt Lega-

vt Legati vtriusque Alsatiæ domum reuersi, relatione 1584
facta, omnem diligentiam adhibeant, quo Domini sui communibus votis Cæsari supplicent, vt tam in communis patriæ, quàm in partium diffidentium vtilitatem, Sua Maiest. Electores Moguntinum & Saxonem interpellet, mandetque illis, suos Consiliarios mittat, qui causam cognoscant, eamque iudicent. Mandatum quoque est vtrique parti, ne arma moueant, aut vim alteri inferant: quòd si quæ partium id fecerit, promittūt se ad Cæsarem id primùm relaturos; deinde etiam si opus sit vim vi repulsuros. Hanc conclusionem Legati ad suos Dominos & Magistratus referant, qui mensis spatio in conuentu Hagenovvæ habendo sententias suas dicent: interea & partes, an hæc rata habere velint, aut irrita, deliberabunt. Cæterùm Excommunicati siue quòd causæ suæ diffiderent, siue quòd commodo suo cedere noluerint, ad Satrapiam Hagenovvæ scribunt, iustitiam causæ suæ multum exaggerantes, orantesque ne Ordines decreta conuentus Selestadiensis approbarent. Interim illi qua possunt diligentia frumenta, vina, aliosque prouentus vendunt, & in proprias ædes transportant: adeò vt Catholici apud Senatum conquererentur, iam septies mille & quingentos frumenti modios ab illis esse distractos. Sed Senatus ad hæc omnia conniuebat, & definitionem conuentus Selestadiensis prolixo ad Ordines scripto misso se non approbaturum declarauit. Ad maiorem rei exulcerationem editum est Calendarium, (vt quotannis fieri solet) in quo insignia, nomina, & tituli Canonicorum exprimuntur. In hoc Truchsesij insignia, cum galea, scuto, & titulo Electoratus erant depicta. Nonnullorum quoque nomina miniatis literis, aliorum furuis expresserant, & quosdam Canonicos omiserant. Quæ omnia cùm ad simultatē maiorē pertinerēt, Collegiū à Senatu petijt, exemplaria supprimeret, Impressore captum, qua intentione hæc fecisset, interrogaret. Sed Excommunicati suam interponentes auctoritatē, Impressorem defenderunt, & Senatui facilè satisfecerunt.

Canonici Protestātes & Senatus Argētoratēs. decreta conuentus Selest. cōtemnunt.

Holachius Comes huius anni nobis dedit catastrophen: is enim cum octingentis equitibus commeatum Bruxellensibus aducturus, in aliquot equitum turmas, qui sub Conradino Italo Regi militabant, incidens, magna suorum ignominia, maximoque detrimento pugnauit, captis etenim 250. & ducentis circiter

Holachius iterum cæditur.

1585 citer occisis, cæterisque vulneratis & in fugam versis, ipse equo celeri elapsus, in Campiniam incolumis peruenit. Hęc clades D. Merodio occasionem dedit, vt Bruxellensibus, propositis diuersis in quibus erant difficultatibus, pacem à Rege petere suaderet.

Antuerpiæ noui Chiliarchæ constituuntur.

ANNO M. D. LXXXV. die 6. Ianuarij, Aldegundus primarius Antuerpiensiũ Consul, habita primùm longa in concilio oratione, quatuor nouos ex infima plebe constituit Chiliarchas: quos Colonellos exotico vocabulo nunc appellant; Arnoldum scilicet Helmannum, Franciscum Herequium, Baltassarem Mucheronem, & coctorem quendam cereuisiæ, hominem etiam nomine obscurum, suis factionibus vti & alij tres studiosissimum, & ad quæuis audendum promptissimum. Quo peracto, ij qui æstate præcedenti fuga elapsi, vrbem metu, contra edictum, reliquerant, publicè & nominatim reuocantur. quo tempore nuntiatum est, inducias vnius anni inter Cameracenses, Hannonienses, & Arthesios proclamatas esse.

Regiorũ in Frisia victoria.

Ordines in territorio Groningensi ad Amisium fluuium, pago cui Oterdom nomen est, propugnaculum anno præcedenti, magna cum celeritate construxerant. ex quo multum damni territorio inferebant: & ne Embda commeatus in vrbem nauigio importari posset, impediebant, quia verò natura loci, fluxus atque refluxus maris beneficio, & arte esset munitissimum, oppugnari difficulter potuit. Quare longa obsidione & fame, qui in eo erant, domandos esse Verdugius existimauit. Rem Nobili cuidam Vltraiectensi, iuueni robusto, imperterrito, & victorioso, nomine Rineueltio, toto hoc Frisico bello notissimo, multisque victorijs claro, demandauit. Is cùm extructis iuxta Geusiorum stationem alijs munitionibus aliquandiu commeatum excluserat, tandem initio huius anni Hollandi apparatu facto commeatum nauigio in propugnaculum importare summa vi contendebant: Rineueltius id impedire, & se ad pugnam accingere, vtrinque ad manus venire, fortiter dimicare; Hollandi fugam capere, regij quatuor nauigia stellatura & commeatu onusta, & duas naues bellicas intercipere, spolijsque diuites in castra redire.

Dum Parmensis totus est in Scaldi occludendo, Geusij

Geusij ne suis rebus deesse viderentur, insidias vrbi Buscoducensi struxerunt. Est autem Buscoducum vrbs ex quatuor Brabantiæ vrbibus primarijs vna, à syluis, quæ hoc loco olim Duci fuisse creduntur, nomen habens, longè munitissima, ludo literario, magna ciuium & præstantissimorum ædificiorum frequentia, pugnacique populo, blando tamen & ciuili, nobilis. Mansit hæc vrbs in fide atque officio Regis ab anno 1579. quo tempore Caluinianos feliciter eiecerunt, vsq; in hunc diem, quantumuis diuersis insidijs, diuersis temporibus, non sine suorum damno tentauerunt. Comes Holachius, quod hactenus non successerat, feliciori vt sperabat euentu aggressurus, clam ex Velua, dioecesi Vltraiectensi, præsidijsque finitimis quoscunque potuit euocauit: & 19. die Ianuarij per densissimas tenebras agmen ducens, circiter quatuor millium equitum atque peditum, in insidijs proximè vrbem permansit, ducentos verò equites Germanos & aliquot sclopetariorum manipulos ad portam, vulgò de Vuchterpoort dictam, præmisit. Horum quinquaginta humiles quasdam ędiculas, portę contiguas, in quibus interdiu custodiæ delitescunt, occupauerunt. Manè facto hora circiter octaua, porta recluditur: emittuntur exploratores, & custodiæ disponuntur. Qui in prędictis ædiculis erant, erumpentes, magno impetu exploratores, excubitoresque occidunt; & in vrbem ruunt. Ascendunt confestim turrem portæ imminentem, vt impedirent, ne quis cataractam impendentem in irrumpentes demitteret; inueneruntque senem quendam, cui huius cataractæ custodia erat demandata. Hunc multis vulneribus confossum, semiuiuum in cubiculum quoddam detrudentes, socijs signum dederunt, vt in vrbem accelerarent Nec mora, confestim ingentes copiæ irrumpunt, quæ bonam vrbis partem occupârunt. Erant forte fortuna tunc temporis in vrbe aliquot hastati equites Itali, & Sequani, numero pauci, qui pridiè cum mercatoribus in vrbem venerant. Sed & Altipennius morbi curandi causa huc venerat, & necdum prorsus conualuerat. hic itaque inermis primùm, pugione tantùm & scuto se protegens, equites istos hostibus obiecit, ciuesque in ordinem redegit. Interim arma illi & equus adferuntur Tunc cum Domino de Helmont equitibus & ciuibus in hostem irruens, acriter pugnauit, hostesque locis quæ occupârant passim eijcere cœpit. Qui iuxta por-

1585
Ordines Buscoducum per insidias ingreßi eijciũtur.

1585 portam erant, triumphum ante victoriam canentes, acclamant socijs, vrbem iam captam esse. Quod elogium cùm, qui cataractam custodiebant, audiuissent, ad prædam festinantes, portam deseruerunt. Senex ille cruoris iam nimij effusione penè exanimis, cùm hostes decessisse intelligeret, spiritum resumens, ad ostium turris accurrens, illud occludit; & ablatis repagulis totam cataractam demittit. Holachius, qui mutato equo vrbe iterum exierat, vt nouas copias adduceret, cum Domino Isselsteinio & magno comitatu reditum festinans, cùm portam obstructam videret, spem suam clusam & socios periclitari animaduertens, tristis reuersus est : euentum foris expectans. Interim in vrbe magna contentione pugnatur. Sed cùm hostis cerneret à tergo nullos sequi, & portam occlusam esse, trepidantes fugam capessunt, seseque è mœnibus demittentes, aut vado enatârunt, aut limo infixi, suffocati sunt; ciues paucis parcere, omnes passim occidere. Erãt inter cæsos multi viri nobiles, quod & torques, vestimenta, & ornamenta reliqua testabantur. Repertus est inter cadauera Ferdinandus Gebhardi Truchsesij Electoris nuper Coloniẽsis germanus frater, & quidam Marchetrus Nobilis Atrebatensis. Cæsi creduntur hoc prælio ex hostibus circiter ducenti, & vltra : submersi verò & ex fossis extracti 80. capti non pauci, ex quibus nonnulli postea vltimo supplicio mulctati sunt. Nec ciuibus omninò hæc victoria fuit incruenta.

Egregiũ Senis cuiusdam facinus.

Ferdinãdi Truchsesij mors.

Bruxellẽsiũ legatio ad Parmensem.

Bruxellenses extrema necessitate coacti, cùm fame passim interirent, tandem mittunt ad Parmensem, qui pacem flagitarent. Sed cùm nulla adferrent media, exploratores potiùs quàm Legati habiti, magna cum indignatione Parmensis remissi sunt. Antuerpienses, etsi iam naues amplius nullas reciperent, tamen non tantùm nil de sua pertinacia remiserunt, sed iuramentum de non facienda vnquam pacis mentione renouârunt, & nouis, ijsque rigidioribus verbis amplificârunt. Interim Parmensis castra sua munit, & tormenta conuehit, materiamque ad fluuium iam tandem claudendum comportat.

Bruxellenses maiori annonæ difficultate pressi, occasiones elabẽdi quærebant, & vicinis in locis victitandi. Sed Parmensis vrbis pertinacia offensus, quotquot depræhendit, aut in ciuitatem reiecit, aut laqueo neca-

necauit. Nuntiatum est hoc tempore mulierem quandam numerosam prolem habentem, cùm omnia iam consumpsisset, & pueri assiduo ploratu atque eiulatu famelici & moribundi animum maternum cruciarent, venenum lethale sibi comparâsse, mixtoque poculo inde primam bibisse, & iam morituram, pueris suis propinâsse, miserrimaque morte omnes interiisse. Paulò ante in castris Illustrissimi Ducis Parmensis post trium dierum disceptationem, in militari iudicio, nouem signa Comitis Mansfeltij, quæ nuper, nulla impetrata missione, dilapsa erant, condemnantur: Auctorum fugæ numero 65. nomina patibulo palam affiguntur, & si in posterum inter alia signa deprehendantur, decernitur vt ex aridis arboribus (eò quod viridibus indigni iudicati sunt) absque vlla alia sententia suspendantur. Post paucos dies septendecim mercatores, qui clam vrbe relicta in Hollandiam fugam instituere decreuerant, à regijs capti sunt: qui de statu vrbis Antuerpiensis interrogati, tolerabilique lytro redempti, incolumes dimissi sunt. 1585 *Horrendum facinus.* *Militari iudicio quidam condemnati.*

Circa idem tempus Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ Argẽtoratensis patrocinium Senatus implorabat, contra violentiam VVitgensteinij, Solmensis & VVinnenbergij excommunicatorum collegarum suorum, qui non cessabant frumenta atque vina, quæ ad communitatem pertinebant, diuendere, alienare, & transportare Frederici quoque Ducis Saxoniæ Decani nuper electi prouentus, ex agro in vrbem per ciues aduectos similiter distrahere, cæteris Canonicis annuos reditus negare, nihilque non agere quod in præiudicium esset Collegij totius. Illi contra sese Magistratui purgabant, petebantque, vt Senatus aduersariorũ querelas in posterum vt iniustas nõ admitteret, quod non grauatè à fautoribus suis impetrârunt.

Aldegundus perniciosa sua eloquentia Antuerpianos in officio retinebat: eis felicissima quæque paulò post successura persuadens, veramque opem Regis Galliarum promittens. Legati enim ex singulis Rebellium prouincijs in Galliam missi iam erant, qui Briela discedentes, & Diepam nauigantes, exorta tempestate Boloniam reiecti sunt. inde terrestri itinere Abauillam ad Regem venerunt. Antequam ad colloquium cum Rege admissi essent, Mendoza legatus Regis Hispaniarum, Regi Henrico exposuit, saluo *Legatis Ordinum Belgicorum ad Regem Galliæ.*

ipsum

1585 ipsum honore & dignitate homines rebelles ad suum colloquium admittere, vel causam illorum audire non posse. Omnium Principum totius Christianitatis interesse, si homines rebelles & seditiosi à Regibus audiantur, recipiantur, & iuuentur. Hoc modo pacem inter vtriusque Regis Galliæ scilicet & Hispaniæ, Maiestatem initam, matrimonio & affinitate confirmatam, violari. Ad quæ Henricus respondisse dicitur: Se Belgarum Legatos auditurum, non vt Rebelles, sed Oppressos. Christianos Reges id nulli denegare vnquam solere, debere, aut posse: præsertim si ea faciant intentione, vt subditos suo Principi, & Principes suis subditis reconcilient. Belgas conqueri, sæpius per supplices libellos à suo Principe pacem flagitâsse, nunquam verò æquam obtinere potuisse: ideoque à denegata iustitia licitum ipsis esse prouocare.

Legati itaque cùm Senlisij Regem salutâssent, ab ipso patienter auditi sunt, & postea ad Reginam matrem remissi. Nauarræus, Protestantesque reliqui cum Angliæ Regina Legatorum petitioni maximoperè fauere dicebantur, & clam omnem opem Regi polliceri, si Belgarum causam defendendam accipere vellet. Licet nonnullæ ciuitates Belgicæ, vt Enchusia, Horna, Nouiomagum, Venlona, &c. in hanc legationem minimè consentirent. Venientes deinde legati ad Reginam matrem, benignè etiam ab ea per duas horas continuas auditi sunt. Senatus prouinciarum disertè Regi exposuerunt, eum nec debere, nec posse salua conscientia & honore, Belgas in suam protectionem accipere. Hinc factum, vt varij per Belgium de Regis sententia sermones circunferrentur. Catholici, Regem Legatorum postulata reiecisse; Caluiniani amplexum esse, dicebant. quòd eo magis creditum est, quia Rex Legatos Lutetiæ magnificentissimè excepit, & suis aluit expensis, eos familiarissimè habuit, & aliquoties à conuiuio dimissos, suis rhedis & lecticis domum deportari iussit. Sunt qui putent Regis animum à causa Belgarum defendenda non abhorruisse: sed quia Principum suorum confœderationem, nouique belli incendia, in proprio regno metuebat, ausum non fuisse.

Fœdus sacrũ Prin

Borbonij enim Guisij, alijque Principes regni, cum maiori nobilitatis parte, cùm prolem nunc omnem

liem Valeſianam ſine hærede obiiſſe cernerent, ſolo 1588
Henrico ſuperſtite, à quo nulla ſoboles expectabatur; cipumCa-
ideoque regnum in aliam familiam fore transferen- tholicorũ
dum: non obſcuris argumentis colligebant Nauarræ- in Fran-
um regnandi cupiditate inflatum, coronam ambire. cia.
Sed cùm is Caluinianus eſſet, nec regnare in Gallia poſſit, qui Catholicam religionem non profitetur; cùm primùm Regis inaugurandi iuramentum ſit, ſe Catholicam Romanam Religionem defenſurum: Principes iſti fœdus iniêrunt, ſe nullo modo permiſſuros, vt vel Nauarræus, vel aliquis hæreticus, regnum Galliæ poſt obitum Henrici adminiſtraret. Coniecturæ verò, quæ ſtudia Nauarræi ſuſpecta reddiderunt, erant hæ: In regno Galliæ, alijsque extra regnum locis copias militares colligebat; ciuitates, quas poſt certos annos, ex pacto vltimæ pacis redderet, ipſe & ſui confœderati non redderent, ſed inſuper munirent, & legationes in Ger- De hac le-
maniam ad Proteſtantes mitterent, eosque ad fœdus gatione
ſolicitarent, ad Catholicam religionem opprimen- vide ſu-
dam: Sed & viuente & vidente Rege quotidie oppri- pra fol.
merent Catholicos, Regnique miniſtros, qui Catholi- 793.
cæ religionis erãt: vt ijs ſublatis, tutiùs in Eccleſiam graſſarentur, & ſeſe, Anglorum exemplo, ex patrimonio Petri ditarent. Sed & notum erat Caluinianos quotidie ſeſe magis magisque in amicitiam & familiaritatem Regis inſinuare, eius auctoritatem vſurpare, & ſub vmbra Regis amicitias & confœderationes Proteſtantium Germanorum aucupari: Principes & nobiles regni, immò conſanguineos Regis, à Regis colloquio arceri, nec quenquam ad eum admitti, niſi qui eiuſdem erant cum ipſis farinæ ſæpiùs adlaboráſſe. Eò iam ventum erat, vt nemo Catholicorum Principum officium ſuum facere, vel poſſet, vel auderet: cùm alij titulis priuarentur, alij relicto inani titulo, omni poteſtate exuerentur. Prouinciarum Gubernatores, vrbium atque arcium præfecti, paſſim officijs deſtituebantur, & obtruſa pecunia, quæ præmij loco numerabatur, ipſi magiſtratibus abire, & in alios religionis hoſtes conferre, inuiti cogebantur. Quod exemplum erat in Francia inauditum: virum ſcilicet fortem & probum data pecunia officio deſtitui, quod ob egregias virtutes gratis erat illi donatum. Hac via ambitioſi iſti homines, terræ, marisque poteſtatem, omniaque Regni arma paulatim in ſuam poteſtatem transfere-

1585 ferebant, & suæ factionis homines nouis quotidie officijs exornabant. Eò etiam cupiditas hæreticorum progrediebatur, vt aperto Regis fisco, omne præsens aurum & argentum rapientes, in priuatos suos vsus transferrent: Canones & regalia dominia ipsi acciperent, aut qui accipere solent, hos in suas partes pertraherent: quæ vnica erat via, ad coronam aliquando perueniendi. Iidem etiam facilitate subditorum abutebantur, & nouas quotidie indictiones imperabant.

Conquerebantur Catholici Principes, in vltimo conuentu Blesensi, optimam fuisse spem conceptam, optimasque inuentas esse rationes, omnes simultates regni semel penitùs extirpandi, pacemque Regni stabilem componendi. Sed hanc spem euanuisse, quorundam Dei atque Religionis hostium studijs, qui ad concilium vocabantur. Eos Regem nulli alij rei tunc incumbentem, quàm vt eiectis omnibus hæresibus, vnam Catholicam Religionem, omnia in regni loca reduceret; eam sartam tectam conseruaret, & secundùm eius præscriptum vbique imperaret; eos, inquam, ab hoc sancto proposito Regem retraxisse, eique persuasisse, Regi eiusque Regno vtilissimum fore, si Catholicorum vires atque auctoritas nonnihil attenuarentur. Conqueruntur iidem Principes, præcipuum regni membrum, Ecclesiasticos nimirum, decessione decumarum suarum, & exactionibus nouis depauperari: Nobiles despici, continuisque indictionibus obrui, & communem plebeculam immoderatis vectigalibus opprimi, omnibusque fortunis spoliari.

Has itaque ob causas, quæ in Principum scripto Gallico latiùs referuntur, Carolus Cardinalis Borbonius, Primas Regni, sanguine Regi proximus, cuius est aduigilare, ne quid Religio Catholica detrimenti in regno Gallico patiatur; cæteri Principes, Cardinales, Purpurati, Prælati, Palatina officia, Proreges, Dynastæ, Nobiles, Tribuni militum, & ciuitates Regni, die 24.

Articuli fœderis sacri. Februarij Ianuillæ conuenientes, inter sese fœdus fecerunt: & post maturam deliberationem iurârunt, se opibus & sanguine sequentes 7 articulos propugnaturos:
1. Vt Ecclesia Dei antiquæ integritati atque nitori restituatur, redintegretur, & Catholica religio reuocetur, atque vbique obseruetur.
2. Vt Nobilitas suis priuile-

uilegijs ſine vllo impedimento, vt ſolet, in poſterum 1585
fruatur. Vt in gratiam & refocillationem ſubdito- 3.
rum nouæ indictiones & vectigalia aboleantur; quæ-
cunque poſt obitum Caroli noni populo erant impe-
tata. Vt concilium prouinciale ſeu Parlamentum 4.
cogatur,reſtauretur, & ad ſolitam auctoritatem rede-
at: & quilibet in eo ſua dignitate gaudeat & poteſta-
te. Vt ſubditi omnes regni Gallici in ſuis Guberna- 5.
culis, Officijs, & Dignitatibus continuentur: nemo
ijs priuetur, niſi aliqua trium iſtarum, quæ iam inde
ab initio in vſu fuerunt, cauſarum ſubſit, eaque hu-
iuſmodi à Parlamento eſſe cognoſcatur & iudice-
tur. Vt pecunia ex præcedentium annorum exactio- 6.
nibus collecta, & colligenda, in vſum defenſionis Re-
gni, aut alias in res neceſſarias expendatur. Vt comi- 7.
tia Regni ſinè vllo impedimento, vt minimùm ſingu-
lis triennijs, conuocentur, in ijsque liberum ſit vni-
cuique ſuas proponere querelas, & aliorum iudicium
poſtulare.

Hæc, aliaque adhuc ſuo loco & tempore propo-
nenda, dicunt Principes ſumma eſſe capita, propter
quæ arma induant: vt Regnum Galliæ priſtino nitori
reſtituatur, ſcelerati plectantur, boni defendantur. im-
mò vt ipſi Principes, quorum aliqui paucos ante men-
ſes per clandeſtinam conſpirationem ad necem quæſi-
ti erant, ſecuriùs viuant. Oſtendunt etiam ſe ſemper
bella inteſtina odiſſe, ſed neceſſitatem Regni, Catholi-
cæ Religionis oppreſſionem, & propriam ſalutem, ea
nunc poſtulare. Immò & tantopere ſeſe à bello abhor-
rere, vt ſi propria tantùm ſalus, & non etiam Religio
periclitaretur, ab armis adhuc abſtinere vellent. Nunc
verò nullam ipſis tam gratam fore ſepulturam, aiunt,
quàm quæ mortem ob tam honeſtam & piam cauſam
inflictam ſit ſubſecutura. Teſtantur etiam ijdem Prin-
cipes Catholici, ſe arma non in Regis perniciem, ſed
ad eius vitæ, honoriſque defenſionem ſumpſiſſe: iu-
rantque ſibi nihil fore ſanctius, quàm fortunas cum
vita & ſanguine, pro eius Maieſtatis auctoritate non
ſecus atque hactenus fecerunt, etiamnum profundere.
ſed & arma depoſituros ſe promittunt, ſi Rex ea, quæ
in præiudicium Religionis, bonorumque ſubdito-
rum hactenus irrepſerunt, benignè velit abolere; caue-
re etiam pro ſua prudentia, ne poſt mortem ipſius, ob
regni adminiſtrationem, diſcordia, tumultus aut bel-

1585 lum exoriatur. Orant itaque & Regem & eius matrem, cuius prudentiæ adscribunt, quod regnum Galliæ hactenus non interierit, vt Religionem Catholicam, & bonos omnes defendere pergant. Omnes quoque Principes, Prælatos, Nobiles, & Ciuitates, qui huic fœderi nondum adscripti sunt, deprecantur, vt eandem hanc causam defendant, & ad fœdus veniant. Quòd si verò deliberare velint, nec tam celeriter conuocato concilio certi quid statuere possint; orant interim, aduersarios, qui hoc Principum propositum in peiorem partem essent interpretaturi, non audiant, sed & suas vrbes, oppida, atque arces præsidijs impositis, contra aduersariorum insidias muniant. Declarant proinde Principes, quam militarem disciplinam obseruare, quos ad militiam adscribere velint: scilicet non vulgares homines, qui quæstus gratia militare, sed qui zelo pietatis & amore Dei vltro incitati velint pugnare: qui stipendijs contenti, nulli iniuriam, aut damnum cupiant inferre. Tandem omnes Catholicos obnixè rogant, vt se, huiusque sanctissimi fœderis socios, pijs moribus, optima vita, & Sacramentorum vsu Diuinæ Maiestati commendent; assiduis precibus, solennibusque supplicationibus opem cælestem implorent, ne sacro huic proposito desit vnquam. testantur vicissim sese negotio non defuturos, arma non posituros, priusquam illa, pro quibus sumpta sunt, obtinuerint, aut pro gloria Dei & amore patriæ, omnes ad vltimum vsque Francum occubuerint, & in sepulcrum fuerint illati.

Vigesimo verò quinto Februarij operæ Principis Parmensis perfectæ, & pons naualis in Scaldi stratus magna hominum admiratione, & inaudito stratagemate est absolutus. cuius descriptionem ad insolitæ rei memoriam hîc subijcimus. In vtraque fluminis ripa, orientali seu Brabantica, & occidentali siue Flandrica, munitissimum erat ædificatum propugnaculum: illud munitio Ordammensis, hoc Calloensis à vicinis pagis dicebatur, erantque in hoc 12. in altero 15. maxima tormenta, quæ Quartones vocantur, ordine disposita. Ex vtraque munitione pons sublicius in Scaldin ad quadringentos aut quingentos pedes procurrebat, cuius extremæ trabes pedum erant quinquaginta. quod fluminis reliquum erat, altius erat, quàm vt vado trabes vllæ infigi possent. In extremitate vtri-

Pontis super Scaldin strati descriptio.

tc vtri-

te vtriusque sublicij pontis, alia munitio erat multis etiam tormentis armata. Inter vtranque hanc munitionem, in ipsa fluuij profunditate, 31. maiora nauigia, recta serie erant disposita: quorum puppes puppibus, & proræ proris catenis ferreis, & maximis rudentibus erant copulatæ, atque deuinctæ: fori verò asseribus latè constrati, per pontem sublicium, in vtranque munitionem commodissimum transitum præbebant. Singulæ naues in duabus anchoris, vna ex prora, altera ex puppi proiecta stabant, duoque singulæ maiora tormenta & 30 milites habebant. Ad defensionem verò nauium istarum, seu pontis istius naualis, ne ab hostili classe dissolueretur, ab vtraque parte, qua pons Antuerpiam, & qua mare respicit, aliud opus ex quingentis & vltra malis, qui haberi poterant maximis, concatenatis, compaginatisque, ex duodecim anchoris natabat, spatio inter hanc molem & pontem 1000 pedum intermedio, vt impetus aduenientis classis, antequam ad pontem veniret, hîc retardaretur. Totius verò pontis tam sublicij quàm naualis longitudo erat pedum mille nongentorum nonaginta octo, quo spatio propugnacula à se inuicem distabant. Ab vtroque verò vtriusque propugnaculi latere decem præsidiariæ naues, omni apparatu bellico instructæ stabant, ad omnem expeditionem paratæ. Habebat & Parmensis ab vtraque pontis parte, in vtraque fluminis ripa plures munitiones, nec pauciores hîc illic Antuerpienses & Hollandi habebant. 1585

Nouiomagēses Catholici Geusios expellūt.

Nouiomagum vrbs Geldriæ insignis, quam veteres Regnum aliquando, aliquando verò Basim Imperij appellant, vna est earum, quas olim Carolus Magnus sibi sedes elegit: inter enim Aquisgranum & Theonis villam hæc secunda dicebatur: à Mago potentissimo Gallorum rege primùm, vt creditur, ædificata & Magum appellata. deinde à Batone Cattorum regulo aucta & renouata, vnde Nouiomagum vocari cœpta; à cuius filio Hesso montem Hessium dictum esse, nonnulli contendunt. Sita est inter veterum Menapiorum fines, ad Rheni brachium occidentale, quod VVahala incolis nuncupatur: quo loco fluuius & latissimus est, & profundissimus. Vrbs hæc cùm iam Caluiniani iugi & impotentis Geusiorum dominatus esset pertæsa, de naturalis Principis sui clementia, & quomodo sese

1585 à tyrannide Auraicorum expedire posset, cogitare cœpit. Non ignorabat hoc irreptitius vrbis & prouinciæ Gubernator, Comes Nuenarius, qui eò profectus, omnem mouebat lapidem, vt præsidium, quod in vrbe erat 300. peditum & 200. equitum, nouis adductis copijs augeret. Tentauit id frustra secundò, & tertiò. cumque animaduerteret ciues maius præsidium non admissuros, aliam viam ingressus, cœpit nonnullos sibi suspectos relegare. id quod illi in tribus aut quatuor feliciter successit: iamq; multos alios in albũ relatos, viros Catholicos, & Regiæ Maiestatis causæ studiosos eijciendi opportunitatẽ captabat: quò pastore atq; Molossis sublatis, tutius in oues innocuas sæuire posset. Ciues contra & de Comite & de suis præsidiarijs expellendis cõsilium inierunt: opus sanè arduũ, & periculosum, propter frequentẽ aduersariorũ numerum aggressi. Quindecim huius consilij factique auctores longo æuo digni tantùm recensentur. quorum primus VVilhelmus Arenbergius, Dominus de Dornic & Resen. Cęteri verò ordine fuêre Ioãnes Groetfeltius, Theodorus VVijntgens, Ioannes Canisius, Ioannes VVees, Henricus Falkenburgius, Theodorus Drijl, Adamus Heteren, Franciscus Heterẽ, Bernardus Kerckhof, Reinerus Bongerts, Ioannes Dijc, Ioannes Draco, GosVVinus Vermaeu, & quidam Ioannes Sartor. Dictus dies est primus Martij secundùm stylum Calendarij antiquum, ipsumque diei crepusculũ matutinũ. sed cũ iam dies iste adesset, institutũ hoc (nescio quomodo) est impeditum. Vtebantur consilio cuiusdã veterani militis, qui clã regiũ militẽ aduocandum esse censebat: sine huius enim auxilio rem felicem euentum non habituram. Sed reiectum est illud consilium, eò quòd ciues strategematis ignaros, alacriores in regijs repellendis, quàm proprijs eijciendis, fore nonnulli existimabant: elapsus itaq; re infecta dies ille constitutus. Catholici tam ij, qui strategematis dicti sunt auctores, quàm omnes reliqui, quibus cõmunicârant initum consilium, (quippe quòd eorum omninò strenua opera egebant) in magno hærebant metu, nec immeritò: expectandus enim erat iam dies quintus, antequam ea ciuium signa excubarent, in quibus auctores huius facti erant, metuebantque plurimùm, ne consilium detegeretur. quod si detectum esset, de vita omnium Catholicorũ actum fuisset. Ieiunant quotidie, in orationibus assidui, per confessionis atque sa-

cræ Synaxeos ſacramenta Deo reconciliantur, pane ac 1585
cereuiſia vltimo die victitant. Conſtitutum tempus iterum aderat. decuriones de ſtationibus ſortiuntur: ſingulis, diuina profectò diſponente prouidentia, ea ſorte veniunt loca, quæ, ſi optio fuiſſet, ipſi Catholici ſponte elegiſſent. Hoc diuinæ voluntatis argumētum, mirum in modum Catholicorum animos corroborauit. Poſt gallicinium, dato ſigno, Catholici præſidiarios, qui in mœnibus erant, comprehenſos turribus includunt: armamentarium, & loca, in quibus nitratus puluis aſſeruabatur, occupant: forum paucis alijs erat demandatum. Ciues, audito tumultu, ad forum præcipites currunt, quibus à Catholicis interceptis perſuadetur, Præſidiarios proditionem moliri, ſociū militem aduocâſſe, vrbem diripere decreuiſſe; maiorē ciuium partem in armis eſſe, vt hanc violentiam comprimāt, ſeſe, vxores atque liberos, cum dulci patria tueantur. Proinde ſe quoq; protectoribus ſuis iungant, & ſceleratum militem exturbent. Ciues his verbis accenſi, communibus viribus in pedites primùm irruunt, eos cum aliquot ciuibus factioſis armis ſpoliant, vrbe eijciunt; inde & equites (de quibus minor erat, ob catenas trāſuerſas, quibus plateæ claudebantur, metus) expellunt. Tādem exauctorato Senatu Caluiniano, Catholicum Magiſtratum elegerunt. Omnibus peractis, hora iam pomeridiana ſecunda, ſumma erat in vrbe tranquillitas, altumque ſilentium: nec præter diuinas gratiarum actiones, atque ciuium inter ſe congratulationes, quicquam audiebatur.

Legatio Nouiomagenſiū ad Parmenſem.

Formata iam atque conſtituta Repub. ex toto Magiſtratu, Dominum Alardum Bemmelium Conſulem, Guilielmum Dornichium, Iacobum VVenium Scabinos, Theodoricum Haeps, & VVilhelmum Selle Tribunos plebis, Ioannem Hanium ſecretarium, ad Principem Parmenſem legârunt, vt conditionibus, quibus optimè poſſent, cum ipſo paciſcerentur. Vt autem legatio maioris eſſet auctoritatis, Altipennius regulus, Regiæ Maieſtati per omnia fideliſſimus, legatis ſeſe coniunxit.

Niēbeeck & Hacfortum à regijs occupātur.

Interea dum hæc Nouiomagi fiunt, Taxius pro præfectus Friſiæ Nienbeeck Veluvvæ caſtellū, & Hacfortum vltra Iſelam ad deditionem faciēdam compulit. Sed quia præſidiarij petulantiores erant, atque diutius oppugnationem ſuſtinuerant, nullis conditio-

1585 nibus in potestatem Taxij iam coacti venientes, qui in Hacfort reperti sunt, omnes occidebantur; vnico Centurionis secretario, intercessione cuiusdam Canonici, pecunia mulctato. eorum qui in Nienbeeck erant, quidam dimissi, quidam ex vicinis arboribus suspensi sunt.

Doesburgẽses, expulsis Geusijs, Parmensi sese dedunt.

Doesburgum, Comitatûs Zutphaniæ non ignobile oppidum, ad Orientalem Iselæ ripam situm, vbi quidam fossas Drusianas constituunt, oppidumque ad rei memoriam Drusoburgum appellare malunt, cùm prosperam Parmensis fortunam, nouis quotidie victorijs cumulari cerneret, Nouiomagensium exemplum imitatum, eiectis aduersarijs, 29. Martij, ad pacem cum Rege ineundam aspirauit, quam eodem cum Neomago tempore consecutum est.

Nuenarius Arnhemiũ præsidio munit.

Interea Nuenarius Arnhemij morabatur, solicitus quomodo introductis maioribus copijs, vrbem istam in fide sua retinere posset. nutabant enim ciues, & Nouiomagensium institutum ipsis perplacebat: quare & opportunitatem captabant, sese quoque præsidio exonerandi. Nuenarius clam ad portam milites in insidijs collocari noctu iubet, vt manè porta adaperta, irrumperent. Excubitore speculario, siue quòd corruptus esset à Comite, siue quod malè à ciuibus obseruaretur, signum dante, classicumque canente, manè dum portæ aperiuntur, ciues neglecta porta, vbi insidiæ erant dispositæ, ad aliam concurrunt: atque interea insidiatores impetu in excubitores facto, eos repellunt, vrbemque magno ciuium mœrore inuadunt. Nuenarius, re feliciter peracta, aduersarijs suis insultans, inquisitionem in Catholicos instituit, atque optimos quosque in exilium eiecit. atque ita Arnhemium, fortè ob præcedentes petulantias (vt multi interpretantur) tam leni gratia indignum, absoluto Nuenarij imperio est subiectum.

Bruxellenses sese Regi dedunt.

In Brabantia viciſſim cùm Bruxellensium peruicacia fame iam satis esset refrenata, certis tandem conditionibus vrbs in Parmensis potestatem venit. Omnia ciuibus sunt condonata: templa & Procerum quorundam ædes restaurarent: priuilegia omnia, ijs exceptis qui rebellionis occasionem dederant, reseruarent: Biennium Caluinianis, vt sua disponant, permanere concessum. E Regis sacello, Cardinalis item Granuellani,

uellani, & Comitis Mansfeltij ædibus ablata redderent: Vectigalia iam pridem imposita deinceps tolerarentur, donec ea quæ debebant soluissent. Antuerpiani & Mechlinienses ijsdem cōditionibus gauderent, si tempori ad clementiam Regis reuerterentur. Externus miles abiret, trium mensium spatio contra Regem arma non sumeret. Templius & alij tres chiliarchi sex mensibus à bello feriarentur. Præsidiarijs, qui sub duobus & triginta signis erant distributi, quatuor mensium stipendia annumerata esse, tunc fama erat. Quibus vtrinque transactis, & confirmatis, Richardotius Arthesij præses, vir magni consilij atque auctoritatis, & Gernerius Parmensi à secretis, in vrbem venerunt, & Rempub. reformârunt. 1585

Dum hæc Bruxellæ fiunt, maximus in Hispanijs nuptiarum fit apparatus. Dux enim Sabaudiæ filiā Regis Hispaniarum natu minorem ducturus, paulò ante cum magnificentissimo Allobrogum, Insubrium, & Genuensium comitatu Barzeloniam vrbem Cataloniç maritimam appulsus, secundo die Martij inde Saragosam profectus est. Deduxit illum Prorex Cataloniæ, vsque ad fines regni Arragoniæ. Omnibus in oppidis magnificentissima pompa, omnique ludorum genere, non aliter atque Rex ipse præsens adfuisset, exceptus est: hoc enim Regia Maiestas ministris suis demandârat. Sexto deinde Martij Heridam vrbem Arragoniæ intrauit: vbi Proregem regni istius obuium habebat. Octauo die Dux per Confessionis sacramentum Deo sese reconcilians, decimo, qui dies Sabbathi erat, summa cum pietate sacrosanctam Eucharistiam percepit, quod & Serenissima Domina Catharina eius sponsa eodem tempore fecit. Postridie Dux Saragosam venit, vbi Rex Hispaniarum Ducem in campo suburbano expectabat. Ingens circa Regem Principum, Nobilium, Aulicorum & ciuium erat exercitus, qui semicirculari figura Regem cingebant. ipse generoso insidens equo totum Ducis comitatum, sexcentos circiter equites, iussit suo in conspectu transire: donec Ducē appropinquantē videret. Dux eminus conspecto Rege ex equo desiliens, ad Regem pedes peruenit. Rex quoq; ex equo descendens, Illustrissimum Ducem ad se venientem, & flexis genibus procumbentem, humanissimè excepit, eleuauit, amplexus & deosculatus, alta voce interrogauit: quomodo Sua Celsitudo valeret? Post breue collo-

Nuptiæ Ducis Sabaudiæ cū filia Regis Hisp.

1585 quium omnes Principes Genuenses, & ipse Amudæus Regis manus deosculati sunt. Inde iterum equos ascendentes, in vrbem pariter proficiscebantur. Hispanię nobilitas nobilitati Sabaudicæ erat permixta, Regisque latus dextrum Dux ipse claudebat. Cumque ad pontem Ebron ventum esset, Serenissimæ Regis filiæ clam ex palatij fenestris illustrem hanc pompam intuebantur. Iuxta palatium Principes Hispaniæ aduenientem Ducem tubis, lituis, classicis, buccinis, omnique instrumētorum musicorum genere, exceperunt. Regia verò Maiestas eum ad hospitij locum deduxit. Cumque in atrium venissent omnes Hispaniæ Principes, Duci gratulabantur, & Sabaudi vicissim, atque inter eos primus Baro de Sphondrato, Regi manus ordine osculabantur. Postea cùm per duas horas in quodam cubiculo moram traxisset cum Duce Rex, in aulā deducti sunt: vbi nobilitas omnis erat congregata. Mox per aliam portam Princeps Hispaniarum, cum sorore vtraque ingressus est, cumque eleuatioribus locis consedissent, Cardinalis Granuellanus accessit, & præsentibus Cardinale Siuiliæ Nuntio Apostolico, Archiepiscopo Saragosano, & Legato Venetūm, ritus matrimoniales celebrauit. Quibus peractis, Regia Maiestas surgens cum omnibus Principibus totaque nobilitate, nouis nuptis multum felicitatis imprecata discessit: omnique ea die conuiuijs, ludis, choreis, omnique lætitiæ generi indultum, nec ante multam noctem discessum est. Sequenti die Regia Maiest. nouum Generum ad templum deduxit: Princeps & filiæ subsequebantur, eodem pariter modo vestiti. Sacrum R. Archiepiscopus celebrauit, sponsamq; de more Hispanorū velauit. Cūque Dux sponsam obuiā haberet, pudico vterq; rubore perfusus est. Sacro peracto, eodem quo venerant ordine ad aulam reuertuntur, & paulò post ad prandium accedunt. Rex priori loco sedens, sponsum iuxta sedentem, ille sponsam, sponsa sororem Isabellam proximam habebat. Peracto prandio, Rex Generum ad hospitium perduxit, vbi ad vesperem permanens, à Socero Rege iterum ad cœnam adductus est; qua sumpta, matrimonium ea nocte feliciter est consummatum.

Vigesimosecundo Martij præsidiarij Bruxellenses dimissi iuxta castra Principis Parmensis longo agmine tr[illegible]bant. qui in Stabroieck, alijsque locis stationes habe-

habebant, omnes armati excubabant, metuentes ne quam in partem castrorum impressionem facerent. sed regiorum arma metuêtes, temere periclitari noluerût. 1585

Iaponum Regũ Legati Romam veniunt.

Sub hoc tempus Regum Iaponiæ legati & consanguinei, ex vltimis terris Romam venerunt, vt Pontifici Romano obedientiam præstarent. Est autem Iaponia insula longa & lata in Oriente, vltra Sinarum populos, in gradu longitudinis 170. latitudinis verò 31. sita, veteribus ignota, à Paulo Veneto Chrise dicta, in varia regna distincta, & à Francisco Xauerio Societatis Iesu Theologo ad fidem Christianam nostra ætate adducta. Huius incolæ etsi Christianismum magna ex parte iam dudû amplexi essent, Reges tamen & Principes difficulter induci potuerunt, vt Christo crederêt: Anno tâdem 1580. omnes Christiani facti, tres eorum, Franciscus nimirùm Bungi Rex, Arimanorû Rex Protasius, & Bartholomæus Princeps Omuranorum, in Ianuario anno 1582. insignem legationem ad Pontificem Romanum miserunt. Bungi Rex Regis Fiungæ, sororisque suæ filium legare decreuerat: sed quia is absens erat, eius consobrino D. Mancio legationem dedit: Arimanorum Regis D. Michaël patruelis ipsius, & Omuranorum Principis idem eius ex fratre nepos legationem obiuit. Hi Principes cum Visitatore è Societate Iesu sacerdote, initio anni 1582. soluentes è Iaponia, primùm ad Sinarum portus, inde in Auream Chersonesum, & tandem in Indiam venerunt. Ex India nauigantes, Africæque sinuosa littora legentes, sub anni 1584 finem in Lusitaniam appulsi, atque ibidem à Rege & Principibus honestissimè excepti, tandê Romam incolumes venerunt. Vigesimo verò tertio die Martij, sub horis matutinis in aulam vbi Pontifex Gregorius eius nominis XIII. cum amplissimo Purpuratorû principum Senatu sedebat, summo omnium ordinum studio, & celeberrimo comitatu introducti Legati ambo, & alij quidam præcipuæ nobilitatis Iaponicæ, eorum socij, post solennem summi Pontificis venerationem, & beatorum pedum oscula, ab eodem eximia cum significatione beneuolentiæ charitatisque excepti, & præparatis, destinatisque locis sedere iussi, Principum suorum literas; ex Iaponico sermone in Latinum versas, de sinu depromptas, in Patrum consessu legendas obtulerunt. Mancius primùm Regis Bungi literas protulit, Adorando, & cæli Regis locum in terris obtinenti,

1585 nenti, magno & ſanctiſſimo Papę inſcriptas. quas ad inuſitatæ & ab Vrbe condita inauditæ rei memoriam, hîc ſubiungere voluimus: Summi (inquit Rex) Dei auxilio ſuppliciter implorato, magna cum humilitate ad Sanctitatem veſtram ſcribere aggredior. Dominus rector cæli terræque, cuius imperium ſuper ſolē, lunam & ſtellas, ignoranti mihi, & profundis immerſo tenebris, claritatis ſuæ lumen iuſſit ſplendeſcere, ac noſtratibus præcipuè populis reſerans arcam ſuæ miſericordiæ atque gemmarum, dignatus eſt ante annos amplius quatuor & triginta deſtinare in hæc Iaponis regna patres è Societate Ieſu; quorum è ſalutari ac diuina ſemente, nonnihil in meum quoque, Dei benignitate, cecidit pectus. Quod tam inſigne beneficium, aliaque multa, ô Sanctiſſime totius Chriſtiani populi parens, veſtræ potiſſimùm precationi meritisq; accepta equidem refero. Ac proinde, niſi me bella, ſenium, & affecta valetudo impedirent; conferrem ipſe me ad viſenda ac veneranda ſacratiſſima iſthęc loca. ac ſimul obedientiā exhibens; pedes V. Sanctitatis, poſt pia ipſorum oſcula, capiti meo ſuperimponerem, & ſanctiſſima veſtra manu pectus meum ſigno Crucis muniendū curarem. Sed quoniam ijs quas dixi cauſis impedior, ſororis meæ filium D. Hieronymum Regis Fiungæ filium cogitabam legare pro me. Verùm quando is in præſenti longè abeſt, & P. Viſitatoris inſtat profectio; D. Mancium, eius conſobrinum, eodem nomine mittere viſum eſt. à V. Sāctitate magni beneficij accipiam loco, ſi pro ea qua fungitur in terris Dei vice, meque & Chriſtianum hunc gregem, vti facit, fouere atque adiuuare perrexerit. Reliquiariam thecam, per eundem P. Viſitatorem à V. Sanctitate mihi dono trāſmiſſam, accepi libens, ac meo vertici venerabundus impoſui; atque ob id V. Sanctitati gratias ago habeoq; tantas, vt explicandis ijs nullæ neque linguæ neque ora ſufficiāt. Non ero longior: quippe tum de regni huiuſce rebus, tum de me ipſo coram ex P. Viſitatore, & ex D. Mancio plura cognoſcet Sanctitas V. quam ego verè & ex animo adorans, multo cum timore ac tremore haſce literas exaraui xj. die Ianuarij, anno poſt Domini aduentū M. D. LXXXII.

Būgi Regis literæ ad Pontificem Roman.

Inde Protaſij Regis literæ (quarum inſcriptio erat hæc: Reddatur epiſtola magno illi, & ſancto Domino quem adoro Dei vices gerentem) lectæ fuerunt, in hęc verba:

Regis Arimanorū literæ ad

verba: Cum Dei gratia demisse & humiliter hasce literas offero Sanctitati V. Ante hoc biennium, qui fuit annus ab aduētu Domini 1580. per Quadragesimam, quibus maximè diebus pretiosa passio Domini nostri Iesu Christi recolitur; in magnis belli tumultibus, magna mearum rerum, familiæque meæ perturbatione, denique in profundo Gentilium tenebrarū iacenti mihi, dignatus est pater misericordiarum, lucem veritatis, & rectum ad salutem iter ostendere per venerabilē Visitatorem, aliosque verbi Dei prædicatores è Societate Iesu, qui enixè me adiuuerunt, perque baptismi sacramentum, super me meosque diuinæ gratiæ rorem è cælo deuocârunt. Pro quo tali ac tanto beneficio mirè lætus, infinitas Regi cælorum ago gratias. Cumque Sanctitas Vestra Christianum gregem vniuersum moderetur & pascat; valde mihi fuit optatum, istuc venire, coramq; humi stratus magna cum submissione exhibere illi obedientiam; & post pedū oscula beatorū, eosmet meo capiti superimponere. Sed quoniam rebus varijs impedito id mihi non licet; mitto cum eodem P. Visitatore, patruelem meum D. Michaëlem, vti pro me hoc munere pietatis officijque fungatur. Ex eo ipso mea vota, & alia cognoscet V. Sanctitas: ac proinde non ero fusior. Quam ego ex animo sincero & humili venerabundus adoro. Die viij. Ianuarij, anno post Domini aduentum M. D. LXXXII. 1585 *Pontificem.*

Bartolomæus verò Omuranorum Princeps, qui primus inter Iapones fidem Christianā cum baptismo recepit, tāto animi feruore & studio, vt deiectis vbiq; Idolorum statuis, eiecta ex suis vrbibus superstitione, multis ob eam causam periculis aditis, toto ferè Principatu expulsus, non solùm à religione suscepta non discesserit, sed incredibili animi fortitudine ac præsentissimo Dei numine recuperata ditione, multò etiam quàm antea constantiùs in sententia perseuerârit. Is in inscriptione, sublatis manibus adorans, literas Sanctissimo Domino Papæ, magni Dei vices gerenti, has literas offert: Vereor ne crimen audaciæ subeam, attamen cum Regis cælorum gratia, rudem hanc epistolam offero Sanctitati V. Quæ cùm in terris locū obtineat Dei, ac simul ex ipsius doctrina & magisterio, Christianus populus pendeat vniuersus, æquum sane fuerat, memet maria transmittere, ipsumque ad V. Sanctitatem inuisendam venire, sacrosque eius pedes post *Principis Omuranorū literæ.*

1585 pia illorum oſcula ſuper meum caput imponere. Sed quo minus hoc fungar officio, multæ me hoc tempore prohibent cauſæ. Nuper ad hæc tam remota loca luſtranda P. Viſitator è Societate Ieſu contendit, multiſque rebus piè ac laudabiliter inſtitutis, iam nunc redit in patriam. qua ego tam præclara occaſione inuitatus, deeſſe nolui, quin fratris mei filiũ D. Michaëlem cum eo mitterem iſthuc, qui licet muneri tãto ſit impar, tamen gratiſſimum fuerit mihi, ſi eum V. Sanctitas ad beatorum pedum oſcula admiſerit. Interea V. Sanctitatem ſupplex oro, obteſtorque, vt mei memoriam cõſeruare, meque & Iaponios hoſce Chriſtianos fouere dignetur. Id vnum in votis eſt mihi. Reliqua ex P. Viſitatore, & ipſo D. Michaële coram cognoſcet Sanctitas V. quam ex animo adorans, cum timore ſcripſi. Die xxvij. Ianuarij, anno poſt Domini aduentum M. D. LXXXII.

Lectis his literis & ſilentio indicto, Regum & Legatorum nomine Gaſpar Cõſaluus Luſitanus inſignem habuit orationem: ad quam Antonius Buccapadulius, Summi Pontificis nomine, hoc modo reſpõdit: Sic me veſtræ orationi iubet reſpondere Sanctiſſimus Dominus noſter, iuuenes nobiliſſimi. Quòd Frãciſcus Bungi Rex, & Protaſius Arimanorum, Protaſijque patruus Bartholomæus Omuræ Princeps, ab Iaponiorum Inſulis remotiſſimis vos ſuos propinquos huc ad ſe miſerint, eius quam obtinet Dei benignitate poteſtatis coram venerandæ cauſa, piè illos ſapienterque feciſſe. Eſſe enim vnam fidem, vnã Eccleſiam Catholicam, vnũ huic ipſi Eccleſiæ præfectũ, Chriſtique gregis vniuerſi, hoc eſt Catholicorũ omnium, qui vbique terrarũ ſunt, Petri ſucceſſione paſtorem, Romanum Põtificem. Hoc illos vnà cum cæteris fidei orthodoxæ myſterijs agnoſcere & profiteri lætatur, immortaleſque agit gratias diuinæ bonitati Sanctiſſimus Dominus noſter, iudicatque hanc eſſe lætitiam veriſſimam à Dei gloriæ, atque animarũ ſalutis ſtudio profectam. Itaque libentiſſimè vnà cum his Venerabilibus fratribus ſuis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, hanc illorũ fidei, obedientiæ, deuotionis teſtificationem amplectitur. Optat atque orat, vt illorũ exẽplo, cæteri quoq; illarũ Inſularum, totiuſq; orbis Reges & Principes, omni idolorũ cultu atque errore abiecto, cognoſcant Deũ verum, & quẽ ille miſit Ieſum Chriſtũ. hæc eſt enim vita æterna.

Omnibus hoc modo peractis, conuentus Patrum dimissus est. Legati cùm Summum Pontificem in ædes interiores de more deduxissent, ab illustrissimo Cardinale S. Sixti, Summi Pontificis ex fratre nepote, amicitiæ & honoris causa conuiuio primùm excepti, deinde ad ipsius Pontificis priuatũ ac familiare colloquiũ intromissi, multa cum eo de itinere, ac de religione per interpretes contulerunt. Postea ad S. Petri Basilicam summa cum pietate profecti, sacra Apostolorum limina venerabundi salutârunt, & sub vesperam honorificè in hospitium reducti sunt. Ita Regnum Dei, quod ab Europæis aufertur, gentibus datur: ita gentes, quæ Ecclesiam non nouerunt, ab Oriente, & ab extremis terræ finibus ad Ecclesiam currunt: hanc Reges & Principes terræ, tantis itinerũ interuallis dissiti, proni venerantur & adorant. quam tantis cõuitijs scelerati nostri hæretici, quisquiliæ & fæces hominum, virulentis suis linguis proscindunt, sacrilegisque manibus conuellunt. 1585

Archithalassus Zelandiæ & Gubernator in Vvalcheren, insula Zelandicarũ vna, Guilielmus de Bloys Terlonius, qui cum Lumæo Comite anno 1552. Briela occupauit, hoc tempore in suspicionẽ proditionis veniens, ab Ordinibus cõpræhensus, & in vincula coniectus est. Cum Rege enim Hispano aurei Velleris ordinis torquem, & insignia pactus dicebatur, ea lege vt portus atque maritimas aliquot ciuitates Regi redderet. In Oceano itaque cum classe degẽs, ab Ordinibus sub specie concilij conuocandi Mittelburgum euocatur. quò cùm venisset, nihil sibi metuens, vnà cum septem classium Ducibus, & alijs tredecim Ordinũ ministris, Vlissingæque Præfecto captus est, & statim obiectum, quòd de industria non impediuerat operas à Parmensi in Scaldi iam perfectas. Terlonius hic ex diuturna maris deprædatione ingentes iam thesauros congesserat, ita vt nonnulli eum in numerata pecunia, plus quàm quinquies centena aureorum millia habuisse cùm caperetur, & non illius proditionem, sed Ordinum cupiditatem, qua in hos thesauros ferebantur, causam captiuitatis fuisse, audeant affirmare. *Terlonius capitur.*

Aprilis die quarto Antuerpiẽses pontem à Parmensi in flumine factum conuellere nisi, ingentem nauim in eum demiserunt. Erat hæc nauis tecto testudineato, fornicis in modũ, ex sarcophagis, lapidibus molaribus, *Stratagema Antuerpiensium.*

alijsque

1585 aliisque grandioribus saxis facta. in alueum verò nauis multa pulueris tormentarij vascula erant immissa, eisque fomentum igniarium additum tantæ longitudinis, quanta cōburi posset interea dum nauis in itinere esset: vt cùm iam ad pontē deuenisset, ignis ad puluerē proserpens eum incenderet. quod & factum est. Puluis enim ab igne incensus, vi flammæ inclusæ tectum nauis dilacerauit, & saxa ingentia omnem in partē ad dimidium & vltra milliare, tanto cum fragore disiecit, vt terram moueri, aut mundi machinam dissolui, hi qui in castris erant, existimarent. Multi qui in ponte erant, è saxorum ramentis perierunt, & pons ipse multis in locis est dissolutus. Interiêrunt hoc stratagemate Marchio de Rebaux, Dominus de Billy, cum aliis quindecim nobilibus & quinquaginta gregarijs militibus, quorum cadauera postea partim reperta, partim in profluentem aquā deturbata, & à fluctibus abrepta sunt. Horum obitum Parmensis ita luxit, vt in mortuis ostenderet, quantum eos viuos amauisset, & quanti eorum virtutem semper fecisset. Illucescēte die, pontem restaurari iussit Princeps, tanta cum diligētia, vt paucis horis, inspectante & admirante exercitu, totum opus iterum compaginatum, concatenatumq; fit.

Marchionis de Rebaux & Domini Billij mors.

Mottæus Ostendam occupat, & rursus eijcitur.

Eodem ferè tempore Mottæus Ostendæ oppidi Flandriæ maritimi bonam partem occupârat, eam scilicet quam veterem vrbem appellant: in ea templum excelsum est, è quo tela in omnes oppidi angulos torqueri possunt. Hæc vrbis pars cum nouo oppido ponte intermedio iungitur, cuius custodia Centurioni cuidam erat concredita; donec reliqua classis, quæ expectabatur, portum intraret. Sed Centurione illo cum suis prædæ intēto, stationem deserente, oppidani cum præsidiarijs ex improuiso regios adoriuntur, fundunt, fugant, & oppido eijciunt. Centurio captus à regijs ad Parmensem missus, & Mottæus victoria frustratus est.

Mors Gregorij XIII Pontificis Max.

Huic infortunio grauior Romæ iactura accessit. Decimo enim eiusdem mensis Aprilis die, Gregorius decimustertius, Papa verè Sanctissimus, post innumerabilia sua in Ecclesiam beneficia, cùm eam tredecim annos rexisset, in Domino placidè obdormiuit, & terrenum hoc exilium, cælesti patria, pro qua tam heroicè per omnem vitam pugnauerat, tandem commutauit. de cuius laudibus, etsi in anno 72. quædam diximus;

mus; tamen omnem eloquentiam eius encomio imparem esse, non inuiti confitemur. *1585*

Interea classis instructissima Hollandorum, Zelandorumq; Scaldis ostiũ intrauit, iactisque anchoris ad Lilloum propugnaculum stetit, opportunitatem perrumpendi operas regias, & commeatum Antuerpiam importandi frustra expectans. Ne tamen Hollandi nil agere viderentur, castellum quoddam nõ procul à Lilloo, quod à regijs tenebatur, totis viribus aggressi, tanto cum impetu oppugnârunt, vt 23. Aprilis regij, cùm nec intus tueri, nec foris auxilia, nisi cum summo periculo submitti possent, relicto castello, in tutum sese recipere cogerentur. *Classis Hollandica.*

Exequijs Pontificis peractis, post quatuordecim dierum interregnũ, quibus Sedes vacauit, indictis Purpuratorum Patrum, ad quos electio pertinet, comitijs, tandem vigesimoquarto Aprilis, communibus Cardinalium votis, ad Apostolatûs apicem euectus est Dominus Cardinalis de Monte alto, Ordinis D. Francisci, F. Felix Perenettus antea dictus; qui cùm electus esset, Sixti IIII. vltimi sui Ordinis Pontificis nomen assumpsit, & Sixtus quintus appellari voluit, Pontifex in ordine 235. Natus est in exiguo pago, nomine Altomonte, in Marchionatu Anconatensi, parentibus tenuioris fortunæ, sed honestis, colonis. Puer studijs à parentibus traditus, tantum & virtute & eruditione profecit, vt à Pio V ex ordine Seraphico S. Francisci euocatus, factus sit Cardinalis, & hoc anno, diuina absque dubio prouidentia, ex tot magnatum atque nobilium Collegio, natus iam 65. annos, Pontifex creatus. Robusto est corpore, & statura mediocri: omni verò genere eruditionis, disciplinarum atque virtutum ornatissimus; à quo non minora, quàm præcedentiũ Pontificum fuerunt, in Ecclesia beneficia expectantur. *Sixtus V. Pontifex Max. creatur.*

Eodem mẽse, Aprili Legatis Belgicis ex Francia redeuntibus, nuntiatum est Regem Galliarum auxilia Belgis negare, nec integrum ipsi esse modò prouincias Belgicas in suam tutelam accipere. Ea tunc vbique fama erat, licèt Ordines responsum celarent, quantum potuerunt. Quod & eo verisimilius erat, quia Guisius & confœderati Galliæ Principes, vndique equites & pedites colligebant: Comes V vestenburgius duas legiones peditum, Betsteinius 1500. equites conscribebat. Otto Plato & Caspar Schonbergius totidem equites; *Legati Belgici ex Francia reuersi.*

Ernestus

1585 Ernestus verò Mandeloius, & Antonius Salmensis, tria equitum millia in vsum Principum istorum cogere dicebantur. Rex itaque Galliæ, re dubiè domi constituta, consultò externa bella detrectauit.

In Velua pugnatur. Schenkius & Benthemius Stralensis oppidi præfectus, è Batauia in Veluam traijcientes, cum copijs suis in Arnhemiensium conspectum venerunt: qui erumpentes cum hostibus prælium inierunt. fortiter vtrinque dimicatum est. Arnhemienses passim cadebant, ex regijs quoque multi desiderati sunt. Schenkius ipse grauiter sauciatus, & curru Neomagum deductus: pugna ipsa, victoria dubia, & in diuersam partem nutante, tandem dirempta est. Quo tempore Erpraet castrum in Diœcesi Coloniensi nuper à Truchsesianis occupatum, Bauaro deditione reddebatur.

Legatio Belgica in Angliam. Belgæ cùm spe auxilij Gallici nunc excidissent, ad Angliæ Reginam legationes mittunt, eius opem implorantes, omnesque prouincias ei offerētes, quæ quid responsi datura sit, adhuc ignoratur. Taxius, regij apud Frisios exercitus Vicarius, cum parte sui exercitûs in diœcesin Vltraiectēsem irruit, & in pago Emenessensi consedit, ad vicinos pagos mittens, qui tributum exigerent: cumque Diœcesani passim venirent, & tributi indictionem acciperent, Goilandi sese armantes venire noluerunt. quare Taxius exercitū in sex illorum pagos ducens, rusticos multos occidit, plures cepit, & cum ingenti præda captos abegit.

Initio Maij Antuerpienses arcem illam naualem, quam Finem belli appellabant, in conspectum propugnaculi Ordammensis, quod regij tuebantur, miserūt: cumque eò iam appulsa esset, aquæ penuria vado immota consedit, multosque dies eodem loco, nequicquam repetentibus illam Antuerpianis, perstitit: donec, vt infra dicetur, à regijs capta, & in castra deducta est.

Holachius cū cæteris Hollandis cæduntur. Septimo die mensis eiusdem, Comes Holachius & Isselsteinius cum triginta nauibus, quæ lectissimam militum manum, & multos fossores vehebant, ad aggerem Couvvensteinium appulsi sunt. Erat autem eis statutum aggerem istum perforare, vt nauigia minora iuxta Lilloum, per stagnantes agros, & hunc aggerem Antuerpiam, ponte & operibus Parmensis despectis, aut remulco trahere, aut remis impellere possent. quod ipsis factu difficile non fuisset, si aggere po-

tiri

titi potuisset. Expositis itaque ante auroram in terram 1585 militibus, & iam fodere incipientibus, Hispani superuenerunt, & manum cum hoste conserentes, trecentos trucidârunt, quadraginta comprædenderunt, & maioribus tormentis aliquot naues depresserunt. Quam iniquam belli fortunā cùm Holachius & Iselsteinius viderent, scapha elapsi, ad suos reuersi sunt.

Nouesium à Nuenario occupatur.

Nuenarius aliquot signa peditum, equitumque turmas è Geldriæ oppidis, & Berka, sub id tempus euocauit, ad Nouesium per insidias occupandum. Est autem Nouesium insigne Diœceseos Coloniensis oppidum, non quidē in ipsa Rheni ripa, sed intermedijs aliquot pratis inter oppidum & fluuium positum: reliquijs S. Quirini, & longa Caroli Audacis obsidione nobile, multisque immunitatibus & priuilegijs ab Imperatoribus donatū. Archiepiscopus, quia hostes plurimùm huic oppido insidiabantur, iam pridem præsidiū Magistratui obtulerat, sed is suis viribus, oppidique fortitudine fretus, illud repudiabat. Præterea partem muri iuxta Rhenensem portam ciues Senatûs imperio erant demoliti, vt vallum nouum ædificarēt. sed & ciuium excubiæ minus erant frequentes, negligentioresque quàm esse solent. Non latuit hoc Nuenariū, quare copias suas Nouesium ducens, 10. Maij intempesta nocte partem illarum per riuulum, quo mola voluitur, tranare, & sub ipsis mœnibus tacitè ad monasterium vsque, cui mons Mariæ nomē est, adrepere iussit. Quibus hoc mandatum erat, admota scala quendam, vt aiunt, muros ascendere, & quid in vrbe ageretur explorare præcipiunt. Is tractum illum obambulans, neminem inuenit: eratque altum in oppido silentium. dato igitur signo, socios vocat. qui plurimis admotis scalis, muros superant, & in oppidum præcipites sese demittunt, portam confestim, martulis malleolisque feris disiectis, aperientes. Nuenarius cum equitatu in suburbio portam obseruabat. Audito verò signo, & viam sibi videns patefactam, celerrimo cursu in vrbem aduolauit. Ciues equorum hinnitu atque strepitu hostiumque clamore excitati, arma quæque obuia rapiētes, seminudos hostibus sese obijciebant. Equites ad portā Honoris properantes, à collectis ciuibus, qui ex curribus vallum obiecerant, impediti forum occupârunt. Ciues diuersis locis extra ordinem pugnabant, quorū 14. circiter occiduntur, inter quos præcipui fuerunt,

1585 Consul Stalius, Arnoldus Fratius, Henricus Schirmer scholæ moderator, Melchior in Milēdonck, & Hospes in Dulken. alij multi è mœnibus sese demittentes, perque fossas natantes euadunt. hostes vrbe potiūtur. Res verò proditionis suspicione minimè carebat. Dispositis excubijs, manè iam facto in ciuium ædes ruunt, ciues capiunt, pretiosa quæque diripiunt, & in vtriusque sexûs homines, nullo discrimine, inaudita truculentia desæuiunt. Præter aurum & argentū signatum & non signatum, factum atque infectū, præter omnem supellectilem, annonam, & mercimonia, quæ hostis rapuit, insuper ciues suum, vxorū & liberorum suorū corpora, intolerabili lytro redimere, armaque omnia penes hostes ipsos deponere, debuerunt. Nec id satis erat, sed singulis penè septimanis præsidia mutârunt; vt prioribus præda iam onustis abeūtibus, noua succederent, quæ magis magisque ciues depilarent. Opulentissima, & penè incredibilis erat præda, quam in hac vrbe Nuenarij milites inuenêre. omnes enim rusticorum opes, omnium nobilium & monasteriorum thesauri, cimelia atque ornamēta, immò quorundam ciuium Coloniensium diuitiæ, hîc erant apud amicos deposita, ꝙ nulli tutiori loco quàm Nouesio hæc cōcredebant. Ex solo monasterio Canonicorum Regularium, præter annonæ magnam copiam, præter ornamenta pretiosissima, præter argentea vasa plurima, etiam 19. calices argenteos, atque deauratos rapuêre. Erat hoc monasterium à primis fundatoribus in agro suburbano quondam ædificatum, & ano 1583. initio tumultûs Truchsesiani, ab ipsis Nouesianis, ne quid ex eo ciuitas caperet detrimenti, dirutum: vt etiam campos suburbanos defenderent miseri, qui ne pometia, ne mœnia, immò ne forum ipsum defenderunt.

Antiquitas monasterij Canonicorū Regularium in suburbio Nouesiano.

Quia verò in huius monasterij mentionem incidimus, eius antiquitatem ex annalibus libet hîc recensere. Cùm pagani Vbij has terras habitarent, hoc loco Libero patri sacellum extruxerāt, quod succedente Christianismo, in honorem D. Mariæ Magdalenæ, anno 690. sub Adelvvino, Archiepiscopo Colon. est consecratum. Anno deinceps 881. Nortmannorum Reges Godefridus & Sigefridus Agrippinam, Bonnam, Tulpiacum, Nouesiumque igne depopulantes, etiā sacellū hoc in fauillas redegerunt. Postea Nouesio reædificato, & sacellum hoc restauratur institutumq; ibidē est à Sigevvino Archiepiscopo sacerdotū

Regino Abbas Chron. lib. 2.

& cle-

& clericorũ Collegium. Ad Collegium hoc quidam 1585
viri pietate & religiõe insignes, è metropolitano Collegio Coloniensi, approbante hoc Reinaldo Archiep. commigrârunt. Philippus verò, Reinaldi successor institutum horum Collegarum confirmauit, voluitque quindecim hîc fore sub vno Præposito Canonicos. Factus itaque est anno 1161. primus Præpositus Sigevvinus, sub quo, & sub eius successoribus, multi Comites in hoc Collegio Domino Deo strenuè militârunt: donec anno 1393. R. D. Petrus de domo Teutonica, Præpositus, Collegium hoc reformauit, & successorem Ioannem de Puteo constituit. quæ reformatio postea à Frederico Achiepiscopo Colon. in oppido Zontino confirmata est. Cuius tandem tempore, anno scilicet 1430. Capitulum hoc Nouesiense, Capitulo Vvindesemensi, Brilis Hollandorum congregato, est vnitum: eique datũ, vt in ordine esset à Vvindesemẽsi monasterio primum. tunc habitum Canonicorũ Regularium collegæ suscipientes, anno post quarto Egidium Bocherolium Remmersvvalensem primum suũ Priorem, in Concilio Basiliensi postulârunt. qua in disciplina ad annũ 1583. quo tempore (vt diximus) monasterium dirutum est, vixerunt. Porrò cùm eodem penè tempore Abbatia Tuitiensis quoque incensa igneque depopulata esset, Abbas, vt eiusdẽ instituti Canonicorum Regularium in vrbe Coloniensi monasterium, quod à Corpore Dominico nomen habet, Canonicis submotis, aut ad suum Ordinẽ suscipiendum compulsis, occupare posset, plurimum apud monachos & Magistratum, deinde apud Archiepiscopum, & tandem in curia Romana laborauit. Marcellus verò Lentius Prior Generalis Capituli Vvindesemensis, ne hoc modo vtrumque monasterium, & Nouesianum & Coloniense amitteret, volens vtrunque cõseruare, institit apud suos, vt Nouesiani Coloniam cõmigrarent, eidemque monasterio iungerentur. in quam tandem Vnionem vtriusque cœnobij Religiosi 16. Maij præsentis anni consensêre, communibusque votis postridie Priorem R. D. Vvernerum Titianum in Nouesiano monasterio professum, sed ob singulares animi dotes in superiori Alsatia prope Colmariam monasterio Marbacensi præfectum, elegerunt. Hæc ideo latius referri volui, quòd ex his monasterijs ita combinatis, magnum in Christiana Repub. fructũ expecta-

1585 mus, ob seminarium vtriusque sumptibus, pacatis rebus, ibidem erigendum: tum etiam, quia hæc historia faciat ad oppidi Nouesiani, in cuius infortunio narrando versabamur, antiquitatem.

Ernestus Archiepiscopus Colon. fit Episcopus Monasteriensis.

Illustrissimi Guilielmi Cliuiæ, Iuliæ, ac Montium Ducis filius, Ioãnes, Episcopus vel administrator Diœceseos Monasteriensis, ducturus vxorem, Episcopatui renuntiauit. Henricus Lovvenburgius Bremensis Episcopus successionem ambiuerat: sed is paulò ante è viuis emigrârat. quare Canonici in diem 18 Maij omnes, ad quos ius nouum Episcopum eligendi pertinet, euocârunt, qui inuocato Spiritûs sancti numine, eodem illo die, Bauariæ Ducem Ernestum, Archiepiscopum Coloniensem, elegerunt.

Verdugij in Trãsiselania victoriæ.

Verdugius Frisiæ præfectus, cùm paulò ante Rha, Rechteren, & Rutenbeec in Transiselania occupâsset, duo maiora tormenta ad arcem Sculenburgensem, loco & arte munitam, attrahi iubet: sed præsidiarij trepidantes, deditionem fecerunt. Dum in hac expeditione esset Verdugius, Caninefates, nunc Vvaterlandi dicti, & Frisij, aliã arcẽ inter Steenvvichiũ & Kuinerã sitã, (Slikenburgũ ab incolis vocatur) oppugnãt. Regij, qui in ea erant, hostium vim & castri imbecillitatem ponderantes, oppugnatoribus sese vnà cum castro dediderunt. Erat hic locus regijs peropportunus, ad tributũ Septemsyluis imperatum statis temporibus cogendũ.

Cùm Holachius cum suis Hollandis Principẽ Parmensem castris exuere non posset, conducta est duorũ proditorum flagitiosissimorum hominum opera, qui Parmensem ex inopinato in proprijs castris interficerent. Qui cùm in castra venissent, & ex suspicione obseruarentur, tandem institutum eorum detectum est, ipsi in vincula coniecti, debitas pœnas daturi.

Galli de pace inter se agunt.

Sub hoc in Gallia Regina mater, Archiepiscopus Lugdunensis, Dominus Lansaccius, & Mæleius Regis Medicus, Catalaunij, Serreidæ, alijsque in locis de pace inter Borbonios Guisianos, aliosque principes Catholicos, & ipsum Regem continuanda laborauerũt. Guisiani iam in armis erant, & copiosum in cãpis exercitum habebant: aliquot ciuitates, vti Verdunum, Tullum, &c. suis præsidijs muniri, & bellum in Hugonottas mouendum postulare dicebantur. Rex inermis adhuc Lutetiæ agebat, ciues autem & incolæ publicè Guisianis fauebant: Regi omnem opem contra Guisiũ, quem

quem toti regno fidelem & vtilem esse dicebant, denegantes: immò portas sese illi, quoties id Dux peteret, aperturos palam asseuerabant. Rex etiam Nauarræ atque Condæus Rupellæ latitabant, nullam in armis cōtra tam ingens Catholicorum fœdus spem ponentes. 1585

Rex Hispaniarum Philippus aurei Velleris Ordinē à Philippo Burgundiorum Duce anno 1429. institutū, & iam diuturnis bellis, sublatis penè omnibus eius Ordinis Principibus, collapsum, volens renouare, D. Ascenuillium arcani consilij sui consiliarium iampridem in Germaniam miserat, vt inuictissimo Romanorum Imperatori Rudolpho, eiusque patruo, fratrique Ernesto Archiducibus, & Guilielmo Duci Boiorum id Vellus conferret, Ordinique isti celeberrimo asscriberet. Id tandem Ascensionis Dominicæ festo maxima cum solennitate peractum est.

Imperatori & alijs Germanis principibus aureum Vellus confertur.

Martinus Schenkius, quum iam annis aliquot Hispaniarum Regi militâsset, multaque certè fortissimo milite digna gessisset, clam cum Comite Nuenario, & eiusdem Regis hostibus fœdus init, castrumque suum Blienbecanum eidem Nuenario 22. Maij tradit. Causa huius defectionis varia à varijs datur: verissima tamen hæc esse putatur, quòd indignè ferebat suam, quam maximè prædicabat, operam à Rege non satis compensari. Petierat enim iam antè à Parmensi vrbium & prouinciarum gubernacula; sed quia fortè Parmensis eius fidelitati non satis confideret, (etsi enim Regi Catholico militaret, eum tamen Catholicè non viuere omnibus erat cognitum) seu quòd alij digniores essent, obtinere quæ voluit, nō potuit. Mirum sanè est, eum hoc tempore, quo Rex maiorem iam hostium partem deuicerat, tam diuitem & opulentum Principē, exulanti Comite permutâsse. Primum fidelitatis suæ testimonium Nuenario exhibuit, in detegendis nonnullis, qui in oppido Venlonensi tunc, cùm adhuc regias partes ipse sequebatur, clam secum egerant de oppidi deditione: profectus igitur cum Nuenario Venlonem, hos in vincula coniecit. Secundum testimonium præstitit in eo, quòd proditionē in vrbe Neomagēsi moliebatur. erant enim in visceribus eius Reipub. relicti Caluiniani aliquot, quibus nihil optabilius erat, quàm patriam suam suis hominibus iterum prodere. Sed paulò post proditione detecta, auctores capti sunt, & Schenkij studium elusum.

Schenck à Rege ad Nuenarium deficit.

Neomagū proditione tentatur.

1585 Eodem die 22. Antuerpienses nouo stratagemate pontem in Scaldi cōstructum perrumpere conati sunt. Eum in vsum sedecim naues compaginârant, & proras maximis ferris, forcipibus, rostris, dentatisque ferramentis, ad confringendas catenas, rudentesque, & soluendam trabeam molem ponti præstructam, peridoneis armârant. Has refluxu maris & vento secundo in operas præmiserunt, tanto cum impetu, vt moles ista, catenæ, rudentesque ruptæ sint atque disiectæ. quo tamen in opere vis aduenientium illarum nauium, ita fracta est, vt illæ nullo impetu ad pontem natantes, statim à regijs sint interceptę. Has naues alia nauigia quatuor maiora subsequebantur, quorum alueis multa pulueris nitrati vasa arctissimè erant inclusa: fori verò, pergulæ, tabulata, & acroteria pice & resina illita, flammam ingentem & fumum excitabant. His ferentarij & nautæ aliquot, qui ad hoc operam suam Parmensi elocârant, attractis nauiculis occurrunt: vnumque arripientes in conspectu propugnaculi, quod à rusticis nomen habebat, alligata anchora sistunt. quod paulò post, cùm puluis ab apposito fomento ignem concepisset, non sine magna Antuerpiensium clade dissilijt. tria verò reliqua accenso puluere magno fragore, damno nullo illato, crepuerunt. Post hæc duo alia maiora sequebantur, quæ magno cum impetu in pontem ferebantur. quod cùm vidissent regij, naues aliquot, quibus pons imminebat, præcisis anchoris, subducunt, viamque nauigijs faciunt. cùm verò transissent, fomento ad puluerem iam combusto, vnum illorum incensum, in minutissimas quoque partes, nullo regijs illato damno crepans disiectum est. aliud verò regij insecuti capiunt, & ascendentes fomentum quærunt, inueniuntque ignem iam penè ad puluerem peruenisse. quare subtracto fomento nauem in castra remulco trahunt, & tabulatis disiectis centum circiter vasa pulueris tormentarij, & ingentem saxorum impositorū aceruum inuenerunt. atque hoc modo ingeniosè illud excogitatum stratagema, nullo cum Antuerpiensium fructu, hostium verò suorū summa cum vtilitate dissipatum est. Hollandorum Zelandorumque classis in ostio Scaldis, pontis disturbationē expectabat. Sed cùm hoc stratagemate nil effectum esse cognouissent, in tutum velificabatur. Regij verò catenas, rudentes, & molem trabeam confestim reparant, reductisq; in ordinē

Insignis Antuerpiensiū stratagematis descriptio.

nauibus, pontem iterum magna celeritate claudunt. 1585
Quo tempore de quodam Centurione Italo sumptum est supplicium, eo quòd propugnaculum, vulgò Lieftenshoeck dictum, hosti nulla necessitate coactus dedidisset. Sunt qui scribunt 24. Maij regios iterum aliquot naues tormentario puluere oneratas intercepisse. Postridie verò Hollandus quidam miles in castra Regis venit, se à suis ad mortem quæri dicens, & vitam ab hoste deprecans. Qui cùm examinaretur, fingebat se Comitem Holachium, ob prædam iniustè sibi ereptam, ea nocte interfecisse. In custodia igitur asseruatur, & cùm postridie Holachium adhuc viuere cognitum esset, impostor ille suspensus est.

Supplicium de Italo centurione sumitur.

Temerarium factum.

Vigesimussextus huius mensis dies Antuerpiensibus fatalis erat. Cùm enim sub vesperem diei præcedentis 12 naues in pontem misissent, sperātes eum impetu istarum nauium perfringi, aut dissolui posse: nocte circa horam tertiam aliam classem in aggerē Couvvensteinium impellunt. idem ab alia parte fecerunt Hollandi, qui sub Lilloum in anchoris stabant. Primùm enim incensas aliquot naues, æstu maris secundo, in operas Parmensis immittentes, mox cum centū circiter nauibus, veterano milite plenis aggerem adoriuntur. tantam verò telorum globorumque copiam, tantum glandium imbrem, ex istis nauibus in vtrunque aggeris latus eiaculati sunt, vt regij in plano atque aperto aggere sese tueri amplius non possent: sed multis è suis desideratis stationes deserere, & ad tutiora se recipere loca cogerentur. Interea hostes appulsis nauibus in terram descendunt, & cùm multos saccos terra, lana, alijsque materijs plenos aduexissent, incredibili celeritate gerras, aliaque sepimenta castrensia tumultuario opere extruxerunt, vt iam collo tenus vallis & propugnaculis munirentur. Nauium deinde ope magis magisque progressi, plus quàm dimidium aggerem occupârunt, quem vndecim in locis perforare cœperunt. Stationes suas defendebant sex horas continuas, quibus ipsi victores regiorum fortissimos quosque milites & præfectos strauerunt. Tantam enim globorum vim, tantamque copiam in regios immiserunt, vt propugnaculis eorū cōuulsis, etiam tormenta ferè omnia lacerarint, inutiliaque reddiderint. Cùm iam regiorū res penè deplorata esset, Princepsque ipse vmbilico tenus in aquis stricto gladio milites suos in hostē coge-

Antuerpienses & Hollandi insigni clade cæduntur.

1585 ret, Hiſpanus quidā Petrus de Padilia, ex legione, quæ ſub Petro de Paz militârat, cum octo ſocijs reſumpto ſpiritu in hoſtem primam iterum impreſſionem fecit, qui pugnando occumbens, ab hoſte dextera manu mutilatur. Aldegundus verò & Holachius, qui pugnæ interfuerant, in ſcapham deſilientes, manum hanc in victoriæ teſtimonium Antuerpiam aduexerunt. Interea regij collectis viribus omni conatu in hoſtium munitionem, quam Antuerpienſes extruebant, irruerunt, & tria tormenta, quæ adhuc integra erant, in ea direxerũt. Erat initio denſiſſima nebula, quæ paulatim diſſipabatur, ita vt tormentorum magiſter eminùs caſtra hoſtium videre, & certius in ea collimare poſſet. Bis regij munitionem hanc oppugnant, bis reiecti fuêre: tertiò tandem ſumma contentione pugnantes, vallũ ſuperârunt; & quidquid in munitione repertum eſt, id interfectum fuit. reliqui ad naues properantes, partim occiſi, partim capti, partim etiam ſubmerſi ſunt. Inſignis in hoc prælio Germanorum virtus enituit, de quorum viribus iam penè deſparabant omnes. Qui in nauibus erant, cedere nolentes, tam diu pugnârunt, vt tandem æſtu recedente, naues aqua deſtitutæ, è vadis emergere non potuerint. Captis itaque triginta tribus nauibus, ingens hoſtiũ ſtrages edita eſt, ingensqúe tormentorum, apparatusqúe bellici copia intercepta. Multa quoque in nauibus cadauera inuenerunt, eorum qui ex aggere maioribus tormentis erant interfecti. Ex captiuis intellexerunt regij, 2000. Antuerpienſium pugnando occubuiſſe; multos etiam ſubmerſos eſſe: vnam nauim, quæ ditiſſimorum mercatorum filios vehebat, inter alias captam, defenſoribus omnibus occiſis. Ex Hollandis quoque & Zelandis non pauci ceciderunt, inter quos Dominus de Haultam Zelandiæ Gubernator; duo Scotorum atque Anglorum Chiliarchæ; quatuordecim alij Centuriones, & vigintinouem ex nobili proſapia numerantur. Ex regijs quadringenti circiter, aut, vt alij, trecenti deſiderati ſunt, Itali, atq; Hiſpani: inter quos egregij belli duces, & militum præfecti, qui ex Hollandorum nauibus plerique læſi atq; ſtrati fuerunt. Dum enim Antuerpienſes in ipſo aggere aduerſis frontibus pugnabant, Hollandi, qui ſe in nauibus continebant, regiorum latera maioribus tormentis impetebant. atque ita à tertia hora nocturna ad ſecundam circiter pomeridianã pugnatum eſt. Caluinlani

Cæſorum numerus.

1585

niani petulantiores hac victoria facti, Catholicis dira minabantur: quidam eos in fluuium proijciendos, alij suspendēdos, alij iugulandos, quidam vrbe eijciendos esse suadebant. Interea Holachius in vrbe magnificentissimo conuiuio excipitur, & à Caluinianis pretiosissimis donarijs oneratur: aderant conuiuanti Holachio multæ virgines, &, vt quidam captiui postea retulerūt, easdem virgines omnes in sequentem diem inuitauit; dicens, se pinguem ex Hollandia vitulum aduexisse, eum se mactaturum. Cumque vna ingemiscens de sequentis diei lætitia se dubitare diceret, ecce repente fama allata est, Regios victoriam consecutos, omnes Antuerpienses occidisse, nauesque eorum aut cepisse, aut depressisse. Vrbs repentè in tumultum versa est. Holachius sibi metuens, relicto conuiuio, tumultuantium ciuium manibus elabitur. Parmensis Princeps in propugnaculum Comitis Mansfeltij post pugnam profectus, in sacello quod ibidem est, Domino Deo gratias egit, & sub vesperem bis omnia tormenta, quæ in castris erant, exonerauit : picea vasa incendi fecit, aliaque multa lætitiæ signa exhibuit. Postea in Beueren reuersus pius Princeps, ex equo descendēs, statim templum adijt, ibique Canticum Ambrosij & Augustini in gratiarum actionem Deo summa cum attentione decantari iussit.

Vigesimoseptimo Maij aliæ naues onerariæ commeatu plenæ, ad propugnaculum Lilloense appulsæ sunt. Putabant enim Hollandi & Zelandi victoriam penes suos esse, & nauigationem iam ampliùs non fore impeditam. sed cùm sese elusos intellexissent, ibidem substiterunt. Postridie, qui dies erat Dominicus, Carolus Comes Arenbergius, Comes Mansfeltius, & alij nobiles, gregarijque milites, postquam relatum esset Antuerpienses cum tribus triremibus, & alio maiori optimeque instructo nauigio in procinctu esse, & arcem illam natatilem, quam Finem belli appellant, exonerare decreuisse, quò sic è vado enatantem Antuerpiam reducere possent: cum aliquot nauibus hostibus obuiam profecti, commisso prælio magnum illud nauigium, & duas triremes superârunt, occisisque & captis qui in ijs erant, naues has, vnà cum arce ista lignea in castra adduxerunt. Cæterùm miles quidam malè custodito fomento suo igniario, puluerem tormentarium incendit, quo incendio Comiti Mansfel-

Fin de la guerra capitur.

1585 tio veſtes cum facie ambuſtæ ſunt, corpore alioquin illæſo. quod infortunium niſi ex improuiſo accidiſſet, nauim etiam prætoriam Antuerpienſium, quæ interea euaſit, intercepiſſent.

Holachij petulantia. Vltimo Maij Comes Holachius, cui Mars ventoſa in lingua (vt ille ait) potiùs quàm in dextera eſt, Comiti Mansfeltio acipenſerem piſcem, quem alij ſturionem vocant, ſecundò miſit, (nam idem 12. Maij fecerat) eique contumelioſè nuntiari iubet, ſe hunc illi piſcem donare. petere eum coquat, ſe ad prandium venturum. Mansfeltius piſcem quidem accepit, dantique renuntiat, vt citò veniat, priuſquam cibus iam coctus refrigeſcat. ſed & priuſquam vinum in aqua poſitum caleſiat. ſe Holachij aduentum expectaturum, atque illi, cùm venerit, ſi ferculum vigeſimiſexti diei non fuerit ſufficiens, melius appoſiturum.

Galli de pace inter ſe agunt. Sub hoc in Gallia Principes Catholici cum Rege, intercedente Regina matre, de conditionibus pacis agunt, quo in negotio Rex Archiepiſcopo Lugdunenſi viro diſertiſſimo potiſſimùm vtebatur. Interea dum Principes Regis reſponſum expectant, Dux D'Aumalius (qui 6000. Picardorum in caſtris, ad vſum Catholicorum habebat) ad vrbem Remenſem 3. Iunij excurrit, & ſub veſperem in caſtra reuerſus eſt. Nec alij confœderati interea feriabantur, ſed omni diligentia, quæ ad bellum gerendum erant neceſſaria, colligebant, comportabántque. Interea Guiſius Tullum, atque Verdunum occupauit, impoſitiſque præſidijs muniuit. quod & Rex in Mediomatricum vrbe fecit, in qua Hugonottę animos iam erigere, & altos ſpiritus ſumere videbantur.

Guiſius Tullum & Verdunum occupat.

Altipennius propugnacula quædam ad Grauienſe oppidum coarctandum erexerat. Quare Schenkius cum copijs ſuis eò conuolat, vt Altipennium caſtris exutum cæderet, aut ſaltem ita obſideret, ne quid commeatûs illi poſſet aduehi. Sed regij diuerſis locis euocati, Schenkium circundatum intercipere geſtientes, alacriter eò contendebant. Schenkius verò de eius aduentu certior factus, obſidionem ſoluit, elapſusque Arnhemium peruenit. Regij verò ducibus Verdugio atque Taxio, propugnaculum in Capite Montenſi, ſuperioris Batauiæ loco conſtructum, oppugnagunt.

Vndecimo die Iunij Comes Holachius è propugnacu-

naculo Lieffenshoeck erumpens, munitionem vicinam, quæ à Centurione regio VVitzleben defendebatur, oppugnauit. Regij verò acriter sese defendentes, nonnullos hostium strauerunt. binos etiam equos, quibus vicissim Holachius insidebat, sub ipso interfecerunt. Cùm autem hæc pugna ad duas iam horas esset summa vi continuata, Holachius receptui canit, & in castra sua reuersus est. Prædictos autem equos Holachius nuper in Arenburgij dominio Comiti abegerat. discedens itaque Arenburgio nuntiari iubet, se nuper duos equos ab eo vsui suo accepisse: hos nunc reduxisse. Si repetere vellet, eos ad istam munitionem inueniret. Idem propugnaculum simili infortunio, vulnerato etiam centurione quodam, & 16. captis, decimoquarto eiusdem mensis Holachius tentauit. 1583

In Diœcesi Treuirensi non ita pridem quidam Frederici Palatini ex filia illegitima nepos, postquam duo templa summa temeritate violâsset, atque eâdem ad monasterium Dominicanorum peruenisset, inuenta hierotheca, sacras in ea hostias repertas, in terram indignè effudit. Quare comprehensus, & in vincula coniectus, initio Iunii, nequicquam obsecrante atque minitante Casimiro, ad ignem condemnatur. Sed cùm genibus prouolutus mitius supplicium deprecaretur, capite, astantibus, eumque confirmantibus duobus Societatis Iesu Patribus, truncatus est. Sunt qui scribunt eum in carceribus ad Catholicam fidem conuersum, confessum esse, & sacram Synaxin è manibus Catholici Sacerdotis reuerenter accepisse.

Violator sacrorum truncatur capite.

Per idē ferè tempus persecutio in Catholicos per Diœcesin Vltraiectēsem recrudescere incipiebat. Nam præterquam quòd nuper Vltraiecto R. D. Verburgius Decanus, cū fratre, Drenckvvertius, Amerongius, cū aliis nonnullis Canonicis collegij B. Mariæ, & Harteueltio nobili relegati erant, etiam Amorfortiæ, impulsore Vilerio, R. D. Iacobus Hezius, Theodorus Geinius sacerdotes; Ioannes Vaneueltius, & Iacobus Franciscinus patritii, in exilium eiecti sunt, qui Culenburgum profecti, ibidem in tranquillitate viuunt.

Regii propugnaculum in Capite (vt vocant) Montensi, extrædificatum, postquam non ita diu oppugnâssent, & iam cuniculos sub ipsum vallum produxissent, tandem

1585 tandem deditione cœperũt. qui enim in eo erant, vitæ suæ metuentes, supplices fidem orabant, nudisque capitibus & omnibus armis relictis, dimissi sunt. Et certè nisi precibus milites suos continuisset Verdugius, ad num omnes fuissent contrucidati. qua victoria parv, Verdugius Rhenum traijcit, & Montes, oppidulum paruum, vulgò Tsherenberg appellatum, obsidere se velle simulans, alio loco exercitum per fluuium traductum Arnheimium versus ex inopinato sub Vicario suo Taxio misit: ipse Groningam contendit.

Dux Sabaudiæ cũ coniuge ex Hispania redit.

Dux Sabaudiæ cum Catharina Infante Hispaniæ, vxore sua, Barcinone die Iunij 13. naues conscendit, in suas ditiones rediturus. Rex antequam discederet illi inter alia plurima dona, etiã 13 generosissimos equos, phaleris, fiscellis atque ephippijs pretiosissimis ornatos, donauit. Sed & omnem illius familiam equis, catenis aureis, varijsque alijs cimelijs oneratam, à se dimisit; Ducemque cum suis 40. triremibus ex Hispanijs Nicam, Prouinciæ vrbem, deduci mandauit. Ipse verò, postquam triremes oram soluissent, in Aragoniam reuersus est: Monconam enim nobilitatem, Ordinesque regni ad comitia euocârat.

Rex Hispan. classem parat.

Eodem ferè tempore concilium bellicum in Hispania Chiliarchas & Centuriones aliquot nominauit, ijsque summa cum celeritate militem colligere præcepit. Sed & naues omnes maiores, munitioresque Hamburgensium & vicinarum ciuitatum; Hollandiæ quoque, Zelandiæ atque Angliæ, Vlyxibonæ, Flauiobrigæ, alijsque in portubus, locisque maritimis Lusitaniæ, atque Cantabrorum, mandato Regis detentæ sunt: quo verò fine, tempus, reique euẽtus ipse docebit.

Lapicida quidam se Regẽ Lusitaniæ fingit.

Lapicida quidam iampridem ex insula Tercera in Lusitaniam venerat, qui se anachoretam mentitus, Sebastianum Regem Portugalliæ (quem in expeditione Barbarica cecidisse diximus antea) esse fingebat: diuinaque prouidentia ad salutem subditorum, à Maurorum viribus conseruatum, hactenus in syluis & montibus errâsse dicebat. Is hoc anno per huiusmodi persuasionem Lusitanos multos, qui Castellæ Regis imperium pro more gentis difficulter ferebant, in partes suas pertraxit: iamque 700. ferè in armis habebat. iussit circunquaque se Regem Sebastianum proclamari: omnia de more Regum officia, tam ciuilia, quàm palatina inter suos diuisit: & seditio-

ditiones vbique in pagis concitauit. Cardinalis verò Archidux Austriæ, & Prorex Lusitaniæ, vt crescenti malo maturius occurreret, tres cohortes è præsidijs euocauit, easque in fictitium Regem, eiusque copias immisit: quæ primo impetu omnem ipsius comitatum deleuerunt. Regem verò, eiusque Vicarium, & qui à secretis erat, cum alijs præcipuis eius ministris & consiliarijs captos, Vlyxibonam adduxerunt vbi ex mandato Regis in tormentis examinati, postquam suam imposturam confessi essent, pœna tali flagitio digna è medio sublati sunt. Alius quidam Conimbricæ eundem Sebastianum Regem nuper mentitus, captus, flagellatusque, ad remos damnatus est. 1585

Per idem tempus Secretarius Tzestich Belga, Regi & Granuellano charus, in Hispanijs obijt: & Prior in Renthi Barcinone à Ioanne Funkio Amorfortio, rerum Belgicarum in Hispanijs præside, iussu Regis captus est; eò quòd liberiùs nonnulla de viris principibus locutus esset. qui in triremibus detinetur, donec rei veritas magis elucescat. *Prior in Renthi capitur.*

Eodem mense Iunio Nauarræus Rex Henricus apologiam contra scriptum Cardinalis Borbonij edidit: in cuius initio quinque obiecta sibi crimina, quòd scilicet hæreticus, quòd relapsus, quòd persecutor Ecclesiæ, quòd perturbator Regni, & quòd inimicus esset Catholicorum, proponit: quæ ordine verbis magis, quàm rationibus confutat. Tandem deficientibus argumentis, impatiens conuitijs in Guisium Ducem inuectus, eum falsè & malitiosè mentiri dicit: & ligneo Ducem calopodio comparat. illud enim vti corporis quod portat dolores non sentit, eò quòd de corporis substantia non sit: ita Ducem miserias Galliæ non sentire, ait, eò quòd Gallici sanguinis non sit, sed homo externus. cùm Guisiorum non minora, quàm Nauarræorum in regno Galliæ extent beneficia. Tandem ex iræ impatientia, quasi in furorem versus, Guisium ad monomachiam prouocat, aut ad duorum, trium, aut decem (si velit) vtrinq; certamen. quasi ignoraret Catholico Principi optimo iure grauibusq; censuris, omne huiusmodi certamen esse interdictum. *Nauarræus Rex apologiã edit.* *Nauarræi Regis in Guisium conuitia.* *Concil. Trid Ses. 25. c. 19.*

Decimoquinto Iunij, cùm primùm Dusseldorpij fama increbuisset, Marchionis Badensis filiam Iacobam, Ioanni iuniori Duci Cliuiæ nupturam, incolumem in terrã Montensem aduenisse; & iam in loco vicino *Nuptiæ iunioris Ducis Cliuiæ.*

1585 cino, ab incolis Himmelgeist dicto, morari; repentè magnificus in vrbe factus est apparatus. Adducti sunt strati sericis phaleris equi generosissimi, plumis & cristis splendidè insigniti, terni & terni in ordine procedentes. Princeps sponsus cum Duce Bipontino, cæterisque Proceribus, quorum copia aderat infinita, solenni pompa sponsæ obuius equitabat. Vbi ad sponsam ventum est, sponsus ex equo in terram desiliens, illam Ducali consuetudine excepit. Ciues omnes in armis erant, & sponsum, sponsamque reduces præstolabantur. Cumque iam vrbis portas subirent, sclopetorum ingens auditus est strepitus, grandiorumque tormentorum festiua tonitrua, & tela ex nitrato puluere confecta, artificiosè per aëra passim peritiores quique eiaculabantur nihil præter tormentorum reboatum, nihil præter equorum hinnitum, nihil præter tubarum clangorem tota vrbe resonabat. nec quicquam prætermissum est, quod ad tantę festiuitatis magnificentiam pertinere videbatur. Tanto, tamque vnanimi Procerum, Nobilium, vrbium, Legatorum, totiusque patriæ subditorum applausu, sponsa cum sponso Dusseldorpium ingressa, ab Illustrissimo Duce VVilhelmo, in arcem lætis complexibus recepta est.

Decimosexto deinde Iunii, matrimonium solenni ritu (Sponsa aureis fibulis & gemmis ornata, strictum manu gladium tenente, qua cæremonia potestas regiminis illi conferebatur) in arce celebratum est. Conuiuium mox secutum est apparatu regali exquisitissimum. In secunda verò mensa omnia regali magnificentia splendebant. Bellaria omnis generis, arbores, plantæ, oua, pyra, pruna, nuces, animalium diuersæ species, integræ venationes, diuersarum prouinciarum insignia, ex saccaro confecta, & viuis coloribus artificiosè expressa, discreta serie, atque optimo ordine disposita conspiciebantur. Magnus aderat Musicorum chorus, & varia Epithalamia, à doctissimis viris atque adolescentibus in honorem nouorum Coniugum composita, legebantur. Interfuerunt huic coniugio Principes, Principumque atque Vrbium legati diuersi. Hic Cæsaris Rudolphi, Regisque Hispaniarum legati sedebant; illic Ferdinandi & Caroli, Ernesti etiam, Maximiliani, & Matthiæ Archiducum Austriæ. post illos Ernesti & Guilielmi Bauariæ Ducum, Saxonis quoque VVimmariensis, & Prussiæ Principis lega-

Principes, Principumque legati, qui nuptijs his interfuerunt.

gationes accumbebant. Aderat Dux Bipontinus cum coniuge & liberis: Badensis verò Marchio, cum Marchione de Rodemach. Comites verò plurimi, atque inter alios Comes de Leuchtenburg, Otto Comes Rheni, Hermannus Manderscheitius, Comes Lippius, Hohenzolre, Benthem, Geradstein, Falkenstein, & Leningius, sua præsentia tam celebres nuptias condecorârunt. Nobilium verò & diuersarum vrbium atque oppidorum legatorum non erat numerus. Conuiuio peracto, vbi aliquandiu saltatum esset, sub noctem in Rheno insignis habita est naumachia, & ingens nauis pice, resina & bitumine illita, medio flumine concremata. 1585

Postridie rursum conuiuijs, Musica & choreis aula perstrepuit; & media nocte noua omnis generis spectacula, maximis sumptibus in Rheno exhibita fuêre. Videbatur ibi Infernus, Atlas cælifer, Cęlum stelliferum, Hercules, Draco septiceps, Cerberus triceps, Syrtis, Lynx & Cete, mira industria atque artificio fabricata: quæ sub finem huius solennitatis, in Rheno combusta fuerunt. *Spectacula exhibita.*

Decimooctauo die Principes armati campo se Martio, sumpto iam prandio, commiserunt; & propositis aureis argenteisque brauijs, quorum magnus erat numerus, de annulo ferreo concitatissimis cursibus hastis excipiendo concertârunt. quo in certamine Spõsus primum victoriæ præmium sortitus est. Aderat hîc spectatorum magnus numerus. Mons Veneris hîc ingens præclaro ingenij acumine factus, in cuius vertice Orpheus & Amphion modulabantur, à multis viris inclusis, qui tamen videri non poterant, primum ad Sponsam deportatus fuit: inde per omnem campum circunductus. Sequenti die in aula varijs ludorum generibus indultum est: foris verò factum est nihil, sed altum erat per vrbem silentium. Vigesimo verò die iterum in campo Martio hastis & gladijs concurrentes Principes, acriter pro gloria dimicârunt. hastę verò quorundam post conflictum igne clam concepto, ingentem flammam, fumosque ex puluere nitrato incluso euomuerunt. Sed & puluis tormentarius terræ diuersis locis singulari arte inclusus, iniecto igne tanto fragore atque mugitu erupit, vt cælum ipsum disrumpi putaretur. Omnibus in locis ciues armati aderant, & quæ huic lætitiæ

celebri-

1585 celebritatique deesse videbantur, opera atque præsentia sua supplebant. His alijsque exercitijs per dies aliquot continuatis, nuptiæ tanti Principis feliciter peractæ, & Principes, Principumque Legati in sua reuersi sunt.

Antuerpienses de pace cogitant. Ipso indiuiduæ Trinitatis festo Aldegundus & alij legati in castris Parmensis expectabantur; vt de pacis negotio ageretur. sed nescio qua causa impediti cōstituto tempore non venerunt. Die Iouis sequenti, sacrosanctæ Eucharistiæ sacro, venerabile Christi corpus summa cum solennitate, iussu Principis, per omnia castrorum loca circunferebatur. *Pium Principis Parmensis factum.* Princeps ipse cum alijs proceribus & maiori exercitus parte, incredibili pietate, animique attentione subsequebatur quo peracto, in honorem tanti Sacramenti, omnia quæ in castris erant tormenta, militari quadam congratulatione, displosa sunt.

Interea Dauentrienses edicto publico (vt ferebatur) promulgant, licere regijs omnibus è locis commeatum & alia necessaria, quæ pecunia redimere velint, & possent, exportare; ciuibusque & subditis mandant, ne quis hæc ijs denegaret.

Nuenarius & Schenkius cæduntur. Nuenarius Comes & Schenkius in pago diœceseos Vltraiectensis Amerongen dicto, cum lectissimis militum copijs castrametabantur. Verdugius verò collectis viribus Taxium eò misit, qui vigesimotertio Iunij partem equitum peditumque præmisit, partem in insidijs, in vicina, quæ pago imminet, sylua collocauit. Qui in pago erant Nuenariani, cùm hostem eminus cernerent, collecti in ordinem hosti obuiam procedunt. Regij paulatim pedem retrahunt, donec Nuenariani iam omnes pago exierant, atque concitatiori in recedentes hostes animo ferrentur. Interea qui in insidijs erant regij, è sylua erumpentes, à tergo hostium cuneos cingunt: & qui fugere videbantur, pedem sistunt. vtrinque classicum canitur, signa conferuntur, & acerrimè dimicatur. Nuenariani à fronte & tergo cæduntur, donec peditibus omnibus interfectis, & quadringentis equis, sessoribus occisis, captis, cæteri equites fugam capesserent. Nuenarius & Schenkius vix elapsi Vltraiectum venerunt. Villerius vrbis & prouinciæ Vltraiectinæ Gubernator cum aliis 33. præfectis & nobilibus capti, egregiam Taxio victoriam reliquerunt.

Huius victoriæ fama cùm per vicinas vrbes increbuisset,

buisset. Geusij furore correpti, iram suam in Catholicos innoxios ciues acuerunt. Amstelredamenses statim 48. è primarijs ciuibus vrbe exturbârunt: cæteros decimârunt. Idem & Amorfortiæ, alijsque in locis factum est. Nuenarius & Schenkius copijs suis denudati, Vltraiecti aliquandiu latuerunt, & propugnaculum inter Vltraiectum & Vianam in ipsa Rheni ripa, vbi traiectus est, erexerunt. Paulò post 50. circiter equites regij, ex victoria redeuntes, dextrum Rheni cornu iuxta Telonium traijciebant. Præsidiarij, qui in oppidulo Tsherenberg erant, audito illorum aduentu, centum & triginta emittunt, qui ex insidijs eos adorirentur. Regij detectis insidijs in eos inuecti, vno solùm elapso, omnes trucidârunt. 1585 *Exilia Catholicorum.* *Geusij iterum cæduntur.*

Circa idem ferè tempus Cardinales Borbonius & Guisius, cum Duce Guisiano, Paribus Franciæ, Domino de Bassompiere, Rosne, & Lessennenbergio, Espernoræ in conclaui Reginæ matris congregati, de pace componenda diu multumque agebant. Aderant Consiliarij Regis Galliarum, & Lotharingius Dux. Post multas deliberationes disceptationesque, tandem pax inter confœderatos Principes Catholicos, & ipsum Regem, his conditionibus inita est, & vtrinque approbata. Nimirum vt in vniuerso regno Galliæ vna tantùm sit religio, eaque Catholica, Apostolica, Romana. Vt arma vtrinque collecta in Hugonottas conuertantur, & contra illos bellum geratur. Vt fœdus, quod Rex cum Geneuensibus hactenus continuauit, abrumpatur. Vt Rex studium Principum approbet, arma in Suæ Maiest. defensionem accepta esse interpretetur, & militi à Guisianis collecto stipendia soluat. Vt exteri milites hinc inde collecti dimittantur. Vt Ministri Caluiniani vnius mensis spatio sedes suas deserant, regnoque excedant: Cæteri verò incolæ, eidem religioni addicti, tranquillè, citra Religionis tamen Caluinianæ exercitium, vsque ad Ianuarium proximum domi suæ viuant. quo tempore si ad gremium Ecclesiæ Catholicæ non reuertantur, in exilium abire compellentur. Vt tam ex Regis, quàm ex Sacri fœderis collectis copijs peditum 16000. equitum verò 3000. exercitus colligatur: cui absente Rege Dux Guisius præficietur. erit autem exercitus is expeditus ad occupandum ciuitates, quæ inuito Rege ab Hugonottis adhuc detinentur. Denique vt vrbes atque oppida, quæ *Pax in Gallia inter Catholicos & Regem.* *Conditiones pacis.*

1585 da, quæ modò parent Sacri fœderis proceribus, ea ipsis pro maiori securitate maneant: in eorum quoque nonnulla, vt Sellon, Verdunum, Tullum, Villam Francam &c. à Guisiano Duce præsidia imponantur.

Sub finem mensis Iunij, Parmensis Dux aliquot copias misit, qui suburbanum pagum Antuerpiensium, Burgerholtz vulgò dictum, occuparent, quod & fecerunt. Cæterùm quia vires illarum debiliores essent, quàm vt locum cõtra vim hostium defendere possent, paulò post eum deseruerunt. Sed Parmensis sciẽs quanti Regis interesset, si eum locum contra hostes tueretur, eò quòd iam messis in herba esset, fruges etiam & holera obsessis quotidie victum præberent; vigesimo-octauo die, contracto mille quingentorum peditum & quadringentorum equitum hastatorum agmine, attractisque maioribus tormentis quatuor, ad prædictum pagum secundò contendit. Erat in pago propugnaculum grande & munitum, qui verò in eo erant, vires regias metuentes, stationes deseruerunt, & in fuga sibi præsidium collocârunt. Parmensis itaque 29. die inter octauam & nonam horam matutinam propugnaculum hoc, vno tantùm Centurione Italo, & cacula quodam Comitis Mansfeltij occiso, vno etiam signifero vulnerato, occupauit, hostemque fugientem ad portas vrbis insecutus est. Circa meridiem misit, qui munitum quoddam castellum, Sterkenshof appellatum, in fidem receperunt. Motis eodem die iterum castris, sub vesperem aliam domum, vallo fossaque munitam, Berchemshof nuncupatam, obsederunt. Erant in ea 30. circiter Galli, cum suo Centurione. cæteri commilitones eiusdem signi alia duo loca, Cantacroy & Lanterne dicta, tuebantur. Præsidiarij isti deditionem facere cùm nollent, regij admotis tormentis, vallum conuellere cœperunt. qui intus erant, nouem ictus sustinuerunt: deinde metu concepto, pacem postulârunt. Actum est cum Centurione, vt incolumis cum suis militibus, omnibusque impedimentis exiret, ea conditione, vt alia duo castella, quæ (vt diximus) à suis quoque defendebantur, simul dederet, quod & fecit. Postridiè, qui dies erat Dominicus, regij ad alias ædes prædictis fortiores consederunt. erat loci nomen Stallenshof. Qui in præsidio erant, initio sese defenderunt. sed cùm admotis tormentis, vires hostium maiores esse, quàm vt ipsi sustinere possent, animaduerterent, sese dedide-

Propugnacula suburbana Antuerpiæ occupat Parmensis.

Burgerholt.

Sterkenshof.

Berchẽshof.

Cãtacroy. Lãterne.

Stallenshof.

1585

runt; relictisque armis & impedimentis, gladijs tantùm accincti, dimiſſi ſunt. Omnia præſidia, quæ in dictis iam locis fuerant, Antuerpiam confluebant. ſed cùm ab oppidanis excluderentur, Montes ad Zomam à Parmenſi deducebantur. His ita peractis, Princeps miſit magnam calonum, lixarumque manum, quæ frumenta in agris ſuburbanis ſecaret: holera, & quidquid edi poterat, radicitùs euelli, & in caſtra comportari; cætera pedibus conteri, & equorum vngulis conculcari præcepit, ne quid hac parte obſeſſi commeatûs vel alimenti ſibi petere poſſent.

Legati ex vrbe in castra veniunt.

Eodem die quo Princeps Parmenſis in Stabroeck ad hanc expeditionem proficiſcebatur, duo Legati ex vrbe Antuerp. in caſtra venerunt, Principisque reditum ibidem præſtolabantur. quo reuerſo, eodem Dominico die auditi, & poſtridie in vrbem reuerſi ſunt, magnam regijs deditionis ſpem relinquentes. Fama enim in caſtris erat ab initio Iunij huc vſque vulgus in vrbe, præter panem ex auena, byne, gluma & furfure coctum, non habuiſſe quo veſceretur: ita vt plebecula tumultuaretur, & vel panem bonum, vel pacem poſtularet. quod ſi vtrunque negaretur, aliam ſe rationem inituram, vociferabatur. Frequens quotidie hac de re erat Senatus, ſed nihil ſtatuere ob ſententiarum diuerſitatem potuerunt. ex ſeptem enim Chiliarchis duo tantùm erant, qui pacis erant ſtudioſi, & ex 80. Centurionibus, ſex pacem improbabant, cæteri cum plebe eam promoueri cupiebant. Interea plurimæ literæ Hollandorum, Zelandorumque ad Antuerpienſes, & horum ad illos miſſæ intercipiuntur, quarum omnium idem ferè erat argumentum. Pollicebantur quidem obſeſſis omnem opem, quam militibus nauibusque ſuis præſtare poſſent: hac lege, vt obſeſſi ſtipendia militi numerarent, omnesque impenſas refunderent: quod nonnulli pro re deſperata interpretabantur.

Sicarij ſupplicium.

Poſtridie Calend. Iulij ſicarius quidam ad ſupplicium rapitur, & laqueo ſtrangulatur: eò quòd cum hoſte in necem Principis Parmenſis conſpirauerat. Eam enim ſolam eſſe viam vrbis defendendæ putabãt Hollandi, ſi optimum Principem ſcelerata proditione è medio tollere potuiſſent. Sub id Marchio del Guaſte in duas hoſtium turmas equeſtres incidit, commiſſoque prælio eas fudit, fugauitque: cecidêre in pugnæ

1585 loco 50. atque inter hos præfecti duo. cæteri aut capti sunt, aut fuga sibi salutem repererunt. Quo tempore Parmensis Marchionem de Renti, Dominum de Mote, & VVerbium Hyperensium domitorem, cum expedita manu, tormentisq; bellicis Mechliniam misit qui summa cũ celeritate VValẽ, Neckerspoelt* Blochuis, Tonxken, aliaque vicina vrbi propugnacula partim vi, partim deditione occupârunt. Sed & nauis quædam Mechliniensis, quæ Antuerpiam ire statuerat, à regijs est intercepta. captus est in ea Prætor Mechliniensium, cognomine de Frein, infimæ conditionis homo, sed perniciosissimus & maximè seditiosus. Captæ sunt & aliæ naues ab Antuerpiensibus Mechliniam cum commeatu missæ, in quibus septem vel octo tormenta maiora inuenta sunt.

Propugnacula Mechliniensium capta.

Mechlinienses de pace agũt.

Ea clades Mechliniensibus pacis petendæ occasionem præbuit. Dominus enim Famaus vrbis præfectus in castra veniens, cum Marchione & alijs ducibus post longam disceptationem deditionis conditiones composuit. quæ confestim Parmensi missæ sunt, vt eas vel probaret vel improbaret. Ille cùm legisset, habita matura deliberatione, pro sua incredibili clemẽtia easdem approbauit.

Hanseatici fœderis legatio ad Antuerp.

Post occupatas omnes suburbanas Antuerpiensium munitiones, Daniel quidam Glaserus, mercium, quæ ex maritimis Germanorum vrbibus exportantur, institor, in castra Regis, ex mandato vrbium Hanseaticarum venit. Habebat is in mandatis, vt cum consensu Parmensis in vrbem Antuerpiensem proficisceretur, Magistratumque ad pacem amplectendam hortaretur. quam si repudiaret, postularet, vt omnes Hanseatici fœderis mercatores, cum omnibus bonis suis incolumes dimitteret. Hæc legatio compulit obsessos, animum Parmensis tentare, & pacis studij documentum aliquod præbere. Nono enim Iulij Sant Aldegundus, Sconhouius, Merodius, qui & Dominus de Duffel appellatur, cum Hesselio sub vesperem in castra venerunt. Habebant honestum comitatum, omnisque esculenti poculentiq; penu, vt si illiberalius à Principe habiti fuissent, ipsi vnde viuerent haberent. Sed Princeps eos summa cum beneuolentia excepit, & ad cœnam opulentissimam inuitauit. Cumque mero incalesceret Aldegundus, poculum vino plenum leuasse, & Sũmo Pontifici Romano incolumitatem, longosque annos

Legati Antuerpiensium ad Parmensem.

nos precatus, ſingulis propinâſſe dicitur. Poſtridie legati auditi ſunt. Orabat Aldegundus, prolixoque ſermone legationis cauſam, titubans interdum, exponebat. Quo finito, Parmenſis Princeps, oratione æquè prolixa, eaque diſertiſſima legatis reſpondit. Paulò poſt Aldegundus remotis arbitris, cum Principe ſolo colloqui petiuit. Non denegauit id Princeps clementiſſimus, eumque ſeorſim in cubiculum ſuum introductum audiuit. vbi quid actum ſit, hactenus ignoratur. Dimiſſus Aldegundus cùm foras prodiret, confeſſus eſt, ſe quidem diſertiſſimos oratores audiuiſſe multos, ſed eloquentiorem Parmenſi nullum: ſed nec ſenſiſſe Principem vnquam clementiorem. Legati, peracto negotio, cùm multa poſtulâſſent, quæ Parmenſi inhoneſta videbantur, in vrbem cum comitatu, commeatuque ſuo, à regijs militibus reducti ſunt. qui ab Antuerpienſibus exquiſitiſſimo epulo excepti & poſtea dimiſſi fuêre. Aldegundus coacto Senatu quid actum eſſet retulit, & multis argumentis, pacem neceſſariò faciendam eſſe, demonſtrauit. ſed Miniſtri, & Caluiniani illi, qui cæteris magis erant furioſi, pacem omnibus modis diſſuadebant. Eodem tempore in caſtris nuntiatum eſt, Principem Auriam ex Hiſpanijs Genuam appulſum, duas auri Milliones (vt vocant) & 36. veteranorum Hiſpanorum ſigna, in vſum expeditionis Belgicæ ſecum adduxiſſe.

1585

Laus Principis ab aduerſario.

Auria Genuam appulſus.

Decimonono die Iulij, Mechlinienſes inedia compulſi, dimiſſo ſeditioſo ſuo milite, Regis præſidiū, ſub Præfecto Domino de Proeuene, nobili Flandro, acceperunt. Ciuibus omnium delictorum conceſſa eſt venia: qui Catholico ritu viuere vellent, ijs in vrbe manere licuit. qui in ſuo furore Caluiniſtico mallent perſeuerare, ijs permiſſum, bona ſua diuendere, aut alio tranſportare, & infra quindecim dies extra prouincias Regis commigrare. Fuerant in vrbe duodecim peditum ſigna, & equitum turma vna: his ſtipendia ſunt à ciuibus numerata, ipſique dimiſſi liberi; ſex verò ſignorum milites, videntes res Ordinum deploratas, accepto à Parmenſi vnius menſis ſtipēdio, Regi ſeſe ſacramento obſtrinxerunt.

Mechlinienſes ſe Regi dedunt.

Sequenti nocte, dum Legati Antuerpienſium iterum in caſtra venturi expectantur, Hollandi atque Zelandi tria maiora nauigia, clam maximis ſumptibus apparata, puluere tormentario plena, ad modum eo-

Hollandi naues ardentes in pontem mittunt.

1585 rum, quæ iam bis ab Antuerpiensibus in operas regias missa fuerant, bitumine, pice & resina illita, æstu maris, ventoque secundo, in pontem miserunt. Quorum primum ardens, trabalis istius operis, quod ante pontem in anchoris natabat, partem combussit, atque soluit: sed ad pontem veniens, subducto vno aut altero nauigio, transijt. paulò autem post, puluere, qui in alueo erat inclusus accenso, crepuit, nullo regijs illato damno. Secundum antequam ad pontem venit, dissilijt. Tertium quoque eodem, quo primum, modo, æstu maris per pontem, de industria solutum à regijs, actum, magno strepitu atque reboatu, vi pulueris accensi, disiectum est: nec quenquam læsit. Eluso itaque hoc Hollandorum, Zelandorumque stratagemate, paulò post Princeps in castra venit, & in lætitiæ signum, magnam tormentorum copiam displodi iussit.

Edictum Regis Galliæ cōtra hæreticos.

Henricus Francorum Rex pace, vt diximus, cum Principibus sacri fœderis inita, edicto publico mensis Iulij die 18. ostendit, quo esset in Religionem Catholicam Romanam animo affectus. In huius edicti initio commemorat suam fratrisque sui Caroli noni defuncti diligentiam, quam in extirpandis hæreticis regni adhibuerunt, non tantùm bella, suis suorumque subditorum fortunis & sanguine, hanc ob causam gesta, sed etiam diuersa mandata, pacisque conuentiones & pacta, vt experirentur, si quid mansuetudine & clementia impetrare possent, quod ad regni tranquillitatem faceret. Cæterùm clementia minùs quàm bello & seueritate profectum esse, experientia ipsa compertum esse dicit; religionisque diuersitatem in regno toleratam, maioris mali causam fuisse. De consilio itaque matris suæ Reginæ, multorumque Principum & Magnatum, definitum esse, ait: Vt posthac nullum fiat nouitiæ Religionis exercitium: sed sola Catholica, Apostolica, Romana, in regno exerceatur. qui secùs fecerit, is cuiuscunque sit conditionis, & ordinis, capite plectatur, & bona fisco regio subijciantur: Non obstantibus præteritis pactionibus, admissionibus & contractibus, quæ omnia Rex se dicit reuocâsse, & præsenti edicto reuocare. Vt Ministri nouarum religionum menstruo spatio regno exeant: Vt omnes subditi antiquæ Catholicæ Romanæ religionis professionem infra sex menses faciant. qui illam facere nolent, hos

iubet Rex, diuenditis bonis suis, ex omnibus regni finibus discedere, & nouas sibique conuenientes sedes quærere. Vt omnes, qui hæresi infecti sunt, in posterum ad nulla officia, nullasque dignitates promoueantur. Reuocat etiam eodem edicto Rex omnia tribunalia, concilia, & iudicia in gratiam hæreticorum constituta, & hactenus permissa. Vult vt ciuitates omnes, Hugonotis ad certum tempus pro maiore suî securitate permissis, statim à promulgatione sibi, dimissis præsidijs, restituantur. Interdicit ne quis, cuiuscunque status sit, se defensioni Catholicæ Religionis opponat, aut eam impediat: præuaricatori statuit supplicium capitale. Approbat, & ab omnibus approbari mandat conatus & studia omnia Principum, aliorumque præfectorum Sacri fœderis: omnibus iudicibus, procuratoribus, alijsque causarum cognitoribus perpetuum silentium, contra eiusdem fœderis socios, imponit. Si quid iam contra illos determinatum sit, illud obliterari atque aboleri præcipit. Postremò omnibus Principibus, Paribus (vt vocant) Franciæ, Officijs palatinis, Consiliarijs, Ordinis equitibus, Gubernatoribus, Præsidibus, Senescallis, alijsque regni Ministris; Item Prætoribus, Scabinis, Corporibus & vrbium Communitatibus mandat, vt in Regium hoc suum edictum solenniter iurent, sacramento publico se omnia eius membra obseruaturos promittant, & vt iuramenta eorum in codicillos inter acta publica referantur, vt si quando necesse sit, ad illa recurri possit.

Legatio Turcica ad Regem Hispan.

Dum hæc geruntur in Gallia, quidam literas Madriti in Hispanijs scriptas receperunt, in quibus magnifica legatio Turcarum Imperatoris, eiusque dona ad Regem Hispaniarum missa commemorabantur. Literarum summa erat hæc: Hely Soliman, Dominus Domus Othomannicæ, Imperator & Dominus vniuersalis omnium Regum & Principum mundi, dux & defensor legis Ala per Prophetam nostrum Mahometem nobis patefactæ: Gloriosissimo Principi omnium Principum Christianorum, defensori omnium causarum Nazarenorum, potenti & honorato Domino Regi Philippo, cuius finis sit felix, posteaquam inter nos pax fuerit cum amicitia constituta, salutem mittit.

Fama virtutum tuarum, Honorate Domine, quãtum-

1585 tumuis in tam diuersa religione, lucem mihi attulit, ne impedirem tuos gloriosos conatus, néve auxilio esse vellem occultis tuis inimicis, qui cupiunt à me sibi subueniri; colligentes ex hac mea ab illis segregatione, te à me iuuari, quia non impediuerim tuos exercitus meis potentibus classibus, & magnis exercitibus, vt tui exercitus consequantur victoriam, quam tibi in tuis regnis à Deo contingere opto. Et sicut ego qualibuscunque viribus victoriam contra meos hostes obtinere possum: ita etiam & tu tuos eum in locum redige, ne tibi ampliùs sint molesti. quandoquidem per me non stabit, quo minùs perficiantur, quæcunque fuerint: Ex quibus tecum conueniet Bassa meus cubicularius, cui habebitur plena fides. Subscriptio erat: Dominus vniuersalis mundi Hely Soliman.

Dona Turcarũ Imp. Regi Hispan. missa. Vnà cum his literis misit Imperator Regi Philippo quatuor leones, cum torquibus aureis, in quibus sculpta erant Regiæ Maiestatis insignia, ex suis catenis aureis dependentia: duodecim gladios Damascenos Turcicos, cum suo ornatu, aureisque catenis. quatuor cultrorum thecas, cum aureis ornamentis: in singulis verò thecis quatuor erant cultelli, quorum manubria ex auro lapidibusque pretiosis erant confecta. His duodecim monocerotom cornua, 16. palmas alta, aureis suppedaneis imposita, atque arma Regiæ Maiestatis ostentantia adiunxit. Aulæa quoque viginti Attalica ex panno aureo, ad ornandum cœnaculum facta, in quibus victoriæ, quas classes atque exercitus Turcici sub hoc Imperatore obtinuerant, erant intertextæ: & lectulum, quo in triremibus vtuntur, ex puro auro atque crystallo: in cuius cortinis & vmbella res ab hoc Rege Philippo feliciter gestæ, affabrè elaboratæ conspiciebantur. Misit & duas cistas aureas, in quibus plumæ diuersorum colorum erant impositæ: & alteram cistellam crystallinam, atque in ea 40. pretiosissimas gemmas, quas Bezares vocant, singulas vnciarum ferè quatuordecim: Clypeos etiam Hispanicos, quibus in pugna arundinaria vtuntur, totumque corpus tegunt, sex: in quibus victoriæ Caroli V. Imperatoris contra Lutheranos & rebelles (vt aiunt) Imperij, erant singulari artificio depictæ. Sed & duos gradarios equos adiunxit, albo, nigro, & cæruleo colore natura distinctos;

cum

1585

cum sex Turcis, quibus leonum & equorum illorum cura erat demandata. Magnifica sanè & regalia dona, de quibus multi dubitare meritò possent, nisi à viris optimæ fidei, qui ex Hispanijs scribūt, hoc ordine enumerarentur. Quæ verò Barbari postulatio sit, nondum nobis compertum est.

Antuerpiani de pace agunt.

Antuerpiani, extrema iam necessitate vrgente, cùm spem omnem subsidij abiecissent, vigesimoquarto Iulij ex Magistratu, Ordinibus Brabantiæ, anni superioris Scabinis, Tribunisque plebis, Decanis, vt vocant, ex opificiorum tribubus, Chiliarchis, & Cēturionibus, legatos viginti, cum absoluta auctoritate de pace & reconciliatione vrbis cum legitimo suo Principe agēdi, miserunt. Qui cùm mandata sua verbis primùm Principi exposuissent, certos articulos pacis in vrbe conceptos, & in tabulas relatos, eidem obtulerunt. Remissi deinde sunt à Principe ad Præsides & consiliarios Pamelium, Assenuillium, Richardotium, & Burchium, diu multumque disceptârunt. Plurimæ siquidem difficultates hinc inde exoriebantur, quibus Consiliariorum prudentia sublatis, certa pacis formula Legatis data est: missique in vrbem sunt Legatorum nonulli, qui eam Magistratui offerrent.

Egmōdanus & Lanouius ex captiuitate liberantur.

Interea Comes Egmondanus, ab Ordinibus huc vsque in arce Rammekens detentus, & Lanouius, qui ante aliquot annos à regijs in Flādria captus est, libertati, permutatione facta, restituuntur ea conditione, vt Lannouius quoad vixerit, nec contra Regem Hispaniarum, nec contra Regem Galliarum militet, nisi fortè inter vtrunque Regem aperto bello decertandū esset. Huius conditionis ille data sufficienti cautione dimissus est.

Supplicationes Colonienses & Indulgentiæ Sixti V.

Initio Augusti Coloniæ Agrippinæ Indulgentiæ Sixti quinti promulgatæ sunt, quas sanctissimus ille Pontifex, octauo Calendas Iunij ex thesauro Ecclesiæ depromptas, Christifidelibus gratis largitus erat: tantùm vt cæteris pro more peractis, oraret populus, quò Deus lumen suum Pontifici ostēdere, pares tanto oneri vires præbere, omnes actiones eius dirigere, ac hostium Ecclesiæ suæ conatus infringere dignaretur. Huius Ecclesiæ gratiæ tribus ad puluinaria supplicationibus, tanta hominum frequentia, tantaque pietate & religione Colonienses sese participes fecerunt, vt ab hominum memoria nemo maiorem in hac vrbe viderit

1585 pietatem. Omnibus his ſupplicationibus Illuſtris & Reuerendiſſimus Ioannes Franciſcus Bonhomius, Epiſcopus Vercellenſis, per vtranque Germaniam Nuntius Apoſtolicus cum poteſtate Legati de latere, princeps nullis muneribus corrumpendus, vitæ ſanctimonia ac eruditione rara, interfuit: nonnunquam inter famulorum manus ob corporis imbecillitatem & venerandam illius ſenectutem deportatus. Vltimæ quoque, quæ ipſo D. Laurentij feſto celebrata fuit, Ampliſſimus huius vrbis Senatus cum faſcibus, omniq́ue qua vti ſolet magnificentia, adeſſe dignatus eſt. Iucũdum erat Catholicis ſpectaculũ, videre tot viros nobiles, tot diuites, partim canitie venerandos, partim in ipſa iuuentute ſenilem quandam grauitatem præ ſe ferentes, tanta itinerum ſpatia, trophæa Christi, tanta cum religione ſubſequi, tanta attentione interna mentes ad cælum eleuare, tanta humilitate ante Sanctorũ reliquias proſterni; & tanta patientia, tam prolixo, quod omni muſicorum genere ad Apoſtolos celebratum eſt, ſacro intereſſe.

Nuenarius et Schẽkius Groningã proditione tentant. Dum hæc fiunt Coloniæ, Schenkius cum Nuenario clàm ex præſidijs, quæ in Friſia erant, collectis mille ducentis circiter peditibus, equitibusq́ue ducentis, in Nienoort, non procul ab vrbe Groningenſi caſtrametati ſunt. Henricus à Delden Centurio, qui non procul hinc munitionem Regis nomine cuſtodiebat, intellecto hoſtis aduentu, cum exigua manu erumpit, hoſtium numerum & ſtudia volẽs explorare: ſed multitudine illorum obrutus, in munitionem confeſtim reuerſus eſt. Illi fugientem inſecuti, primo impetu vallum ſuperare, & regios ſtatione exuere ſe poſſe ſperabant: ſed fortiter ab illis repulſi ſunt. Interea Nuenariani euentum proditionis vrbis, quam cum quibuſdam Groningenſibus pacti erant, expectabant. Nuntius quidam hinc inde literas adferebat; & quas in vrbem inferebat, ſubſcriptionem magiſtratûs Groningenſis; quas efferebat, magiſtratus Steenvvichiani habebãt. Id cùm aliquoties feliciter ſucceſſiſſet, iamq́; tradendæ vrbis tempus ferè adeſſet, quidam inter excubitores ſuſpicione concepta, tabellarium comprævhendunt, apertisq́ue & lectis literis, proditio detecta, modusq́ue & auctores illius cogniti fuerunt. Schenkius cum ſuis illuſus diſparuit, & in Friſiam reuerſus eſt.

Antuerpienſes in Acta ſunt hæc menſis Auguſti die nono, cùm paulò

ante

ante Legatorum Antuerpiensium nonnulli ex castris in vrbem cum conditionibus pacis, quas Parmensis Princeps offerebat, essent reuersi: vt eas Senatui & his, quorum intererat, probandas aut improbandas præberent. Decimo itaque mensis eiusdem Senatus frequentissimus in vrbe habitus est. Conditiones lectæ; à nonnullis probatæ, ab alijs repudiatæ. Dum hoc modo in curia altercantur, ciues diuturnæ obsidionis pertæsi, byne omni, omnique semine Canario in summa penuria consumpto, frequentes in forum concurrunt: mussitare, tumultuarique incipiunt, & elatis vocibus pacem se velle vociferantur. Quidam ex Senatoribus ex cancellis in forum prospiciens, rem ad tumultum spectare videns, ilicò in Senatū, quid foris ageretur, retulit. Hîc trepidantes omnes, & furorem inconditæ plebis metuētes, etiam ij, qui paulò ante pacem impedire volebant, pacem nunc vnanimes approbârunt, missisque nonnullis ad populum nuntiârunt, cōmunibus in pacem sententijs itum esse.

1585 *conditiones pacis conjentiunt.*

Populus hoc nuntio accepto lætus, confestim Alenconij Ducis insignia vbicunque inuenta sunt disiecit, & Regis Hispaniarum substituit. Celeustas, epibatas, classiarios, mesonautas, focarios, & proretas classis suæ sacramento absoluunt. tormenta, armamentaque nauium in vrbem comportant, atque omnia faciunt, quę ad pacis præludia spectabant.

Vndecimo Augusti, dum hæc Antuerpiæ geruntur, Princeps Parmensis constructo in munitione Calloensi sacello, in ipsis castris, aureum Vellus accepit, & rectè: neque enim decet Imperatorem belli, & quidem talem, rerum fortiter gestarū præmia alibi, quàm vbi ea promeruit, percipere. Intererant huic solennitati Comes Mansfeltius eiusdem aurei Velleris societatis collega; Assenuillius eiusdem collegij Thesaurarius, cum armorum, vt vocant, Heroldo. Peractis cæremonijs, quæ in actu tam magnifico adhiberi solēt, omnia tormenta minora atque maiora displosa sunt, tanto cum reboatu, vt terra fatiscere, cælum cum aëre atque aqua misceri putaretur.

Parmensis aureo Vellere donatur.

Decimo tandem septimo mensis eiusdem, pacis cōditionibus Antuerpienses atque ipse Princeps illustrissimus subscripserunt: pollicitusque est Princeps, sese accuraturum, vt eadem spatio quatuor mensium propria Regis Hispaniarum manu subscribantur, & maiori eius sigillo muniantur.

Pax Antuerpiensibus datur.

Sub

1585 Sub id in suburbano Coloniensi agro, Rustici quidam inuentam bigam, cuius equi à prædiatoribus erant abacti, dũ scrutantur, repererunt vas adusto vino plenum. læti & ad bibendũ proni, vini virtutis ignari fortè, in pileis suis promentes, incondita illud auiditate potârunt, seseque adeò ingurgitârunt, vt post paucas horas, quatuor aut quinque ex illis nimio ardore extincti sint. Vidi literas, quæ idem in Austria Turcis nonnullis, ad Imperatorem hoc anno legatis, accidisse referebant. Horrendũ verò, & execranda atque impia temeritate plenum, quod anno superiori in Apeldorn Veluæ pago notum est accidisse. Duo nobiles Germani, quorum nominibus parco, Ordinibus militantes, inter se se conuenerant, vt vino adusto sese tam diu ingurgitarent, donec alter eorum expiraret. si quis prior surgeret, in eum diabolus potestatem haberet. Accidit, dum strenuissimè hac lege potarent, mercatorem illac fortè transire, quem vt se tertium adiungeret coegerunt. inuitus ille huc inductus est, mortisq; metu. Paulò post malignus spiritus locum vbi sedebāt ingressus, vtrique ceruicem fregit: illi autem mortui liuida & horrenda facie elati, & in templo sepulti sunt.

Vino adusto quidã extinguũtur.

Horrendum exemplum.

Cyriacus quidam Spangenbergius, Ioannis filius, Flacci Illyrici quondam in peruertendo Belgio socius, nunc ex Comitatu Mãsfeldensi profligatus, hoc tempore Hassiam doctrinæ suæ veneno inficere cœpit. Marburgenses eum ad disputationem vocârunt. ille verò contempta hac euocatione, insidiatur simplicibus in abscondito tanquam leo in spelunca sua.

Nouus Apostolus Hassiæ.

Psal 9.

Vigesimoprimo Augusti Antuerpiæ postquam maxima vrbis campana hora vndecima meridiana pulsata, omniq́ue instrumentorum genere aliquandiu cantatum esset, pacis conditiones de theatro, in eum vsum constructo promulgantur. Sunt autem hæ:

Pacis conditiones Antuerpiæ promulgantur.

Articuli pacis Antuerpianæ.

I. Cùm Antuerpiani, renuntiantes omnibus fœderibus & pactis vsque huc in præiudicium Regiæ Maiestatis compositis, eidem Maiestati, vt legitimo Duci Brabantiæ, sese humiliter submittãt: Rex eos benignè suscipit, eiq́ue placet vt fœdera, amicitias & contractus, olim cum Sacro Imperio, Principibus & regionibus in negotio mercaturæ initos per omnia obseruẽt, & si opus sit renouent, pro vtilitate vrbis.

II. Rex omnibus & singulis, tam in vrbe præsentibus, quàm absentibus ciuibus, etiam incolis ibidem

nunc

nunc commorantibus, perpetuam omniũ antecedenti- 1585
um flagitiorum, qualia & quantacunque ea ſint, etiam criminis læſæ Maieſtatis ἀμνηςίαν largitur. Prohibet etiam omnibus, ne illorum criminum quiſquam aut inquiſitionem, aut actionem inſtituat. qui ſecus fecerit, hunc vult Reipub. perturbatorem habendum eſſe. Hac gratia fruituros non tantùm viuos, ſed & mortuos: adeò vt nec hæredes ob defunctorũ delicta vlla iniuria, damno, ignominia, aut moleſtia ſint afficiendi. Interdicit etiam Rex omnibus Procuratoribus, Iudicibus & Iuſtitiæ miniſtris, ne quam inquiſitionẽ, perſecutionem, accuſationem, aut aliam moleſtiam contra hos exerceant. Compræhenduntur etiam hoc articulo, qui belli huius tempore in bonis ſuis damnum aliquod ſenſerunt ex actis, ſententijs & iudicijs, contra ipſorum perſonas aut bona prolatis. licebit tamen huiuſmodi cõtra illos, qui hæc propria auctoritate, atque ob priuatum commodum fecerunt, actionẽ inſtituere.

III. Ne quis ciuiũ aut incolarũ, qui hac pace compræhenduntur, cuiuſcunque ſit ille conditionis, qui ſub Archiduce Matthia, vel Duce Alenconio, in Ordinum concilio, aut alio magiſtratu ciuili ſeu bellico fuerit; ſeu ærarij cuiuſdam præfecturam, ſiue quæſturam exercuerit; in iudicio, vel extra illud inquiratur, aut actio in eundem inſtituatur, propter ſententias, iudicia, edicta, & ſubſignationes in huiuſmodi concilio & magiſtratu decreta. Neque huiuſmodi compellitur ad ſatisfactionem debitorum, actionum & obligationũ in eodem magiſtratu factorum; niſi in hoc, quod in priuatum illorum peculium venit.

IIII. Quia verò experientia docuerat, gratiam multis inquietis ingenijs datam, publicę cauſæ obfuiſſe, de ciuitate in ciuitatem ſeſe transferentibus, & ibidem nouos tumultus excitantibus, ciueſque ne ſe dederẽt perſuadentibus; voluit Princeps, vt eiecti ex alijs vrbibus, atque ij, qui datam ſibi in alijs oppidis gratiã repudiantes, vltrò Antuerpiam commigrârant, ex prouincijs Regijs aliò commigrarent. Tamen ob Antuerpienſiũ pro ipſis interceſſionem, & ſpem vitæ poſthac trãquillioris, permittit eiſdem ſecuram in vrbe habitationem, ſi velint: aut abitum, bonorumque ſuorum mobilium, (ſi malint) tranſportationem: ea conditione, ne poſthac belli negotio ſeſe implicent; aliquod officium Regi in-

1585 gi incommodum præstent; tranquillitatem, felicitatemque prouinciarum perturbent, aut directè, vel indirectè allaborent, ne cæteræ prouinciæ vel vrbes sese obedientiæ sui Regis submittant. quòd si quid horum fecerint, ab omni venia excludentur.

V. Vt omnes ciues absentes siue præsentes, etiam incolæ, qui ante reconciliationem Hannoniæ atque Arthesiæ ibidem habitârunt, absolutè & tranquillè post hanc pacem proclamatam in bonorum suorum omnium, vbicunque ea locorum Regiæ Maiestatis obedientiæ subiecta sunt, possessionem reuertantur non obstantibus confiscationibus, venditionibus, & alienationibus factis, neque ad hoc vllam aliam iuris viam, quam quæ hoc articulo data est, necesse erit vsurpare. Idem ius illis erit in actionibus & creditis seu debitis, quæ adhuc integra sunt. & de quibus sua Maiestas aliter antea non disposuit. Interim absentes, qui hac gratia frui volent, cogentur trimestri spatio post horum promulgationem hostiles terras deserere. Complectetur etiam hoc articulo omnes Coloni, Rusticique Brabantiæ, qui ad belli iniurias euitandas, bonaque sua conseruanda, relictis agris in hanc vrbē commigrârūt.

VI. Indulget Rex vniuersis ciuibus, vt tranquillè sine vlla conscientiarum inquisitione, aut nouo causa Religionis iuramento totum quadriennium in vrbe permaneant: modò pacificè, sine offendiculo viuant. Vt interim secum deliberent, si iuxta præscriptum antiquæ, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Religionis viuere cupiant. Si nolint, licitū erit illis interea de bonis suis disponere: ea transportare, vendere, alienare, aut per alios ab ipsis cōstituendos administrare, prout videbitur illis. & si in prouincijs Regijs, aut extra illas mortem sine testamento condito obierint, hæreditas omnis ad consanguineos proximos, siue in recta, siue in collaterali linea, deuoluetur.

VII. Sed & Rex vicissim in possessionem suorum dominiorum, canonum, bonorum, iurium, & actionū redibit. Omnes etiam Prælati, Collegia, Monasteria, Templa, Nosocomia, Xenodochia, aliaque pia loca; omnes personæ Ecclesiasticæ, & seculares, publicæ & priuatæ, quæ partes Regias secutæ sunt, vel in locis neutri partium addictis latuerunt; omnia bona sua, vbicunque locorum ea inueniri poterunt, repetere, sibi vendicare, & securè tranquilleque vti frui poterūt,

vt ante, etiam si ea vendita aut alienata essent. exceptis 1585
ijs, quæ vrbis munitionibus, plateis, nundinarum locis, aut alijs rebus publicis applicata sunt: in quibus arbitri constituentur, qui dominis illorum fundorum pretia adiudicabunt, aut aliter constituent, pro rei vel vtilitate, vel necessitate.

VIII. Quantum ad ædificia in locis & fundis Ecclesiasticis constructa, qua in re difficultatem faciebāt Antuerpienses, cùm sine oculari inspectione de ijs difficulter aliquid statui possit: Sua Celsitudo causam hanc sibi ad ingressum vrbis reseruauit: promisitque tunc se arbitros nominaturum, qui post inspectionem ædificiorum querelas, quorum interest, audient, & re cognita secundùm ius & æquitatem lites determinabūt.

IX. Gaudebunt ijdem omnibus quæ sibi debentur, siue ab ipsa Republica, siue ab Ordinibus Brabantiæ, territorij seu tractûs Antuerpiani. Immobilium verò prouentus atque fructus, redditusq;, qui ab hominibus priuatis erant persoluendi, & ab Ordinibus aut Magistratibus percepti sunt, non exigi poterunt, nisi ab his, qui in vsum priuatum eos cōuerterunt. Mobilia verò vbicunque deprehendantur, tam ab his, quàm ab illis, repeti poterunt, iuris tamen beneficio, non facti violētia.

X. Nullos thesaurarios, ærarij præfectos, exactores, aut alios tributorum, canonum, oblationum, indictionū, aut collectarum, bonorumque ab Ordinibus aut Senatu cōfiscatorum receptores, in ius vocare, aut vlla molestia exagitare licebit, causa illarū pecuniarū, quas demonstrare poterunt, se Ordinibus, eorum legatis, aut Magistratibus annumerâsse. nec ipsorum accepti & expensi tabulæ, vel commētarij vlli reuisioni, aut examini, erunt subiecti: nisi titulo malæ fidei, vel erroris in ijsdem commissi. quod dissidium more solito, & ab ijs, quibus id incumbit, componetur.

XI. Omnes lites inceptæ, iudicia, codicilli, literæ gratiarum, & iustitiæ, aliaque acta huiusmodi, ab ijs, qui Concilij Brabantici officium gesserūt, aut à Magistratibus & alijs Iustitiæ Collegijs ad id designatis, profecta, rata habebuntur. Licitum erit nihilominus parti læsæ, per modum reuisionis, appellationis, aut reformationis (vt loquuntur) secundùm consuetudinem Brabantiæ causam suam prosequi: modò appellationi aut reuisioni cōstitutum tempus non sit elapsum. Sententiæ verò & iudicia contumaciæ titulo, vel in hos,

1585 vel in illos absentes lata, reuocabuntur, condemnatiq; in integrum restituentur.

XII. Omnes exhæredationes, dispositiones, legationes, donationes inter viuos, aut causa mortis, ex odio diuersæ Religionis, aut tumultûs, belliq́ue præsentis factæ, vtrinque rescindētur, & nullius erunt momenti. Omnes quoq; successiones ab intestato interea temporis factæ ad proximos & legitimos hæredes redibūt.

XIII. Quòd si Hollandi & Zelandi præfracti ad obedientiam sui Principis redire noluerint, & naues, merces, pecunias, aliaque ciuium, incolarum & mercatorum Antuerpiensium detinuerint, fiscoq́ue suo subsignauerint: promisit Princeps, se, quando cum Hollandis & Zelandis de pace aget, causam etiam Antuerpiensium acturum, & vt damnum omne resarciatur, bonaque restituantur, procuraturum.

XIIII. De moneta, eiusque intertrimento pollicetur Princeps, se peractis rebus, per opportunitatē, de consilio Ordinum Brabantiæ, communicationeque Magistratûs, & primariorum mercatorum, rationem initurum eam, quæ prouinciæ minus erit inutilis, & subditis quàm maximè commoda. Interim omnis monetę aureæ & argenteæ valor idem, qui nunc est, permanebit: nec cuiquam fas erit eundem adaugere.

XV. Vt autem mercatura omnis nitori pristino restituatur, pontes, portus, atque itinera omnia in posterum patebunt, tutaque conseruabuntur. vectigalia interim omnia, & portitoria Regi fideliter persoluētur.

XVI. Quanuis autem exoptâsset Princeps Illustrissimus, vt omnes nouæ exactiones atq; indictiones posthac cessare & abrogari potuissent, vt vel tandem oppressi hactenus, atque emuncti subditi nonnihil respirare potuissent: tamen vt facta nomina, debitaque sua immensa soluere possent, earundem exactionum continuationem Antuerpiensibus permisit: ea conditione, ne quid ex illarum collectionibus, Regiæ Maiest. hostibus numeretur.

XVII. Omnia Priuilegia, omnesq́ue immunitates vniuersales aut speciales, quibus ante exortum bellum gauisi sunt, sarta tecta ipsis conseruabuntur.

XVIII. Omnibus ciuibus & incolis, siue sacramento Reipub. constrictis, siue liberis, post confirmationem huius tractatûs habitationem mutare, aut alterius rei causa ex vrbe proficisci volentibus, licitum erit terra, mariq́ue

marique cum liberis, vxoribus, familijs, bonis mobilibus & mercimonijs, sinè vllo impedimento deprecando aut saluo conductu postulando, abire. Quinetiam & ij, qui ad aliam prouinciam aut Regi parentem, aut neutri parti iuratam sese conferent, ire & redire, mercaturam in omnibus locis, sub obedientia Regis constitutis, exercere, de bonis suis pro voluntate disponere, aut ea aliorum, quorumcunque volent, administrationi concredere: redire quoque & habitacula deserta repetere, sinè vlla maiori præter hanc licentia & cautione licebit. 1585

XIX. Eadem libertas data est nautis vrbis Antuerpianæ, si qui sint, qui cum proprijs nauibus isthinc discedere cupiant: nisi sua Celsitudo cuperet eos cum istis nauibus Regi militare. quo casu Princeps eas detinere, & secundùm æstimationem iustam pretium illarum reddere ius erit.

XX. Ijs qui volent abire in prouincias aut vrbes nondum ad obedientiam Regis reductas, vt de bonis suis ibidem disponant, permittitur sex mesium spatio post pacis huius approbationem, in aliquam prouinciam Regi obedientem, aut neutri parti obligatam commigrare. in quibus iisdem priuilegijs ac gratijs eundi, redeundi, negotiandique, quibus supradicti, fruentur, absq; omni alio consensu aut saluo conductu.

XXI. Cùm vero Antuerpiani demonstrarent, se, suaque bona vbique iudicijs ob immensa ipsorum debita esse subiecta, & detineri posse: voluit Princeps, vt ipsorum corpora atq; bona anno abhinc integrio libera maneant, nec vsquam detineantur: vt interim ratio modusque inueniatur, illos iuuandi, & creditoribus satisfaciendi.

XXII. Porrò cùm æquum sit, vt diruta atque excisa templa ciuitatis reædificentur, ne perpetuę ignominię macula posthac ob oculos orbis vniuersi versetur; Magistratus vnà cum mēbris totius Reip. inter sese agent, quomodo cum minimo vrbis detrimento, eadem templa possint restaurari atque reædificari.

XXIII. Qui volent secundo fluuio, marique aliò se, suaque bona transportare, ijs nauium quarundam vsus permittetur: reddita prius sufficienti cautione, atque fideiussione, pro nautarum, nauiumque reditu, à quibus transportabuntur.

XXIIII. Captiui vtrinque, de quorum lytro conuen-

1585 tum nondum est, liberi dimittentur: sumptus tamen atque impensas soluēt; excepto Domino de Tilligny, in cuius causa Sua Cels. nil potest determinare, causam tamen illius Regiæ Maiestati commendabit, vt liberetur; vti & omnibus compertum est, Suam Cels. in causa Lanouij patris illius fecisse.

XXV. Antuerpienses prædictis conditionibus confestim omne armamētarium suū, omnem apparatū bellicum, omnes munitiones, nauesq; bellicas, quæ Reip. iuris sunt, Illustrissimo Principi Parmensi tradent. qui in vrbem venturus est, ibique Reip. faciem renouabit; ordinemq; rerum omnium constituet; duorum millium peditum, & cohortiū equitum duarum præsidium secum adducet, atq; per vrbem, quàm minimo fieri poterit ciuium detrimēto, disponet. Promisit idem Princeps, si Hollandi atq; Zelandi ad obediētiam suæ Maiestatis reuertantur, vrbem hāc, nec arcem, nec præsidium vllum habituram. Id si minus contingat, Sua Celsitudo (quia tunc vrbs hæc erit limitanea) de consilio Magistratûs, atque aliorum, qui ad huiusmodi causas conuocari solent, rationē inibit, quomodo vrbem eandem contra insidias & studia hostium munire poterit, atque tutari. Quantum ad cætera Brabantiæ præsidia, quàm primùm occasio atque patriæ constitutio patiatur, ita cum ijs Princeps aget, vt Antuerpienses nō obscuris argumentis discere possint, Suam Cels. militem non habere ad subditos opprimēdos, sed ad legitimum patrimonium Regis Hispaniarum recuperandum.

XXVI. Quantumuis autem Sua Cels. omni iure & æquitate bonam impensarū in hac obsidione factarum partem à Repub. Antuerpiana repetere posset: Tamen vt omnibus perspicuum sit, eandem non optare vrbis interitū, Antuerpienses tantùm quater centena millia florenorum numerabunt. quæ inter milites, tam longam & difficilem obsidionem perpessos, distribuētur. Vt autem commodiùs hanc summam colligant, dabitur illis terminus à ratione atque æquitate nō alienus.

XXVII. Denique D. de Sant Aldegunda postquam in sua opinione, sequendi partes quas hactenus secutus est, permaneat: visum est iuramentum ab eo stipulari, quòd anno integro post hanc conuentionē arma contra Regem Hispaniarum nulla portabit.

Quid post pacē pro- His de theatro recitatis, venit armorum cognitor, quem Heroldū vocant, promissa veste, in qua insignia

Regis

Regis Hispaniarum elaborata erant, indutus, vnaque secum tubicines Principis Parmensis in theatrum adduxit. qui cùm aliquandiu insigne epinicium, singulari quadam harmonia, cecinissent; Heroldus protensa in altum manu, ter, Viuat Rex Hispaniarum, exclamauit. quem pari numero omnis, quæ aderat, multitudo elatis vocibus est insecuta. Dimisso deinde populo, proceres vtrinque in curiam ad exquisitissimum Epulum conuenerunt. Interea Catholici, qui in vrbe erant, cum quibusdam Religiosis, qui recèns aduenerant, templum occupant, & præmisso DD. Ambrosij & Augustini hymno, vespertinas preces, Deo gratias agentes, cecinerunt.

1585

clamatã actum.

Tandem vigesimoseptimo Princeps Parmensis, præmissis in vrbem 2400. peditibus Germanis & Gallis, quadringentis verò equitibus, & ducentis nobilibus, inter quos Comes Egmondanus & D. Champagnius fuerunt, vrbem summo cum triumpho ingressus est. Magistratus ingredienti Illustrissimo, victoriosissimoque Principi claues vrbis, aliamque clauem ex auro purissimo confectam, per pulcherrimæ virginis manus obtulerunt. Princeps auream clauem accipiens, eam aureo quod in pectore radiabat Velleri addidit, & progrediens vlterius varia spectacula, arcusque triumphales ingeniosissimè factos, vidit: licèt ipse pridem interdixerat, ne sumptus inutiles facerent, exorbitantesque impensas profunderent Palatium illi in arce quondam ab Albano Duce magnificentissimè extructa, & postea à rebellibus ex parte euersa, regio apparatu adornatum est: in quod clementissimus Princeps ingressus, honorificentissimè ab omnibus salutatur. Catenæ verò, quibus plateæ claudi solent, sublatæ, ciuesque in ordinem redacti sunt. Atque ita munitissima vrbs, totiusque Europæ Emporium celeberrimum, in potestatem benignissimi sui Principis, cuius iugum præ nimio luxu, animique petulantia & lasciuia iam pridem excusserat, Illustrissimi Principis Parmensis auspicijs redactum est. in cuius rei memoriam hoc distichon lusimus, in quo mensis & annus continetur:

Parmẽsis Princeps Antuerpiam ingreditur.

VIrgo LegIt spICas, AntVVerpIa CoLLa potentIs
PrInCIpIs HIspanI sVbIICIt IMperIO.

Hac tam celebri victoria Commentarium nostrum, beneuole lector, concludere iam pridem gestiebamus: fauitque benignus Deus votis nostris. Faxit idem, vt

1585 cæteræ prouinciæ, vrbes atque oppida, animi feritate & pertinacia depoſita, tyrannorumque quorundam priuato commodo ſtudentium, & miſerrimæ plebeculæ ſcrinia intolerabilibus exactionibus compilantium, iugo excuſſo, ad obedientiam & protectionem optimi clementiſſimique ſui Principis & Regis, vel tandem reuertantur.

FINIS.





Sſelt
Histor